DECISIONES
IACOBI PVTEI
OLIM
ROTAE AVDITORIS
POSTMODVM S. R. E. CARDINALIS.

NVNC PRIMVM SVAE INTEGRITATI RESTITVTAE
Ex Originali eiusdem Putei manu scripto existente in Bibliotheca
R.mi D. FRANCISCI PENIAE Rotae Decani.

ACCESSIT EPITOME DECISIONVM
per titulos distincta.

CVM PRIVILEGIIS.

ROMAE,
Ex Typographia Cameræ Apostolicæ. M.DC XII.

AVCTORITATE SVPERIORVM.

nprimatur si videbitur R. P. M. Sac. Pal. Apost. ' Cesar Fidelis Vicesg. I
nprimatur Fr. Thomas Pallauicinus Magister, & Reuerendiss. P. Fr. Ludo-
uici Ystellæ Sacri Palatij Apost. Magistri socius Ordinis Prædicatorum.

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PAVLO PAPAE V.

FRANCISCVS RVBEVS ADVOCATVS.

IACOBI Putei decisiones, quæ aliquot ab hinc annis, culpa mendosi exemplaris, valde deprauatæ in publicum prodierant, ex proprio originali, quod in bibliotheca R. P. D. FRANCISCI PENIÆ Rotæ Decani seruatur, suæ integritati restituendas curaui: & omni vetusta labe expurgatas, sub felici nomine tuo, felicius quam antea, videre lucem volui. Patere SANCTISSIME PATER, oro, vt optimis auspicijs tuis prodeant: bene enim mereri videntur de iustissimo ac sapientissimo Principe, responsa, ad ius suum vnicuique tribuendum, afflatu quasi diuino fusa. Sciasque me tuo nomini, tuæq; gentis, addictissimum esse. Vale, & multos ac felices annos viue.

FRANCISCVS RVBEVS IN ROMANA CVRIA ADVOCATVS

Ad Lectorem.

NTE triginta fere annos Franciscus Zilettus IACOBI PVTEI decisiones imprimi fecit, & publicauit: sed cum incidisset in exemplar valde mendosum, & corruptum, adeo mutilæ & mendosæ prodierunt, vt vix Putei decisiones dici possent: eodemque vitio infectæ rursus emerserunt, quas ex Veneto exemplari postea Lugdunenses, & Colonienses impressores excuserunt. Sed cum postea innotuisset, Putei decisiones manu eiusdem scriptas, Romæ in Illustri & copiosa bibliotheca Reuerendiss. D. FRANCISCI PENIÆ Rotæ Decani asseruari, vt publicæ cõmoditati, & Aduocatorum præsertim studijs consuleretur, curaui vt quam emendatissimæ in lucem prodirent. quod non fuit difficile ab illo viro in publica commoda propenso, & mihi beneuolo, impetrare. Acceptas ergo PVTEI decisiones manu eius scriptas, & tribus voluminibus distinctas, transcribendas curaui, & nullis neq; laboribus, nec vigilijs, nec impẽsis parcens, suæ integritati restitui: & typis æneis impressas, eodem modo, quo in autographo reperiuntur, repræsentaui. Primum enim, argumentum cuiuslibet decisionis, summarium nostri vocant, quod sua manu Autor in margine scripserat. in prælimine, totidem verbis imprimendum curaui. Rursus quoniam Auditor ille grauissimus et doctissimus, multas sæpe additiones, quæ sibi profuturæ videbantur, in marginibus prædictarum decisionum addiderat, ego illas quoque addendas existimaui; appositis quibusdam asteriscis, vt protinus intelligeres, quibus locis quælibet additio responderet. Itaque verè affirmare possum, in hac editione PVTEI decisiones perinde fuisse repræsentatas, ac si autographum, siue originale ipsum, oculis tuis obijceretur. Solos numeros adiunxi, quasi indices doctrinarum, et assertionum, quæ in decisionibus continentur, vt studia tua, et leuiora & faciliora redderentur. Vale, et nostro hoc qualicunq; labore vtere feliciter: quem si gratum tibi fuisse cognouero, aliorũ Auditorum decisiones non minus vtiles, quæ nondum viderunt lucem, libenter cõmunicabo.

Quoniam Decisiones Putei iam impressæ quoad numeros, non semper respondent cum nunc editis ex suo originali, id breuiter indicare visum fuit opportunum, vt cum antiquæ allegabuntur protinus has emendatas & incorruptas inuenire possis; Prior numerus antiquas, Secundus nuper æditas indicat.

P R I M I L I B R I.

1	1	Coram Reuerendissimo Contareno
2	2	fuit datum secundum dubium; sed iuxta primum ordinem se extendit vsque ad decis. 3 nostri ordinis
3	3	sed in secũda col vers circa secundũ An testes
4	3	sed in tertia col. in princ. vers. dubitatur etiã
5	4	Franciscus Soderinus
6	5	fuit dubitatum quando
7	6	litigabatur inter duos
8	7	vertebatur lis
9	8	fuit dictum in vna
10	9	in alia Anderpiensi
11	10	consenserat Antonius
12	11	arrendauerunt Angelus
13		prima additio 12. decisionis incip. quod non detur remedium
14	12	fuit in eadem causa, & reliquum dictæ decisionis est vltima additio huius decis. incipit. & quod tunc queratur possessio
15	13	fuit citatus per edictum
16	ad l.	ad d. decis 13. incip. ista Oxomen. fuit iterũ
17	14	Episcopus Lucerinus
18	15	fuit propositum
19	16	fuit die 20. Octobris
20	17	in vna Bracarensi
21	18	Antonius Maria de Papazonibus
22	19	fuit dubitatum
23	20	fuit tentum
24	21	fuit dubitatum
25	22	in vna Bellicensi
26	23	in eadem Bellicensi
27	24	coram eodem Marsicano
28	25	eadem die
29	26	in vna credo Coloniensi
30	27	fuit dubitatum Et reliquum huius decisionis secundum antiquã impressionem est decisio nostra 28
31	29	fuit conclum in vna Tarraconensi
32	30	retulit D. Aquensis
33	31	in vna Astoricensi
34	32	proposui ego
35	33	die 8. Nouembris
36	34	habuerat Andreas. cum decis. seq. 35. fuit dubitatum in vna Vlixbonensi
37		additio ad decis. 34. incip. restitutio non datur
38	36	die 12. Nouembris
39	37	fuit multum disputatum
40	38	decima Octobris
41	39	fuit dictum in vna
42	40	remissoria in secunda instantia
43	41	in vna Oxomensi
44	42	Episcopus Salamantinus
45	43	Rota tenuit in vna
46	44	appellauerat procurator
47	45	Nicolaus Quintus
48	46	Ioannes Baptista de Grimaldis
49	47	in vna Carthaginensi
50	48	& eodem die coram eod.
51	49	fuit in vna Toletana
52	50	fuit conclusum in vna
53	51	in vna Vlixbonensi
54	52	dubitaui ego
55	53	in vna Romana
56	54	fuit dubitatum
57	55	fuit resolutum in vna
58		add. ad decis. 56. incip. quia in causa Oscensi
59		additio ad decis. 55. incip. Idem fuit dictum
60	56	& in eadem fuit dictum
61	57	fuit resolutum
62	58	in vna Vlixbonensi
63	59	fuit propositum dubium
64	60	de anno 1546
65	61	dubitaui ego in vna
66	62	in vna Parmensi
67	63	fuit dubitatum coram me
68	64	fuit dubitatum in vna
69	65	in vna Lugdunen.
70	66	testator legauerat
71	67	quando quis
72	68	in vna Venetiarum
73	69	in vna Toletana
74	70	in vna Colubrien.
75	71	in vna Legionen.
86	72	in vna Placentina
77	73	fuit dictum coram
78	74	fuit conclusum
79	75	in vna Lucana
80	76	in vna Bononien.
81	27	coram D. Aquen.
82	78	in vna Sabinen.
83	79	fuit conclusum
84	80	in vna Canariensi
85	81	Martinus Calaohorra
76	82	in vna Colubrien.
87	83	fuit resolutum
88	84	erat constitutio
89	89	coram D. Hieronimo Verallo
90	85	versic. Et quia in gratia
91	86	coram D Hieronimo
92	87	de eodem mense
93	88	cauetur statuto
94	89	fuit tentum
95	90	de mense Martij
96	91	commiserat causam
97	92	in vna Virdunen.
98	93	agebat Aleaander
99	94	domino Thoma
100	95	fuit dubitatum
101	96	fuit dictum
102	97	in vna Vrbeuetana
103	98	in eadem Vrbeuetana.
104	99	credo quod eodem
105	100	fuit resolutum
106	101	testator legauerat
107	102	dubitaui ego
108	103	fuit dubitatum in vna
109	104	in vna Zamoren
110	105	in vna Gerunden.
111	106	& postea in eadem
112	107	in vna Placentina
113	108	in vna Romana
114	109	in vna Massilien.
115	110	die 28. Martij 1541
116	111	die 27. Aprilis 1541
117	112	fuit dictum
118	113	in vna Amerina
119	114	die 29 Aprilis 1541
120	115	in vna Legionen.
121	116	voluerunt Domini
122	117	in vna Tarraconensi
123	118	secunda Maij 1541
124	119	fuerunt negatæ

125	120	fuit dubitatum in vna Aquilana
126	121	fuit dubitatum in vna Abulen.
127	122	in vna Cæsaraugustana
128	123	in vna Nullius
129	124	quod non flaretur
130	125	in vna Tirasonensi
131	126	voluerunt Domini
132	127	Tenuerunt etiam Domini
133	128	de mense Maij
134	129	secunda Maij
135	130	vigesimanona Aprilis
136	131	in vna Calaritana
137	132	in vna Nullius
138	133	in vna Gadicensi
139	834	prima Iulij 1541
140	135	sexta Iulij 1541
141	136	eadem die
142	137	Episcopus Solia
143	138	in vna Ouetten.
144	139	in vna Valentina
145	140	in vna Vicentina
146	141	decimatertia Iulij
147	142	fuit dubitatum
148	143	in vna Olcen.
149	144	in vna Tirasonen.
150	145	in vna Siracusana
151	146	coram D. Britonorien.
152	147	decimasexta Maij
153	148	in vna Regien.
	149	decimasexta Maii hæc dec. deest in alijs impress.
154	150	fuit dubitatum
155	151	fuit dubitatum
156	152	tertia Iunij
157	153	Cardinalis Ghinutius
158	154	in vna Florentina
159	155	in vna Casalen.
160	156	decima Iunij
161	157	Gregorius Valaguer
162	158	fuit dubitatum
163	159	die 20. Iunij
164	160	die Iouis 11. Augusti
165	160	vers. fuit etiam dubitatum ante num. 1.
166	161	promiserat conductor
167	162	quod collatio
168	163	coram D. Sarnen.
169	164	secundo fuit dubitatum
170	165	in vna Compostellana
171	166	erat commissa causa
172	167	per obitum Ioannis
173	167	circa fin. versic. ista causa
174	168	fuit dictum
175	169	Franciscus de Miranda
176	870	fuit dubitatum
177	171	quinque mulieres
178	172	die 21. Octobris
179	173	coram eodem
180	174	locauerat Reuerendissimus
181	175	die 24. Octobris
182	176	vigesimasexta Octobris
183	177	eadem die
184	178	quia Reuerendissimus
185	179	dubitaui ego
186	180	eadem die 4. Nouembris
187	181	procurator Michaelis
188	182	dubitaui ego
189	183	in vna Oscensi
190	184	fuit dictum
191	185	proposui ego
192	186	fuit dubitatum 14. Nouembris
193	127	in eadem fuit dubitatum
194	188	in vna Herbipolensi
195	189	die 14. Nouembris
196	190	Reuerendissimus Triuultius
197	191	in vna Hispalensi
198	192	die Lunæ 21. Nouemb.
199	193	Aluarus de Sande
200	194	in vna Paduana
201	195	fuit dictum
202	196	coram D. Thoma
203	197	probatio non veri
204	198	fuit conclusum
205	199	in vna Lucana
206	200	coram D. Marsicano
207	201	eadem die 28.
208	202	Georgius Bergomensis
209	203	in vna Zamorensi
210	204	voluerunt Domini
211	205	in vna Legionensi
212	206	fuit dubitatum
213	207	coram D. Mohedano
214	208	fuit dictum
215	209	in vna Virdunensi
216	210	fuit dubitatum
217	210	vers. Item & secundo, sub nu. 1
218	211	die 9. Decembris
219	212	die 12. Decembris
220	213	in causa Bononiensi
221	214	in vna Toletana
222	215	habebat Alexander
223	216	Fratres S. Mariæ
224	218	in vna Placentina
225	217	coram D. Mohedano
226	219	Nicolaus Vsinna
227	220	dixerunt Domini
228	221	item eadem
229	222	Illustris Aloysia
230	223	fuit dubitatum
231	225	fuit resolutum
232	226	in eadem die 9. Ian.
233	227	dilationea non dantur
234	228	in vna Valentina
235	229	die 9. Ianuarij
236	230	fuit dubitatum
237	231	die 13. Ianuarij
238	832	dubitaui ego die 13.
239	233	Sanctes de Gaulea
240	234	die 13. Ianuarij
241	235	in vna Conchensi
242	236	decimasexta Ianuarij
243	237	eadem die
244	238	in vna Sancti Andreæ
245	239	die 18. Ianuarij
246	240	fuit dubitatum
247	241	fuit dubitatum
248	242	in vna Salamantina
249	243	fuerat concessa
250	244	in vna Ouetensi
251	245	in vna parrochialis
252	246	in dubio An regula
253	247	Mortuo Ioanne Roderici
254	247	vers. Et prima Februarij, sub nu. 1.
255	248	in vna Conchensi
256	249	voluerunt Domini
257	250	proposui ego
258	251	die 6. Februarij
259	253	in vna Romana
260	254	habebat D. Raynaldus
261	255	die 10. Februarij 1542
262	256	Senator Mediolanensis
263	257	decima Februarij
264	258	proposui ego
265	258	vers. Item & secundo
266	259	fuerat commendata
267	260	in vna Hispalensi
268	261	dubitaui ego
269	262	in vna Briatensi
270	263	in vna Conchensi
271	264	Philippa Deca
272	265	in vna Bononiensi
273	266	fuit dubitatum
274	267	Sanctissimus Dominus
275	268	in vna Segobiensi
276	269	tertia Martij 1542
277	270	sexta Martij 1542
278	271	patiens defectum

279	272	in vna Florentina
280	273	sexta Martij 1542.
281	274	decimatertia Martij 1542
282	275	fuit conclusum
283	276	voluerunt Domini
284	277	licet Bald.
285	278	dubitaui ego
286	279	die 17. Martij 1542
287	280	in vna Bononiensi
288	280	versic. Item fuit dictum, sub num. 6.
289	281	die 20. Martij 1542
290	282	die 20. Martij 1542
291	283	in vna Segobiensi
292	284	in vna Abulensi
293	285	in vna Comensi
294	286	fuit dictum in vna
295	287	proposui ego
296	288	proposuit D. Marescottus
297	289	vigesimaquarta Martij 1542
298	290	fuit resolutum
299	291	voluerunt Domini
300	292	fuit dubitatum
301	293	die 17. Aprilis 1542
302	294	Franciscus de miranda
303	295	fuit conclusum
304	296	die 21. Aprilis 1542
305	297	lite pendente in prima instantia
306	298	die 21. Aprilis 1542
307	299	decimaseptima Aprilis 1542
308	300	& 24. Aprilis 1542
309	301	est statutum
310	302	vbi quis contrahit
311	303	in causa Cartaginen.
312	304	Statutum Vrbis
313	305	die 28. Aprilis 1542
314	306	in vna Cesenatensi
315	307	licet Rota
316	308	per obitum Ioannis
317	309	de anno 1534
318	310	quinta Iunij 1542
319	311	eadem die
320	312	eadem die 5. Iunij 1542
321	313	fuit dubitatum
322	314	felicis recordationis
323	315	ad instantiam Archiepiscopi
324	316	fuit resolutum
325	317	vigesimaoctaua Iunij 1542
326	318	voluit maior pars
327	319	Motus proprius
328	320	coram eodem
329	321	in vna Romana
330	322	in vna Salamantina
331	323	constitutione Gerundensi
332	324	ad instantiam Ioannis
333	325	die 9. Octobris 1542
334	326	in vna Segobiensi
335	327	in vna Carthaginensi
336	328	consuetudo an valeat
337	329	in vna Chorchen.
338	330	constit. Gerundensis
339	331	dubitaui ego
340	332	fuerat concordatum
341	333	die 16. Octobris 1542.
342	333	versic. eadem die
343		additio ad dec. 333. nostræ editionis incipiens similis casus
344	334	in vna Salamantina
345	335	die 20. Octobris 1542
346	336	Ioannes de Valdes
347	337	in vna Mediolanensi
348	338	fuit dictum in vna
349	339	fuit dictum.
350	340	die 20. Octobris 1542
351	341	dubitaui ego die 20.
352	342	die 23. Octobris
353	343	in vna Cæsaraugustana
354	344	die 23. Octobris 1542
355	345	in vna Portugalensi
356	346	eadem die 23. Octobris
357	347	fuit etiam in eadem
358	348	in causa Placentina
359	349	in causa Calaguritana
360	350	Leo Decimus
361	351	fuit dubitatum
362	352	coram D. de Thanis
363	353	trigesima Octobris
364	354	in vna Perusina
365	355	in causa Toletana
366	356	frater Hieronymus
367	359	Archiepiscopus S. Seuerinæ
368	360	voluerunt Domini
369	357	decimatertia Nouembris 1542
370	358	fuit conclusum
371	361	in vna Veronensi
372	362	licet videatur
373	363	Rota die 17. Nouembris
374	364	in vna Mutinensi
375	365	Ioannes de Porras
376	366	in vna Toletana
377		additio ad decis. 367. incip. iste idem articulus
378	368	Statutum Ecclesiæ
379	369	vigesimaquarta Nouembris
380	370	in vna Placentina
381	371	in vna Hispalensi
382	372	fuit resolutum
383	373	Capitulum Cæsaraugustanum
384	374	vigesimaseptima Nouembris
	375	hæc decisio deest in aliis impressionibus
385	376	in vna Valentina
386	377	eadem die, in vna.
387		additio ad eandem decis. 377. incipiens Die 12. Decembris 1542
388	378	Statutum Vrbis
389	379	Fratri Felici
390	380	Quando feudum
391	381	in vna Portugallensi
392	382	coram D. Marco Antonio
393	383	Episcopus Seliæ
394	384	Petrus Velasco
395	385	vndecima Decembris 1542
396	386	in vna Rauennatensi
397	387	in vna Tullensi
398	388	die decimaquinta Decembris
399	389	eadem die
400	390	in vna Salamantina
401	391	in causa Toletana
402	392	die 19. Decembris 1542
403	393	fuit resolutum coram me
404	394	in vna Neapolitana
405	395	die 18. Decembris 1542
406	396	in vna Carthaginensi
407	397	in vna Placentina
408	398	Ioannes de Solano
499	399	quando sub Plebe
410	400	pronunciauerat vnus
411	401	Ioannes de Vergara
412	402	fuit resolutum
413	403	die 13. Ianuarij
414	404	Ioan. Franciscus de Bardis
415	405	in vna Toletana
416	406	die 15. Ianuarij 1543
417	407	in vna Conchensi
418	408	decimaquinta Ianuarij 1543
419	409	fuit resolutum
420	410	legitima detrahitur
421	411	Iulius Cæsar Ranconus
422	412	commiserat Ioannes Baptista
423	413	In vna Salernitana
424	414	In vna Calciatensi
425	415	fuit tentum
426	416	fuit resolutum
427	417	fuit tentum
428	418	vigesimanona Ianuarij 1543
429	419	fuit resolutum
430	420	fuit resolutum
431	421	In vna Senensi

432	422	eadem die
433	423	In vna Calaguritana
434	424	Deceſſit Polidorus
435	425	fuit reſolutum
436	426	Dubitauit Dominus Mohedanus
437	427	quinta Martij 1543
438	428	In vna Gebennenſi
439	429	Hieronymus Dominicus
440	430	Franciſcus de Hayada
441	431	licet Portionarius
442	432	In vna Abulenſi
443	433	quod menſa
444	434	Clauſulæ generales
	435	hæc deciſio deeſt in aliis impreſſionibus
445	435	additio ad eandem deciſ. 435 incipiens, fuit reſolutum
446	436	In vna Salamantina
447	437	ſexta Aprilis 1543
448	438	fuit tentum
449	439	fuit tentum
450	440	licet ſit communis
451	441	In vna Tarraconenſi
452	442	fuit reſolutum
453	443	die 9. Aprilis 1543

SECVNDI LIBRI.

1	1	fuit concluſum
2	2	fuit dictum
3	3	die 16. Aprilis 1543
4	4	in vna Mediolanenſi
5	5	fuit dictum
6	6	decimaſexta Aprilis 1543
7	7	fuit reſolutum
8	8	in vna Romana domus
9	9	fuit reſolutum
10	10	in vna Calagurritana Abbatiatus
11	11	vigeſimaſeptima Aprilis 1543
	12	eſt pars antecedentis deciſionis
	13	hæc deeſt in aliis impreſſionibus
12	14	in vna Tarraconenſi
13	15	Teſtimonium de auditu
14	16	Iterum cauſa
15	17	quarta Maij 1543
16	18	ſeptima Maij 1543
17	19	in vna Taruſina
18	20	in vna Bononienſi
19	21	ſeptima Maii 1543
20	22	vndecima Maij 1543
21	23	eadem die in
22	24	fuit dictum
23	25	die 18. Maii 1543
24	26	fuit dictum
25	27	item eadem die
26	28	eadem die
27	29	in vna Gerundenſi
28	30	in ſede Tudertina
29	31	Statutum Romanum
30	32	fuit reſolutum
31	33	in vna Leodienſi
32	34	duodecima Octobris 1543
33	35	fuit reſolutum
34	36	Gratianus Marchi
35	37	Cardinalis S. Crucis
36	38	fuit dictum
37	39	fuit dubitatum
38	40	fuit reſolutum
39	41	fuit reſolutum
40	42	& eadem die
41	43	decimanona Octobris
42	44	dominus Aquenſis
43	45	die quinta Nouembris 1543
44		additio ad eandem deciſ. 45 incip. Die 12. Nouembris 1546
45	46	eadem die
46	47	eadem die
47	48	die 14. Nouembris
48	49	duodecima Nouembris 1543
49	50	Vicarius Archiepiſcopi
50	51	fuit reſolutum
51	52	fuit dictum
52	53	fuit reſolutum
53	54	fuit dubitatum
54	55	fuit reſolutum
55	56	fuit reſolutum
56	57	eadem die
57	58	dubitaui ego dixi
58	59	item in eadem
59	60	dubitaui ego
60	61	fuit dictum
61	62	Vigeſimaprima Nouembris 1543
62	63	in vna Hiſpalenſi
63	64	vigeſimaſexta Nouembris 1543
64	65	vigeſimaſexta Nouembris 1543
65	66	vigeſimaſexta & 28. Nouembris 1543
66	67	in vna Hiſpalenſi
67	68	vigeſimaoctaua Nouembris
68	69	in vna Nannatenſi
69	69	verſ. Item in eadem ſub num. 3.
70	70	in vna Romana
71	71	eadem die
72	72	in vna Firmana
73	73	in vna Placentina
74	74	pendente lite
75	75	regula Cancellariæ
76	76	fuit reſolutum
77	77	in vna Toletana
78	78	ſeptima Ianuarij 1544
79	79	eadem die
80	80	in vna S. Andreæ
81	81	decimaoctaua Ianuarij
82	82	eadem die
83	83	in vna Abulenſi
84	84	in vna Romana
85	85	die Mercurii
86	86	in vna Valentina
87	87	in vna Barchinonenſi
88	88	procurator habens
89	89	eadem die
90	90	vigeſimaoctaua Ianuarij 1544
91	91	Henricus Ledoa
92	92	quia ſuperius
93	93	quarta Februarii 1544
94	94	in vna Calaguritana
95	95	in cauſa Toletana
96	96	octaua Februarii 1544
97	97	epiſcopus Balneoregienſis
98	98	in vna Toletana
99	99	in vna Barchinonenſi
100	100	vndecima Februarii 1544
101	101	decimaquinta Februarii 1544
102	102	licet Siaphil.
103	103	fuit dictum
104	104	in vna Carthaginenſi
105	105	in vna Salamantina
106	106	in vna Romana
107	107	in vna Aſtoricenſi
108	208	in vna Toletana
109	109	dixerunt Domini
110	109	verſic. Et quod ex quo, ſub num. 3.
111	110	in vna Rauennatenſi
112	111	comes hæres
113		additio ad eandem deciſ. 111 incip. iterum dubitaui
114	112	fuit dictum
115	113	in cauſa Mediolanenſi
116	114	decimaquarta Martij 1544
117	114	verſ. Et in eadem, ſub num. 2.
118	115	in cauſa Toletana
119	116	quando eſt productum
120	117	decimaſeptima Martij 1544
121	118	vigeſimaquarta Martij 1544
122	119	in vna Peruſina

278	270	in vna Anagnina
279	271	in vna Romana
280	272	fuit bis
281	273	in vna Hispalensi
282	274	citatus ad totam
283	275	die 27. Maii 1545
284	276	in vna Parmensi
285	277	die prima Iunii
286	278	in vna Senensi
287	279	in vna Legionensi
288	280	in vna Burgensi
289	281	in vna Romana domus
290	282	in causa Parmensi
291	283	in causa Rhodiensi
292	284	in vna Bononiensi
293	285	in causa Placentina
294	286	dicebatur in vna
295	287	in vna Palentina
296	288	in causa Parmen.
297	289	in vna Romana
298	290	in vna Assisinatensi
299	291	in vna Panormitana
300	292	item in vna Parmensi
301	293	Iulius de Podio
302	294	regula de annali
303	295	procurator post litem
304	296	die 7. Octobris
305	297	eadem die
306	298	eadem die in vna
307		additio ad eandem decis. 299. incip. die 16. Octobris
308	299	in vna Calaguritana
309	300	proposui ego
310	301	in vna Elnensi
311	302	in vna Calaguritana
312	303	die 19 Octobris
313	304	statutum Bononiæ
314	305	in vna Placentina
315	306	Ioannes Valdes
316	307	in vna Assisinatensi
317	308	in vna Vercellensi
318	309	in vna Tiburtina
319	310	in causa Hispalensi
320	311	fuit decisum
321	312	fuit decisio
322	313	in causa Parmensi
323	314	in vna Brittonoriensi
324	315	in vna Vasionensi
325	316	in vna Salamantina
326	317	quarta Nouembris
327	318	in vna Cæsaraugustana
328	319	in vna Hispalensi
329	320	in vna Ilerdensi
330	321	in vna Toletana
331	322	die 6. Nouembris
332	322	vers. quod de anno
333	323	decimatertia Nouembris
334	324	die 16. Nouembris
335	325	eadem die in causa
	326	Hæc deest in aliis impress.
336	327	die 10. Nouembris
338	328	eadem die in vna
339	329	in vna Valentina
340	330	in vna Cæsaraugustana
341	331	in vna Bononiensi
342	332	Ioanni Petro
343	333	in causa Parmensi
344	334	Miles S. Petri
345	335	in vna Augustana
346	336	decisio Egidii
347	337	in causa Romana
348	338	in causa Salamantina
349	339	in vna Rauennatensi
350	340	in vniuersitate studii
351	341	Hæres institutus
352	342	in causa Brittonoriensi
353	343	in causa Salamantina
354	344	in causa Parmensi
355	345	in causa Parmensi
356	346	Cardinalis Farnesius
357	347	in vna Brixiensi
358	348	in causa Parmensi
359	349	die 8. Ianuarii
360	350	in causa Ouetensi
361	351	in vna Abulensi
362	352	in vna Auriacensi Paludum
363	353	fuit resolutum
364	354	in causa Romana
365	355	in causa Parmensi
366	356	in vna Elnensi
367	357	in vna Tullensi
368	358	in causa Salamantina
369	359	in vna Hispalensi
370	360	in vna Iacensi
371	361	in vna Fauentina
372	362	in vna Tiburtina
373	363	in causa Hispalensi
374	364	in vna Ouetensi
375	365	in vna Segobiensi
376	366	die 29. Iannuaria
377	367	resignatio vbi est
378	368	in causa Salamantina
379	369	in vna Elnensi
380	370	in vna Cæsaraugustana
381	371	in vna Lucensi
382	372	in causa Hispalensi
383	373	procurator substitutus
384	374	in causa Parmensi
385	375	in causa Segobiensi
386	376	in vna Vicentina
387	377	præsuppositum fuit
388	378	voluerunt Domini
389	379	in vna Giennensi
390	380	in causa Hispalensi
391	381	voluerunt Domini
392	382	voluerunt Domini in vna
393	383	Claudius Chiarantonai
394	384	in vna Hispalensi
395	385	Inhibitio iusta vel
396	386	in causa Parmensi
397	387	in causa Parmensi
398	388	in vna Paduana
399	389	proposui etiam
400	390	in vna Hispalensi
401	391	in vna Hispalensi cantoriæ
402	392	canonicatus & præbenda
403	393	in vna Cesaragustana
404	394	fuit resolutum
405	395	regula de publicandis
406	396	in causa Hispalensi
407	397	in vna Ouetensi
408	398	tertia Martii 1546
409	399	in vna Abulensi
410	400	solemnitates extrinsecæ
411	401	in vna Abulensi
412	402	eadem die coram eodem
413	403	die 15. Martij 1546
414	404	in causa Salamantina
415	405	in vna Lucensi
416	406	in vna Brixiensi
417	407	in causa Romana
418	408	in causa Vercellensi
419	409	in vna Paduana
420	410	in causa Salamantina
421	411	in vna Salamantina
422	412	in vna Toletana
423	413	fuit resolutum
424	414	archiuistæ habent
425	415	vigesimanona Martij 1546
426	416	in causa Romana
427	417	don Georgius Ruffus
428	418	in vna Romana
429	419	in vna Tiburtina
430	420	Reuerendiss. de Gambara
431	421	fuit resolutum
432	422	fuit resolutum in vna

433	423	in causa Paduana.
434	424	eadem die.
435	425	in vna Cæsaraugustana.
436	426	in vna Barchinonensi
437	427	die 5. Aprilis 1540
438	428	in vna Brixiensi
439	429	etiam quod
440	430	in causa Britonoriensi
441	431	eadem die.
442	432	vacarunt Canonicatus
443	433	in causa Vibeuetana
444	434	in causa Romana
445	435	in causa Britonoriensi
446	436	in vna Lucensi
447	437	in vna Senensi
448	433	in vna Ianuensi
449	439	proposui ego
450	440	in causa Parmensi
451	441	in causa Britonoriensi
452	442	dubitauit D. Ioannes
453	443	dubitauit D. Thomas
454	444	decimaseptima Maij
455	445	eadem die 17. Maii
456	446	in vna Lucensi
457	447	in vna Sarsinatensi
458	448	in causa Spoletana
459	419	die 4. Iunij 1546
460	450	in causa Parmensi
	451	est pars superioris
461	452	in eadem causa
462	453	die 29. Iulij 1546
463	454	in causa vigintimillium
464	455	dubitauit D Mohedanus
465	456	dicebam ego
466	457	Matthiæ Ferrer
467	458	Ferdinandus de Villumbrales
468	addit. ad eandem decis. 458. incip. die 11. Octobris.	
469	459	in vna Abulensi
470	460	in vna Barchinonensi
471	461	die 11. Octobris 1546
472	462	in vna Portugallensi
473	463	eadem die 11.
474	464	die 15 Octobris 1546
475	465	die 15 Octobris 1546
476	466	confessio vt plene
477	467	in vna Legionensi
478	468	in vna Toletana
479	additio ad decis. 468. incip. Ista causa fuit	
480	469	Antonius de Burgos
481	470	in vna Hispalensi
482	471	eadem die 22.
483	472	Matthæus Gebelli
484	473	in vna Portugallensi
485	474	in vna Conimbricensi
486	475	in vna Romana
487	476	litteras delegationis
488	477	die Veneris
489	478	in Ecclesia
490	479	in vna Abulensi
491	380	in vna Fulginatensi
492	481	in vna Cordubensi
493	482	Ioannes Scriuano
494	483	ex quinque
495	484	die 12 Nouembris
496	485	in vna Cæsaraugustina
497	486	in causa bononiensi
498	487	decimaquinta Nouembris
499	488	Prop. fuit D. Peregrinus
500	488	vers. item etiam
501	489	de mense Nouembris
502	490	de eodem mense
503	491	de eodem mense
504	492	in causa Salamantina
505	493	in vna Bononiensi
506	494	coram eodem
507	495	causa Cordubensis
508	496	in vna Dertusensi
509	497	die 7. Ianuarij
510	498	in vna Glasquensi
511	499	die 10 Ianuarij 1547
512	500	eadem die 10.
513	501	in vna Placentina
514	502	fuit resolutum
515	503	proposui dubium
516	504	in vna Calaguritana
517	505	in vna Salamantina
518	506	vigesimaquarta Ianuarij
519	507	Hospitale mortis
520	508	in vna Eugubina
521	509	dubitaui ego
522	510	eadem die
523	511	indultum Cardinalis
524	512	in vna Compostellana
525	513	Petrus Ramires
526	514	in vna Hispalensi
527	515	attentata per assertum
528	516	in vna Compostellana

TERTII LIBRI.

à prima decisione vsque ad 98. correspondent

99		
100	99	in vna Salamantina
101	100	die 20. Februarij
102	101	in vna Venetiarum
103	102	in vna Gerundensi
104	103	in vna Leodiensi
105	104	in vna Meliuitana
106	105	in vna Astoricensi
107	106	duæ familiæ
108	107	quando pronunciatur
109	108	dubitauit D. Reomanus
110	109	in causa Romana
111	110	Alfonsus Martinez
112	111	in vna Romana
113	112	in vna Panormitana
114	113	in vna Cordubensi
115	114	decimasexta Martij
116	115	fuit resolutum
117	116	colla in vbi sp. stat
118	117	resolutum fuit
119	118	in vna Romana
120	119	in vna Toletana
121	120	die 7. Maij 1548
122	121	in causa Cæsaraugustana
123	122	in vna Romana hæreditatis
124	123	die 18. Maij 1548
125	124	in causa Toletana
126	125	vigesimatertia Maij 1548
	126	est pars superioris in alia impress.
	correspondent vsque ad decis. 194 inclusiue	
195	additio ad dec. 195 incip. iterum die 25.	
196	195	dubitaui die 11.
197	196	die 14. Ianuarij 1549
198	197	in causa Perusina
199	198	die 18. Ianuarij 1549
200	199	die 18. Ianuarij 1549
201	200	in causa Romana
202	201	in vna Panormitana
203	202	die lunæ 18.
204	203	in vna Bononiensi
205	204	in causa Romana
206	205	Episcopus Turritanus
207	206	die 4. Febr. 1549
208	207	in causa Augustensi
209	208	in causa Malacitana
210	209	Capitulum Lucense
211	210	dubitauit D. Antonius
212	211	in causa Romana
213	212	in causa Augustensi
214	213	in causa Mantuana
215	214	Nicolaus de Pabia

216	215	in causa Romana
217	216	in causa Salamantina
218	217	die 29. Februarij 1549
219	218	die 25. Februarij 1549
220	219	in causa Romana
221	220	in causa Fundana
222	221	in causa Romana
223	222	in vna causa
224	223	in vna Hispalensi
225	224	in vna Calciatensi
226	225	in vna Germana
227	226	Bernardinus de Graffis
228	227	in causa Salamantina
229	228	dubitauit D. Antonius
230	229	in causa Fundana
231	230	proposuit D. Peregrinus
232	231	in vna Paduana
233	232	die 27. Martij
234	233	die 27. Martij
235	234	die 17. Martij
236	235	in vna Zamorensi
237	236	in causa Malacitana
238	237	in causa Salamantina
239	238	die prima Aprilis
240	239	in causa Fundana
241	240	in vna Cæsaraugustana
242	241	in causa Calaguritana
243	242	die 8. Aprilis
244	243	in causa Coloniensi
245	244	in causa Romana
246	245	in vna Zamorensi
247	246	in causa Cæsaraugustana
248	247	in vna Romana bonorum
249	248	in causa Neapolitana
250	249	die 17 Maij
251	250	in causa Coloniensi
252	251	eademdie
253	252	dubitauit D. Reomanus
254	253	die 24. Maij
255	254	vltima Maij
256	255	in causa Romana
257	256	in causa Coloniensi
258	257	in causa Romana
259	258	in causa Romana
260	259	in causa Parmensi
261	260	in causa Romana
262	261	in causa Coloniensi
263	262	in causa Salama nuna
264	263	in causa Romana
265	264	in causa Romana
266	265	in vna Vrgellensi
267	266	in causa Castri feliciani
268	267	in causa Legionensi
269	268	Ferdinandus de Contreras
270	269	in vna Hispalensi
271	270	Papa concesserat
272	271	in causa Toletana
273	272	in causa Toletana decimarum
274	273	Illustris. Ascanius
275	274	die 25. Octobris
276	275	in vna Romana
277	276	minor alienauerat
278	277	in causa Romana
279	278	Alphonsus Moran.
280	279	in vna Tudertina
281	280	in causa Toletana
282	281	eadem die
283	282	die 4. Octobris
284	283	tenuimus in vna
285	284	in vna Romana
286	285	in causa Romana
287	286	in causa Ilerdensi
288	287	die Veneris
289	218	Pompeius de S. Seuerino
290	289	fuit decisum in vna
291	290	in causa Romana
292	291	in causa Romana medietatis
293	292	in vna Toletana
294	293	in vna Placentina
295	294	die 17. Martij
296	295	fuit resolutum
397	296	regressus per decessum
298	297	in causa Toletana
299	298	eadem die
300	299	die 10. Martij
301	300	de mense Aprilis
302	301	in causa Asinicensi
303	302	in causa Interramnensi
304	303	in causa Romana Castri
305	304	die 5. Maij
306	305	in causa Toletana
307	306	in causa Toletana decimarum
308	307	Clemens Septimus
309	308	vigesimatertia Maij
310	309	in causa Romana
311	310	eadem die 28. Maij
312	311	die 30. Maij
313	312	decimatertia Innij
314	313	eadem die 13. Iunij
315	314	die 16. Iunij
316	315	in causa Giennensi
317	316	eadem die 20. Iunij
318	317	in causa Abulensi
319	318	die 23. Iunij
320	319	in causa Bononiensi
321	320	in causa Romana
322	321	eadem die 6, Octobris
323	322	si vigore commissionis
324	323	eadem die
325	324	decima Octobris
326	325	eadem die
327	326	in vna Cæsaraugustana
328	327	in vna Abulensi
329	328	in causa Salamantina
330	329	fuit resolutum
331	330	in causa Romana
332	331	in causa Toletana
333	332	in vna Pampilonensi
334	333	die 29. Octobris
335	334	die 5. Nnnembris
336	335	eadem die
337	336	dnodecima Nouembris
338	337	eadem die
339	318	die Veneris
340	339	in vna Salamantina
341	340	in causa Romana
342	341	eadem die
343	342	in causa Romana
344	343	in causa Britonoriensi
345	344	die 28. Nouembris
346	345	eadem die
347	346	in causa Britonoriensi
348	347	eadem die
349	348	in causa Romana
350	349	eadem die
351	350	Leo Decimus
352	351	postquam alias Rota
353	352	eadem die
354	353	in causa Britonoriensi
355	354	in vna Perusina
356	355	in causa Romana
	356	est pars superioris in alijs impress.

Nnmeri cæterarum concordant, præter 373. & 374. quæ sunt antepositæ.

INDEX ALPHABETICVS

Eorum quæ in hoc opere continentur.

Prior numerus decisionem, vltimus paginam indicat.

2 diœcesi

Adi-

ad

C

primam

Clerici,

Con-

Di-

E

Eccle-

 excu-

ad

F

Gratia

IACTA-

I

Iniuria

* *Iudex*

Iuspa-

L

Le-

INDEX.

f

N.

Nota-

Pa-

O

g dimidius

in

Pos-

Posses-

Præ-

Pra-

Pro

Pro-

ad Re-

Regu-

Cedens

i 2 tum

S

INDEX.

Sen-

INDEX.

Solen-

INDEX.

k Reme-

Statu-

Tertius

An

V

Ven-

FINIS.

IACOBI PVTEI DECISIONVM LIBER PRIMVS.

SVMMARIVM.

An constitutio cum decreto irritanti, tollatur per non vsum, seu saltem contrarium.

DECISIO I.

* Hic, & tres alij discursus, vsq; ad 4. decisionē incipientē. Practicus Soderinus, nō sunt decisiones Rotales: sed annotationes factę à Puteo in causa sibi extra Rotam cōmissa.

Coram * reuerendiss. Contareno agebatur causa inter canonicos, & beneficiatos Sancti Petri, in qua fuimus adiuncti ego, D. Antonius Gabrielis, & Fabius Accorombonus Aduocati, & per nos fuit datum dubium, an motus proprij Sixti, & Clementis irritantes locationes, siue annullantes, & reuocantes cum decreto irritanti, tollerentur per non vsum, vel saltem contrarium. Fuit dictum pro parte canonicorum, qui instabant pro parte affirmatiua, quod sic: quia quęlibet dispositio, etiam quod habeat clausulam annullatiuam, recipit istam conditionem, si cōstitutio illa moribus vtentium recipiatur, prout dicit Archid. Gemin. & Cardin. Alexandri. in c. erit autem lex in §. leges. reg. 4. distinct. Felin. in capit. 1. de treug. & pac. Clausula ergo decreti annullatiua sortitur easdē conditiones, quas dispositio principalis, cui adijcitur, vt est tex. in l. si. ff. de cōst. princip. & vulgo dicitur, quod clausula accessoria sortitur eādem naturam, quam dispositio principalis, vt est glos. in l. si patronus, §. patronum, & ibi dedi multos concordan. ff. si quid in frand. patron. & est cōmunis regula in l. quod per manus, ff. de iure codicill. & in regula accessoriū: de reg. iur. in 6. prout in istis terminis tradit Cardin. in Clemen. 1. quęst. 18. de elect. Roman. cōs. 330. col. 3. vers. quo ad tertium. & videtur sequi Cardin. Alexandrin. in d. §. leges. vers. tertia conclusio. & hoc videtur decidere Roch. de Curte in c. fin. de consuet. in 5. limitat. 7. cōclus. iuncta prima ampliat. Et ratio est, quia decretum irritans regulatur secundum naturam dispositionis, super qua interponitur, vt in Clem. 1. §. secus. de concess. pręb. vbi Bonifac. de Vital. col. 1. & 5. & Rot. in antiq. 426. & in nou. 95. & Roman. cons. 330. Ioan. Crot. in c. 2. in 3. notab. de constit. in 6. Gundisal. Villadieg. in tract. de legat. in 9. quęst. 1. par. princip. col. 21. vers. sed quæro, an decretum, & Ioan. de Selua in tract. de benef. in 9. quęst. 3. part. si ergo dispositio principalis habet illam conditionē, ergo & clausula accessoria. Sed aduertendū est, quod constitutio non tollitur, seu abrogatur per non vsum, sed oportet dare cōtrariū * vsum, vt per Fel. in d. c. 1. in 4. declaratio. de treug. & pac. & per Card. Alexādrin. in d. §. leges. Oportet ergo, vt detur contrarius vsus, & tunc aut requiritur scientia superioris; & tunc sufficit probare contra-

* Rota circa hūc articulum seruat doctrinā firmatā in decisione 1 causa Romana concordiæ corā R. P. D. de Caualerijs.

trarios actus factos, & non sufficit probare vnũ, sciente, & patiente superiore; aut sunt plures actus absque scientia: tamen probatur cursus decennij, & tunc etiam sufficit, vt per Felin. in d. c. 1. & Alexand. in d. §. leges. Et ita in dicto dubio nos transiuimus cum ista distinctione; & propterea fuit processum ad probãdum, & articulandum actus contrarios motui proprio, cum scientia Clementis: quod tamen non potuit probari, nisi de vno.

SVMMARIVM.

An constitutio, annullans locationes factas in personis canonicorum, beneficiatorum, clericorum, & eorum consanguineorum, annullet locationes, vbi reperirentur factæ in euidentem vtilitatem Ecclesiæ.

DECISIO II.

FVit datum secundum dubium, an motus proprij Clementis, & Sixti, annullantes locationes factas in personam canonicorũ, beneficiatorum, & clericorum, ac eorum cõsanguineorum; annullet locationes, vbi reperirentur, quod essent factæ in euidentẽ vtilitatem Ecclesiæ. Nos inclinauimus in illam partem, quod sic: quia glos. in l. cum hi, §. eam transactionem, ff. de transact. quę voluit contrarium; communiter reprobatur, vt ibi per Ias. licet Decius conetur defendere illam glos. in c. quę in Ecclesiarũ in 3. col. de cõstitut. & quia dicebatur, quod vbi persona prohibetur, etiam prohibetur, quod vtiliter faciat, prout est tex. iuncta doctrina Pau. de Cast. in aut. quibuscũque C. de sacros. eccl: & quia etiam in motu proprio permittebatur locatio domus pro propria habitatione; ergo in cõtrarium voluit prohibere omnes alias locationes, quantũcũq; vtiles: & quia considerabatur, quod alias motus proprius esset superfluus, cum de iure communi iam sit succursum remedio rescissorio aduersus locationes damnosas.

DECISIO III.

ET quia pro parte canonicorum conductorum prætendebatur, quod Clemens interpretatus fuerat dictos motus proprios hoc modo, videlicet, quod locationes possent fieri in personis tertiis, accommodando nomen suum ad vtilitatem Ecclesiæ; fuerũt examinati tres testes, vnus videlicet canonicus, alter camerarius Ecclesiæ, qui habebat duas domos in locationem, tertius testis factor canonicorum, & Capituli; qui deposuerunt, quod Cardinalis Vrsinus dixit in capitulo, quod intentio Clementis erat, quod locationes fierent in tertijs personis, accommodando nomen ad vtilitatem canonicorum; dum tamen fierent ad vtilitatem Ecclesiæ. Hinc insurrexerunt duo dubia. Primum, an Cardinali aliquid asserenti esset credendum. Secundum, an testes tres supradicti essent testes idonei.

Circa primum dicebatur, quod Cardinali, * asserẽti aliquid in pręsẽtia Papę, erat credendum, secundum Imol. & latius ibi Felin. in cap. quod super ijs, de fid. instrumen. Card. Alexan. in cap. nobilissimus, 97. dist. Barbat. in tractat. de præstan. Cardin. in 1. quæst. 2. par. Dec. in l. 1. C. de mand. prin. & secundum alios DD. quos apostillaui in vna additione, manu mea scripta, in d. c. nobilissimus; dicebatur, quod isti DD. intelligebantur etiam, vbi tractaretur de præiudicio tertij: quia ita indistincte DD. loquuntur.

* Cardinali aliquid asserenti, an credatur.

Circa secundum, an testes examinati, essent idonei testes; primo, dicebatur, quod canonicus, quia consenserat locationi, erat excõmunicatus iuxta formam motus proprij. Item, etiam camerarius, qui duas domos in locationem habebat, ex quo non restituebat, etiam erat excommunicatus iuxta formam motus proprij Sixti innouati per Clementem: * & excommunicatus, non est idoneus testis, vt in cap. decernimus, de senten. excom. in 6. in cap. veniens 2. & cap. testimonium, de testibus, tenet Alberic. de Rosat. in tract. de testib. in §. quando testis repell. ration. crim. vel infam. col. 5. vers. subsequẽter videndum est, &c. Lanfranc. de Oriano in cap. quoniam contra, in vers. testium depositio, col. 21. vers. quæro quarto, numquid excõmunicatus extra de probation. Respõdebatur, quod excommunicatus ante declaratoriam, non est prohibitus testificari, cum non sit vitandus iuxta declarationem factã per Concilium Basilieñ, de quo meminit Felin. in cap. Rodulphus col. 24. vers. limita quarto, de rescript. sed profecto si Felin. bene inspiciatur, non dicit id, ad quod fuit allegatus, immo totũ contrarium, vt patet ibidem in 26. col. vers. & hoc est vtile per id, &c. Et quod dictum excommunicati occulti, & tolerati non valeat, tenet Phil. Franc. in cap. pia, in prin. in 3. col. vers. in actibus vero qui geruntur, &c. de exceptio. in 6. & facit, quod dicit Cassador. decis. 1. de præben. pag. 2. num. 4. vers. sed pro conclusione, &c. Secundo dicebatur, quod excõmunicatus ita demum repellitur, vbi probatur, quod non solum erat excommunicatus, sed etiam quod erat habitus, & reputatus, per doctrinam Bart. in l. 1. in 1. col. & ibi Ias. C. de testam. Sed ad istud respondebatur, quod, ex quo in exceptione excommunicationis opposita etiam deducebatur causa excommunicationis, puta, quia dicebatur, canonicum, & camerarium excommunicatos; quia cõtrauenerant motui proprio

* Excõmunicatus occultus ante declarationem, an sit idoneus testis.

prio: Ideo isto casu sufficit dicere eos excõmunicatos, & non oportet dicere eos habitos, & reputatos, prout dicit Bal. in d.l.1. in 2. quæst. contra Bart. C. de Testam. & ibi Alex. in 1. col. & hanc opinionem dicit communem idem Alex. cons. 152. viso processu &c. colum. 4. circa finem vers. non obstat etiamsi dicatur, &c. vol. 5. *

* Ad materiã testis excommunicati, vide infra versic. & quia superius.

Dubitabatur etiam, an factor Capituli, qui babebat salarium à Capitulo, esset idoneus testis; & dicebatur, quod non: quia mercenarius non est idoneus testis, * prout dicit gloss. in c. in litteris. de testibus. Specul. in tit. de teste, §. 1. quæ poss. conra test. oppon. col. 4. vers. item excipitur, qnod est domesticus, &c. & Alberic. de Rosate alias Maluet. in tract. de test. in §. quando testes repellantur ratione domesticitatis, col. 4. vers. vltra prædicta videndum est de eliente, &c. & facit, quod dicit in prin. d. 4. col. vers. addit Card. in cap. insinuante, &c. Sed aduerte, quia iura, quę allegat Specul. in d. tit. de teste, videlicet text. in l. respiciendum, §. furta, & tex. in l. si libertus; loquuntur in mercenario familiari, id est, cohabitante: & tunc verum est, quod mercenarius familiaris cohabitans, non potest esse testis: & ita etiam videntur loqui iura, quę allegat Alberic. in d. tract. & etiam glo. si bene inspiciatur, in d. cap. in literis, & Imola qui ex aduerso allegatur in cap. insinuante. de officio delegati, loquitur in mercenario familiare, vt patet ibi in vers. & aduerte etiam, &c. Et pro ista parte, quod mercenarins non familiaris, sed extra domum habitans, possit testificari pro conducente operas eius facit, quia edictũ de testibus est prohibitorium, vt est text. in l. 1. & ibi Iacob. de Santo Georg. de testib. Vnde cum talis non reperiatur expresse prohibitus, ergo erit sibi permissum, & quod talis non prohibeatur, facit id, quod dicit Bal. cõs. 50. in 2. volum. vbi consuluit in istis institoribus, & fanticellis apothecarum eerdonum, & aliorum artificum; qui habent mercedem tantum, & non viuunt expensis patronorum suorum, vt possint testificari pro patronis suis: vt etiam sequitur additio ad Crot. super tract. de testib. in 4. parte colum. 5. num. 127. vers. tertio fallit in illo, &c. & facit ratio: nam si familiaris, qui seruit sine salario, potest esse testis pro domino, vt dicit idem Crot. in d. vers. tertio fallit; itaut quis non repellatur respectu solius familiaritatis, sed cum hoc concurrere debeat etiam salarium, ita non debet qnis repelli respectu solius mercedis, quam consequitur; sed etiam cum mercede debet concurrere familiaritas, id est, cohabitatio id est, vt simul viuat expensis domini. Et licet Alex. in cons. 91. circa primum col. fin. vers. accedit etiam ad perimendum, &cæt. vol. 4. teneat, quod mercenarius non familiaris repellatur; tamen quia Alex. allegat Speculat. & iura per Speculat. allegata, quæ, vt superius dictum est, procedunt in mercenario familiari idoneo; potius inclinauimus in illam partem, vt talis mercenarius posset esse testis; & tanto magis in casu, de quo agebatur, vbi factor habebat salarium de communi massa canonicorum, beneficiatorum, & clericorum, & ipse factor agebat negocia omnium prædictorum. Et licet potestas eum admittendi, vel remouendi esset in capitulo, & sic in canonicis; tamen, quia in casu, de quo agebatur, nõ deponebat in fauorem capituli, & sic canonicorum, vt capitulariter congregatorum; sed in fauorem aliquorum canonicorum particularium, ad quos locationes, de quibus agebatur, principaliter pertinebant; ideo facilius in hanc sententiam declinauimus.

* Testis idoneus an sit mercenarius.

Et quia superius fuit dubitatum, an testis excõmunicatus occultus esset admittendus, dicebatur, aduertẽdum fore, quod, licet verum esset, quod quando aduersus testem specificabatur causa quare esset excommunicatus, & ideo esset præsumptio quod tunc testis haberetur, & reputaretur excommunicatus, & ideo non admitteretur per dictum Bal. in d. l. 1. C. de testib. quod videbatur commune per superius allegata; tamen dicebatur, quod aduersus istam præsumptionem volebant assumere onus probandi contrarium, videlicet, quod habebantur, & reputabantur pro non excommunicatis: quo casu excommunicatus qui reputatur pro non excommunicato, debet admitti, prout in terminis ita dixit Felyn. in cap. veniens. 2. colum. fin. vers. secundo fallit, &c. de testibus, allegando Bart. in l. 1. versic. quæro quid de infame, &c. C. de testam. dum Bart. voluit, quod, vt testis dicatur habilis, attenditur, quomodo haberetur, & reputaretur tempore depositionis: & in hoc Bart. communiter approbatur, licet in dicto sequenti Bart. reprobetur, puta quando excipitur contra testem: quia secundum Bart. non sufficit dicere, quod erat excommunicatus; sed oportet dicere, quod esset reputatus: in hoc reprobatur Bart. secundum Bal. Sed quando ego dico, quod tunc reputabatur non excommunicatus, quod sit habilis, in hoc cõmuniter approbatur. Et quia huic opinioni communi Bart. repugnabat alia communis opinio Innoc. in cap. cum venerabilis de consuetud. de qua per Abb. in cap. veritatis. de dolo, & contumacia col. fin. Felyn. in cap. ad probandum. de re indic. Cassador. decis. 1. de preben. videlicet, quod in ijs, quę geruntur ratione priuati iuris, non est differentia inter occultũ, & notorium excommunicatum, itaut non debeat attendi, an habeatur, vel non; sed

sufficit, quod sit: pro quo vltra dictum Philip.Fran. superius allegatũ allegabatur Felyn. in rub.de test ib.cogen.dum dicit,quod in teste tolerantia nil operatur, ideo ad cui tandum illud dictum Bart. fuerunt per nos tres datæ plures solutiones: & fuit primo conclusum per tex. in c. veniens, c.testimonium,de testib. & c. decernimus,de testibus in 6. quod,siue occultus, siue publicus excommunicatus, repellendus erat. Pro quæstione militat ratio efficax, quia testis debet esse integræ,& inculpatæ vitę,e.forus in fine de verbo.sig.l.3. circa prin. ff.de testib.Sed certum est, quod excommunicatus, cum mutauerit statum suum, & sit membrũ pręcisum ab Ecclesia,non est integræ vitæ, ergo non admittendus: & cum fama, & reputatio contraria ex illicitis actibus esset causata, puta ex celebratione,& immixtione in diuinis, quam fecerant, item ex communione, quã fecerant cum fidelibus,durãte excommunicatione, à quibus actibus debebant abstinere; isti actus illiciti,& sic cõmunis reputatio, & fama,ex eis procedens non debebat istis excommunicatis patrocinari,immo potius ista aggrauabãt delictũ, & per consequens faciebant,testem non esse admittendum, iuxta tex. in d.c. testimoniũ de testib. Ad dictum Bart. in d. l. 1. C. de testameñ; dedi ego duas solutiones, quas dat Aret. in c.testimonium,col.2. vers.melior ergo videtur ratio, &c. de testib. quæ poterunt videri ibi per eum. Dedi etiã tertiam solutionem,quam etiam dixit se cogitasse, D. Fabius,videlicet, quod text. in l. 1. & per consequens doctrina Bart. ibi intelligatur, quãdo testes adhibentur ad solemnizandum actum & à tertio, qui nescit defectum eorum, vt tunc attendatur status eorum,scilicet,testium,in quo reperiuntur. Secus autem est in actu iudiciali in pręiudicium tertij,qui aduersus testem inductum de legalitate opponit,& ista videtur conueniens responsio ad text.illum:& istam respõsionem videtur sentire Felyn.in cap.ad probandum, col.2. vers. intellige secundo, &c. de re iudic. immo istã responsionem ponũt Bald.Imo. & Aret.in l.cũ lege ff.de testam. Dicebat D. Antonius, tertius deputatus, quod notat.in l. 1. C.de testamen. procedebant in testimonio extraiudiciali occulto, in quo satis est,quod communis opinio est, quod ita se habeat; vel etiam in testimonio occulto iudiciali, in quo de excommunicatione iudici non constaret: sed secus erat, quando essemus in testimonio iudiciali, in quo de occulta excommunicatione esset facta fides iudici; quia tunc non procederet communis opinio,de qua per Bart. in d.l.1. & ita tenuit Imo. in l.cum lege, ff.de testamen.refert, & sequitur Felyn, in c. ad probandum, col. 2. vers. secundo caue; quia dicit Imola,&c. de re iud. Secundo,dicebat D. Antonius, quod ex quo isti excommunicati deponebant in fauorem eorum, qui sciebant eos esse excõmunicatos, puta concanonicorum,qui habebant notitiam etiam motusproprij, quod eorum dictum non valebat ex iis,quæ dicit Dec. in c.post cessionẽ col. 11. vers.secundo limitatur secundum Calderinum de probat. & nota vnum dictũ in hac materia, quod excommunicatus, qui fuit examinatus, non petita absolutione, potest post publicationem iterum produci, & absolui, ad effectum vt valide deponat: quod est verum, quando ille, qui eum producit, ignorãbat eum esse excommunicatum; secus,si sciebat,secũdm Bertrandum, quem refert, & sequitur Cardin. in elem.2. colum. 2. vers. & per hoc inducit Bertrandus,&c. de testib.

SVMMARIVM.

Vbi pensio non est libera,& imprestita,ponuntur super fructibus,quę de facili non possunt exigi, & pro exactione ipsorum sequestrantur fructus: tenetur pensionarius ad contributionem, cessa sibi actione per titularem.

DECISIO IV.

FRanciscus Soderinus habebat reseruatã pensionẽ, credo, mille ducatorum super fructibus mensę episcopalis Vicentinę; quem Episcopatum possidebat Cardinalis de Rodulphis:pensio non erat libera,& prę supponebatur,quod fructus Episcopatus essent valoris 3000. ducatorum. Senatus Venetus exegerat multa imprestita ab Episcopo,tẽpore solutionis pensionis faciendæ: dicebat Episcopus Francisco pensionario,quod contribuere debebat pro rata suæ pensionis in huiusmodi imprestitis: Franciscus allegabat multa pro parte,ex quibus volebat se defendere, quod non teneretur. Ex aduerso replicabatur per Aduocatos,vt potest videri in informationibus Aduocatorum. Fuit resolutum per Rotam,quod Episcopus probaret,quod imprestita ponerentur super fructibus, ita quod deueniretur ad ista imprestita,incipiẽdo per sequestrationẽ fructuũ; & quod ipse aliter non poterat habere fructus, nisi soluendo imprestita;& quod recuperatio istorum imprestitorum erat difficilis;quod Franciscus pensionarius teneretur ad contributionem ipsorum,cessa actione sibi per Episcopum pro rata super istis imprestitis; & hoc attento, quod pensio non erat libera: & ista resolutio fuit facta coram D. Mohedano de anno 1540.

Quan-

SVMMARIVM.

Quando duo Notarij rogantur, an censeantur in solidum rogati.

1 *Mandatum, duobus iurisdictionem habentibus, an censeatur insolidum mandatum.*
2 *Duobus notarijs à statuto requisitis, quando sufficiat, quod vnus interueniat.*
Statut. Vrb. 291. incip. Item, quod notarius, lib. 3. intellectus.

DECISIO V.

FVit dubitatum, quando duo notarij rogantur de eodem instrumēto, an præsumantur in solidum, an vero simul rogati; in quo fuerunt cōsiderati tres casus. Quandoque duo notarii simul rogantur, & tūc procedit doctrina Bal. in l. iurisiurādi C. de testib. de qua per Deciū in c. quoniam contra, col. 24. de probat. & cons. 11. col. 9. & 36. & Anan. cons. 49. & ibi Bolognin. in addit. Quādoque in solidum rogantur, & tunc procedit doctrina Bal. in l. fin. §. cum igitur, in 3. col. C. de iur. deliberan. & glos. in §. si vero absunt. in authent. de hered. & falcid. Quandoque dubitatur, an sint simul, vel in solidū * rogati, & tunc in isto dubio videntur in solidum rogati, per doctrinam Bar. in
1 l. 1. §. si plures. col. 2. vers. vt igitur liqueat materia, &c. de exercitor. vbi, quando † mādatur duobus, habentibus iurisdictionem ordinariam, cuius officium est publicum auctoritate & vtilitate, censetur in solidum demandatum: & pro ista parte consuluit Decius in d. cons. 36. Non obstat text. in c. causam. de offic. delegat. quia loquitur in iurisdict. deleg. & in iis Bart. in d. §. si plures. in d. 2. col. facit differentiam inter iurisdictionem ordinariam & delegatam. Non obstat text. in cap. si duo. de procurat. in 6. & quod ibi dicit Dominic. ibi in 1. not. quia non loquitur in habente officium auctoritate, & vtilitate publicum. Non obstat, quod dicit Abb. post Innoc. in cap. quoniam contra. de
2 probation. dum voluit quod, si ex forma statuti † requiruntur duo notarij, quod non sufficit, quod vnus interueniat, quia loquitur Abb. in casu claro, & ita cauetur statuto Vrbis, situato in 3. lib. cap. 291. incipien. itē, quod notarius, &c. Nos autem sumus in dubio, & ita die Lunæ 21. Iunij 1540. in vna Romana restitutionis dotis coram Domino Hieronymo Verallo fuit resolutum.

* Cōtra decis. factā in isto mēbro, vide Alex. cons. 124. viso processu, &c. col. 1. versic. alia rōne, &c. vol 7. Ad quod cōs. potest respōderi ex ijs, quę hic ponuntur. vide Frāc. in c. si duo col. 3. versic. insolidū, quæ distribuitur per hāc distinctionē, cui libet, de procur. in 6. & col. fin versic. cōis conclusio, &c.

SVMMARIVM.

Dilatio ad partes concedenda isto casu, & interim non est dandum mandatum de immittendo in possessionem.

DECISIO VI.

LItigabatur inter duos, quorū vnus obijt, & in cuius iuribus fuit subrogatus tertius, non collitigans cum derogatione regulæ de subrogandis, & fuit subrogatus ille tertius per Papam in forma gratiosa, videlicet Episcopus Nucerinus, antea Archidiaconus de Zeres nuncupatus, etiā quoad possessionem illius defuncti, qui erat in possessione beneficij litigiosi. Episc. subrogatus præsentauit litteras subrogationis in forma gratiosa Auditori D. Hieronymo Verallo, & commissionem, in qua Papa mandabat Auditori, vt illum induceret in possessionem, &c. Episcopus petijt decerni processū sibi, per quem Auditor mandaret, vt immitteretur in possessionem iuxta tenorem litterarum ad videndū decerni processum. Fuit citatus collitigans, qui cōparens petijt sibi dari dilationes ad partes, antequā d. processus de immittēdo decerneretur, allegādo decis. 440. alias 11. vt lit. pen. in nouis, & Cassador. decis. 1. de dilat. vbi, ex quo Episc. erat noua persona, debebāt dari collitiganti dilationes ad partes: & vlterius dicebat, petens dilationes, quod pendente dilatione, Auditor non decerneret processum, seu facultatem de immittendo. Fuit conclusum in Rota coram D. Hieronymo Verallo 6. Octobris 1540. quod daretur dilatio procuratori ad consulendum per dictas decisiones, & quod interim non daretur mandatum de immittendo: quia, pendente dilatione, nil debebat innouari, & quia poterat opponi contra subrogationem. Erat intitulata causa Carthaginiēn canonicatus, & prębendæ.

SVMMARIVM.

Depositum, vt quis non incidat in pęnam priuationis, an sit necessarium.

1 *Debitor an excusetur à mora, si non constat, quod creditor fuerit in loco destinatæ solutionis.*
Pensionarius an incidat in pœnam priuationis, si non soluit die, & loco debito.

DECISIO VII.

VErtebatur lis inter Alphonsum de Villa Real, agentē ad priuationem beneficij de Villa Rin Astoricēn cōtra Ioannem Pigmentelli, eo quod prædecessor suus non soluerat pensionem, prout tenebatur in ciuitate Barchinonēn, & sic dicebatur beneficiū

vacaſſe per priuationem, non autem per obi
tum prædeceſſoris dicti Ioannis; ex quo Al-
phonſus declarauerat voluntatem ſuam an
te illius obitum, per commiſſionem cauſæ
ſuper priuatione, & dicebatur, quod ille
prædeceſſor ad euitandum pœnã priuatio-
nis, in terminis conuentis, tenebatur depo-
nere in ciuitate Barchinone, iuxta doctrinã
Bart. in l. ſi reus paratus. in fine, ff. de procu
rat. tamen 20. Febr. 1540. coram D. Ioan-
ne Paulo Tholomæo fuit concluſum contra
illud dictum Bart. & dictum, quod eſt con-
ſilij, & non neceſſitatis, per conſ. Alex. 92.
in 1. vol. Aret. conſ. 163. verum eſt, quod Co
micus ait. Dec. 566. & per Marcum Anto-
nium Baueria in tract. de mora. col. pen. cir
ca finem. Purpur. in l. vinum, ff. ſi cert. pet.
& ideo ad excuſandum à pęna priuationis,
fuit dictum, quod non erat neceſſariũ, quod
deponeret: ſed fuit tenta doctrina Bart. in
l. item illa, col. 3. ff. de conſtit. pec. vbi vult,
1 † quod, ex quo non conſtat, quod creditor
fuerit in loco deſtinatæ ſolutionis, quod ex-
cuſatur debitor à mora: & D. Sarnen. dixit,
quod de anno 1529. & D. Aqueñ, de anno
1535. ita etiam fuerat reſolutum.

SVMMARIVM.

Teſtis deponens ſuper valore fructuum, quando probet.

DECISIO VIII.

FVit dictum in vna corã D. Mohedano, quod teſtes deponẽtes ſuper liquidatio ne fructuum, qui deponit, quod fructus poſ-ſunt valere tantum ſingulis annis, cõputato fertili cum ſterili, & deductis oneribus, aſſi gnãs bonam rationem, puta, vt erat in illo caſu, quia teſtis dicebat, quod ipſe arrenda-uerat per aliquod tẽpus illud beneficium, quod probabat valorem fructuum. Secus eſt ſecundum Dominos ad probandum fructus, quoad regulã de non exprimendo verũ valo rem: & dicebat Rota, ꝙ, licet teſtis deponat per verbũ, poteſt; tamen ſufficit illa poten-tia, & imputatur poſſeſſori, ſi non receperit.

SVMMARIVM.

Citatio facta contra Capitulum, quando afficiat ſingulares de Capitulo.

1 *Citatio facta contra Capitulum an afficiat ſingulares de Capitulo, & num. 2.*
3 *Citationi per contradictas, quando ſit locus.*
4 *Subrogatio, vt afficiat, an debeat intimari.*

DECISIO IX.

IN alia Anderpieñ, pro Iacobo Banniſio
contra quoſdam particulares, etiam co-
ram eodem Mohedano fuerat citatum capi
tulum Anderpieñ, & ſingulares perſonę de
capitulo, docto de non tuto acceſſu; & vigo
re dictæ citationis capitulum fuerat decla-
ratum, & habuerat contra ſe cenſuras, vſq;
ad brachium ſæculare: & non valens dictus
Iacobus habere exequutionem ſui brachij
ſęcularis contra capitulum, obtinuit cõmiſ-
ſionem, in qua committebatur arbitrio Au-
ditoris, vt cõmitteretur exequutio brachij
ſęcularis ſuper quadam domo, ſpectante ad
quemdam canonicum dicti capituli Ander-
pieñ: & procedendo per contradictas in cu-
ria abſque alia citatione contra illum cano
nicum, extra Curiam fuit proceſſum ad ſub-
haſtationem, & deliberationem domus. Di-
cebatur, ſubhaſtationem, & deliberationem
nulliter factam, ex eo quia illa citatio per
contradictas tantum facta, non erat ſuffi-
ciens: neque etiam ſufficiebat citatio pri-
ma, quæ emanauerat contra capitulum,
& ſingulares perſonas capituli; quia vide-
batur contra deciſ. 1. de ſententia excom-
municatione in antiquis, & deciſionem pri-
mam Biſignet. de dolo, & contuma. vbi di-
1 citur, quod ex citatione facta † contra ca-
pitulum, non afficiuntur ſingulares de capi-
tulo. Nõ obſtat illud, quod dicebatur, quod
vltra citationem factam contra capitulum,
erant etiam citati ſingulares de capitulo;
quia reſpondebatur, quod illa citatio cõtra
2 ſingulares, intelligebatur, † quoad rem per-
tinentem ad ipſum capitulum. Sed quando
committitur exequutio ſuper domo; ſumus
ſuper re non ſpectante ad capitulum, ſed ad
vnum de capitulo: & ſic quia tunc variatur
modus agendi, debebat ille canonicus de
nouo citari, & citatio per contradictas non
3 erat ſufficiens, quæ non ſit, † niſi data con-
tumacia, prout dicit deciſ. 12. de dolo, &
contumac. in antiquis. Dicebatur etiam,
proceſſum eſſe nullum, quia ad ipſam ſubha
ſtationem erat proceſſum ad inſtantiam
ſubrogati in iuribus primi Iacobi, qui ob-
tinuerat ſententiam contra capitulum, & il-
4 la † ſubrogatio non fuerat intimata, prout
tenebatur, iuxta deciſ.   in nouis.

1 *Penſionarius an agat pro conſequutione pen ſionis contra ſucceſſorem in beneficio, & num. ſeq.*
Succeſſor an liberetur, cedendo actiones con-tra intruſum, & num. 7.
2 *Beneficium eccleſiaſticum tranſit cum one-re ſuo.*
3 *Actionem habens, an rem ipſam habere vi-deatur, & num. 5.*
4 *Compelli an quis poſſit, vt agat contra ali-quem.*
6 *Pro penſione, fructus beneficij obligati.*
7 *Cedendo actiones, quando quis liberetur.*

DECI-

DECISIO X.

CONsenserat Antonius Geltus reseruationi pensionis xxiv. lib. super fructibus canonicatus, & prębendę Ecclesię Tarraconeñ, in fauorē Ioannis Ferret, qui Antonius obiit, & post eius obitū de d. canonicatu de anno 1528. fuit prouisus Iacobus Ghin. In dictis antē canonicatu & præbenda se intrusit Ioannes de Cardona Episcopus Barchinoneñ, & lite introducta inter dictos Iacobū, & Ioannem Epiſpopū, Ioannes fuit cōdemnatus, etiā ad restitutionē fructuum, & super illis decretæ executoriales, & brachium sęculare. Postea de anno 1532. Iacobus ad instantiam Ioannis Ferret pensionarii, seruatis quatuor terminis ad docendum se paruisse, &c. fuit declaratus, & processū contra eum ad omnes cēsuras, vsq. ad brachium sęculare, à quibus fuit appellatum, &, causa commissa in Rota, fuit per me dubitatū, ex quo fuerat declaratus Iacobus pro illo tempore, quo Ioānes Cardona possederat; an censuræ forent recte latæ, & an Ia-
1 cobus pro illo tempore teneretur † ad solutionem pensionis. Dicebatur pro parte Ioānis, quod Iacobus pro illo tempore tenebatur; quia beneficium erat grauatum onere reali, & ideo transibat ad illum, ad quem
2 transibat † beneficium, vt per Roman. conf. 388. Item, quia Iacobus habebat actio-
3 nem ad ipsam rem, scilicet ad fructus: † ergo ipsos habere videbatur, l. qui actionem, ff. de reg. iur. Sicut ergo Iacobus tenebatur, si fructus habuisset, ita etiam nunc, habendo ipsam actionem. Tertio, quia Iacobus elegit istam viam agendi ad fructus: ergo videtur voluisse teneri ad solutionem pensionis, ex quo ex ipsis fructibus veniebat pensio soluēda: ex quo ergo Iacobus istam viam elegit, pateat sibi per iura vulgata. Et pro ista parte fuit facta resolutio, die 8. Octobr. 1540. Nam considerabat Rota, quod, ex quo iste habebat brachium sæculare, & sic actionem ad fructus, videretur ipsos fructus habere;
4 & quia † potest compelli quis, vt agat, per text. in l. cum plures, §. messem. ff. locat. Tamen ad istud fundamentum posset responderi, quod, si teneretur Iacobus agere, quod hodie quia constat, quod tenetur, est paratus agere. Sed quia exactio est euentualis, cum multa possint interim contingere, quod ipse non effectualiter exigat, quod non tenetur ad solutionem dictæ pensionis; Respondebat Rota ad fundamenta quæ fiebāt, pro parte aduersa. Et dum primo dicebatur, quod qui actionem habet ad rem, dicitur ha-
5 bere † rem per fictionem, & ideo non tenetur ponere rem in catastro, & per consequens nec rei onera soluere, prout not. Bar. in l. forma, §. si cum ego ff. de Cēsibus; quod verum est, quod non tenetur soluere onera, in quorum possessione soluendi alius est. Sed cum in casu nostro intrusus nō esset in possessione soluendi, immo prætenditur habere ignorantiam reseruationis, nimirum si teneatur interim ad solutionem ille, qui habet actionem ad fructus, quia agendo consequetur integros fructus; Non obstat, quod secūdo dicebatur, quod condemnatio ad fructus intelligitur facta ad fructus, deductis oneribus: vnde non est verum dicere, quod Iacobus integros fructus per condemnationem assequi possit; quia fuit respōsum, quod istud esset verū, vbi per intrusū esset de oneribus oppositum; sed quia non est oppositum, immo nō constat, quod intrusus habeat sciētiam de onere pensionis; merito Iacobus potest vigore sui brachii sęcularis ad integros fructus agere. Non obstat, quod tertio dicebatur, quod cum pensionarius habeat ius petendi ab intruso, qui fructus collegit, qui
6 sunt pro pensione † obligati, iuxta not. per Felyn. in cap. ad audientiam 2. de rescript. quod non posset contra Iacobum agere, cū eadem actio contra possessorem pensionario competat; vnde imputandum est ei, si cum posset contra intrusum agere, non egit. Quia respondetur, quod licet pensionarius posset agere contra intrusum; per hoc tamen non est etiam deneganda actio contra Iacobum, & interest ipsius pensionarii plures obligatos habere. Fuit tamen in eadem audientia
7 conclusum, † quod Iacobus, cedendo actionē aduersus intrusū, liberaretur; quia quoties* quis, ex eo quia actionē habet, tenetur; tunc cedendo illam, liberatur, l. quod debetur, ff. de pecul. glos. in l. non aduersus, C. si certum petat. Bart. in l. 2. §. idem Nerua, ff. ne quid in loco publico, in l. Iulianus, §. penult. ff. de action. empt. & in l. si sic, §. fin. ff.
8 de legat. 1. Secus antē est, quando † quis tenetur soluere; quia tunc non liberatur, cedendo actionē, iuxta glos. in l. legaui, §. fin. in glos. magna circa finē, ff. de liberat. legat. ponit Bald. in c. vnico. in tit. de benef. frat. in vsib. feud. & facit dicta l. non aduersus, C. si cert. pet. quia aliud pro alio, inuito creditore, &c.

*Cedendo actione quis liberatur, vbi quis alteri propter actionem, qui habet tenetur.

SVMMARIVM.

Sententia lata in fauorem locationis, an prosit conductori.

2 *Sententia lata contra auctorem meum, an noceat mihi.*
3 *Sētentia lata pro agēte, an prosit omnibus.*
4 *Et an noceat.*
5 *Sententia lata pro locatore, an prosit conductori.*
6 *Condemnari an possit aliquis ad soluendum tertio, & num. 9. 13. 14. & 15.*

7 *Iudex*

7 *Iudex an possit alteri stipulari, & nu. 15.*
8 *Sententia quando non prosit nominato in sententia.*
11 *Sententia lata super beneficio, an noceat possessori.*
12 *Actio non nominato in sententia an detur, & num. 17.*

DECISIO XI.

ARrendauerat Angelus de Diuitijs fru-
ctus cuiusdam monasterij, cuius erat
commendatarius, Simoni Centurioni: quo
arrendamento facto, Angelus fuit spoliatus
per quosdam Fratres, contra quos tam no-
mine suo Angelus, quam nomine Simonis cō
misit causam super spolio, & obtinuit illos
Fratres condemnari, & ista sententia transi
uit in rem iudicatam. Fuit dubitatum, quia
Angelus decesserat post litteras exequuto-
1 riales obtentas, an illa † sentētia lata in fa-
uorem Angeli, prodesset Simoni, itaut Simō
post obitum Angeli possit prosequi, & pete-
re; quod sententia pro parte sua mitteretur
exequutioni. Et pro parte Simonis multa de
ducebantur. Primo, quod sententia pro lo-
catore lata prodest conductori, ab eo cau-
2 sam habenti, sicut è contra † lata contra an
ctorem meum, nocet & mihi, l. si ante. §. fin.
ff. de except. re iudic. Alex. post Bart. in l. Pō
ponius, §. præterea. col. fin. vers. extra gloss.
3 ff. de acquir. possess. Item, regulariter † sen-
tentia lata pro agēte, prodest omnibus, quo-
rum interest, quamuis in iudicio nō fuerint,
l. Posthumus, §. si quis ex ijs, ff. de inoffic.
testam. not. Alex. in l. sæpe. col. 9. num. 31.
vers. vbi autem dicta esset sententia, & cæt.
ff. de re. iudic. Tertio, præsupposito, quod si-
4 cut sententia, quæ nocet vni, † potest etiam
prodesse, quādo habet causam ab eo, pro quo
est lata, vel habet ius connexum cum eo, iux
ta text. in l. 2. C. quib. res iudic. & nota-
tur per Salycet. in l. 1. colum. 1. in 3. oppo-
sitione, C. res inter alios acta, &c; sequitur,
quod, sicut sentētia lata contra locatorem,
nocet cōductori, ita è contra lata pro loca-
5 tore, † prodest cōductori, iuxta not. per Ale-
xand. in l. sæpe. col. 48. num. 112. vers. quæro,
an sententia lata cōtra locatorem, &c. ff. de
re iudic. Quarto, quod ex sentētia dari pos-
sit actio arrendatarijs, quorum interest, fa-
ciunt not. per Bart. in l. seruo legato, §. si te-
stator, ff. de leg. 1. in l. fideicōmissa §. inter-
dū ff. de legat. 3. in l. 2. §. si duo, ff. de collat.
bonor. Quinto, quod dicit Alex. in l. si cui le
6 getur, §. si Titio, de legat. 1. vbi dicit, † quod
possum petere, te condemnari mihi ad sol-
uendū tertio, per not. in l. stipulatio ista §. si
insulam, ff. de verb. oblig. & in §. si quis alij,
Instit. de inutil. stipulat. vbi glos. ponit tres
casus, qui videntur conuenire casui nostro.
Primus est, quādo dominus stipulatur pro-
curatori suo, & tunc valet stipulatio: & iste
erat casus noster, quia Angelus in instrumen
to arrendamenti constituerat Simonem
procuratorem suum.

Secundus casus est, quando quis stipulatur
creditori suo, & iste casus etiam est noster,
quoniam ratione anticipatę solutionis, quo
niam soluerat totam pensionem anticipatā
Simon Angelo; Simon erat creditor Angeli.

Tertius casus est in actu iudicis, quoniā
7 iudex † potest alteri stipulari, & valet sti-
pulatio: & istis trib. casibus, vt sentit glos.
in dicto §. si quis alii; transit actio vtilis
absque cessione, vt etiam voluit Bart. in
d. l. stipulatio ista, §. si insulam. in 2. colum.
ff. de verb. obligat. & sic, si transit vtilis sine
cessione, proderat sententia Angeli Simoni,
saltem quoad illam vtilem actionem.

Pro alia vero parte dicebatur, ꝙ sententia
lata pro Angelo, non proderat Simoni; quia,
8 licet Simon fuisset † nominatus in senten-
tia, tamen Simon non fuerat in iudicio, aut
in causa aliquis eius nomine comparuerat,
nec sententiam petierat, nec ad eius instan-
tiam aliqui termini seruati fuerant: & ideo
sententia illa lata pro Angelo, non poterat
prodesse Simoni: & licet mentio de Simone
facta esset, dicebatur, quod facta fuerat se-
cundario, & accessorie, non autem principa
9 liter: & licet aliquis † possit instare, & pe-
tere, quod ad alterius commodum iudex ali
quem condemnet alteri, iuxta doctrinam
Alex. in d. l. si cui legetur §. si Titio; tamen il
le tertius, in quē verba exequutiua erant di
recta, non poterat agere, nisi vtili actione
cessa, vt declarat Alex. cons. 13. col. 5. vers.
plus tenuit glossa, &c. vol. 1. & idem
Alex. cons. 18. col. 5. vol. 4. Et nomen Simo-
nis erat appositum in sententia ad commo-
dum ipsius Angeli, vt plenius Angelus vide-
retur restitutus, dum sui arrendatarii etiā
ad possessionem restituerentur, nō quia vel-
let arrendatarios principaliter ex senten-
tia posse experiri. Breuiter pro ista parte,
10 pro † qua Rota de rigore iuris se resoluit,
fuit per me allegatum cons. Roman. 342.
quoad primum, col. penult. versic. etsi dica-
tur, &c. ex cuius dictis sumitur responsio
ad maiorem partem argumētorum pro alia
parte factorum; nam dicit Roman. quod si
agitur contra aliquem super beneficio, pos-
11 sessore sciente, & patiente, † sententia lata
contra illum parit exceptionem rei iudica-
tæ contra possessorem. Intelligitur autem
hoc modo, quod, si possessor, qui sciuit, vo-
luerit agere super beneficio, obstet sibi exce
ptio rei iudicatæ. Sed dicit ibi Rom. quod
si possessor non vult agere, sed vult retinere
beneficium, quod tunc non debet mandari
exequutioni illa res iudicata cōtra non no-
minatum in sententia. Ita ergo est dicendū
in casu nostro, quod, licet sententia lata pro
Ange-

Angelo prosit Simoni ad hoc, vt, si isti Fra-
tres spoliatores vellent agere contra Simo-
nem super possessione, seu fructibus; obstaret
illis fratribus spoliatoribus exceptio rei iu
dicatæ, sicut eis obstaret, si ageretur contra
Angelum, Sed quod ad instantiam Simonis
non nominati saltem principaliter in sentē-
tia, mādetur exequutioni, istud non est verū,
& sic virtus sententiæ bene diffunditur; ta-
men non quod ex illa sententia, alteri non
12 nominato † saltem principaliter actio de-
tur: & istud est, quod sensit. Alex. in l. Pom
ponius, §. præterea, col. fin. ff. de acquir. pos-
sess. & sic cum ista distinctione tollitur vna
pars argumentorū. Non obstant not. in l. ser
uo legato, §. si testator, ff. de legat. 1. & in l.
fideicōmissa, §. interdū, ff. de leg. 3. quia illa
13 † iura procedunt, ex quo nominati, cui, seu
ad quem verba dirigebantur, non intererat
nimirum, si ex illo actu legandi quærebatur
actio illi, cuius intererat. Sed in casu nostro
principaliter intererat Angeli, quod restitu
tio fieret: ideo non debet quæri actio Simo-
ni, cuius secundario intererat; quoniam iam
sibi in instrumento arrendamenti erat pro-
uisum, quia Angelus ei tenebatur ad dam-
na, & interesse. Vel & secundo potest dici,
14 quod illa iura loquuntur † in vltima volun
tate, seu in dispositione legis, vel statuti,
quæ dispositio æquiparatur vltimæ volunta
ti secundum Bart. in l. 1. C. de his quib. vt
indig. Secus autem est in stipulationibus,
prout dicit Iason in d. l. seruo legato, §. si te
stator, & ita erit dicendum in sententia, cū
in iudicio quasi contrahatur, l. 3. §. idē scri-
15 bit. ff. de pecul. Non obstat illud, † quod di
citur, quod per actū iudicis quæritur actio
vtilis sine cessione; quia respondetur, quod
hic non sumus in actu iudicis, sed in actu
priuati: nam vult priuatus, mediante qua
si cōtractu, quem facit cum aduersario, quæ
rere alteri actionem, mediante sententia:
quod non potest fieri, & ideo dicit Alex. in
d. §. si Titio, quod debet petere, vt condem-
netur sibi, vt tertio soluatur. Vel & secundo
dicitur, quod ex actu iudicis bene quæritur
actio Angelo nominato, non autem Simoni,
secundario nominato, cum sententia respe-
ctu eius non valeat, cum non venerit ad cau
sam, nec pro parte eius termini seruati; &
16 sic † ex actu iudicis valido bene potest quæ
ri actio, non autem ex actu nullo. Ad alios
autē duos casus positos per glos. in d. §. si-
quis alij, dicitur, quod, licet glossa dicat ibi,
quod quæratur actio, & sic stipulatio valeat
in personam stipulantis, eo quia eius inter-
est; non tamen dicit ibi glossa, quod in illis
duobus casibus transeat vtilis absque ces-
sione, nec etiam Bart. in d. §. si insulam, vbi
examinat nouem casus, inter quos iste non
ponitur. Et pro conclusione, in quam incli-
nauit Rota, de rigore facit, quod dicit Bart.
& Doctor. in l. 1. C. de senten. &c, vbi non
17 datur † actio ex sententia, nisi illi, qui ha-
bet ius instantiæ: Simon non habebat, er-
go, &c. Vnus tamen ex dominis considera-
uit, & non male, quod isto casu, ex quo Ange
lus, qui egerat ad vtilitatem Simonis; nam
ex prima commissione causæ, in qua commi-
serat causam tam nomine suo, quàm nomi-
ne Simonis, in qua narrabat se arrendasse
Simoni. Item ex productione iurium, quia
produxerat instrumentum arrendamenti, ex
quo apparebat, quod ipse tenebatur Simo-
ni, & ita in commissione sua dicebat, & An
gelus decesserat; quod transiret vtilis absq;
cessione: & allegauit Roman. cons. 441. præ-
sens instrumentum, col. 4. vers. sin autem
cedere non poterit, vt quia absens, &c. Tā-
18 dem Rota, quia † Simō habebat commissio
nē, in qua erat admissus ad prosequutionē
illius rei iudicatæ, latæ in fauorem Angeli,
& iam vigore illius commissionis per tres
sententias cum procuratore Fratrum erat
disceptatum super liquidatione fructuum;
sustinuit processum factum pro parte Simo
nis, & voluit mandandum esse exequutioni
contra dictos Fratres. Et causa erat inti-
tulata Aurien. nullitatis prætensarum censu
rarum pro Congregatione Cistersiensi con-
tra Simonem Centurionem, coram D. Ioan-
ne Paulo.

SVMMARIVM.

An colono directò detur remedium possessorium.

1 *Possessorium remedium non possidenti non datur.*
2 *Commendatario an detur Interdictum possessorium.*
3 *Interdictum possessorium an detur ratione solius detentationis.*
Et an propter reliquias præcedentis possessionis.

In Apostilla.

4 *Detentatio, an sit restituibilis secundum opinionem Rotæ.*
5 *Detentor habet remedium possessorium, & an detur officium iudicis, & num. 8.*
6 *Conductori an detur remedium reintegranda.*
7 *Colonus, & inquilinus quo modo possidere dicantur.*
9 *Interdictum vnde vi cui competat.*

DECISIO XII.

FVit in eadem causa dubitatum, an colono daretur remedium possessorium; & dicebatur pro vna parte, quod non, per text.

text. in l. 3. §. quod si seruus, ff. de acquiren. possess. & in l.fin. ff. de vi, & vi armat. Et quia colonus non dicitur possidere, nec ciuiliter, nec naturaliter. ✱ Pro cōtraria autem parte, allegabatur text. in l.colonus, & in l. cum fundum, ff. de vi, & vi armat. vbi apparet, quod colono datur interdictum possessorium, & respondebatur ad d.l. fin. & ad §. quod si seruus, quod, licet dicatur in dd. iuribus, quod domino detur interdictum, tamen non negant illa iura, quin etiam colono detur ratione detētationis. Sed pro parte contraria replicabatur, quod, licet dicta iura. l. colonus, & l. cum fundum dēt remedium possessorium colono; tamen illud remedium non dant ei, nisi postquam colonus dominum spoliauit; quo casu per illud spoliū fuerit quęsita possessio colono. ✱ Sed veriuſt dicere, q colono,
1 eo quia † non possidet nec naturaliter, nec ciuiliter, non daretur ei remedium possessorium. Nihil fuit determinatum super isto capite. Et quod Colono non detur Interdictum recuperandę, facit, quod dicit Anan. in cap. si constiterit, col. 2. versic. nota, quod commendatario &c. de Accusat. vbi dicit, quod commendatario non datur in-
2 terdictum, † quia non possidet, dato quod sit in possessione. Tamen cōtra istā rōnē facit decis. 158. 1. de renūc. in nou. vbi ratione solius de-
3 tentationis datur † interdictum possessorium, nisi dicatur, quod ibi detur propter reliquias pręcedentis possessionis, cum illa detentatio sit sequela, & dependens ab illa possessione pręcedenti. glos. fin. in leg. Aquilius Regulus, ff. de donation. vbi posui apostillam.

✱ Quod non detur remedium possessorium, consuluit Stephā. Bertrand. consil. 310. non puto, volum. 2.

Et quod † Rota restituat ad detentationē, ponit Cassador. decis. 24. proposita fuit, nu. 7. in vers. alleg. a tur etiā super reg. Cancell. & ibi per Bart. quod † detentator habet remedium possessorium, vide pp. in c. sæpe, col. . vers. secundo dubitatur, &c. de restit. spoliat.

Quod conductori detur † remediū reintegrandę, Gonsad. cons. 99. in hac causa, col. 3. nu 4. Et nota, quod Colonus † & inquilinus detinent sibi, & suo nomine, & possidēt domino secundum. Paul. de Castr. in l. 3. §. adipiscimur, in finalib. verbis, ff. de acquir. poss. vbi dicit, quod pro detentione, † datur officiū iudicis. vide Rip. in l. rē quæ nobis col. 4. nu. 19. & num. seqq. ff. de acquir. possess. vide Card. Alexan. in c. quod restitutio, enlum. 26. circa fin. vers. & addit hic Archidiaconus, & col. penult. in fin. versic. & pro nunc vltimū remedium 3. q. 1.

✱ Et quod tunc qua ratione possessio, colono, tenet expresse Paul. de Castr. in l. 1. col. 3. vers. sed si interuenisset possessionem, C. communia, de Vsucap. & probatur; quia interdictum † Vnde vi, non datur nisi ei, qui fuit in possessione, & ab ea fuit deiectus, l. 1. §. interdictum autem hoc, & ibi glos. ff. Vnde vi. Sed ibi colonus deiectus habet interdictum contra deijcientem, ergo dicendum est, quod prius colonus possidebat, & hoc modo arguendi vtitur. glos. magn in princ in d. l. vnic. vbi Alberic. Paul. de Castr. & facit quod dicit Alexand. in l. si ram in fin. ff. de acquir. possess. Bal in l. si de fundo circa princ. versic. quæro, an colono, C. Locat. Rip. in cap. sæpe, num. 77. colum. 19. vers. circa secundum de restitut. spoliat.

1 *Dilationes ad partes an sint concedendæ procuratori generali in curia, parte prius in partibus per edictum citata, & vide in apostilla.*

DECISIO XIII.

Fverat citatus per edictum in partibus Didacus de Valderas, in quadam causa Parochialis Oxomeñ de Zozuar ad instātiam Hieronymi de Enciso, & post exequutam citationem in partibus Procurator Didaci, qui habebat mādatum generale, quod fuerat factum ante exequutam citationem, immo decretā; comparuit coram me, & pe-
1 tijt dilationes † ad partes, & de mandato dominorum fuerunt cōcessæ die 20. Octob. 1540. pro quo facit decis. 395. de procurat. 31. in nou. & decis. 1. de dilat. Cassadori.

Ista Oxomen, fuit licerā posita, quoniā non erant facta, q citatio fuisset facta per edicta, sed erat facta in parochiali, de qua agebatur, & in Cathedrali, & fuerunt negatæ dilationes, vt patet infra decis. 93. & ideo non ponitur pro constanti decisio. hic scripta de citato per edictum in partibus, vt procuratori sint dandæ dilationes, sed esset consulenda Rota.

SVMMARIVM.

Capitulum, cui dirigitur breue, vt tradat possessionem beneficij amoto quolibet detentore, sine vitio spolij, & attentatorum, an liberetur, nominando intrusum.

1 *Clausula, amoto quolibet illicito detentore, quomodo intelligatur.*

DECISIO XIV.

Episcopus Lucerinus habuerat Breue directum capitulo Caurieñ, vt traderent possessionem Archidiaconatus Ecclesiæ Caurieñ, de quo erat prouisum ipsi Episcopo, amoto quolibet detentore, sine vitio spolij, & attentatorum. Præsentato Breui capitulo, capitulum respondit, quod ex quo erat intrusus in Archidiaconatu, ageret Episcopus contra intrusum. Episcopus, reproducto Breui, & responsione capituli, petebat Capitulum declarari incurrisse censuras, de quibus in breui, replicabat capitulum, quod non debebat declarari, ex quo nominauerat intrusum. Fuit posita causa in Rota per D. Marsicanum, Episcopo informante tantum, & pro illa vice, quia capitulum, non curauit informare, Domini inclinabant, quod ex quo in Breui dicebatur, amoto quolibet detentore, sine vitio spolij, & attentatorum; quod capitulum
1 veniret declarandum; quia licet † verba, amoto quolibet detentore intelligantur de detentore facti, & non iuris; tamen, quia Papa vlterius processit, dicendo, Sine vitio spolij, & attentatorum, videtur voluisse, quod dato, quod ille esset detentor iuris: tamen, quod Capitulum posset eum spoliare, & detentor non posset agere, & sic, quod Capitulum esset factus minister, & tamquam minister debebat parere. Bene tamen dicebant, quod si tantum fuissent posita illa verba, Amoto quolibet detentore; quod per nominationem intrusi capitulum liberabatur. Tamen pro illa vice nihil fuit determinatum, quia non erat pro parte Capituli informatum, nec satis bene pro parte Episcopi.

An

SVMMARIVM.

An consuetudo, quod Episcopus solus procedat, in priuando clericum sine consensu capituli, sit contra Ius.

DECISIO XV.

FVit propositum per D. Thomã de Thanis die 20. Octobris, 1540. dubium, an consuetudo, quod Episcopus solus procedat in priuando, & destituendo clericum, seu canonicum, sine consensu, seu consilio capituli, esset contra ius. Et fuit resolutum, quod sic; quia contra text. in c. nouit. & c. quanto, de his, quæ fiunt à Prælat. & est gloss. in c. non est, in verb. teneatur, de consuetud. in 6. & text. in c. Episcopus nullius causam 16. q. 7. Felin. late, in c. irrefragabili, vbi est text. in 2. col. vbi multa allegat de offic. ordinar.

SVMMARIVM.

Verba litterarum mercatorum debent intelligi secundum stylum mercatorum.

1 *Mandatum, datum mercatori, vt faciat, secundum quod tres ordinarent, an adimpleatur, si fiat secundum dictum vnius illorum.*
2 *Mercantiliter mãdatum, datum pluribus, intelligitur in solidum.*
3 *Inter mercatores verba intelliguntur prout mercatores intelligunt.*

DECISIO XVI.

FVit die 20. Octobris 1540. in vna Mantuana Zuccharorũ pro Vincentio Garzono contra Piperarios, coram D. Aquen. resolutum, quod, ex quo pro parte Vincentii erant mercatores examinati, dicentes,
1 quod mandatum, datum Vincẽtio, † vt ipse faceret, secundum quod ei dicerent tres destinati per ipsos Piperarios ad insulam Siciliæ; intelligebatur, vt etiam posset facere secundum dictum vnius illorum trium; & quod si fecit tantum secundum dictum vnius illorum, quod Vincentius esset excusatus: ex quo mercatores dicebant, quod mercan-
2 tiliter, † & de stylo mercatorum est, quod mandatum, datum pluribus, intelligitur in solidum, non autem coniunctim: licet iuris dispositio aliter dicat, vt patet in l. pluribus, ff. de procurat. quod, ex quo agebatur,
3 inter mercatores, † verba erant intelligenda, prout mercatores intelligunt, vt voluit Alexand. cons. 102. col. fin. vol. 6. Et in com-
4 missione, à mercatore † mercatori data, quod debeat intelligi, secundum quod mercatores verba intelligunt: ponit Corn. cons. 319. col. 9. vol. 3.

SVMMARIVM.

Post rem iudicatam, & omnes censuras, & aliqua interdicta, si committatur causa nullitatis dictarum censurarum, & petatur inhiberi extra curiam, talis inhibitio non est concedenda.

DECISIO XVII.

IN vna Bracaren. cappellaniæ del Corporal, coram D. Hieronymo, in qua Didacus Aluari obtinuerat sententiam, quæ transiuerat in rem iudicatam contra Christophorum Dalmarda, & omnes censuras cõtra eum. & nouissime erat deuentum ad aliqua interdicta specialia; & specialiter erat interdicta ciuitas Bracaren. & ipse Christophorus, post dicta interdicta, tamquam Abbas, & Monasterium, cui prætendebatur vnita dicta parochialis, obtinuit committi causam nullitatis illius sententiæ, & omnium censurarum, & interdicti, &c. & petebatur inhiberi. Fuit dictum, quod non inhiberetur, tum quia erat præsumptio calumniæ, quia per multum tempus Christophorus sustinuerat censuras; & nunc, postquam ciuitas erat interdicta, veniebat ad impediendum exequutionem; tum quia tractabatur de præiudicio ciuitatis interdictæ; quia si fiebat inhibitio stante inhibitione, ciuitas interdicta non poterat compellere Christophorum ad satisfaciendum; & maxime quia in isto casu erat præfixus terminus, vigore alterius commissionis, Christophoro ad docendum de nullitate; & de aliquo non docuerat.

SVMMARIVM.

Actiones contrariæ quando non possint simul in eodem libello cumulari.

1 *Actiones quando sint contrariæ.*
2 *Summariè vbi agitur, quis libellus admittatur.*

DECISIO XVIII.

ANtonius Maria de Papazonibus agebat contra Ioannem Galeatium iure cessionario, & iure proprio: iure cessionario, quia dicebat, quod Flora in quodam testamẽto, in quo erat heres instituta, erat prohibita alienare bona testatoris, & in euentum alienationis, erat substitutum hospitale Montis ciuitatis Bononien.; & quia prætendebat, quod Flora alienasset, quod

locus

locus erat substitutioni; & vt cessionarius hospitalis agebat contra Ioannem Galeatium, heredem Floræ, item, agebat iure proprio, quia Flora erat instituta; & si Flora decederet sine filijs masculis, erat substitutus pater eius: & sic ex persona patris, quia dicebat, Floram non potuisse succedere, quia bastarda, & per consequens pater eius veniebat ex substitutione; petebat hereditatem. Dicebatur pro parte Ioannis Galeatij, quod Antonius Maria debebat vnam ex istis viis eligere, & quod ambas non poterat intentare: nam cum istæ essent actiones contrariæ; quia in vna approbabat testamentum, in alia reprobabat; quod non poterat vtramq. intentare iuxta primã regulam Decii in materia cumulationum, in l. edita.C.de eden. vbi vult, quod contrariæ actiones, non possunt in eodem libello cumulari; & ibi Dec. col. 13. Tamen fuit resolutum corã D.Hieronymo die 22.Octobris 1540. quod posset cumulare, & non teneretur Antonius Maria alterã eligere, quia, quod dicitur, quod nõ possunt cumulari actiones contrariæ, intelligitur, vbi tantum exercitio sunt contrariæ; secus si origine, & exercitio; quia tunc possunt cumulari, vt per Ias.in l. 1.col.penult.C.de furt.Et dicũtur origine contrariæ, vt declarat Curt.Iun.
1 in d.l.1.C. de furt. quando † causæ, ex quibus nascuntur, sunt contrariæ, vt est in casu nostro: & rationem, quare isto casu possint cumulari, ponit Dec.in d.l.edita.col.13. Secundo, quod dicitur, quod non possint actiones contrariæ cumulari, intelligitur, vt simul, & semel intententur; secus, si successiue, vt ponit Ias. in l.eum qui, & in l. contra maiores. C. de inoff. testam. item possunt cumulari, vt intententur conditionaliter, vt ponit Paul.de Castr.in l.Papinianus.§.sed si irritum, ff.de inoff.testam.& Ias. in d.l.contra maiores. C. de inoff. testam. Dicebatur etiam, quod in casu isto agebatur summarie: * quo casu admittitur libellus generalis, etiam parte opponente, vt per Bart.in §. & figura, in extrauagant. ad Reprimendum.& Iason in l.vinum.ff.si cert.pe-
2 tat. Et ideo, ex quo † libellus generalis admittebatur, poterat quodcunque ius suum Antonius Maria deducere: secus est, quando libellus generalis non admittitur; nam tunc, ex quo tenetur actionem exprimere, inconueniens esset, quod contrarias actiones exprimeret: & ideo illo casu exprimens contraria remedia, non admittitur, vt in l.1. C. de furt. secus est, vbi libellus generalis admittitur; quia tunc, non exprimit eodem tempore contraria, sed successiue, quod potest fieri, vt supra dixi.

* Vbi agitur summarie, libellus incertus admittitur

SVMMARIVM.

An commenda ad annum, à die habitæ pacificæ possessionis currat, stante alio possessore, posito quod commendatarius nullam fecerit diligentiam contra possessorem.

1 *In pœnam vt quis incidat, ex eo quia non fecerit, quid requiratur, & num. 3.*
2 *In conditione potestatiua non habet locum regula, quod conditio habeatur pro impleta, cũ stat per eum, cuius interest, quo minus impleatur.*
3 *Conditionem potestatiuam quis non cogitur implere.*
4 *Vacatio diutina beneficij improbatur à iure.*

DECISIO XIX.

FVit dubitatum in vna Salamantina beneficii de Palatios Rubeos * inter Ioãnem Solano ex vna, & Petrum Martinez ex alia, coram D. Marsicano, an commenda ad annum, à die habitæ pacificæ possessionis, currat, stãte alio possessore, posito quod commendatarius nullam fecerit diligentiam contra possessorem. Et pro parte affirmatiua dicebatur, quod sic, per text. in c.commissa, de electionib. in 6. & text. in c.licet Episcopus, de præben. in 6. in quibus cauetur, quod paria sunt habere pacificam possessionem, vel quod per aliquem stet, quo minus eam habeat. Sed per commendatariũ stetit, quo minus habeat; ergo. Fuit contrarium resolutum die 22. Octob. 1540. primo, per dictum Innoc. de quo per Alex. in l.ita stipulatus. de verbor.obligat. & per Felin.in c.si autem de rescript. quod ad hoc,
1 † vt quis incidat in pœnam, ex eo quia non fecit, requiritur, quod procedat interpellatio: hic non processit, ergo. Item, & secundo fuit dictum, quod cum commenda esset facta sub conditione potestatiua, si & postquam possessionem pacificã adeptus fuisset,
2 dicebatur, quod in cõditione † potestatiua, non habet locum regula, l. iure ciuili. de condition. & demonstration. prout ponit Alex.& ibi Ias.in l.centesimis. §.si ita stipulatus. ff.de verb.obligat.& Dec.in d.l. iure ciuili. ff.de reg.iur. & ideo cum quis non cogatur implere conditionem potestatiuã, per tex. in l.cum ab eo. ff.de contrah. empt. sequitur, quod tempus commendæ ante implementum sequutum, non curreret: & ideo ad decisionem huius quæstionis fuit allegatus Cyn.in l. si plures. col.penul.circa fin. & ibi Alberic. C. de condit.insert. & Soc. in l. iure ciuili. ff.de condition. & demonstrat. col.

* Fuit post ista causa super eodemmet puncto, & additum, quod Episcopus Salamantinus ratam habuerat, & acceptauerat cõmendam; tamẽ quod non fecerat diligentiam capiendi possessionẽ intra annũ, nec duos, an haberetur pro possessore & eadẽ causa posita 18 Februarij 1541. per eundẽ Marsicanum * & Domini per eademmet fundamenta, remanserunt resolutionẽ iam alias factam.

col.fin. & Oldrad.conf.242.col.2. versic.3.
obijcitur, & in terminis quæstionis nostræ
Alberic.de Rosat. in l. & si post tres col.11.
ff.si quis caut.Non obstat text.in cap.com-
missa, & in cap. licet; quia,vltra ea,quæ ad
dicta iura respondet Alberic. in d. loco; ta-
3 men potest dici,† quod debet intelligi,quod
incurrat pęnam,de qua in illis iuribus,mo-
nitione tamen præmissa, prout ita videtur
intelligere glos. fin. in cap. ad Apostolicæ,
de re iudicat. in 6. & ibi Dominic. Vel se-
cundo dicas, quod illa iura loquuntur in di
spositione pura: & ex quo ex ea ius quæsi-
tum est eis, imputandum est eis,si possessio-
nem beneficij non adipiscuntur, & hoc in
fauorem beneficij, ne detur diutina vaca-
4 tio,† quod iura abhorrent. Nos autē loqui-
mur hic in dispositione conditionali, quod
Commendatarius non cogebatur adimple-
re,vt supra dixi,& ita pro ista parte fuit fa
cta resolutio,nemine discrepante.

SVMMARIVM.

Successor non potest generalem acceptationem defuncti deducere ad speciem.

1 *Successor nō potest declarare mentē defuncti.*

DECISIO XX.

FVit tentum in vna Virdunen.Parochia-
lis Sancti Victoris 22. Octobris 1540.
coram D. Sarnen, quod successor non pote-
rat deducere generalem acceptationem,de-
1 functi ad speciē, quia successor † non potest
declarare mentem defuncti, l.Pōponius scri
bit si frumentum, §.fin. ff.de rei vindicat.

SVMMARIVM.

An gratiatus teneatur probare beneficia acceptata,nō excedere valorem, de quo in gratia, parte opponente de valore.

1 *Valor quando est pars gratiæ quomodo probandus, & num.2. & 3. & num.6.*
4 *Dans de excessu valoris, an probare debeat, & quando.*
5 *Materia obiectiua quæ dicatur.*
7 *Beneficium, quando censeatur inclusum in gratia.*
8 *Acceptatio an præsumatur facta infra tēpus.*
9 *Acceptans an teneatur probare beneficium cadere sub gratia.*

DECISIO XXI.

FVit dubitatum in vna Astoricen. bene-
ficiorū corā D.Ioanne Paulo 22.Octo-
bris 1540. inter Didacum de Vega ex vna,
& Alphonsum Diaz ex alia, an gratiatus
teneatur,probare beneficia acceptata, non
excedere valorem de quo in gratia, parte
aduersa opponente de valore. Et, pro par-
te affirmatiua, quod teneretur probare di-
cebatur, quod, ex quo gratia aduersarij, nō
possessoris, habebat clausulam, quorum in-
simul fructus 150.duc.nō excedunt,&c. de-
1 bebat probari † valor,qa erat pars gratię.
Et licet decis.6.de præb.Bisign. & alia 298.
alias 12.de probat. in antiq. videantur dice
re contrarium, debent intelligi,parte nō op
ponēte,prout dicit Rota decis.800.in antiq.
Vel illę decisiones debent intelligi secundū
illud tempus,secundum quod valor non po-
nebatur, in parte dispositiua, sed tantum
postea in fine limitatiue: secus autem est
secundum formam hodiernam, secundum
2 quam.† valor ponitur in parte dispositiua,
prout ita videtur declarare Felin. in c. ad
aures, in 3.quæst. de rescript.in 2. fallent.
Et pro ista parte, quod teneatur probare,
facit, quia gratia est conditionalis: patet,
dum dicit, si cum cura; aut personatu, &c.
centum,si verò sine cura; septuaginta valo-
rem non excedant, & quando valor poni-
3 tur † in vim conditionis, debet per gratia-
tum probari; prout Felin. in cap.ad aures
de rescript. colum.4. ver. sed caue etiam si
tunc non opponitur, &c. Sed posset dici,
quod licet, quod sit curatum, ponatur in
conditione,non tamen valor ponitur hic in
conditione. In contrarium tamen pro par-
te negatiua facit, quod dicit glos. in Clem.
constitutionem, in verb.opponentes, & ibi
Cardinal. Imol. & cæteri de election. vbi
4 præcise loquitur † de opponente excessum
valoris,& Oldrad. cons.170. Sed posset re-
spondeti ad illam glos. quod glos.loquitur,
quando excessus valoris datur in vim obie-
ctus: hic autem non datur in vim obiectus,
quoniam materia non dicitur obiectiua,
5 quando nedum agitur de exclusione gratię
aduersarij, sed etiam inclusione mei tituli,
& non consideratur, vt obiectus, sed vt ius
partis. Rota decis.18.& seqq.de exception.
in antiq. cum quibus tenet Cassador. non
obstante cons.Oldrad.170.decis.2.de exce-
ption.Pro ista etiam parte,quod non tenea
tur probare, facit decis.Aegidij 302. & illa
decisio loquitur etiam parte opponente, vt
non teneatur probare: ad idem facit decis.
Aegidij 132. & licet ad illā decisionē posset
responderi, ꝙ non loquitur, vbi opponitur,
tamē pondera rationē illius decisionis dum
facit mentionem inter impetrantem certum
corpus, & impetrantem incertum; nam di-
cit,quia plus nocent expressa, quam tacita:
quasi sentiat,quod in gratia certi corporis
exprimitur per impetrantem valor, & ideo
tenetur illum probare: sed in gratia incer-
6 ti corporis, non † exprimitur valor per im
petrantem, sed per Papam; ideo non tene-
tur probare: & idem voluit Felin. in cap.
ad aures,in tertia conclus. in secunda fallen
tia: & ista est potissima ratio pro ista par-
te; quoniam, licet dicatur in moderna for-
ma,Vnum beneficium,cuius fructus centum
ducatos non excedat, &cæt. tamen ista ex
pressio valoris non fit per partem, sed per

Papam; & ideo non tenetur probare: secus
est in impetratione certi beneficij: facit pro
7 ista parte, quia post † acceptationē, & pro-
uisionem beneficij acceptati, vigore gratiæ
generalis; præsumitur beneficium inclusum
in gratia, vt est decisionē Rot. 193. in antiq.
sed ad istam decis. posset dici, quia illa de-
cisio loquitur in acceptāte, qui postquā ac-
ceptauit, non potest dicere, quod beneficiū
sic acceptatum, non cadit in gratia, quia va-
lor excedit. Sed aduerte, quia ista respon-
sio non videtur satisfacere: facit etiam quia
8 † sicut præsumitur, quod quis acceptauerit
infra mensem, vt Rota in pluribus locis in
nou. 155. in antiq. 193. 94. 525. 628. 748.
Ægid. 654. circ. fin. 573. Et sic arguendo de
tempore ad rem; ita etiā præsumetur, quod
quis infra debitam taxam acceptauerit. Sed
posset responderi, quod illæ decisiones lo-
quuntur, respectu diligentiæ, non autē loquū-
tur in probando valore: sed ista differentia,
non satisfacit; quoniam, sicuti præsumitur
acceptatio facta infra tempus, ne præsuma-
mus delictum; ita etiam erit, quod præsu-
matur acceptatio infra taxam factam, cum
vtroque casu eadem militet ratio. Cum
ista causa fuisset posita, Domini fuerunt va-
rij; quoniam D. Mohedanus tunc primus re-
sponsalis, D. Aquen. Ego, & D. Thomas de
Thanis dicebamus, quod si materia erat di-
sputanda, quod tenebamus hanc partem se-
cundam, per fundamenta superius adducta,
quibus non videtur congrua responsio dari.
D. Marsicanus dixit, quod alias tempore
prædecessorum nostrorū, fuit coram D. Sil-
uestro causa resoluta pro prima parte, vi-
delicet, quod teneretur probare valorem,
quia in forma hodierna valor videtur esse
pars gratiæ, & quia videtur poni conditio-
naliter: quibus patet responsio ex supradi-
ctis, quia non est pars gratiæ respectu par-
tis impetrantis, licet respectu Papæ sit. D.
etiam Sarnen. dixit, quod etiam coram
eod. D. Marsicano, in vna causa Calaguri-
tana inter Martinū Ximenes, & bon. mem.
Martinum Anguianum, fuerat facta resolu-
tio pro parte affirmatiua, quod gratiatus
teneretur probare: & cum istis duobus ad-
hærendo decisionibus alias factis fuerunt.
D. Maceraten. & Hieronymus Verallus. Ma
reschotus autem dixit se dubitare, & sic ni-
hil fuit conclusum, quid de iure esset tenen-
dum; sed fuit dictum, quod si nolebamus re-
cedere à decisionib. alias factis, quod Au-
ditor, si volebat, sequeretur. Hoc tamen
possum dicere, quod de mense Iunij 1540.
dum Ego ponerem eamdem causam Calagu-
ritanam inter Martinum Ximenes & An-
guianum, quis teneretur probare, an gra-
tiatus, puta Martinus, an vero Anguianus,
qui erat possessor; Domini voluerunt con-
9 corditer omnes, † quod ex quo agebatur cō
tra possessorem, quod tunc illo casu gratia-
tus teneretur probare beneficium cadere,
sub sua gratia.

SVMMARIVM.

An collatio facta per obitum Guilermi, ca-
piat vacationem per cessationem com-
mendæ, ex persona eiusdem Guilermi.

1 *Commenda cessante, beneficium an dicatur vacare. vt prius, num. 7.*
2 *Commendare quid sit.*
3 *Commendatarius an faciat fructus suos.*
4 *Commendatary perpetui an differant à titularibus.*
5 *Per cessationem commendæ an beneficium vacet de facto.*
6 *Prouisio beneficij facta in vnum casum an extendatur ad alium.*

DECISIO XXII.

IN vna Bellicen. Prioratus Ordonaci in-
ter Christinum Ferrati ex vna, & Petrū
Burulardi ex alia, fuit dubitatum coram D.
Marsicano, an collatio facta per obitū Gui-
lermi, caperet vacationem per cessationem
commendæ, ex persona eiusdem Guilermi.
Et pro intelligentia dubii, est sciendū, quod
Prioratus vacauerat in Curia in manibus
Papæ per resignationem cuiusdam Stepha-
ni, & fuerat commendatus Guilermo; po-
stea defuncto Guilermo, & sic cessante
commenda, quidam commissarius Papæ, ha-
bens etiam facultatem conferendi beneficia
vacantia in Curia, contulit illud dicto Pe-
tro per obitum Guilermi, & non erat posi-
ta clausula, Vel alias quouis modo; & sic
fuit dubium, An collatio facta per obitum
Guilermi, caperet vacationem per cessatio-
nem commendæ eiusdem Guilermi. Et pro
ista parte, quod caperet, allegabatur, quod,
licet cessante, commēda temporali per obi-
1 tum vel alio modo, beneficium † non dica-
tur de nouo vacare, sed vacatio, quæ prius
erat, detegatur, iuxta gloss. in l. manumissio-
2 nes, ff. de iustit. & iur. † cum commendare
nihil aliud sit, quam deponere, per text. in
l. commendare ff. de verbor. signif. & com-
3 mendatarius † non faciat fructus suos, vt
voluit Aret. in c. si constiterit, col. fin. de
accusat. & de tali commenda temporali vi-
detur loqui text. in cap. nemo deinceps de
elect. in 6. & Roman. cons. 350. Tamen di-
uersa videbatur ratio in commenda perpe-
tua, cuius virtute, non manet nudus depo-
sitarius, sed facit fructus suos. Card. Alex.
in cap. cum autem, 6. col. 44. distinct. & in
c. si quis col. penul. 58. distinct. & propterea
4 tales perpetui † commendatarii, non diffe-
runt à veris titularibus, & tales commen-
dæ operantur illos effectus, quos solēt ope-
rari veri tituli; & propterea regula de in-
firmis, prout habet locum in vero titulo,
habet

habet etiam locum in Commenda, & multæ aliæ regulæ, quæ habent locum respectu tituli, habent etiam locum, respectu Commendæ, prout omnes istæ regulæ sunt allegatæ in informationibus: & alia fundamenta, quæ pro ista parte adducuntur poteris videre in informationibus istius partis. Tamẽ istis fundamẽtis, & alijs adductis, causa bis, aut ter posita de anno 1540. 22. Octob.
5 fuit resoluta pro parte negatiua, † quod, nõ caperet; quia licet per cessationem Commẽdæ beneficium dicatur vacare de facto, vt dicit Roman. d. cons. 350. col. penult. Tamẽ illi vacationi de facto Papa, seu exequutor nomine eius, non intendebat prouidere, sed vacationi iuris, & facti, prout notat. in cap. cum nostris. de concess. præben. & ideo cum beneficium de iure vacaret per resignationẽ Stephani, non autem per obitum Guilermi,
6 sequitur, † quod prouisio facta in vnum casum, non extenderetur ad alium, per text. in cap. susceptum. de rescript. in 6. & licet speciali ratione in casibus regularum in cõtrarium allegatarum, dispositio loquens de titulo, extenderetur ad Commendam; illud esset, vel quia verba regularum illud importarent, vel alia speciali ratione, quæ posset colligi ex visione illarum. Tamen in prouisionibus fuit dictũ, quod vnus casus non extenderetur ad alium, & in isto casu, cum in collatione appareret, quod conferens ex persona Guilermi intendebat prouidere, non poteramus dicere, quod extenderetur ad beneficium vacans ex alia persona, vt sunt decisiones claræ. Fuit etiam dictum, quod Rota semper tenuit, quod siue Commenda *
7 sit † temporalis, siue perpetua, semper cessante Commenda, beneficium dicatur vacare, vt prius, & ita & Cancellaria, & Cameræ seruat, quidquid senserit Sarnen. in reg. de triennali, q. 5. circa fin. Vide Cassad. decis. 5. in princ. de priuileg. & pag. 4. versic. sed contra quæstionem: vbi vide omnino.

*Cõmẽda, siue tẽporalis, siue perpetua, vbi cessat, semper beneficiũ dicitur vacare, vt prius.

S V M M A R I V M.

An noua prouisio sit nulla, in qua quis narrat se possessorem; si non facit mentionem de mala fructuum perceptione.

1 *An valeat impetratio, in qua impetrãs tacuit se super fructibus perceptis non habilitatũ.*

D E C I S I O XXIII.

IN eadem Bellicen. eodem die 22. Octobris 1540. coram eod. Marsicano, erat datum dubium, an noua prouisio esset nulla, narrando se possessorem, ex quo, non fecit mentionem de mala fructuum perceptione; & quod esset nulla, allegabatur Io. Andr. in cap. dudum. il secondo, col. 7. & seqq. in versiculo canonice. de elect. dum voluit non
1 valere impetrationem, in qua † quis tacuit, se super fructibus perceptis non habilitatum, & Abb. in cap. præterea. in vlt. notab. de iure patron. & in cap. iam dudum, colum. 1. de præben. & in cap. qualiter. in fin. & in cap. quisquis. in princ. de election. & plene per Felin. post Io. Andr. & Imol. & Andr. Sicul. in cap. postulasti, col. 16. versic. circa quartum & vltimum, & versic. & ista limitatio procedit, & versic. & adde Abbatẽ, de rescript. Et in istam partem inclinabat Rota; tamen non fuit votata, quia D. Ponens habebat causam pro resoluta, quidquid dicat Speculat. in titul. de dispensat. §. videndum restat, numero 22. vers. sed pone maxime, quod bona fide illos percepit: tamen, si videatur ibi Io. Andr. videtur sentire contrarium, propter compositionem, quæ debetur Papæ: quæ compositio non censetur exclusa per illam clausulam, quod causæ annullatiuæ, & infectiuæ exprimi possint.

S V M M A R I V M.

An in dubio prouisio, alicui facta, præsumatur per eum ratificata.

1 *Modica impensa an excludat præsumptionem, actum esse gestum, nomine impetrantis, num. 2. & 4.*
3 *An valeat consequentia, sciuit collationem, ergo ratam habuit, & num. 6.*
5 *Pro substentatione actus capitur interpretatio capienda.*
7 *Noua prouisio quando nomine absentis impetrata dicatur.*

D E C I S I O XXIV.

COram eodem Marsicano, die 25. Octobris 1540. in * vna Salamantina beneficij de Palatios Rubios inter Petrum Martines, & Ioannem Solano scriptorem Apostolicum, fuit dubitatum, an ex quo Commenda certorum beneficiorum, vt dicebatur valoris 150. ducat. erat facta tempore direptionis Vrbis Episcopo Salamantino, tunc existenti in Castro S. Angeli, ex quo non probabatur, quod de illo tẽpore factæ commendæ notitiam habuisset, vel eam ratam habuisset; An in dubio præsumeretur ratihabitio: & licet Rota soleat tenere, quod vbi
1 actus † requirit modicã impensam, non præsumitur factus ad instantiã eius, ad quem actus spectat, sequendo doctrinã Decij in cap. 1. in 4. colum. de iudic. quamuis illam videatur impugnare ibi Felinus, & Rip. Tamen in isto casu propter præsentiam Episcopi in eodem loco, puta
2 Castro, ex quo præsens in loco, † præsumitur sciens, vt per Bart. in l. is potest, colum. 5. vers. quandoque

* Aduerte ad materiam istius decisionis, quod in vna Segobien. Archipresbyteratus, & beneficiorũ inter Episcopũ Solis ex vna, & Sanctium de Biedma ex alia, primo corã D. Ioanne Paulo in prima, & de inde corãm me in secunda instantia, voluerunt Domini, quod quia Episcopus resignauerat Archipresbyteratum, & alia beneficia in fauorem Gundisalui Perez, de cuius præsentia, vel absentia non constabat eã extinctione litis quo ad cedẽtẽ. Quod ex quo renunciatio erat actus fauorabilis concernens fauorem Gundisalui, & Gundisaluus supplicabat quod præsumeretur illa renunciatio ratificata per Gundisaluum, etiam propter impensam, quæ fit in expeditione supplicationis dicentis, quod expensa, quæ fit in confectione supplicationibus in regi-

ſtratura, & in diſtributione, quæ fie Abbreuiatori eſt ſatis notabilis,& ideo in conſideratione erat habenda.
Et iſta nota propterea quæ dico in ſequenti pagina, dum facio differentiam de materijs ordinarijs ad impetrationes notabilis ſummæ. Et tunc fuit dictum quod ex quo erat ceſſio litis, & extinctio quoad cedentē quod ſententia lata in fauorem Epiſcopi ſolis, poſt renunciationem, quæ præſumebatur ratificata, erat nulla ex defectu iuriſdictionis, & ita erat ſequeſtrū appoſitum nullum, & reuocādū per viā nullitatis. Iſta reſolutio fuit facta prima Iulij 1541.
Item 16. Nouemb. 1541. corā D. Thoma in vna noua prouiſione confirmatoriæ apręſentationis factæ in partibus de quodam Sebaſtiano Buaacharino, dicebatur, quod ea quæ concernūt fauorem ipſius præſentati, & quod non eſſet redēpta, ſiue non probaretur redempta per ipſum Sebaſtianum, qui tunc erat defunctus, a Regiſtro, etiā quod eſſet modica impenſa ad eius inſtantiā facta, & per conſequens induceretur per illum actum ratificatio præſentationis, de eo facta; ſecus vbi noua prouiſio poſſet induceſre odium ſupplicantis, vt puta, quando tractaretur de conſumptione gratiæ cuiuſcumque, quæ non probaretur, quod ad inſtantiam illius eſſet facta, propter modicam impenſam, non præſumeretur ad eius inſtantiā facta.

ille qui dicit de acquir. hered. & ſi præſumitur ſciens, ergo & ratificans, ex quo de eius commodo, & non de aliquo incommodo tractabatur iuxta doctrin. Bart. in l. quo enim Rem rat. hab. & in l. quæ dotis, ff. ſolut. matrim. licet contra iſtud videatur facere, quod dicit Collectarius in cap. 1. col. 15. verſic. ſed collator reuocare &c. de reg. iuris, in 6. vbi Collectarius videtur
3 dicere, † quod non ſequitur, ſcit collationem ſibi factam, & non contradicit, ergo ratam habuit: tamen potes reſpondere, illud dictum procedere in terminis ſuis, videlicet, quādo collatio fit abſenti, quod tunc requiratur vltra ſcientiam ratihabitio: ſecus, quando fit præſenti. Sed iſta ſolutio non placet; ideo dicas, quod Collectarius loquitur, vbi per illam ratihabitionem induceretur amiſſio alterius iuris quæſiti, puta, alterius beneficij, prout in iſtis terminis loquitur Collectarius ibi; ſecus, vbi non inducitur amiſſio alicuius iuris, ſed eſt in fauorem illius, vt eſt caſus noſter, vt tunc præſumatur ratihabitio, vulgat. l. qui patitur, & l. ſi mandaſſet, ff. mandat. l. Pomponius ſcribit, ſi vtiliter, & ibi per gloſ. Bart. & omnes, ff. de negot. geſt. plene per Dec. in l. ſemper qui non prohibet: in princ. ff. de reg. iur. Et pro iſta parte, quod præſumeretur ſcientia, & notitia, facit; quia, li-
4 cet † in actibus ordinarijs, quæ via ordinaria conceduntur, puta, in nouis prouiſionibus, gratia ſi neutri, commiſſione cauſæ, citatione; & ſimilibus, poſſit adaptari illa diſtinctio, an ſit modica, vel magna expenſa; tamen in ijs, quæ non conceduntur ſine magna ſolicitatione, & fauore, & gratia, vtputa, in prouiſionibus, & maxime notabilis ſummæ; non eſt veriſimile, quod alius, quam præſens, de cuius cōmodo tractabatur, ſolicitaſſet expeditionem gratiæ: nam cum eſſet præſens, & perſona extrinſeca, nō præſumitur, l. ſi ita ſtipulatus, §. Cryſogonus, ff. de verb. oblig. præſumitur, quod ipſe præſens in loco, & non alius ſine mandato, & ſcitu eius, impetrauerit, maxime ſtante verbo, ſupplicat. vt in ipſomet Epiſcopo ſupplicante pro ſubſti-
5 uendo actu, verificetur; † ex quo verba id patiuntur, ad notat. per Felin. in cap. tenor. colum. fin. de re iudicat. Bart. & alios in l. Titia, §. fin. ff. de verb. obligat. & gloſ. circa fin. in l. optimam, C. de contrah. ſtipulat. quo caſu, videtur loqui Oldrad. in dicto conſ. 136. Et faciunt, quæ dicit Sarneñ ſuper Regula de annali, quæſt. 32. pag. fin.

in princ. Et pro iſtā parte facit conſil. Oldrad. 136. & quod dicit Felin. in c. nonnulli, §. ſunt & alij, colum. 7. verſ. tertio videtur obſtare, de reſcript. & Sarnen. in regula de Impetr. benefic. viuent. quæſt. 5. in fin. Et quamuis in vna Salamantina S. Martini contra eumdē Petrum Martinez, coram D. Hie-
6 ronymo Verallo Rota iudicaſſet, † ex ſola impetratione non induci ratihabitionem, fuit dictum, quod in illo caſu eramus in impetratione facta pro abſente ab Vrbe, & ſupplicatio erat ſignata in Vrbe: item eramus in materia ordinaria, ſcilicet, in gratia ſi neutri. Et eadem die 25. Octobris coram
7 D. Sarneñ fuit etiam concluſum, † quod noua prouiſio impetrata pro eo, qui erat abſens, non præſumeretur de mandato illius impetrata; niſi aliter conſtaret.

S V M M A R I V M.

Regula de Annali annullat omnia retro, vt ex tunc.

1 *De Regula de Annali, an poſſit dari in ſecunda inſtantia.*
2 *Sarnen. in Regula de Annali, quæſt. 82. reprobatur.*

DECISIO XXV.

EAdem die 25. Octobris coram me in vna Gebeneñ Parochialis Serrauallis inter Iacobum de Sabaudia, & Claudium Ghiaronzonai, fuit tentum, quod Regula de Annali annullaret, vt ex tunc; ita quod, dato quod, lite pendente in curia, Ordinarius prouidiſſet in partibus de beneficio, de quo erat lis inter Franciſcum, & Claudium, & mortuo Franciſco annali poſſeſſore, de cuius annalitate, viuente Franciſco, non erat datum, & ſic poſt mortem Franciſci Iacobus erat prouiſus, qui venit ad litem contra Claudium; & in ſecunda inſtantia Iacobus dedit de regula de Annali, dicendo, quod Franciſcus fuerat annalis poſſeſſor, & Claudius non ſatisfecerat d. Regulæ. Voluerunt domini, quod, producta regula † in ſecun-
1 da inſtantia, omnia retrofacta eſſent nulla, & lis annullaretur, & per conſequens ordinarius potuiſſet prouidere; ſequuti Caſſador. deciſ. 1. ſuper regula de Annali, & quod dicit Sarneñ, quæſt. 5. ſuper dicta re-
1 gula de Annali, quidquid dixerit idem
2 Sarneñ, quæſt. 82. ſuper ead. regula, dum voluit, quod beneficium, producta regula, dicatur non litigioſum, vt ex nunc; quia in hoc male dicit.

S V M M A R I V M.

Valor beneficij, liquidatus per teſtes de publica voce, & fama ex auditu à canonicis eiuſdem Eccleſię.

DECI-

DECISIO XXVI.

IN vna, credo, Coloniẽsi, coram D. Petro Vortio pro quodam Pœnitẽtiario Germano, die 29. Octobris 1540. fuit tentum, quod valor beneficij liquidaretur per testes, deponentes de auditu, & publica voce, & fama, à canonicis illius Ecclesiæ, de cuius canonicatus fructib. agebatur, attenta difficili probatione, quæ in curia haberi potest, ac legalitate personæ pœnitentiarij, petẽtis, sibi deferri iuramentum in supplemẽtum. Ad quod dixi benefacere, quæ ponit Aretin. in c. qualiter, & quando colum. 9. vers. in glossa quæ incipit, sed qualiter de &c. accusat.

SVMMARIVM.

An collatio beneficij, facta per Papam per priuationem, post sententiam latam infra decennium, datum ad appellandum, ante transitum in rem iudicatam, sit nulla; itaut nec postea reualidaretur, propter non sequutam appellationem.

1 *Prouisio facta post appellationem interpositam, an sit attentata, & num. 5. quid de facta, durante termino ad appellandum, num. 4. & 6.*

2 *Priuatus beneficio an possit restitui, patrono inuito.*

3 *Impetratio facta, tanquam de vacanti per priuationem, quando sit nulla.*

Impetratio beneficij quando subreptitia.

DECISIO XXVII.

FVit dubitatum in vna Barchinonen. coram eodem Marsicano, * an collatio beneficij facta per Papam per priuationẽ, post sententiam latam infra decennium, datum ad appellandum, ante transitum in rem iudicatam, sit nulla; itaut nec postea reualidetur propter non sequutam appellationem. Et fuit die 29. Octobris 1540. resolutum pro parte affirmatiua, quod esset nulla; & dictũ, quod pro ista parte erat doctrina Io. Andr. Geminian. & Philip. Franch. in c. non solum, §. illud vero de appellat. in 6. vbi dñ. DD.
1 dicunt, † quod, quando prouisio est fundata super priuatione; tunc quicunque sit, qui conferat post appellationem, dicitur attentare. Et vltra istam doctrinam, ego allegaui pro ista parte Barthol. Brixi. quæst. dominical. 95. & glos. quæ in hoc communiter approbatur in cap. quamuis, de rescript. in 6. Gundisaluus Villadiego in tract. de leg. quæst. 14. colum. 19. dum quærit; Pone sacerdos fuit priuatus, seu depositus benefi-
2 cio, † quod erat de iure patronatus; post sententiam priuatoriam Episcopus vult eum restituere; an possit patrono inuito; & distinguitur, quia, aut vult facere, postquam sententia transiuit in rem iudicatam, & non potest, cum sit iam quæsitum ius patrono, aut vero à sententia fuit appellatum, & tũc possit: ratio est, secundum quod dicit Gundisaluus, vbi supra, quod, postquam à sententia est appellatum, adhuc non est quæsitũ ius patrono, sed mansit in eo, qui fuit priuatus: & ideo cum ius manserit penes priuatum,
3 impetratio † facta, tanquam de vacanti per priuationẽ, est surreptitia, cum de iure adhuc non vacaret, & ideo est nulla per notat. in cap. cum nostris, de concess. preb. vbi si beneficium non vacat, de iure, & de facto impetratio est surreptitia: nec obstat, quod in casu nostro non fuit appellatum; quia dici-
4 tur, quod † collatio fuit facta, durante tempore ad appellandum; & ista parificantur, vt in cap. non solum, de appellat. in 6. per Imol. & Aretin. in l. qui à latronibus, §. 1. ff. de testamen. Nec obstat, quod ista æquiparantur, quoad exequutionem facti, non autem quoad exequutionem iuris, prout dicit Imol. in d. l. qui à latronibus, §. 1. quia respondetur, quod hic non sumus in exequutione iuris, absq; ministerio hominis, immo statim quod confertur per superiorem, dicitur esse facta exequutio facti. Nec obstat, quod ab aliquibus diceretur, Innoc. in d. c. cum nostris circa fin. penult. colum. tenere, quod collatio possit fieri, quia si bene aduertatur ad Innocent. potius dicit cõtrarium, & dictum Innoc. etiam debet intelligi, postquam sententia transiuit in rem iudicatam, prout videtur ibi sentire Imol. Non obstat etiam cons. Ancharan. 293. vltra alia sollẽniter allegata circa fin. 1. colum. quia pro-
5 cedit in Papa, mãdante † ex certa scientia; & re vera illud cons. nihil facit. Non obstat quod dicebatur, quod, ex quo postea non appellauerat, quod collatio ista non poterat per viam attentati reuocari; quia, licet
6 non reuocetur † per viam attentati; reuocatur tamẽ per viam nullitatis, vt per Philipp. Franc. in cap. sæpe, colum. 9. vers. in glos. in verbo rata, cum seq. colum. de appellat. Item, & secundo aliam solutionem potes dare ex ijs, quæ ponit Rip. in l. 1. col. 3. versic. secundo declarã, de re iudic. dum allegat dictum Bald. in leg. qui à latronibus §. 1.

* Idem fuit decisũ in Veronẽ. Parochialis de la ciſto, pro Iulio Calista nocõtra Nicolaũ Hormanc die 2. Decẽb. 1541 corã D. Antonio Augustino, quod collatio facta per eorũ de beneficio, quo fuerat illius priuatus propter sua demerita, esset nulla, quia facta, pendente termino ad appellandum, licet Nicolaus prætenderet, quod illo casu à sententia priuatoria, quia lata contra fugitiuũ, sta[n]do carcere, non poterat appellari, quod tamen vltimum, non probabatur. Vide ad propositum. Ioan. Monach. in c. cupientes n. 137. de electio. in 6.

SVMMARIVM.

Quærere possessionem, lite pendente, à non colligitante, non est attentare.

DECISIO XXVIII.

DIxit etiam D. Marsicanus, & alij Domini confirmarunt, quod Rota plu-

7 *Iudex an possit alteri stipulari, & nu. 15.*
8 *Sententia quando non prosit nominato in sententia.*
11 *Sententia lata super beneficio, an noceat possessori.*
12 *Actio non nominato in sententia an detur, & num. 17.*

DECISIO XI.

ARrendauerat Angelus de Diuitijs fructus cuiusdam monasterij, cuius erat commendatarius, Simoni Centurioni: quo arrendamento facto, Angelus fuit spoliatus per quosdam Fratres, contra quos tam nomine suo Angelus, quam nomine Simonis cōmisit causam super spolio, & obtinuit illos Fratres condemnari, & ista sententia transiuit in rem iudicatam. Fuit dubitatum, quia Angelus decesserat post litteras exequutoriales obtentas, an illa † sententia lata in fa-
1 uorem Angeli, prodesset Simoni, itaut Simō post obitum Angeli possit prosequi, & petere; quod sententia pro parte sua mitteretur exequutioni. Et pro parte Simonis multa deducebantur. Primo, quod sententia pro locatore lata prodest conductori, ab eo cau-
2 sam habenti, sicut è contra † lata contra au-ctorem meum, nocet & mihi, l. si ante. §. fin. ff. de excep. rei iudic. Alex. post Bart. in l. Pōponius, §. præterea. col. fin. vers. extra gloss.
3 ff. de acquir. possess. Item, regulariter † sententia lata pro agēte, prodest omnibus, quorum interest, quamuis in iudicio nō fuerint, l. Posthumus, §. si quis ex ijs, ff. de inoffic. testam. not. Alex. in l. sæpe. col. 9. num. 31. vers. vbi autem dicta esset sententia, &cæt. ff. de re. iudic. Tertio, præsupposito, quod si-
4 cut sententia, quæ nocet vni, † potest etiam prodesse, quādo habet causam ab eo, pro quo est lata, vel habet ius connexum cum eo, iuxta text. in l. 2. C. quib. res iudic. & notatur per Salycet. in l. 1. colum. 1. in 3. oppositione, C. res inter alios acta, &c; sequitur, quod, sicut sentētia lata contra locatorem, nocet cōductori, ita è contra lata pro loca-
5 tore, † prodest cōductori, iuxta not. per Alexand. in l. sæpe. cos. 48. num. 112. vers. quæro, an sententia lata cōtra locatorem, &c. ff. de re iudic. Quarto, quod ex sentētia dari possit actio arrendatarijs, quorum interest, faciunt not. per Bart. in l. seruo legato, §. si testator, ff. de leg. 1. in l. fideicōmissa §. interdū ff. de legat. 3. in l. 2. §. si duo, ff. de collat. bonor. Quinto, quod dicit Alex. in l. si cui le-
6 getur, §. si Titio, de legat. 1. vbi dicit, † quod possum petere, te condemnari mihi ad soluendū tertio, per not. in l. stipulatio ista §. si insulam, ff. de verb. oblig. & in §. si quis alij, Instit. de inutil. stipulat. vbi glos. ponit tres casus, qui videntur conuenire casui nostro. Primus est, quādo dominus stipulatur procuratori suo, & tunc valet stipulatio: & iste erat casus noster, quia Angelus in instrumento arrendamenti constituerat Simonem procuratorem suum.
- Secundus casus est, quando quis stipulatur creditori suo, & iste casus etiam est noster, quoniam ratione anticipatę solutionis, quoniam soluerat totam pensionem anticipatā Simon Angelo; Simon erat creditor Angeli. Tertius casus est in actu iudicis, quoniā
7 iudex † potest alteri stipulari, & valet stipulatio: & istis trib. casibus, vt sentit glos. in dicto §. si quis alii; transit actio vtilis absque cessione, vt etiam voluit Bart. in d. l. stipulatio ista, §. si insulam. in 2. colum. ff. de verb. obligat. & sic, si transit vtilis sine cessione, proderat sententia Angeli Simoni, saltem quoad illam vtilem actionem.

Pro alia vero parte dicebatur, q̄ sententia lata pro Angelo, non proderat Simoni; quia,
8 licet Simon fuisset † nominatus in sententia, tamen Simon non fuerat in iudicio, aut in causa aliquis eius nomine comparuerat, nec sententiam petierat, nec ad eius instantiam aliqui termini seruati fuerant: & ideo sententia illa lata pro Angelo, non poterat prodesse Simoni: & licet mentio de Simone facta esset, dicebatur, quod facta fuerat secundario, & accessoriè, non autem principa-
9 liter: & licet aliquis † possit instare, & petere, quod ad alterius commodum iudex aliquem condemnet alteri, iuxta doctrinam Alex. in d. l. si cui legetur §. si Titio; tamen ille tertius, in quē verba exequutiua erant directa, non poterat agere, nisi vtili actione, vt declarat Alex. cons. 13. col. 5. vers. plus tenuit glossa, &c. vol. 1. & idem Alex. cons. 18. col. 5. vol. 4. Et nomen Simonis erat appositum in sententia ad commodum ipsius Angeli, vt plenius Angelus videretur restitutus, dum sui arrendatarii etiā ad possessionem restituerentur, nō quia vellet arrendatarios principaliter ex sententia posse experiri. Breuiter pro ista parte,
10 pro † qua Rota de rigore iuris se resoluit, fuit per me allegatum cons. Roman. 342. quoad primum, col. penult. versic. etsi dicatur, &c. ex cuius dictis sumitur responsio ad maiorem partem argumētorum pro alia parte factorum; nam dicit Roman. quod si agitur contra aliquem super beneficio, pos-
11 sessore sciente, & patiente, † sententia lata contra illum parit exceptionem rei iudicatæ contra possessorem. Intelligitur autem hoc modo, quod, si possessor, qui sciuit, voluerit agere super beneficio, obstet sibi exceptio rei iudicatæ. Sed dicit ibi Rom. quod si possessor non vult agere, sed vult retinere beneficium, quod tunc non debet mandari exequutioni illa res iudicata cōtra non nominatum in sententia. Ita ergo est dicendū in casu nostro, quod, licet sententia lata pro Ange-

Angelo prosit Simoni ad hoc, vt, si isti Fratres spoliatores vellent agere contra Simonem super possessione, seu fructibus; obstaret illis fratribus spoliatoribus exceptio rei iudicatæ, sicut eis obstaret, si ageretur contra Angelum. Sed quod ad instantiam Simonis non nominati saltem principaliter in sententia, mādetur exequutioni, istud non est verū, & sic virtus sententiæ bene diffunditur; tamen non quod ex illa sententia, alteri non
12 nominato † saltem principaliter actio detur: & istud est, quod sensit. Alex. in l. Pomponius, §. præterea, col. fin. ff. de acquir. possess. & sic cum ista distinctione tollitur vna pars argumentorū. Non obstant not. in l. seruo legato, §. si testator, ff. de legat. 1. & in l. fideicōmissa, §. interdū, ff. de leg. 3. quia illa
13 † iura procedunt, ex quo nominati, cui, seu ad quem verba dirigebantur, non intererat nimirum, si ex illo actu legandi quærebatur actio illi, cuius intererat. Sed in casu nostro principaliter intererat Angeli, quod restitutio fieret: ideo non debet quæri actio Simoni, cuius secundario intererat; quoniam iam sibi in instrumento arrendamenti erat prouisum, quia Angelus ei tenebatur ad damna, & interesse. Vel & secundo potest dici,
14 quod illa iura loquuntur † in vltima voluntate, seu in dispositione legis, vel statuti, quæ dispositio æquiparatur vltimæ voluntati secundum Bart. in l. 1. C. de his quib. vt indig. Secus autem est in stipulationibus, prout dicit Iason in d. l. seruo legato, §. si testator, & ita erit dicendum in sententia, cū in iudicio quasi contrahatur, l. 3. §. idē scri-
15 bit. ff. de pecul. Non obstat illud, † quod dicitur, quod per actū iudicis quæritur actio vtilis sine cessione; quia respondetur, quod hic non sumus in actu iudicis, sed in actu priuati: nam vult priuatus, mediante qua si cōtractu, quem facit cum aduersario, quęrere alteri actionem, mediante sententia: quod non potest fieri, & ideo dicit Alex. in d. §. si Titio, quod debet petere, vt condemnetur sibi, vt tertio soluatur. Vel & secundo dicitur, quod ex actu iudicis bene quæritur actio Angelo nominato, non autem Simoni, secundario nominato, cum sententia respectu eius non valeat, cum non venerit ad causam, nec pro parte eius termini seruati; &
16 sic † ex actu iudicis valido bene potest quęri actio, non autem ex actu nullo. Ad alios autē duos casus positos per glos. in d. §. siquis alij, dicitur, quod, licet glossa dicat ibi, quod quæratur actio, & sic stipulatio valeat in personam stipulantis, eo quia eius interest; non tamen dicit ibi glossa, quod in illis duobus casibus transeat vtilis absque cessione, nec etiam Bart. in d. §. si insulam, vbi examinat nouem casus, inter quos iste non ponitur. Et pro conclusione, in quam inclinauit Rota, de rigore facit, quod dicit Bart. & Doctor. in l. 1. C. de sent. &c, vbi non
17 datur † actio ex sententia, nisi illi, qui habet ius instantiæ: Simon non habebat, ergo, &c. Vnus tamen ex dominis considerauit, & non male, quod isto casu, ex quo Angelus, qui egerat ad vtilitatem Simonis, nam ex prima commissione causę, in qua commiserat causam tam nomine suo, quàm nomine Simonis, in qua narrabat se arrendasse Simoni. Item ex productione iurium, quia produxerat instrumentum arrendamenti, ex quo apparebat, quod ipse tenebatur Simoni, & ita in commissione sua dicebat, & Angelus decesserat; quod transiret vtilis absq; cessione: & allegauit Roman. consf. 441. pręsens instrumentum, col. 4. vers. sin autem cedere non poterit, vt quia absens, &c. Tā-
18 dem Rota, quia † Simō habebat commissionē, in qua erat admissus ad prosequutionē illius rei iudicatæ, latæ in fauorem Angeli, & iam vigore illius commissionis per tres sententias cum procuratore Fratrum erat disceptatum super liquidatione fructuum; sustinuit processum factum pro parte Simonis, & voluit mandandum esse exequutioni contra dictos Fratres. Et causa erat intitulata Aurieñ nullitatis prętensarum censuarum pro Congregatione Cisterciensi contra Simonem Centurionem, coram D. Ioanne Paulo.

SVMMARIVM.

An colono directò detur remedium possessorium.

1 *Possessorium remedium non possidenti non datur.*
2 *Commendatario an detur Interdictum possessorium.*
3 *Interdictum possessorium an detur ratione solius detentationis.*
Et an propter reliquias præcedentis possessionis.

In Apostilla.

4 *Detentatio, an sit restituibilis secundum opinionem Rotæ.*
5 *Detentor habet remedium possessorium, & an detur officium iudicis, & num. 8.*
6 *Conductori an detur remedium reintegrandæ.*
7 *Colonus, & inquilinus quo modo possidere dicantur.*
9 *Interdictum vnde vi cui competat.*

DECISIO XII.

FVit in eadem causa dubitatum, an colono daretur remedium possessorium; & dicebatur pro vna parte, quod non, per text.

text. in l. 3. §. quod si seruus, ff. de acquiren. possess. & in l. fin. ff. de vi, & vi armat. Et quia colonus non dicitur possidere, nec ciuiliter, nec naturaliter. ✱ Pro cōtraria autem parte, allegabatur text. in l. colonus, & in l. cum fundum, ff. de vi, & vi armat. vbi apparet, quod colono datur interdictum possessorium, & respondebatur ad d. l. fin. & ad §. quod si seruus, quod, licet dicatur in dd. iuribus, quod domino detur interdictum, tamen non ne gant illa iura, quin etiam colono detur ratione detētationis. Sed pro parte contraria replicabatur, quod, licet dicta iura. l. colonus, & l. cum fundum dēt remedium possessorium colono; tamen illud remedium non dant ei, nisi postquam colonus dominum spoliauit; quo casu per illud spoliū fuerit quęsita possessio colono. ✱ Sed verū est dicere, q̄ co-
1 lono, eo quia † non possidet nec naturaliter, nec ciuiliter, non daretur ei remedium possessorium. Nihil fuit determinatum super isto capite. Et quod Colono non detur Interdictum recuperandę, facit, quod dicit Anan. in cap. si constiterit, colum. 2. versic. nota, quod commendatario &c. de Accusat. vbi dicit, quod commendatario non datur in-
2 terdictum, † quia non possidet, dato quod sit in possessione. Tamen cōtra istā rōnē facit decis. 158. 1. de renūt. in nou. vbi ratione solius de-
3 tentationis datur † interdictum possessorium, nisi dicatur, quod ibi detur propter reliquias pręcedentis possessionis, cum illa detentatio sit sequela, & dependens ab illa possessione pręcedenti. glos. fin. in leg. Aquilius Regulus, ff. de donation. vbi posui apostillam.

✱ Quod non detur remedium possessorium, consulunt Stephā. Bertrand. consil. 210. non puto, volum. 2.

4 Et quod † Rota restituat ad detentationē, ponit Cassador. decis. 14. proposita fuit, nu. 7. in fin. vers. allegatur etiā super reg. Cancell. & ibi per

5 Bart. quod † detentator habet remedium possessorium, vide Rip. in c. sæpe, col. . vers. secundo dubitatur, &c. de restit. spoliat.

Quod conducto-
6 ri detur † remediū reintegrandę, Gonzad. cons. 99. in hac causa, col. 1. nu 4. Et nota, quod Colo-
7 nus † & inquilinus detinent sibi, & suo nomine, & possidēt domino secundum. Paul. de Castr. in l. 1. §. adipiscimur, in fin. lib. verbis, ff. de acquir. poss. vbi dicit, quod pro
8 detentione, † datur officiū iudicis, vide Rip. in l. rē quæ nobis col. 4. nu. 19. & num. sequ. ff. de acquir. possess. vide Card. Alexand. in c. quod restituto, colum. 16. circa fin. vers. & addit hic Archidiaconus, & col. penult. in fin. versic. & pro nunc vltimū remedium 3. q. 2.

✱ Et quod tunc quis datur possessio, colono, tenet expresse Paul. de Castr. in l. 2. col. 2. vers. sed si interuerisset possessionem, C. communia, de Vsucap. & probatur; quia
9 interdictum † Vnde vi, non datur nisi ei, qui fuit in possessione. & ab ea fuit deiectus, l. 1. §. interdictum autem hoc. & ibi glos. ff. Vnde vi. Sed ibi colonus deiectus. habet interdictum contra deijcientem; ergo dicendum est, quod prius colonus possidebat, & hoc modo arguendi vtitur. glos. magn. in princ. in d. l. vnic. vbi Alberic. Paul. de Castr. & facit quod dicit Alexand. in l. si rem in fin. ff. de acquir. possess. Bal. in l. si de fundo circa princ. versic. quæro, an colono, C. Locat. Rip. in cap. sæpe, num. 77. colum. 19. vers. circa secundum de restitut. spoliat.

1 *Dilationes ad partes an sint concedendæ procuratori generali in curia, parte prius in partibus per edictum citata, & vide in apostilla.*

DECISIO XIII.

FVerat citatus per edictum in partibus Didacus de Valderas, in quadam causa Parochialis Oxomeñ de Zozuar ad instātiam Hieronymi de Enciso, & post exequutam citationem in partibus Procurator Didaci, qui habebat mādatum generale, quod fuerat factum ante exequutam citationem, immo decretā; comparuit coram me, & pe-
1 tijt dilationes † ad partes, & de mandato dominorum fuerunt cōcessæ die 20. Octob. 1540. pro quo facit decis. 395. de procurat. 31. in nou. & decis. 1. de dilat. Cassadori.

Ista Oratio men, fuit iterū posita, quoniā non erant facto, q̄ ei tatio fuisset facta peredictū, sed erat facta in parochiali, de qua agebatur, & in Cathedrali, & fuerunt negatæ dilationes, vt patet infra decis. 43. & ideo non ponitur pro constanti decisio. hic scripta de citato per edictum in partibus, vt procuratori sint dandæ dilationes, sed esset consulenda Rota.

SVMMARIVM.

Capitulum, cui dirigitur breue, vt tradat possessionem beneficij amoto quolibet detentore, sine vitio spolij, & attentatorum, an liberetur, nominando intrusum.

1 *Clausula, amoto quolibet illicito detentore, quomodò intelligatur.*

DECISIO XIV.

EPiscopus Lucerinus habuerat Breue directum capitulo Caurieñ, vt traderent possessionem Archidiaconatus Ecclesiæ Caurieñ, de quo erat prouisum ipsi Episcopo, amoto quolibet detentore, sine vitio spolij, & attentatorum. Præsentato Breui capitulo, capitulum respondit, quod ex quo erat intrusus in Archidiaconatu, ageret Episcopus contra intrusum. Episcopus, reproducto Breui, & responsione capituli, petebat Capitulum declarari incurrisse censuras, de quibus in breui, replicabat capitulum, quod non debebat declarari, ex quo nominaverat intrusum. Fuit posita causa in Rota per D. Marsicanum, Episcopo informante tantum, & pro illa vice, quia capitulum, non curauit informare, Domini inclinabant, quod ex quo in Breui dicebatur, amoto quolibet detentore, sine vitio spolij, & attentatorum; quod capitulum
1 veniret declarandum: quia licet † verba, amoto quolibet detentore intelligantur de detentore facti, & non iuris; tamen, quia Papa vlterius processit, dicendo, Sine vitio spolij, & attentatorum, videtur voluisse, quod dato, quod illc esset detentor iuris: tamen, quod Capitulum posset cum spoliare, & detentor non posset agere, & sic, quod Capitulum esset factus minister, & tamquam minister debebat parere. Bene tamen dicebant, quod si tantum fuissent posita illa verba, Amoto quolibet detentore; quod per nominationem intrusi capitulum liberabatur. Tamen pro illa vice nihil fuit determinatum, quia non erat pro parte Capituli informatum, nec satis bene pro parte Episcopi.

An

SVMMARIVM.

An consuetudo, quod Episcopus solus procedat, in priuando clericum sine consensu capituli, sit contra Ius.

DECISIO XV.

FVit propositum per D. Thomã de Thaunis die 20. Octobris. 1540. dubium, an consuetudo, quod Episcopus solus procedat in priuando, & destituendo clericum seu canonicum, sine consensu, seu consilio capituli, esset contra ius. Et fuit resolutum, quod sic; quia contra text. in c. nouit. & c. quanto, de his, quæ fiunt à Prælat. & est gloss. in c. non est, in verb. teneator, de consuetud. in 6. & text. in c. Episcopus nullius causam 16. q. 7. Felin. late, in c. irrefragabili, vbi est text. in 2. col. vbi multa allegat de offic. ordinar.

SVMMARIVM.

Verba litterarum mercatorum debent intelligi secundum stylum mercatorum.

1 *Mandatum, datum mercatori, vt faciat, secundum quod tres ordinarent, an adimpleatur, si fiat secundum dictum vnius illorum.*

2 *Mercantiliter mãdatum, datum pluribus, intelligitur in solidum.*

3 *Inter mercatores verba intelliguntur, prout mercatores intelligunt.*

DECISIO XVI.

FVit die 20. Octobris 1540. in vna Mantuana Zuccharorũ pro Vincentio Garzono contra Piperarios, coram D. Aqueñ resolutum, quod, ex quo pro parte Vincentii erant mercatores examinati, dicentes,
1 quod mãdatum, datum Vincẽtio, † vt ipse faceret, secundum quod ei dicerent tres destinati per ipsos Piperarios ad insulam Siciliæ; intelligebatur, vt etiam posset facere secundum dictum vnius illorum trium; & quod si fecit tantum secundum dictum vnius illorum, quod Vincentius esset excusatus: ex quo mercatores dicebant, quod mercan-
2 tiliter, † & de stylo mercatorum est, quod mandatum, datum pluribus, intelligitur in solidum, non autem coniunctim: licet iuris dispositio aliter dicat, vt patet in l. pluribus, ff. de procurat. quod, ex quo agebatur,
3 inter mercatores, † verba erant intelligenda, prout mercatores intelligunt, vt voluit Alexand. conf. 102. col. fin. vol. 6. Et in com-
4 missione, à mercatore † mercatori data, quod debeat intelligi, secundum quod mercatores verba intelligunt: ponit Corn. cons. 319. col. 9. vol. 3.

SVMMARIVM.

Post rem iudicatam, & omnes censuras, & aliqua interdicta, si committatur causa nullitatis dictarum censurarum, & petatur inhiberi extra curiam, talis inhibitio non est concedenda.

DECISIO XVII.

IN vna Bracareñ cappellaniæ del Corporal, coram D. Hieronymo, in qua Didacus Aluari obtinuerat sententiam; quæ transiuerat in rem iudicatam contra Christophorum Dalmarda, & omnes censuras cõtra eum: & nouissime erat deuentum ad aliqua interdicta specialia; & specialiter erat interdicta ciuitas Bracareñ, & ipse Christophorus, post dicta interdicta, tamquam Abbas, & Monasterium, cui prætendebatur vnita dicta parochialis, obtinuit committi causam nullitatis illius sententiæ, & omnium censurarum, & interdicti, &c. & petebatur inhiberi. Fuit dictum, quod non inhiberetur; tum quia erat præsumptio calumniæ, quia per multum tempus Christophorus sustinuerat censuras; & nunc, postquam ciuitas erat interdicta, veniebat ad impediendum exequutionem; tum quia tractabatur de præiudicio ciuitatis interdictæ; quia si fiebat inhibitio stante inhibitione, ciuitas interdicta non poterat compellere Christophorum ad satisfaciendum; & maxime quia in isto casu erat præfixus terminus, vigore alterius commissionis, Christophoro ad docendum de nullitate; & de aliquo non docuerat.

SVMMARIVM.

Actiones contrariæ quando non possint simul in eodem libello cumulari.

1 *Actiones quando sint contrariæ.*

2 *Summarie vbi agitur, quis libellus admittatur.*

DECISIO XVIII.

ANtonius Maria de Papazonibus agebat contra Ioannem Galeatium iure cessionario, & iure proprio: iure cessionario, quia dicebat, quod Flora in quodam testamẽto, in quo erat heres instituta, erat prohibita alienare bona testatoris, & in euentum alienationis, erat substitutum hospitale Montis ciuitatis Bononieñ; & quia prætendebat, quod Flora alienasset, quod locus

locus erat substitutioni ; & vt cessionarius hospitalis agebat contra Ioannem Galeatium, heredem Floræ, item, agebat iure proprio;quia Flora erat instituta; & si Flora decederet sine filijs masculis, erat substitutus pater eius : & sic ex persona patris, quia dicebat, Floram non potuisse succedere, quia bastarda, & per consequens pater eius veniebat ex substitutione ; petebat hereditatem. Dicebatur pro parte Ioannis Galeatij, quod Antonius Maria debebat vnam ex istis viis eligere, & quod ambas non poterat intentare : nam cum istæ essent actiones contrariæ; quia in vna approbabat testamentum, in alia reprobabat;quod non poterat vtramq. intentare iuxta primã regulam Decii in materia cumulationum, in l. edita.C.de eden. vbi vult,quod contrariç actiones, non possunt in eodem libello cumulari ; & ibi Dec. col. 13. Tamen fuit resolutum corã D.Hieronymo die 22.Octobris 1540. quod posset cumulare, & non teneretur Antonius Maria alterã eligere, quia,quod dicitur,quod nõ possunt cumulari actiones contrariæ,intelligitur, vbi tantum exercitio sunt contrariæ; secus si origine, & exercitio ; quia tunc possunt cumulari, vt per Ias.in l. 1.col.penult.C.de furt.Et dicũtur origine contrariæ,vt declarat Curt.Iun.
1 in d.l.1.C. de furt. quando † causæ,ex quibus nascuntur, sunt contrariæ, vt est in casu nostro : & rationem, quare isto casu possint cumulari,ponit Dec.in d.l.edita.col.13. Secundo, quod dicitur, quod non possint actiones contrariæ cumulari, intelligitur, vt simul, & semel intententur ; secus, si successiue, vt ponit Ias. in l.eum qui, & in l. contra maiores. C. de inoff. testam. item possunt cumulari, vt intententur conditionaliter,vt ponit Paul.de Castr.in l.Papinianus.§.sed si irritum,ff.de inoff.testam.& Ias. in d.l.contra maiores. C. de inoff. testam. Dicebatur etiam,quod in casu isto agebatur summarie : * quo casu admittitur libellus generalis, etiam parte opponente ; vt per Bart.in §. & figura, in extrauagant. ad Reprimendum.& Iason in l.vinum.ff.si cert.pe-
2 tat.Et ideo, ex quo † libellus generalis admittebatur,poterat quodcunque ius suum Antonius Maria deducere:secus est,quando libellus generalis non admittitur ; nam tunc,ex quo tenetur actionem exprimere, inconueniens esset, quod contrarias actiones exprimeret : & ideo illo casu exprimens contraria remedia,non admittitur,vt in l. 1. C. de furt. secus est, vbi libellus generalis admittitur; quia tunc, non exprimit eodem tempore contraria, sed successiue, quod potest fieri, vt supra dixi.

* Vbi agitur summarie, libellus incertus admittitur

SVMMARIVM.

An commenda ad annum, à die habitæ pacificæ possessionis currat, stante alio possessore, posito quod commendatarius nullam fecerit diligentiam contra possessorem.

1 *In pœnam vt quis incidat, ex eo quia non fecerit, quid requiratur, & num. 3.*
2 *In conditione potestatiua non habet locum regula, quod conditio habeatur pro impleta, cũ stat per eum,cuius interest, quo minus impleatur.*
3 *Conditionem potestatiuam quis non cogitur implere.*
4 *Vacatio diutina beneficij improbatur à iure.*

DECISIO XIX.

FVit dubitatum in vna Salamantina beneficii de Palatios Rubeos * inter Ioãnem Solano ex vna, & Petrum Martinez ex alia,coram D. Marsicano, an commenda ad annum, à die habitç pacificæ possessionis,currat,stãte alio possessore,posito quod commendatarius nullam fecerit diligentiam contra possessorem. Et pro parte affirmatiua dicebatur, quod sic,per text. in c.commissa, de electionib. in 6. & text. in c.licet Episcopus,de præben. in 6.in quibus cauetur, quod paria sunt habere pacificam possessionem, vel quod per aliquem stet, quo minus eam habeat. Sed per commendatariũ stetit,quo minus habeat;ergo. Fuit contrarium resolutum die 22.Octob.1540. primo, per dictum Innoc. de quo per Alex. in l.ita stipulatus. de verbor.obligat.& per Felin.in c.si autem de rescript.quod ad hoc,
1 † vt quis incidat in pœnam, ex eo quia non fecit, requiritur,quod procedat interpellatio:hic non processit, ergo. Item,& secundo fuit dictum, quod cum commenda esset facta sub conditione potestatiua, si & postquam possessionem pacificã adeptus fuisset,
2 dicebatur,quod in cõditione † potestatiua, non habet locum regula, l. iure ciuili. de condition. & demonstration. pront ponit Alex.& ibi Ias.in l.centesimis. §.si ita stipulatus. ff.de verb.obligat.& Dec.in d.l.iure ciuili. ff.de reg.iur. & ideo cum quis non cogatur implere conditionem potestatiuã, per tex.in l.cum ab eo.ff.de contrah. empt. sequitur, quod tempus commendæ ante implementum sequutum,non curreret: & ideo ad decisionem huius quæstionis fuit allegatus Cyn.in l.si plures.col.penul.circa fin. & ibi Alberic. C. de condit.insert. & Soc. in l. iure ciuili. ff.de condition. & demonstrat.

* Fuit postea ista causa super eodemmet puncto, & addito, quod Episcopus Salamantinus ratam habuerat, & acceptauerat cõmendam;tamẽ quod non fecerat diligentias capiendi possessionẽ infra annũ, nec duos, an habeatur pro possessore & eadẽ causa posita 18 Februarij 1541. per eundẽ Marsicanum & Domini per eademmet fundamenta, tenuerunt resolutionẽ, iam alias factam.

col.

col.fin. & Oldrad.conf.242.col.2. versic.3. obijcitur, & in terminis quæstionis nostræ Alberic.de Rosat. in l. & si post tres col.11. ff.si quis caut.Non obstat text.in cap.commissa, & in cap. licet; quia,vltra ea,quæ ad dicta iura respondet Alberic. in d. loco; ta-
3 men potest dici,† quod debet intelligi,quod incurrat pœnam,de qua in illis iuribus,monitione tamen præmissa, prout ita videtur intelligere glos. fin. in cap. ad Apostolicæ, de re iudicat. in 6. & ibi Dominic. Vel secundo dicas, quod illa iura loquuntur in dispositione pura: & ex quo ex ea ius quæsitum est eis, imputandum est eis,si possessionem beneficij non adipiscuntur, & hoc in fauorem beneficij; ne detur diutina vaca-
4 tio,† quod iura abhorrent.Nos auté loquimur hic in dispositione conditionali, quod Commendatarius non cogebatur adimplere,vt supra dixi,& ita pro ista parte fuit facta resolutio,nemine discrepante.

SVMMARIVM.

Successor non potest generalem acceptationem defuncti deducere ad speciem.

1 *Successor nõ potest declarare mentẽ defuncti.*

DECISIO XX.

FVit tentum in vna Virdunen.Parochialis Sancti Victoris 22. Octobris 1540. coram D. Sarneñ, quod successor non poterat deducere generalem acceptationem,de-
1 functi ad speciẽ, quia successor † non potest declarare mentem defuncti, l.Põponius scribit si frumentum, §.fin. ff.de rei vindicat.

SVMMARIVM.

An gratiatus teneatur probare beneficia acceptata,nõ excedere valorem, de quo in gratia, parte opponente de valore.

1 *Valor quando est pars gratiæ quomodo probandus, & num.2. & 3. & num.6.*
4 *Dans de excessu valoris, an probare debeat, & quando.*
5 *Materia obiectiua quæ dicatur.*
7 *Beneficium, quando censeatur inclusum in gratia.*
8 *Acceptatio an præsumatur facta infra tẽpus.*
9 *Acceptans an teneatur probare beneficium cadere sub gratia.*

DECISIO XXI.

FVit dubitatum in vna Astoricen. beneficiorũ corã D.Ioanne Paulo 22.Octobris 1540. inter Didacum de Vega ex vna, & Alphonsum Diaz ex alia, an gratiatus teneatur,probare beneficia acceptata, non excedere valorem de quo in gratia, parte aduersa opponente de valore. Et, pro parte affirmatiua, quod teneretur probare dicebatur, quod, ex quo gratia aduersarij, nõ possessoris, habebat clausulam, quorum insimul fructus 150.duc.nõ excedunt,&c. de-
1 bebat probari † valor,qa erat pars gratię. Et licet decis.6.de præb.Bisign. & alia 298. alias 12.de probat. in antiq. videantur dicere contrarium, debent intelligi,parte nõ opponẽte,prout dicit Rota decis.800.in antiq. Vel illę decisiones debent intelligi secundũ illud tempus,secundum quod valor non ponebatur, in parte dispositiua, sed tantum postea in fine limitatiue: secus autem est secundum formam hodiernam, secundum
2 quam † valor ponitur in parte dispositiua, prout ita videtur declarare Felin. in c. ad aures, in 3.quæst. de rescript.in 2. fallent. Et pro ista parte, quod teneatur probare, facit, quia gratia est conditionalis: patet, dum dicit, si cum cura; aut personatu, &c. centum,si verò sine cura; septuaginta valorem non excedant, & quando valor poni-
3 tur † in vim conditionis, debet per gratiatum probari, prout Felin. in cap.ad aures de rescript. colum.4. ver. sed caue etiam si, tunc non opponitur, &c. Sed posset dici, quod licet, quod sit curatum, ponatur in conditione,non tamen valor ponitur hic in conditione. In contrarium tamen pro parte negatiua facit, quod dicit glos. in Clem. constitutionem, in verb.opponentes, & ibi Cardinal. Imol. & cæteri de election. vbi
4 præcise loquitur † de opponente excessum valoris,& Oldrad. cons.170. Sed posset responderi ad illam glos. quod glos.loquitur, quando excessus valoris datur in vim obiectus: hic autem non datur in vim obiectus, quoniam materia non dicitur obiectiua,
5 quando nedum agitur de exclusione gratię aduersarij, sed etiam inclusione mei tituli, & non consideratur, vt obiectus, sed vt ius partis. Rota decis.18.& seqq.de exception. in antiq. cum quibus tenet Cassador. non obstante cons.Oldrad.170.decis.2.de exception. Pro ista etiam parte,quod non teneatur probare, facit decis.Aegidij 302. & illa decisio loquitur etiam parte opponente, vt non teneatur probare: ad idem facit decis. Aegidij 132. & licet ad illã decisionẽ posset responderi, ꝙ non loquitur, vbi opponitur, tamẽ pondera rationẽ illius decisionis dum facit mentionem inter impetrantem certum corpus, & impetrantem incertum; nam dicit,quia plus nocent expressa, quam tacita: quasi sentiat,quod in gratia certi corporis exprimitur per impetrantem valor, & ideo tenetur illum probare: sed in gratia incer-
6 ti corporis, non † exprimitur valor per impetrantem, sed per Papam; ideo non tenetur probare: & idem voluit Felin. in cap. ad aures,in tertia conclus. in secunda fallentia: & ista est potissima ratio pro ista parte; quoniam, licet dicatur in moderna forma,Vnum beneficium,cuius fructus centum ducatos non excedat, &cæt. tamen ista expressio valoris non fit per partem, sed per

Papam; & ideo non tenetur probare : secus
est in impetratione certi beneficij: facit pro
7 ista parte, quia post † acceptationē, & pro-
uisionem beneficij acceptati, vigore gratiæ
generalis; præsumitur beneficium inclusum
in gratia, vt est decisionē Rot. 193. in antiq.
sed ad istam decis. posset dici, quia illa de-
cisio loquitur in acceptāte, qui postquā ac-
ceptauit, non potest dicere, quod beneficiū
sic acceptatum, non cadit in gratia, quia va-
lor excedit. Sed aduerte, quia ista respon-
sio non videtur satisfacere: facit etiam quia
8 † sicut præsumitur, quod quis acceptauerit
infra mensem, vt Rota in pluribus locis in
nou. 155. in antiq. 193. 94. 525. 628. 748.
Ægid. 654. circ. fin. 573. Et sic arguendo de
tempore ad rem; ita etiā præsumetur, quod
quis infra debitam taxam acceptauerit. Sed
posset responderi, quod illæ decisiones lo-
quuntur, respectu diligentiæ, non autē loqui-
tur in probando valore: sed ista differentia,
non satisfacit; quoniam, sicuti præsumitur
acceptatio facta infra tempus, ne præsuma-
mus delictum; ita etiam erit, quod præsu-
matur acceptatio infra taxam factam, cum
vtroque casu eadem militet ratio. Cum
ista causa fuisset posita, Domini fuerunt va-
rij; quoniam D. Mohedanus tunc primus re-
sponsalis, D. Aquen. Ego, & D. Thomas de
Thanis dicebamus, quod si materia erat di-
sputanda, quod tenebamus hanc partem se-
cundam, per fundamenta superius adducta,
quibus non videtur congrua responsio dari.
D. Marsicanus dixit, quod alias tempore
prædecessorum nostrorū, fuit coram D. Sil-
uestro causa resoluta pro prima parte, vi-
delicet, quod teneretur probare valorem,
quia in forma hodierna valor videtur esse
pars gratiæ, & quia videtur poni conditio-
naliter : quibus patet responsio ex supradi-
ctis, quia non est pars gratiæ respectu par-
tis impetrantis, licet respectu Papæ sit. D.
etiam Sarnen. dixit, quod etiam coram
eod. D. Marsicano, in vna causa Calaguri-
tana inter Martinū Ximenes, & bon. mem.
Martinum Anguianum, fuerat facta resolu-
tio pro parte affirmatiua, quod gratiatus
teneretur probare: & cum istis duobus ad-
hærendo decisionibus alias factis fuerunt.
D. Maceraten. & Hieronymus Verallus. Ma
reschotus autem dixit se dubitare, & sic ni-
hil fuit conclusum, quid de iure esset tenen-
dum; sed fuit dictum, quod si nolebamus re-
cedere à decisionib. alias factis, quod Au-
ditor, si volebat, sequeretur. Hoc tamen
possum dicere, quod de mense Iunij 1540.
dum Ego ponerem eamdem causam Calagu-
ritanam inter Martinum Ximenes & An-
guianum, quis teneretur probare, an gra-
tiatus, puta Martinus, an vero Anguianus,
qui erat possessor; Domini voluerunt con-
9 corditer omnes, † quod ex quo agebatur cō
tra possessorem, quod tunc illo casu gratia-
tus teneretur probare beneficium cadere,
sub sua gratia.

SVMMARIVM.

An collatio facta per obitum Guilermi, ca-
piat vacationem per cessationem com-
mendæ, ex persona eiusdem Guilermi.

1 *Commenda cessante, beneficium an dicatur vacare, vt prius, num. 7.*
2 *Commendare quid sit.*
3 *Commendatarius an faciat fructus suos.*
4 *Commendatarij perpetui an differant à titularibus.*
5 *Per cessationem commendæ an beneficium vacet de facto.*
6 *Prouisio beneficij facta in vnum casum an extendatur ad alium.*

DECISIO XXII.

IN vna Bellicen. Prioratus Ordonaci in-
ter Christinum Ferrati ex vna, & Petrū
Burulardi ex alia, fuit dubitatum coram D.
Marsicano, an collatio facta per obitū Gui-
lermi, caperet vacationem per cessationem
commendæ, ex persona eiusdem Guilermi.
Et pro intelligentia dubii, est sciendū, quod
Prioratus vacauerat in Curia in manibus
Papæ per resignationem cuiusdam Stepha-
ni, & fuerat commendatus Guilermo; po-
stea defuncto Guilermo, & sic cessante
commenda, quidam commissarius Papæ, ha
bens etiam facultatem conferendi beneficia
vacantia in Curia, contulit illud dicto Pe-
tro per obitum Guilermi, & non erat posi-
ta clausula, Vel alias quouis modo; & sic
fuit dubium, An collatio facta per obitum
Guilermi, caperet vacationem per cessatio-
nem commendæ eiusdem Guilermi. Et pro
ista parte, quod caperet, allegabatur, quod,
licet cessante, commēda temporali per obi-
1 tum vel alio modo, beneficium † non dica-
tur de nouo vacare, sed vacatio, quæ prius
erat, detegatur, iuxta gloss. in l. manumissio-
2 nes, ff. de iustit. & iur. † cum commendare
nihil aliud sit, quam deponere, per text. in
l. commendare ff. de verbor. signif. & com-
3 mendatarius † non faciat fructus suos, vt
voluit Aret. in c. si constiterit, col. fin. de
accusat. & de tali commenda temporali vi-
detur loqui text. in cap. nemo deinceps de
elect. in 6. & Roman. cons. 350. Tamen di-
uersa videbatur ratio in commenda perpe-
tua, cuius virtute, non manet nudus depo-
sitarius, sed facit fructus suos. Card. Alex.
in cap. cum autem, 6. col. 44. distinct. & in
c. si quis col. penul. 58. distinct. & propterea
4 tales perpetui † commendatarii, non diffe-
runt à veris titularibus, & tales commen-
dæ operantur illos effectus, quos solēt ope-
rari veri tituli; & propterea regula de in-
firmis, prout habet locum in vero titulo,
habet

habet etiam locum in Commenda, & multæ aliæ regulæ, quæ habent locum respectu tituli, habent etiam locum respectu Commendæ, prout omnes istæ regulæ sunt allegatæ in informationibus: & alia fundamenta, quæ pro ista parte adducuntur poteris videre in informationibus istius partis. Tamē istis fundamētis, & alijs adductis, causa bis, aut ter posita de anno 1540. 22. Octob.
5 fuit resoluta pro parte negatiua, † quod, nō caperet; quia licet per cessationem Commēdæ beneficium dicatur vacare de facto, vt dicit Roman. d. cons. 350. col. penult. Tamē illi vacationi de facto Papa, seu exequutor nomine eius, non intendebat prouidere, sed vacationi iuris, & facti, prout notat. in cap. cum nostris. de concess. præben. & ideo cum beneficium de iure vacaret per resignationē Stephani, non autem per obitum Guilermi,
6 sequitur, † quod prouisio facta in vnum casum, non extenderetur ad alium, per text. in cap. susceptum. de rescript. in 6. & licet speciali ratione in casibus regularum in cōtrarium allegatarum, dispositio loquens de titulo, extenderetur ad Commendam; illud esset, vel quia verba regularum illud importarent, vel alia speciali ratione, quæ posset colligi ex visione illarum. Tamen in prouisionibus fuit dictū, quod vnus casus non extenderetur ad alium, & in isto casu, cum in collatione appareret, quod conferens ex persona Guilermi intendebat prouidere, non poteramus dicere, quod extenderetur ad beneficium vacans ex alia persona, vt sunt decisiones claræ. Fuit etiam dictum, quod Rota semper tenuit, quod siue Commenda *
7 sit † temporalis, siue perpetua, semper cessante Commenda, beneficium dicatur vacare, vt prius, & ita & Cancellaria, & Camera seruat, quidquid senserit Sarnen. in reg. de triennali, q. 5. circa fin. Vide Cassad. decis. 5. in princ. de priuileg. & pag. 4. versic. sed contra quæstionem: vbi vide omnino.

*Cōmēda, siue temporalis, siue perpetua, vbi cessat, semper beneficiū dicatur vacare, vt prius.

S V M M A R I V M.

An noua prouisio sit nulla, in qua quis narrat se possessorem; si non facit mentionem de mala fructuum perceptione.

1 *An valeat impetratio, in qua impetrās tacuit se super fructibus perceptis non habilitatū.*

D E C I S I O XXIII.

IN eadem Bellicen. eodem die 22. Octobris 1540. coram eod. Marsicano, erat datum dubium, an noua prouisio esset nulla, narrando se possessorem, ex quo, non facit mentionem de mala fructuum perceptione; & quod esset nulla, allegabatur Io. Andr. in cap. dudum. il secondo, col. 7. & seqq. in versiculo, canonice. de elect. dum voluit non
1 valere impetrationem, in qua † quis tacuit, se super fructibus perceptis non habilitatum, & Abb. in cap. præterea. in vlt. notab. de iure patron. & in cap. iam dudum, colum. 1. de præben. & in cap. qualiter. in fin. & in cap. quisquis. in princ. de electione. & plene per Felin. post Io. Andr. & Imol. & Andr. Sicul. in cap. postulasti, col. 16. versic. circa quartum & vltimum, & versic. & ista limitatio procedit, & versic. & adde Abbatē, de rescript. Et in istam partem inclinabat Rota; tamen non fuit votata, quia D. Ponens habebat causam pro resoluta, quidquid dicat Specular. in titul. de dispensat. §. videndum restat, numero 22. vers. sed pone maxime, quod bona fide illos percepit: tamen, si videatur ibi Io. Andr. videtur sentire contrarium, propter compositionem, quæ debetur Papæ: quæ compositio non censetur exclusa per illam clausulam, quod causæ annullatiuæ, & infectiuæ exprimi possint.

S V M M A R I V M.

An in dubio prouisio, alicui facta, præsumatur per eum ratificata.

1 *Modica impensa an excludat præsumptionem, actum esse gestum, nomine impetrantis, num. 2. & 4.*
3 *An valeat consequentia, sciuit collationem, ergo ratam habuit, & num. 6.*
5 *Pro substentatione actus capitur interpretatio capienda.*
7 *Noua prouisio quando nomine absentis impetrata dicatur.*

D E C I S I O XXIV.

CORam eodem Marsicano, die 15. Octobris 1540. in * vna Salamantina beneficij de Palatios Rubios inter Petrum Martines, & Ioannem Solano scriptorem Apostolicum, fuit dubitatum, an ex quo Commenda certorum beneficiorum, vt dicebatur valoris 150. ducat. erat facta tempore direptionis Vrbis Episcopo Salamantino, tunc existenti in Castro S. Angeli, ex quo non probabatur, quod de illo tēpore sa ctæ commendæ notitiam habuisset, vel eam ratam habuisset; An in dubio præsumeretur ratihabitio; & licet Rota soleat tenere, quod vbi
1 actus † requirit modicā impensam, non præsumitur factus ad instantiā eius, ad quem actus spectat, sequendo doctrinā Decij in cap. 1. in 4. colum. de iudic. quamuis illam videatur impugnare ibi Felinus, & Rip. Tamen in isto casu propter præsentiam Episcopi in eodem loco, puta
2 Castro, ex quo præsens in loco, † præsumitur sciens, vt per Bart. in l. is potest, colum. 5. vers. quandoque

* Aduetta ad materiam istius decisionis, quod in vna Segobien. Archipresbyteratus, & beneficiorū inter Episcopū Sulis ex vna, & Sanctium de Biedina ex alia, primo corā D. Ioanne Paulo in prima, & de Indecorém me in secunda instantia, voluerunt Domini, quod quia Episcopus resignauerat Archipresbyteratum, & alia beneficia in fauorem Gundisalui Perez, de cuius præsentia, vel absentia non constabat cū extinctione litis quo ad cedētē. Quod ex quo renunciatio erat actus fauorabilis concernens fauorem Gundisalui, & Gundisaluus supplicabat quod præsumeretur illa renunciatio ratificata per Gundisaluum, etiam propter impensam, quæ fit in expeditione supplicationis decentis, quod expensa, quæ fit in expeditione supplicationibus in regi-

ſtratura, & in diſtributione, quæ fit Abbreuiatori eſt ſatis notabilis, & ideo in conſideratione erat habenda.

Et iſta nota propterea quæ dico in ſequenti pagina, dum facio differentiam de materijs ordinarijs ad impetrationes notabilis ſummæ. Et tunc fuit dictum quod ex quo erat ceſſio litis, & extinctio quoad cedentē quod ſententia lata in fauorem Epiſcopi ſolis, poſt renunciationem, quæ præſumebatur ratificata, erat nulla ex defectu iuriſdictionis, & ita erat ſequeſtrū appoſitum nullum, & reuocādū per viā nullitatis. Illa reſolutio fuit facta prima Iulij 1541.

Item 16. Nouemb. 1541. corā D. Thoma in vna noua prouiſione confirmationis præſentationis, facta in partibus de quodam Sebaſtiano Buaacharino, dicebatur, quod ex quo conceſſis fauorem ipſius præſentati, ex quod non eſſet redempta, ſine non probaretur redempta per ipſum Sebaſtianum, qui tunc erat defunctus, à Regiſtro, cum quod eſſet modica impenſa ad eius inſtantiā facta, & per conſequens induceretur per illum actum ratificatio præſentationis, de eo facta; ſecus vbi noua prouiſio poſſet induceret odium ſupplicantis, vt puta, quando tractaretur de conſumptione gratiæ cuiuſcunque, non probaretur, quod ad inſtantiam illius eſſet, facta, propter modicam impenſam, non præſumeretur ad eius inſtantiā facta.

ille qui dicit de acquir. hered. & ſi præſumitur ſciens, ergo & ratificans, ex quo de eius commodo, & non de aliquo incommodo tractabatur iuxta doctrin. Bart. in l. quo enim Rem rat. hab. & in l. quæ doteis, ff. ſolut. matrim. licet contra iſtud videatur facere, quod dicit Collectarius in cap. 1. col. 15. verſic. ſed collator reuocare &c. de reg. iuris, in 6. vbi Collectarius videtur
3 dicere, † quod non ſequitur, ſcit collationem ſibi factam, & non contradicit, ergo ratam habuit: tamen potes reſpondere, illud dictum procedere in terminis ſuis, videlicet, quādo collatio fit abſenti, quod tunc requiratur vltra ſcientiam ratihabitio: ſecus, quando fit præſenti. Sed iſta ſolutio non placet; ideo dicas, quod Collectarius loquitur, vbi per illam ratihabitionem induceretur amiſſio alterius iuris quæſiti, puta, alterius beneficij, prout in iſtis terminis loquitur Collectarius ibi; ſecus, vbi non inducitur amiſſio alicuius iuris, ſed eſt in fauorem illius, vt eſt caſus noſter, vt tunc præſumatur ratihabitio, vulgat. l. qui patitur, & l. ſi mandaſſet, ff. mandat. l. Pomponius ſcribit, ſi vtiliter, & ibi per gloſ. Bart. & omnes, ff. de negot. geſt. plene per Dec. in l. ſemper qui non prohibet: in princ. ff. de reg. iur. Et pro iſta parte, quod præſumeretur ſcientia, & notitia, facit; quia, li-
4 cet † in actibus ordinarijs, quæ vlaordinaria conceduntur, puta, in nouis prouiſionibus, gratia ſi neutri, commiſſione cauſæ, citatione; & ſimilibus, poſſit adaptari illa diſtinctio, an ſit modica, vel magna expenſa; tamen in ijs, quæ non conceduntur ſine magna ſolicitatione, & fauore, & gratia, vtputa, in prouiſionibus, & maxime notabilis ſummæ; non eſt veriſimile, quod alius, quam præſens, de cuius cōmodo tractabatur, ſolicitaſſet expeditionem gratiæ: nam cum eſſet præſens, & perſona extrinſeca, nō præſumitur, l. ſi ita ſtipulatus, §. Cryſogonus, ff. de verb. oblig. præſumitur, quod ipſe præſens in loco, & non alius ſine mandato, & ſcitu eius, impetrauerit, maxime ſtante verbo, ſupplicat. vt in ipſomet Epiſcopo ſupplicante pro ſubſti-
5 nendo actu, verificetur; † ex quo verba id patiuntur, ad notat. per Felin. in cap. tenor. colum. fin. de re iudicat. Bart. & alios in l. Titia, §. fin. ff. de verb. obligat. & gloſ. circa fin. in l. optimam, C. de contrah. ſtipulat. quo caſu, videtur loqui Oldrad. in dicto conſ. 136. Et faciunt, quæ dicit Sarneñ ſuper Regula de annali, queſt. 82. pag. fin.

in princ. Et pro iſta parte facit conſil. Oldrad. 136. & quod dicit Felin. in c. nonnulli, §. ſunt & alij, colum. 7. verſ. tertio videtur obſtare, de reſcript. & Sarnen. in regula de Impetr. beneſic. viuent. quæſt. 5. in fin. Et quamuis in vna Salamantina S. Martini contra eumdē Petrum Martinez, coram D. Hie-
6 ronymo Verallo Rota iudicaſſet, † ex ſola impetratione non induci ratihabitionem, fuit dictum, quod in illo caſu eramus in impetratione facta pro abſente ab Vrbe, & ſupplicatio erat ſignata in Vrbe: item eramus in materia ordinaria, ſcilicet, in gratia ſi neutri. Et eadem die 25. Octobris coram
7 D. Sarneñ fuit etiam concluſum, † quod noua prouiſio impetrata pro eo, qui erat abſens, non præſumeretur de mandato illius impetrata; niſi aliter conſtaret.

SVMMARIVM.

Regula de Annali annullat omnia retro, vt ex tunc.

1 *De Regula de Annali, an poſſit dari in ſecunda inſtantia.*

2 *Sarnen. in Regula de Annali, quæſt. 82. reprobatur.*

DECISIO XXV.

EAdem die 25. Octobris coram me in vna Gebeneñ Parochialis Serrauallis inter Iacobum de Sabaudia, & Claudium Ghiaronzonai, fuit tentum, quod Regula de Annali annullaret, vt ex tunc; ita quod, dato quod, lite pendente in curia, Ordinarius prouidiſſet in partibus de beneficio, de quo erat lis inter Franciſcum, & Claudium, & mortuo Franciſco annali poſſeſſore, de cuius annalitate, viuente Franciſco, non erat datum, & ſic poſt mortem Franciſci Iacobus erat prouiſus, qui venit ad litem contra Claudium; & in ſecunda inſtantia Iacobus dedit de regula de Annali, dicendo, quod Franciſcus fuerat annalis poſſeſſor, & Claudius non ſatisfecerat d. Regulæ. Voluerunt domini, quod; producta regula † in ſecun-
1 da inſtantia, omnia retrofacta eſſent nulla, & lis annullaretur, & per conſequens ordinarius potuiſſet prouidere; ſequuti Caſſador. deciſ. 1. ſuper regula de Annali; & quod dicit Sarneñ, quæſt. 5. ſuper dicta regula de Annali, quidquid dixerit idem
2 Sarneñ, quæſt. 82. ſuper ead. regula, dum voluit, quod beneficium, producta regula, dicatur non litigioſum, vt ex nunc; quia in hoc male dicit.

SVMMARIVM.

Valor beneficij, liquidatus per teſtes de publica voce, & fama ex auditu à canonicis eiuſdem Eccleſię.

DECI-

DECISIO XXVI.

IN vna, credo, Colonien. coram D. Petro Vortio pro quodam Pœnitētiario Germano, die 29. Octobris 1540. fuit tentum, quod valor beneficij liquidaretur per testes, deponentes de auditu, & publica voce, & fama, à canonicis illius Ecclesiæ, de cuius canonicatus fructib. agebatur, attenta difficili probatione, quæ in curia haberi potest, ac legalitate personæ pœnitentiarij, petētis, sibi deferri iuramentum in supplemētum. Ad quod dixi benefacere, quæ ponit Aretin. in c. qualiter, & quando colum. 9. vers. in glossa quæ incipit, sed qualiter de &c. accusat.

SVMMARIVM.

An collatio beneficij, facta per Papam per priuationem, post sententiam latam infra decennium, datum ad appellandum, ante transitum in rem iudicatam, sit nulla; itaut nec postea reualidaretur, propter non sequutam appellationem.

1 *Prouisio facta post appellationem interpositam, an sit attentata, & num. 5. quid de facta, durante termino ad appellandum, num. 4. & 6.*

2 *Priuatus beneficio an possit restitui, patrono inuito.*

3 *Impetratio facta, tanquam de vacanti per priuationem, quando sit nulla.*

Impetratio beneficij quando subreptitia.

DECISIO XXVII.

FVit dubitatum in vna Barchinonen. coram eodem Marsicano, * an collatio beneficij facta per Papam per priuationē, post sententiam latam infra decennium, datum ad appellandum, ante transitum in rem iudicatam, sit nulla; itaut nec postea reualidetur propter non sequutam appellationem. Et fuit die 29. Octobris 1540. resolutum pro parte affirmatiua, quod esset nulla; & dictū, quod pro ista parte erat doctrina Io. Andr. Geminian. & Philipp. Franch. in c. non solum, §. illud vero de appellat. in 6. vbi dd. DD.
1 dicunt, † quod, quando prouisio est fundata super priuatione, tunc quicunque sit, qui conferat post appellationem, dicitur attentare. Et vltra istam doctrinam, ego allegaui pro ista parte Barthol. Brixi. quæst. dominical. 91. & glos. quæ in hoc communiter approbatur in cap. quamuis, de rescript. in 6. Gundisaluus, Villadiego in tract. de leg. quæst. 14. colum. 19. dum quærunt; Pone sacerdos fuit priuatus, seu depositus benefi-
2 cio, † quod erat de iure patronatus; post sententiam priuatoriam Episcopus vult cum restituere; an possit patrono inuito: & distinguitur, quia, aut vult facere, postquam sententia transiuit in rem iudicatam, & non potest, cum sit iam quæsitum ius patrono, aut vero à sententia fuit appellatum, & tūc possit: ratio est, secundum quod dicit Gundisaluus, vbi supra, quod, postquam à sententia est appellatum, adhuc non est quæsitū ius patrono, sed mansit in eo, qui fuit priuatus: & ideo cum ius manserit penes priuatum,
3 impetratio † facta, tanquam de vacanti per priuationē, est surreptitia, cum de iure adhuc non vacaret, & ideo est nulla per notat. in cap. cum nostris, de concess. preb. vbi si beneficium non vacat, de iure, & de facto impetratio est surreptitia: nec obstat, quod in casu nostro non fuit appellatum; quia dici-
4 tur, quod † collatio fuit facta, durante tempore ad appellandum; & ista parificantur, vt in cap. non solum, de appellat. in 6. per Imol. & Aretin. in l. qui à latronibus, §. 1. ff. de testamen. Nec obstat, quod ista æquiparantur, quoad exequutionem facti, non autem quoad exequutionem iuris, prout dicit Imol. in d. l. qui à latronibus, §. 1. quia respondetur, quod hic non sumus in exequutione iuris, absq; ministerio hominis, immo statim quod confertur per superiorem, dicitur esse facta exequutio facti. Nec obstat, quod ab aliquibus diceretur, Innoc. in d. c. cum nostris circa fin. penult. colum. tenere, quod collatio possit fieri, quia si bene aduertatur ad Innocent. potius dicit cōtrarium, & dictum Innoc. etiam debet intelligi, postquam sententia transiuit in rem iudicatam, prout videtur ibi sentire Imol. Non obstat etiam cons. Ancharan. 293. vltra alia sollēniter allegata circa fin. 1. colum. quia pro-
5 cedit in Papa, mādante † ex certa scientia; & re vera illud cons. nihil facit. Non obstat quod dicebatur, quod, ex quo postea non appellauerat, quod collatio ista non poterat per viam attentati reuocari; quia, licet
6 non reuocetur † per viam attentati; reuocatur tamē per viam nullitatis, vt per Philipp. Franc. in cap. sæpe, colum. 9. vers. in glos. in verbo rata, cum seq. colum. de appellat. Item, & secundo aliam solutionem potes dare ex ijs, quæ ponit Rip. in l. 1. col. 3. versic. secundo declara, de re iudic. dum allegat dictum Bald. in leg. qui à latronibus §. 1.

* Idem fuit decisũ in Veronē. Parochialis dela ci sio. pro Iulio Calista no cōtra Nicolaũ Hormanc die 2. Decēb. 1545 corā D. Antonio Augustino, quod collatio facta per ob itũ de beneficio, quo fuerat Iulius priuatus propter sua demerita, esset nulla, quia facta, pendente termino ad appellandum, licet Nicolaus prætenderet, quod illo casu à sententia priuatoria, quia lata contra fugitiuũ fracto carcere, non poterat appellari, quod tamen vltimum, non probabatur. Vide ad propositum Ioan. Monach. in c. cupientes n. 137. de electio. in 6.

SVMMARIVM.

Quærere possessionem, lite pendente, à non collitigante, non est attentare.

DECISIO XXVIII.

DIxit etiam D. Marsicanus, & alij Domini confirmarunt, quod Rota plu-

ries suo tempore tenuit, quod ille, qui acquirit possessionem, lite pendente, à non colligitante, non dicitur attentare, prout voluit Egid. decis. 102. & 749.

SVMMARIVM.

Regulæ de non tollendo ius quæsitum, in eo quod competit de iure communi, derogandum est.

1 *Derogatio Regulæ de non tollendo ius quæsitum, an requiratur, quando tollitur ius competens de iure communi.*
2 *Vasalli inuiti alienari an possint: hoc ius an considerabile, num. 3. & 4.*
3 *Ius considerabile quod dicatur.*

DECISIO XXIX.

Fuit conclusum in vna Tarraconen. Villæ de Rens, coram D. Ioanne Paulo
1 die 5. Nouemb. 1540. quod opus erat † derogare regulæ de non tollendo ius quæsitum in eo, quod competebat de iure communi, puta, in casu tunc occurrenti; quod cum Villa de Rens esset Camerarij Tarraconen. & in quadam lite pendente super dicta Villa inter, Camerarium Philippum Ceruellonum, & Capitulum Tarraconen. fuit facta concordia inter dictos collitigantes, & in ea fuit concordatum, quod dicta Villa dismembraretur à camerario, & adiudicaretur capitulo, & Capitulum præstaret certã annuam pensionem camerario, & Philippo, qui tunc erat pater camerarij: & ista concordia fuit per Papam confirmata, & quia dicta dismembratio, & alienatio erat facta sine consensu vasallorũ; dicebatur pro parte eorum, quod confirmatio erat nulla; quia tollebatur ius quæsitum ipsis vasallis;
2 cum de iure communi non † poterant alienari ipsis inuitis, ad not. per glos. in l. inuitus, ff. de fideicommiss. libert. & per Felin. in cap. dilecti, de maior. & obedien. & in cap. 1. de probat. cum alijs, quæ nota sunt; & ideo, cum tolleretur ius cõmune, & non fuisset derogatum regulæ de non tollendo ius quæsitum, dicebatur, quod erat confirma-
3 tio nulla. Fuit conclusum † per Rotã, quod necessaria erat derogatio, isto casu, d. regulæ; quia aliter dicendo, posset Papa tollere actiones, obligationes, & alia competentia de iure communi; quod non est de mente Papæ. Fuit etiam eadem die in ea conclu-
4 sum, quod illud ius, † quod subditi nõ possent alienari eis inuitis erat considerabile; item, quod de eo erat facienda mentio; &, quod esset considerabile ius, ita probabatur; quia possunt vasalli contradicere, opponere, & appellare; quia interest eorum non mutare dominum, prout dicunt DD. in
5 d. capit. dilecti: si ergo possunt † appellare, est ius considerabile; quia non audiuntur, quorum non interest, l. 1. ff. de appellat. recipien. cum alijs.

SVMMARIVM.

Vt discussio dicatur legitime facta, quæ requirantur.

DECISIO XXX.

Retulit D. Aqueñ, quod de anno 1532. fuerat in Rota conclusum, quod ad hoc, vt dicatur facta discussio legitime, erat necessariũ, * quod pronunciaretur, quod discussio erat bene facta: & istam relationem fecit die 5. Nouembris 1540. dum tractaretur, per eum similis causa in Rota.

* Vide ad no Neguſ. in tract. de pignoribus in 1. mebr. 8. part. princ. 1 6. col. vers. conclusio est, &c. cũ seq. col.

SVMMARIVM.

Restitutio in beneficialibus an detur post lapsum quadriennij.

1 *Lapsus quadriennij ad petendam restitutionem, quando non attendatur; & nu. 2.*
3 *In beneficialibus post quadriennium an detur restitutio, & quando.*

DECISIO XXXI.

In vna Astoricen. portionis, corã D. Marco Antonio, in vna causa beneficiali petebatur restitutio post quadrienniũ * elapsum, & dicebatur, quod erat danda, & quod
1 quadriennium † non attenderetur propter periculum animæ, per ea, quæ dicit Felin. in cap. lator, colum. 5. vers. nota secundo, quod vbi, &cæt. de sentent. & re iudicat. Sed ego dicebam, quod illud dictum Felin. procedebat in matrimonio carnali, in quo senten-
2 tia non transibat in rem iudicatam; † sed secus erat in matrimonio spirituali per ea, quæ dicit Felin. in d. cap. lator. col. 6. in 10. declarat. & Abb. in cap. cum dilecti, col. 2. versic. item nota, extra de elect. Hoc non
3 obstante, Rota tenuit, quod in istis † beneficialibus semper datur restitutio, parito, iudicato, & constito de bono iure petentis restitutionem, etiam post quadriennium. Ego vero dicebam, quod non per viam restitutionis, sed per viam principalis petitionis, ex quo erat alius, qui petebat audiri; licet veniret ex resignatione illius, qui fuerat cõdemnatus, cum in istis beneficialibus non detur successio: & mouebar per illud, quod vult Speculat. in tit. de sentent. §. nunc de effectu, col. 3. vers. item ponе, &cæt. sed Rota voluit, quod etiam posset audiri per viam restitutionis.

* Vide latius infra decis. 39. vbi discutitur.

SVM-

SVMMARIVM.

Clausula Sine retardatione solutionis pensionis, quas nullitates exclusit.

DECISIO XXXII.

PRoposui ego die 5. Nouembris 1540. in vna Hispalensi pensionis. 24. ducatorum inter Didacum Vasquez ex vna, & Alphonsum Aluarez ex alia, quod erat mihi commissa causa nullitatis pensionis cum clausula, Sine retardatione solutionis pensionis: & petebam, an Alphonsus pensionarius, qui opponebat duas nullitates cōtra litteras reseruationis, esset audiendus, non obstante d. clausula. Prima erat, quia dicebat, quod ex eisdem litteris constabat de nullitate: nā erat reseruata pensio. 24. quæ tertiam partem fructuum non excedebat; & tamen in eisdem litteris, in regressu ob non solutionē pensionis, dicebatur, quod fructus * pensionis, non excedebant quinquaginta ducatos, &c. Et sic videbatur, quod ex eisdē litteris appareret de nullitate; vnde talis nullitas non videbatur exclusa per illā clausulam, Sine retardatione solutionis pensionis, per ea, quæ dicit Cassador. decis. 10. de rescript. Tamen ad istam exceptionem fuit responsum, quod ista non dicunt nullitatē, sed reductionem, & in illa portione pensio teneret. Item dicebatur, quod, licet quoad validitatem regressus, ille, qui expressit, valorem non excedere quinquaginta ducatos non posset probare maiorem valorem; tamen quoad validitatem pensionis, poterat probare, fructus excedere quantitatem quinquaginta; sed quia iurisdictio erat data cum illa clausula, quod prius solueret, & postea in iudicio reductionis forsan probaretur maior valor expresso; opponebatur alia nullitas: nam cum pensio esset super fructibus reseruata, dicebatur, quod erat probatum per testes; & ita ego in facto pręsupponebam, quod nulli erant fructus, sed omnes erant distributiones quotidianæ: & cū appellatione fructuum, non venirent distributiones quotidianæ, dicebatur, quod etiam pensio esset nulla. Fuit responsum per Rotam, quod dato, quod ille probasset, nullos extare fructus; tamen, quod erat in potestate mea probare, fructus extare, cum probatio non excluderet probationem, & ex quo iurisdictio erat data cum illa clausula, Sine retardatione, quod procederem ad exequutionem, & facta solutione audiretur in his, quæ vellet opponere, & ita fuit conclusum.

*Legendū forte, beneficij.

SVMMARIVM.

Gratiatus, habens gratiam ad menses ordinarios de beneficijs reseruatis, debet probare beneficium esse reseruatum.

DECISIO XXXIII.

DIe 8. Nouembris 1540. fuit resolutum coram D. Thoma de Tanis in vna Palentina Sacristiæ pro Roderico de Carrion contra Franciscum de Miranda per maiorē partem Dominorum, quod gratiatus, qui habebat mandatum ad menses etiam ordinarios, quoad beneficia, de quibus ordinarij disponere non poterant; & sic quoad reseruata teneretur probare, beneficium, de quo agebatur, esse tale, quod, vigore gratiæ acceptari potuisset, videlicet, vel quod esset reseruatum, vel quod vacasset in mense Apostolico. Non obstat, quod dicebatur, quod, sicut acceptatio præsumitur esse facta infra tempus, vt sunt plures decisiones; ita etiam præsumeretur quis acceptasse beneficium, sub sua gratia cadens; quia respondebatur, quod illud erat quoad diligentiā, vt quis præsumeretur infra tempus acceptasse; sed in casu nostro, cum gratia esset data limitata, debebat gratiatus probare, quod beneficium sub sua gratia caderet, nec in hoc attenditur, quod opponens diceretur obijcere, & sic teneretur probare.

SVMMARIVM.

Restitutio non datur in causa possessorij, quando transiuit in rem iudicatam.

1 *Rota non solet restituere in integrum super possessorio, quando transiuit in rem iudicatam, & ratio, vide decis. sequent.*

DECISIO XXXIV.

HAbuerat Andreas duas sententias absolutorias in petitorio, & super spolio, & iudex, qui tulit secundam, confirmando primam, dederat prius remissoriā Georgio aduersario, & postea tulerat secundam confirmatoriam primæ decreta remissoria, Georgius probauit spolium, & reportata remissoria, duæ primæ sententiæ absolutoriæ fuerunt reuocatæ ex nouiter deductis, & fuerunt latæ duę sententiæ reuocatorię primarum sententiarum: postea, quia fuit cōpertum, quod istæ duæ vltimæ sententiæ erant datæ post fatale decursum, puta, quia biennium erat elapsum; fuerat dictum, quod illæ duæ sententiæ, vltimo loco datæ, erant nullæ, tanquam datę per iudicem, non habentem

bentem iurisdictionem: & sic fuerunt duæ vltimæ sententiæ reuocatæ, & duæ primæ latę super petitorio,& spolio,remanserunt, tanquam trāsiuissent in rem iudicatam. Postea Georgius voluit restitui in possessorio, ex quo constabat de bono iure ipsius Georgii; quia dicebat Georgius: Ego probaui, Andream esse spoliatorem, & sic, quia constabat de bono iure suo, petebat aduersus sententias,super spolio latas, restitui.* Sed

* Restitutio,non datur in causa possessorij, quādo transiuit in rem iudicatā. Fuit cōclusum in vna Lucen. Iurisdictionis xv. Mart 1546 quod illud procederet,nisi essemus in persona priuilegiata, vt puta minori, & Ecclesia secundū glo. in l. vnic. in verb. reformatione.C. si de moment. poss vbi Sa lyc.& Bal. & Franc.in c. 1. de in integ. rest. in 6.

1 quia † Rota non solet restituere super possessorio, ex quo est modici pręiudicii; quia grauamen, super illo illatum, potest in petitorio reparari; ideo super restitutione petita in causa spolii, fuit Georgius reiectus. Petiit postea Georgius restitui saltem in petitorio; quia dicebatur, constare de bono iure eius, & in petitorio non denegatur restitutio in beneficialibus. Sed replicabat Andreas, quod Georgius non erat audiendus in petitorio, ex quo obstabat sibi regula de triennali, cum prætenderet Andreas, quod, antequam lis fuisset sibi mota, ipse foret non solum triennalis possessor,sed etiā decennalis,& vltra. Triplicabat Georgius, quod regula de triennali non poterat ipsi Andreæ suffragari, ex quo Andreas erat spoliator; & quod esset spoliator, prætendebat Georgius, probatum fore, per illos testes examinatos in remissoria.

SVMMARIVM.

Regula de triennali non suffragatur spoliatori,& quibus testibus super spolio fuit adhibita fides.

1 *Probationum fides pendet à receptione iudicis.*
2 *Probationi plenæ an iudex possit non adhibere fidem,& semiplenæ sic.*
3 *Probationes non publicatæ, an faciāt fidem, & quando, & num. 5.*
4 *Sententia ex quo lata, in dubio præsumenda sit.*

DECISIO XXXV.

FVit dubitatum in vna Vlixbonen̄, de Turribus Vedras, coram D.Marco Antonio Marescotto, an regula de triennali obstaret Georgio, petenti restitutionem in petitorio. Et pro parte Georgii dicebatur, quod non,ex quo erat probatum, quod Andreas erat spoliator: & regula de triennali non suffragatur spoliatori, vt voluit D.Sarnen. super regula de triennali.quæst.11.Respondebatur pro parte Andreæ, quod ipse super spolio habebat rem iudicatam: & res iudicata de falso facit verum, & de iniquo æquū. Cum ergo haberet veritatē Andreas pro se, non erat standum probationibus, antea factis, maxime, cum illæ probationes non erant probationes probatæ, & fidē facientes, ex quo adhuc non erant per iudi-
1 cem receptæ: nam † à receptione iudicis pendet fides probationum. l. 3. §. tu magis scire potes.ff.de testib. Hinc est, quod potest iudex plenę probationi fidem non adhibere
2 & semiplenæ, † sic, vt voluit Bart.in l. Lucius.ff.de his, qui not.infam. & sic,cum ista probatio non esset adhuc recepta, dicebat Andreas, quod res iudicata,tanquam veritas, erat præferenda. Secundo loco dicebat Andreas: Per transitum in rem iudicatam, instantia erat finita, & perempta;
3 ergo † probationes nō publicatę non poterant facere fidem in alia instantia. Alexan. & Ias. num. 21. in 3. limitat. in l. 2. col. penult. C. de eden. & Felin. late in c. causamq. il primo, 1. col. de testib. ergo non poterāt isti testes in ista instantia fidem facere. Istis tamen non obstantibus, die 12. Nouembr. 1540. fuit resolutum, quod illi testes fidem facerent,& veniret Georgius restituendus, non obstante exceptione regulæ de triēnali, quæ non suffragatur spoliatori: & dum dicitur, quod Andreas habebat rem iudicatā, & sic veritatē, ergo erat pręferendus; dice-
4 batur, † quod in dubio præsumitur sententia lata, quia non probatum, prout dicit decis. 549. alias 18. de sent. & re iudic. in antiq. Et maxime in casu nostro erat, in quo ex actis apparebat, quod ille erat absolutus in illis duabus instantiis, eo quia non erat probatum, & ideo erat data remissoria. Cū igitur non esset probatum in primis duabus instantiis, non poteramus dicere, quod res iudicata subsequuta, tolleret effectum probationum: & licet res iudicata bene operaretur, vt Georgius super spolio non esset amplius audiendus; tamen non operabatur, quod virtus illarum probationum esset euacuata; cum, si illæ probationes nō forent factæ, potuisset Georgius ad effectum excludendi regulam de triennali, de nouo examinare testes super spolio, non dico ad effectum agendi, sed tantum ad effectum excludendi regulam de triennali in petitorio. Non obstat, quod illa dicta testium
5 non facerent fidem in alia instantia; † quia istud non est verum in instantia succedanea, prout dicunt Alex. & Ias. in d. l. 2. col. penul. & Felin. in d. cap. causam; & quod causa restitutionis sit succedanea, sicut & causa appellationis, ponit Felin. in dicto cap. causam, in principio.

SVM-

SVMMARIVM.

Clausula, quæ solet apponi in instrumentis hypothecarum, itaut specialis generali non deroget, nec è contra operatur, vt non debeat fieri discussio super speciali, sed possit inchoari à generali, etiam in præiudicium secundi creditoris.

Habens specialem, & generalem hypothecam, an teneatur prius agere contra specialem, num. 2. & 3.
4 *Ius generalis hypotheca quando saluum remaneat, etiam quod actum fuerit vigore specialis.*

DECISIO XXXVI.

Die 12. Nouembris 1540. in vna Romana domus, pro Alexandro, & Leonardo Bartoli contra Magdalenam Scādianam, coram D. Aquen. fuit resolutum, quod per illam clausulam, quæ solet apponi per notarios in instrumentis hypothecarum, itaut specialis generali non deroget, nec è contra; quod Alexander Bartoli, qui habebat specialem hypothecam cuiusdā domus, & generalem omnium bonorum, non tenebatur prius discutere, & agere super speciali hypotheca; sed poterat incipere super generali, etiam in præiudicium secundi creditoris, habentis specialem, seu generalem,
1 & † quod, lex 2. C. de pignorib. non habeat
locum, vbi est apposita dicta clausula, & ego allegaui Cassaneum, ita tenentem, & limitantem d. leg. 2. in suo cathalogo gloriæ mundi in 12. par. fol. 102. colum. 2. vers. pro 25. limit. Et ita omnes Domini, visa authoritate d. Doctoris, ex quo, non reperiebatur auctor in contrarium, sequuti fuerunt eum:
2 pro quo facit ratio, quia habens † genera-
lem hypothecam, potest pro arbitrio suo prosequi, quam rem vult, l. creditores. ff. de distract. pign. l. generaliter. C. qui pot. in pign. hab. & l. quod generaliter, ff. eodem
3 Quando autem habet generalem, † & spe-
cialem, tunc illa specialis, videtur esse contracta sub conditione, quatenus specialis non sufficiat: & ideo specialis infert præiudicium generali, cū hypothecarius non possit prosequi generalem hypothecā, nisi excussa speciali, vt eleganter dicit Cremeñ. sing. 53. obligasti: & est casus, vbi omnes in leg. 2. C. de pignor. cum ergo Bartoli, contrahendo hypothecam specialem, & generalem, protestati fuerint, quod nullum inferretur præiudicium per specialem generali hypothecæ; sequitur, quod dictis Barto-
4 lis per eorum protestationem † remansit
integrum, & illæsum ius generalis hypothecæ, l. si debitor. §. 1. ff. quibus mod. pign. vel hypothec. sol. cum alijs notis.

SVMMARIVM.

An Villa de Rens, vna cum hominibus potuerit alienari per Camerarium in Capitulum Tarraconeñ, absque consensu hominum.

1 *Vasalli inuiti an possint alienari, & n. 2. & 3. & decis. seqq.*
4 *Rei suæ quilibet est moderatur, & arbiter, quomodo intelligatur.*
5 *In feudis id tenetur præstare dominus Vasallo, quod tenetur Vasallus domino.*
Vasallus non potest se alteri subijcere in præiudicium domini.
6 *Rex an possit vnam ciuitatem de Regno, sine consensu subditorum alienare.*

DECISIO XXXVII.

Fvit multum disputatum, coram D. Io. Paulo in vna Tarraconeñ Villę de Rens inter Camerarium, & Capitulum Tarraconeñ ex vna, & homines dictę Villæ ex alia, an Villa de Rens, vna cum eius hominibus potuerit alienari per Camerarium in Capi-
1 tulum Tarraconen, † absque consensu homi-
num. Et dicebatur, quod non, per gloss. in l. inuitus, ff. de fideicommiss. libert. & per dictum Hostien. de quo ibi per Felin. in cap. dilecti, de maiorit. & obedient. Multa cumulaui ego ad Franciscum Curtiū in tract. de Feud. in 6. parte princip. in 2. quæstione. Tandem post longam disputationem fuit facta distinctio, * quā faciunt DD. in leg. 2. in
2 princ. ff. solut. matrimon. quia † aut domi-
nus vult alienare vasallos in alium, & tunc non potest absque consensu ipsorum subditorum, & ita loquuntur superius allegata. Aut quis vult alienare vasallos cum vniuersitate, puta alienando ducatum, comitatū, aut ciuitatem, & tunc potest; & ita distinguunt in d. l. 2. Iacob. de Aren. Bald. Alberic. Imol. Alex. & Aret. & ibi Parpal. col. 23. qui dicit, quod omnes DD. sequuntur. ff. solut. matrimon. Roman. consil. 26. col. fin. num. 11. versic. sexto, & vltimo. Alex. cons. 25. attentis narratis, col. penult. versic. circa aliud dubium; numer. 10. & seq. volum. 5. Ias. in l. si non sortem, §. si libertus, col. 10. nu. 26. ff. de condit. indeb. vbi allegat Abbat. consil. 3. col. 12. ante n. 12. versic. secundo principaliter, volum. 2. Gulielm. de Benedict. in repet. cap. Raynutius in versic. duas habens filias, col. 37. versic. vbi inter cętera concludit, &cæt. & ibi allegat Bald. ita tenentem, in tribus locis de testam. Io. Anton. Alexand. con. 96.

Fabian.

* Pro ista distinctione benefacit, quod dicit Bal. in c. 1. §. ex ad eadē lege, colum. 2. versic. non potest, &cæt. de lege Corradi in vsibus feudorum.

Fabian. de Monte, in tract. de empt. & vendit. in 3. quæst. princip. vers. vndecimo quęro, an Rex possit vendere. Barbat. in c. ad quæstiones. in princ. dę rer. permut. Abb. in in cap. auditis, de pręscript. Bald. cons. 97.
3 in 3. vol. Et secundum istam † distinctionem fuit facta resolutio, die 12. Nouẽbris 1540. quidquid in hoc tenuerit Roman. in d. l. 2. ff. sol. matrimon. & Rip. respons. 25. sub rub. de rescript. fundamentum autem eius, quod dicitur, quod, quando dominus alienat, cũ vniuersitate, quod possit; credo illud esse, &
4 maxime iuridicum; quia † rei suę quilibet est moderator, & arbiter. l. in re mandata. C. mand. Et valde iniuriosum, & inhonestũ videtur, vt homini libero interdicatur rei suæ libera dispositio, l. dudum. C. de contrahen. emptio. Nec obstat, quod ad hoc fundamentum respondet Corn. consil. 321. in 4. vol. quod illud verum est, nisi à lege ei alienatio interdiceretur; quia ad istud repli catur, quod nescio reperire, quomodo alienatio castri prohibeatur de iure, sine cõsensu subditorum; quia si allegatur text. in l. inuicus. ff. de fideicommiss. libertat. respondetur, quod ille text. loquitur in alienatione ipsius hominis; & tunc fateor, quod talis alienatio, non potest fieri sine eorum cõsensu. Ad text. principalem in ista materia in c. Imperialem, §. pręterea. de prohibit. alienat. feud. per Frideric. dum dicit, quod dominus sine consensu vasalli nõ potest feudum alienare; respondetur, quod ille text. loquitur in vasallo, qui ratione feudi, sibi concessi, iua habet in re, puta dominium vtile, nimirum, si interest vasalli; & si dominus sine eius licentia non potest alienare; quia
5 in materia feudi illud tenetur pręstare † dominus vasallo, quod tenetur vasallus domino, c. 1. de nou. form. fidelit. Sed vasallus, non potest se alteri subijcere in pręiudiciũ domini, vt dicit Corn. in d. consil. 321. ita etiã non potest dominus, absque voluntate vasalli. Ista autem ratio, non militat in casu nostro, vbi castrum, seu villa est libera ipsius Camerarij, ita quod subditi nullum ius in ea habent, & ideo illa iura feudorum non merentur in casu isto allegari. Non obstant notat. per Hostien. in c. dilecti; quia primo Hostien. dicit, quod dominus non potest se subijcere alteri domino in pręiudiciũ subditi; quia interest subditi non habere plures dominos: & istud etiam nos fatemur, sed non est casus noster. Secundo dicit, quod dominus non potest feudum alienare sine consensu vasalli, & allegat illum §. pręterea, & etiam dicimus, quod nihil ad propositum;
6 & dum postea inferunt DD. quod rex, † seu dominus non potest vnam ciuitatem alienare sine consensu subditorum, intellige in rege, seu alio domino dismembrante à dominio suo; quia istud non potest facere; nam non potest Rex Francię à regno suo vnam ciuitatem alienare; quia interest illorum subditorum propter eorum affectionem, quia semper fuerunt vniti cum regno Franciæ non separati à regno, & transferri in aliud dominium: & ita procedit, quod dicit Neuizan. inter cons. Brun. cons. 12. colum. 21. quia rex ibi separabat ciuitatem à comitatu Astensi, & propter illam duram separationem, subditi poterant contradicere, sed in casu nostro Camerarius alienauit, & villam, & castra illi adiacentia, iurisdictionem, & territorium, vnde nihil sibi retinuit. Et ita resolutum fuit, quod id potuerit facere.

1 *Vniuersitas, quando alienatur, an transeant subditi, etiam inuiti.*
2 *Dominus directus, an alienet feudum cum consensu vasalli, inuitis subditis.*

DECISIO XXXVIII.

Decima Octobris 1541. fuit in secunda instantia per D. Thomam propositum dubium. Posito, quod Villa de Rens sit allodialis, & non feudalis, Papa an potuerit illam dismembrare sine consensu subditorũ. Et fuit dictum, quod, stante distinctione, de qua in prima instantia, videlicet, quod, quã-
1 do alienatur † vniuersitas, quod transeant subditi, etiã inuiti, quod multo magis istud erat dicendum, vbi res erat allodialis; quia istius membri illa est ratio, quã ponit Bald. in c. 1. §. ex eadem lege, col. 2. in verbo non potest, de lege Conradi; quia, quando alienatur tota proprietas, homines veniunt accessorie, & non possunt contradicere; quia rei suę, &cęt. ista ratio militat in re allodiali. Et quod istud sit verum, dicebã ego, quod probabatur in d. §. ex eadem lege. & in c. imperialẽ, §. pręterea. de prohib. alien. feud. vbi dicit text. Dominus non alienat feudum sine consensu vasalli, ergo cum con-
2 sensu alienat, & sic † dominus directus, respectu cuius, res est allodialis, alienat feudum cum consensu vasalli, inuitis subditis, ex quo de subditis nihil dicit. Dixi etiam, quod istud sentiebat Parpalia in l. 2. col. 23. dum dicit: Vasallus, vel alius subditus, primo casu sentiens de re feudali; secundo, de allodiali. Non obstat, quod dicebatur de rege Franciæ; quia non potest alienare vnam ciuitatem; & Constantinus, qui donauit cum consensu Populi, quasi isti videantur loqui in re allodiali, & velint, quod non possit alienari, sine consensu subditorum; quia ad istud fuit responsum, prout in prima instantia, & responsio est superius scripta; quare eam videas.

SV M-

SVMMARIVM.

A censuris latis extra Curiam, passim datur absolutio; secus, si in Curia.

DECISIO XXXIX.

FVit dictum in vna Vuarmien. coram me, die 12. Nouembris 1540. quod Rota semper consueuit absoluere à censuris, latis, in partibus, quando est commissa causa appellationis, & nullitatis in Rota ad cautelam; & ita in dicta Vuarmien. absoluit ad cautelam, licet à censuris latis in Curia, non detur absolutio; nisi aliter constet de nullitate.

Vide decis. 811. alias 4. de senten. excommunic. in antiq. In contrarium videtur facere decis. Aegidij 174. tamen pro ista decis. videtur facere decis. 436. alias 9. de senten. excommunic. in nou.

SVMMARIVM.

Remissoria in beneficialibus non datur in secunda.

DECISIO XL.

REmissoria in secunda instantia in beneficialibus non datur: ita dixit Rota esse solitum seruari, in vna Legionen. Archidiaconatus pro Reuerendiss. Tranensi, in secunda instantia, coram D. Thoma, vbi erant dati articuli releuantes, die 12. Nouembris 1540.

SVMMARIVM.

Procuratori generali comparenti post citationem, per edictum in parochiali exequutam, cum de ea ageretur, dilationes negatae.

1 *Procuratori Generali an debeantur dilationes ad partes.*

2 *Citatio per edictum facta in Parochiali, vbi quis tenetur residere, an deuoluat.*

DECISIO XLI.

IN vna Oxomen. Parochialis de Zozuar coram me, in qua agebat Hieronymus contra Antonium super dicta parochiali, & decreta citatione cōtra Antonium, fuit Antonius citatus in partib. in dicta parochiali de Zozuar, & in cathedrali Oxomeñ; quia Antonius non poterat citari personaliter, cum esset absens à loco dictae parochialis per centum milliaria, & vltra: postea, reportata citatione, & cum Hieronymus procederet per contradictas; comparuit procurator generalis dicti Antonij, qui habebat mādatum generale, factum ante decretam citationem, & causam commissam, & petijt dilationes ad partes, dicens, quod cum principalis suus non fuisset apprehensus personaliter; quia potuit ignorare, citationem contra eum fore exequutam; quod ei debebantur dilationes, cum procuratori generali de iure sit, † quod debeantur dilationes, c. dilectus de procurator. & Rota decis. 39. alias 31. de procurat. in nouis: tamen, his non obstantibus, die 15. Nouembris 1540. fuit resolutum contrarium; quia talis citatio est legitima, † & deuoluit causam ad curiā, vt sunt decisiones notae: & quia agebatur de Parochiali, & ille tenebatur per se, vel alium in parochiali residere; praesumitur, quod per Vicarium fuerit certioratus, & ideo quantumcunque procurator generalis postea cōparuerit; tamen praesumitur, quod de mādato domini, qui praesumitur habuisse notitiam citationis, cōparuisse: & quia dicebatur, quod notata in c. dilectus de procurat. hab. bant locum, quando fuisset citatus procurator in Curia, & ideo dicebant Domini, quod, quando quis est citatus in partibus, & legitime; numquam solet Rota concedere dilationes ad partes; secus autem, fuisset, si exequutio fuisset nulliter facta.

SVMMARIVM.

Generalis dispositio non comprehendit personam loquentis.

1 *Si Papa annullet omnes prouisiones factas de beneficijs, sine consensu Episcopi, an intelligatur annullare prouisiones factas in personam ipsius Episcopi.*

2 *Generalis sermo, quemadmodum non comprehendit personam loquentis, ita nec personam eius, ad quem verba diriguntur.*

DECISIO XLII.

EPiscopus Salamātinus habebat Breue à Clemente VII. in quo Papa annullabat omnes prouisiones factas de beneficijs existentibus in dioecesi Salamantina, sine expresso consensu Episcopi, & quia docebatur de quadam commenda, facta in personā Episcopi, tēpore, quo Episcopus erat inclusus in Arce S. Angeli cum Papa, Rota resoluerat, quod propter illam praesentiam praesumebatur, quod Episcopus porrexisset supplicationem, & ratam habuisset commendam, in eius personam factam. Hinc fuit dubitatum, an d. Breue Clementis annullasset dictam prouisionem in personam Episcopi 1 factam, † ex quo non constabat de expresso cōsensu Episcopi, sed tantum de illo praesumpto.

sumpto, Fuit tamen resolutum die 15. Nouembris 1540. coram D. Marsicano in vna Salamantina beneficii de Palatios Rubios, inter Ioannem Solano, & Petrum Martinez, quod Breue Clementis, non comprehenderet talem commendam. Et potissimum fundamentum fuit, quod, sicut nos
1 dicimus, quod generalis † sermo non comprehendit personam loquentis, l. inquisitio. C. de solut. ita non comprehendit personam eius, ad quem verba diriguntur. Dec. in l. 3. §. si procurator. col. fin. num. 20. ff. quod quisque iur. quando in persona, ad quam sermo dirigitur, diuersa est ratio: nam cum Breue emanasset in fauorem Episcopi, non erat ita intelligendum, vt in eius odium retorqueri deberet, sed potius debebat intelligi de commendis factis in personis aliorum. Et pro ista parte subiiciebam ego fundamentum; quia si Rota resoluerat antea, quod per præsentiã Episcopi in arce; & quia eramus in materia, quæ non solebat concedi, nisi cum magna importunitate; præsumptio erat, quod Episcopus porrexisset supplicationem, ex isto facto præsumpto insurgebat tunc expressus consensus.

SVMMARIVM.

Dicens, quod aliquis decessit sine filiis, eo quia non habuit, habet intentionem fundatam; secus, si diceret, quod habuit, sed quod mortui sunt; quia tunc, debet probare mortem.

DECISIO XLIII.

Rota tenuit in vna Valentina testamentaria pro D. Ludouico Boil contra Hieronymum Barenguet, xv. Nouembris 1540. quod si Ludouicus, qui dicebat, se vocatum ad quamdam administrationem, in defectũ, in quem filius primogenitus decessisset sine filiis, & descendentibus ab eo, diceret, quod filius primogenitus decessit sine filiis, & descendentibus, eo quia nullos habuit, quod probatam haberet intentionem: secus, si diceret, quod habuit filios, & descendentes, sed quod illi mortui sint, per not.* per DD. in l. ex facto. §. si quis autem. vbi Rip. ita inter cæteros facit istam distinctionem. ff. ad Treb. & Rip. in l. in illa num. 26. ff. de verb. oblig. & ad primum membrum distinctionis ita consuluit Ias. cons. 34. ad motiua. vol. 1. Cassan. cons. 19. nu. 12. Et vide vnam additionem, quam feci ad Soc. in l. qui duos, §. cum in bello, ff. de reb. dub.

*Vltra hic allegata vide in ista materia Alciatum in tract. de præsumpt. pag. 183. in 44. præsumpt. regula 1.

SVMMARIVM.

Appellatio, vt erronea, quo casu fuit admissa.

1 *Appellatio an valeat, si fuerit erratum in nomine illius, qui reportauit sententiam fauorabilem.*
2 *Demonstratio falsa, an vitiet appellationẽ.*

DECISIO XLIIII.

Appellauerat procurator cuiusdam Galerandi à sententia, lata in fauorem N. Salinas, super quodã canonicatu, & præbenda Gerundeñ, cum tamen esset lata in fauorem cuiusdam Michaelis. Fuit dubitatum, an talis appellatio valuisset, & fuit dictum, & resolutum, quod sic in vna Gerundeñ, coram D. Sarneñ, die xv. Nouembris 1540. quia expressio illius, in cuius
1 fauorem † sententia erat lata, non erat facienda; & ideo si in expressione erat erratum; illa expressio non nocebat ad text. in l. 1. §. libelli, & in l. 3. §. 1. ff. de appellat. & quia non erat, nisi vnica sententia, lata super canonicatu, & præbenda Gerundeñ, coram illo Auditore, & expressio illa N. Salinas respiciebat quamdam demonstrationẽ,
2 & falsa demonstratio † non vitiat appellationem. Bald in l. etiam. C. de fals. caus. adiect. & illã doctrinam Baldi vti singularem refert Præpos. in rub. de appellat. col. 2. post principium, vers. quinto adde prædictis singulariter dictum Baldi, in d. l. etiam.

SVMMARIVM.

Alternatiuis perpetuis per quæ verba censeatur derogatum.

1 *Concordatis per quæ verba derogetur.*
A quibus sint exceptuata.
2 *Ad cognoscendum mentem Papæ quid attendendum.*
3 *Papa quando tollit materias perpetuas, quid solat facere, & num. 5.*
4 *Collegijs per quæ verba non censeatur derogatum.*
6 *Cui fiat maius præiudicium, an habenti alternatiuam temporalem, an perpetuam.*
7 *Collationem vnius beneficij habens non grauatur.*
8 *Prouisio Papæ quibus præiudicet, & quibus non.*
9 *Ius temporale an facilius tollatur, quam perpetuum.*
10 *Qui paruum ius habet, si illud etiam sibi diminuatur, grauatur.*
11 *Concordatis quando censeatur derogatum, ex clausula. Quorum tenores.*

DE-

DECISIO XLV.

NIcolaus Quintus inter concordata in-
ter eum,& nationem Germanicã con
cesserat ipsi nationi, vt capitula in sex men
sibus possent cõferre beneficia vacantia, ac
si, reseruationes, expectatiuæ,mandata &c.
non emanassent, quoad beneficia, quæ ad
eorum collationem, prouisionem,&c. perti-
nebant. Leo Decimus extenderat huiusmo-
di concordata ad Ecclesiã Virdunensẽ, quę,
licet non esset in Germania, tamen suberat
Ecclesię Treuerensi, quæ in Germania erat,
& ideo extenderat ad dictam Ecclesiã in om
nibus; & per omnia,perinde ac si dicta Ec-
clesia in Germania fuisset. Nicolaus Vente
ius habuit mandatũ de prouidendo à Pau-
lo III. ad Tulleñ, & Virduneñ Ecclesias ad
duo beneficia, vnum videlicet in qualibet ex
Tulleñ,& Virduneñ Ecclesijs ad collationẽ,
prouisionem, &c. Episcoporum Tulleñ, &
Virduneñ,necnõ dilectorum filiorum,Capi-
tulorum,singulariorumq; canonicorum,&c.
ac quorumcunque collatorum, & collatri-
cum, &c. etiam in aliquo ex mẽsibus nobis,
vt præfertur, reseruatum, &c. aut ordina-
rijs collatoribus per constitutiones Aposto-
licas; seu litteras alternatiuarum, aut alia
priuilegia,&c. postea erant verba: Distri-
ctius inhibeñ Episcopis,Capitulis, collato-
ribus,& collatricibus prædictis,ne de vaca-
turis beneficijs huiusmodi, se intromittãt,
Et in clausula non obstañ dicebatur, Non
obstañ præmissis omnibus, & singulis, &c.
itaut referretur ad omnia præmissa, & sic
etiam ad alternatiuas. Et postea dicebatur,
Ac Tulleñ, & Virduneñ Ecclesiarũ prædicta
rum,& erat posita clausula; Quorum teno-
res,&c. Fuit dubitatum, An, stãte alterna-
tiua Capitulo Virdunen. concessa, Nico-
laus,Vẽteius vigore gratiæ sibi cõcessæ,pos-
set capere canonicatum, qui vacauerat de
mense Augusti, qui erat mensis Ordinarij,
Et pro parte negatiua dicebatur,quod,cum
essent communicata concordata Germaniæ
Ecclesiæ Virduneñ in omnibus & per om-
nia; & quia de concordatis, & alternatiuis
perpetuis;capitulo concessis, non fiebat mẽ-
tio in gratia Nicolai; non videbatur, quod
illis esset derogatũ;quia concordatis * non
1 solet † per verba generalia derogari,& sem

* Quod concordatis nõ possit derogari per Papam vide Petr. Rebuff i Tractat. de Collatiõ. pag. 3. versic. Insuper quaero an altera pars,&c.

per censentur exceptuata ab omnibus reuo
cationibus,& derogationibus,vtpote habẽ-
tibus vim cõtractus,iuxta tex. in c. ex multi
plici de decim.& not. in Clẽ. 2. in verbo pa-
cta,de sepult. Pet. de Anchar. cons. 19. col. 2,
2 Et quia ad cognoscendam mentem † Papæ
attenditur communis stylus, & cursus cau-
sarũ, iuxta Lap. alleg. 80. Felin. in c. super
litteris, col. 8. versic. prima regula de re-
script. & de stylo est, vt, cum Papa intendit
tollere materias perpetuas, de eis consue-
3 uit † facere specialem mentionem, vt patet
in omnibus regulis reuocatorijs vnionũ,
& aliarum materiarum. Item,quia commu-
nicatio concordatorum erat data collegio,
& de alternatiuis,collegio concessis,non fit
mentio in gratia Nicolai, & per generalia
4 non derogatur † collegijs ex not. per Rom.
cons. 436. 498. Item dicebatur, quod clausu
la, Quorum tenores, in fine posita, refere-
batur ad expressa; quia cum esset posita in
parte exequutiua, non poterat augere gra-
tiam, vt est text. in Clem. 1. de præben. Cõ-
trarium tamen fuit decisum die 15. Nouem
bris 1540. me proponente, & dicebatur ex
narratis in themate, quod satis apparebat,
5 immo † expresse, quod Papa intẽdebat de-
rogare alternatiuis, Capitulo concessis. Ex
quo dabat gratiam ad collationem capitu-
li, & in mensibus ordinarijs etiam vigore
alternatiuarum competen. Item,quia inhi-
bebat capitulis, & alijs ordinarijs, &c. vt
supra dixi. Et ideo dicebatur, quod Papa
expresse derogabat materijs perpetuis, etsi
illa verba, Per litteras alternatiuarum, in-
telligebantur de alternatiuis temporalibus;
à fortiori debebant intelligi de alternatiuis
perpetuis; quoniam hic agebatur de suspen
sione, non autem de totali abrogatione al-
6 ternatiuarum: & vbi sumus in actu † suspẽ-
siuo, maius præiudicium fit habẽti gratiam
alternatiuam temporalem,quam habenti al
ternatiuam perpetuam, cũ possit esse,quod,
si suspenditur temporalis gratia, illa possit
reddi inutilis, & inefficax, vt quia possit suc
cedere mors Episcopi, habentis alternati-
uam; quæ ratio non habet locum in alter-
natiua perpetua, quoniam, si non opera-
tur in illo beneficio,quod D. Nicolaus acce-
ptare proponebat, virtute suæ gratiæ, non
tamen potest euenire casus,quod alternati-
ua amplius non operetur; ergo facilius de-
bet suspendi perpetua alternatiua, quam tẽ
poralis;quia temporalis, propter suspensio-
nem, potest in totum reddi inutilis,nõ per-
petua. Pro quo in simili adducebatur; nam
7 habens vnicum † beneficium, non grauatur,
quia facultas cõferendi in totum deficeret,
& potius gratia redditur inefficax, quam
grauetur ille,qui si grauaretur, facultas sua
ex toto deficeret, vt dixit Rota in nou. de-
cis. 216. alias 13. de prębend. Facit text. in
Clem. 1. de senten. excommunic. ibi, vnico
lumine. Gemin. cons. 35. Itẽ videmus, quod
8 Papæ prouisio † pręiudicat expectantibus,
quia si nõ capiunt illud, de quo Papa dispo-
suit; capiunt aliud, sed non præiudicat ele-
ctis, seu præsentatis; quia eorum ius in to-
tum perit, vt Rota 244. alias 17. ad fin.
de præbend. in nou. & 622. in antiq. Felin.
in c. in nostra, corollar. 28. de rescript. Dec.
cons. 147. col. 2. Et propterea, licet regula,
quæ reuocat gratiam ad vacatura, nõ reuo-

cet gratiam perpetuam: tamen non sequitur, quod, si Papa vult remouere impedimentum alternatiuæ, quoad vnum beneficium, quod non censeatur velle tollere pro illa vice impedimentum gratiæ perpetuæ, prout temporalis; quoniam isto casu minus grauatur habens ius perpetuum, quam ius temporale. Nec dicatur, quod facilius tollitur ius † temporale, quam perpetuum, per not. per Paul. de Castr. in l. sequitur, §. si viam, ff. de Vsucap. per Abbat. in c. fin. col. 3. de præsumpt. & ibi Felin. colum. 2. quia dicitur, quod, quando agitur de totali derogatione iuris, tunc verum est dicere, facilius derogari in totum iuri temporali, quam perpetuo; quia minus deperit habenti ius temporale, quam habẽti ius perpetuum: sed, quando quæritur per suspensionem in vno actu, cui magis præiudicetur, habenti ius temporale, vel perpetuũ, vt est casus noster; & certum est per ea, quæ supradicta sunt, ꝙ habenti ius tẽporale; nã 10 qui paruum habet, † si illud etiam sibi diminuitur, admodum grauatur, glos. in l. illicitas, §. ne tenuis. in verbo lumine, ff. de offic. præsid. Sed non sic grauatur, qui habet multa bona, si aliquid sibi detrahitur, gloss. in l. sed & si susceperit, ff. de indic. Philipp. Franc. in c. de appellationibus, de appell. Non obstat etiam, dum dicebatur, quod Concordatis non derogatur, nisi per verba specialia, non autem generalia, cum concordata sint concessa per viam contractus, quo casu, per verba generalia contractus, non tolluntur, & cum concordata sint communicata Ecclesiæ Virdunensi; ergo non censentur sublata per verba generalia; quia respondebatur, quod concordata ex sui dispositione, non erant concessa Eccle-11 siæ Verdunensi, sed per viam † extensionis: & non est mirum, si veniunt sub illis derogationibus cum clausula, Quorum tenores.

1 *An defectus prouenient ex Regula de Annali, sanetur per gratiam si neutri.*
2 *Gratia si neutri duplicem conditionẽ habet.*
3 *Gratia si neutri an dicatur noua gratia.*

DECISIO XLVI.

Ioannes Baptista de Grimaldis resignauerat in fauorem Francisci de Mẽdoza, reseruata tamen pensione quinquaginta ducatorum, in fauorem Antonij nepotis dicti Ioannis Baptistæ: & quia tempore resignationis erat intrusus annalis in dicto beneficio Ioannes de Morillos: & non erat facta aliqua mentio de possessione dicti Ioannis, ita ut non esset satisfactum regulæ de annali, nec quoad primam, nec quoad secundã partem; fuit dictum, quod, ex quo impetratio, seu resignatio erat nulla, quod ius remanserat penes Ioannem Baptistam: quo stante, quia Franciscus postea narrando resignationem, & nullitatem sententiarum, quas reportauerat ex defectu, quia non satisfecerat regulæ de annali, obtinuerat gratiam si neutri; vt constito, quod etiam Ioãni de Morillos nullum ius competeret, quod Auditor conferret illud ius Francisco, & sic dicta gratia si neutri, fuit per duas instantias canonizata, primo per D. Io. Paulum, & secundo per D. Mohedanum, in tertia instantia coram me. Dubitaui ego, præsupposito, quod ius remanserit penes Ioannem Baptistam resignantẽ, an defectus proueniens ex regula de annali, sanetur per gra1 tiam si neutri, † superuenientem, ita vt dicta gratia in fauorem Francisci canonizari potuerit. Et die 19. Nouembris 1540. in causa Concheñ beneficij Sancti Michaelis, inter Franciscum de Mendoza, & Ioannẽ de Morillos, fuit resolutum, quod dicta gratia canonizari non potuerit. Fundamentum, quia 2 gratia † si neutri, habet duplicem conditionem, * si beneficium vacet, vt per Gemin. cons. 79. sub num. 7. & si neutri ius competat. Sed cum non fuisset satisfactum primæ parti regulę de annali, resignatio erat pro non facta; & sic ius non erat abdicatum à Ioanne Baptista; quia cessio nõ erat admissa. Si ergo illud ius erat in persona Io. Baptistę, non potuit, tanquam vacans, conferri Francisco. Et quia in gratia si neutri, nullum verbum fiebat de admissione cessionis, nec Papa id intendebat; propterea cum primus consensus Ioannis Baptistæ esset limitatus, & correspectiuus ad pensionem quinquaginta ducatorũ, & gratia si neutri, dica3 tur noua gratia † secundum Roman. consil. 362. num. 4. & in ea nulla fiat mentio de dicta pensione; sequitur, quod ille consensus Ioannis Baptistæ, pręstitus in prima resignatione, non debeat extendi ad istam gratiã, & non videatur in isto casu perdurare.

* Gratia si neutri, quas conditiones habeat.

SVMMARIVM.

Regula Clementis reuocatoria facultatum resignandi, & permutandi conclauistis, quomodo intellecta.

DECISIO XLVII.

In vna Carthagineñ beneficiorum, coram D. Hieronymo inter Alphonsum Diaz ex vna, & Ioannẽ Transiluans, & Ioãnem Amor, die 19. Nouemb. 1540. fuit per omnes Dominos resolutũ, quod regula Clementis, reuocatoria facultatum resignandi, & permutandi Conclauistis, &cæt. haberet locum non solum in Conclauistis, & eorum loco subrogatis; sed etiã in alijs quibuscũq; ex quo in tribus partibus illius regulæ fit mentio

mentio de alijs quibuscunque, non obstante, quod in illis verbis, omniaq; & singula, &c. tantum fieret mentio de Coclauiltis, & eorum loco subrogatis, tamquam quod potius per errorem fuerit omissum de alijs.

SVMMARIVM.

Gratia reuocata præbet coloratum titulum.

1 *Expectatiua reuocata an tribuat titulum coloratum.*
2 *Resignatio facta vigore facultatis resignandi in manibus priuatæ personæ, etiã quod sit reuocata à Papa, an tribuat titulum coloratum, & nu. 5.*
3 *Decretum omne irritans, an sit illius potentia, vt inficiat titulum, & possessionem. Quid in decreto apposito super incerto corpore beneficij.*
4 *Quid in decreto apposito in regula reseruatoria octo mensium.*
Cassad. decis. 1. de rest. spol. declaratur.
Regula reuocatoria expectatiuarum, an differat à regula reuocatoria facultatum quoad decretum.
5 *Expectatiuæ an habeant fomentum à iure communi.*
Regula reuocatoria expectatiuarum odiosa.
6 *Clausula sublata: quid operetur.*
7 *Decretum irritans statim quod apponitur, an intelligatur annullare inde sequuta.*

DECISIO XLVIII.

ET eodem die coram eodem D. Hieronymo inter eosdem fuit resolutum per maiorem partem, videlicet, Io. Paulum, Rainaldum Petruccium, Aqueñ, Macerateñ, Marsicanum, Marescotum, tribus contradicentibus, scilicet, Puteo, Thoma de Thanis, & Sarneñ, quod sicut expectatiua
1 † reuocata * tribuit coloratũ titulum, dato quod in regula reuocatoria expectatiuarum ponatur decretum irritans videlicet, ac quidquid prætextu gratiarum, reseruationum, & mandatorum contigerit attentari, irritum, & inane decre-
2 uit. ita etiam resignatio facta † vigore facultatis resignandi, & permutandi in manibus priuatæ personæ, videlicet vnius canonici, dato quod illa facultas esset per dictam Regulã Clementis annnullata, & reuocata; præberet coloratum titulum. Fundamentum istorum
3 fuit; quia nõ omne † decretum est illius potentiæ, vt inficiat titulum, & possessionem; sed tantum decretum, quod est appositum super certo corpore beneficij, non autem, quando est appositum super incerto corpore, pro vt voluit Rota decis. 15. alias 4. de restit. spol. in nouis, & Socin. in l. rem, quæ nobis, in 9. quæst. ff. de acquir. possess. Item, quia istud decretum non est ita notorium, licet regula sit publicata in Cancellaria, pro vt considerauit Cassador. decis. 1. de restit. spol. Fundamenta autem nostra erant contra istos sex, * quia nos videmus, quod regula reserua-
4 toria octo mensium, † habet decretum, & non est appositum super certo corpore; & nihilominus Cassador. in d. decis. 1. de restit. spol. dicit, quod inficit; ita vt non detur restitutio. Respondebant Domini sex; quod licet Cassador. dixerit, quod maior pars tenuerit; tamen quod ipse tenuit contrarium vna cum alijs, & quod illa decisio non transit sine magna difficultate, pro vt ponit ipse Cassador. In decreto, quod apponitur in expectatiua, pro vt ibi per eum. Secundo dicebamus nos, quod erat magna differentia inter regulam reuocatoriam expectatiuarum, & regulam reuocatoriam facultatum; nam regula reuo-
5 catoria expectatiuarum est odiosa, † cum expectatiuæ habeant fomentum à iure, pro vt dicit Io. And. in c. si pauper clericus. de præben. in 6. Et ideo cum eius reuocatio sit odiosa, nimirum, si fuit per illos nostros Patres restricta: sed reuocatio facultatum resignandi erat fauorabilis: patet, quia erat inuenta ad tollendas fraudes, & abusus, pro vt dicit ipsa regula, nimirum, si decretum in ea appositum debebat magis operari. Præterea ego considerabam, quod in regula reuocatoria facultatum vltra decretum irritans, erant apposita illa verba, Nec de cetero, aduersus irritationem, annullationem aliquatenus alicui suffragetur. Cum ergo illa dictio sit vniuersalis, non poterit suffragari ad titulum coloratum; quia sic iã aliquatenus suffragaretur. Item, quia erat clausula sublata iudicibus aliter interpre-
6 tandi, † quæ clausula operatur, vt iudices aliter non possent iudicare, vt voluit Cardinalis in c. quia diligentia in 3. opposit. seu quæst. de elect. & Gundisaluus olim Auditor in tractat. de legat. in 7. quæst. col. 5. aut 6. in regula autem reuocatoria expectatiuarum, non erat illa clausula. Sed respondebant alij sex, quod illa verba sublata, &c. intelligebantur in petitorio: nam per hoc, quod fieret restitutio in odium spoliatis, non aliter iudicabatur, quam disponeretur in regula. Præterea pro parte nostra considerabatur, quod regula renocatoria facultatum habebat decretum, annullans omnia inde sequuta; sed decretum in regula reuocatoria expectatiuarum erat decre-

* Gratia reuocata præbet coloratũ titulũ facit, quod dicit Cass. dec. 1. pag. 5. cir. med. ver. sed si quãdo notorie, &c. vbi dicit, quod in beneficialibus, dato, quod cõstet de non iure, nihilominus datur restitutio, & pag. 4 in fin. vbi idẽ dicit, & plus quod titulus coloratus dicitur, licet sic alias nullus de restit. spoliat.

* Item pro ista parte erium contra sex, videlicet, quod non daret titulum coloratum, dicebatur, quod titulus coloratus dicitur datus ab eo, qui habet auctoritatem concedendi, vel in quo irritatio non est inducta ipso facto ab homine, vel a iure, ad notat. per Abb. in c. litteras, in vltim. notab. & in c. cum nostris, ad fin. de cõcess. preb. Lap. allegat. 10. & 116. & per Felin. in c. in nostra. in 2. & 36. corollar. de rescript.

tum simplex, non reuocans, inde sequuta. Sed respondetur, quod statim quod apponitur
7 decretum † irritans, intelligitur annullare inde sequuta, per text. in cap. si eo tempore de elect. in 6.

SVMMARIVM.

Verba illa, Volumus, quod infra sex menses, nouam prouisionem, & iura Cameræ soluere tenearis, &cæt. quomodo intellecta.

DECISIO XLIX.

FVit in vna Toletana coram D. Maceraten. resolutũ, eadem die 19. Nouembris 1540. inter Rodericum de la Camera, & Franciscum Ortiz, quod illa verba, Volumus autem, vt infra sex menses nouam prouisionem, & iura Cameræ soluere tenearis, alias, ipsis elapsis, beneficium eo ipso vacare censeatur; quæ apponuntur in fine omnium mandatorum, non dicunt diligentias necessarias, quoad acquisitionem iuris; sed tantum fuit inuenta, ne Camera, & Officiales fraudarentur expeditione litterarum: sed diligentiæ, quoad acquisitionem iuris, tantum considerentur in illis verbis, Inter quos, & te, locus sit præuentioni in diligentijs. Et pro ista parte fuit considerata regula de pluribus expectantibus, quæ vult, quod, si vnus expectans acceptauerit, & nõ fecerit vlteriores diligentias, quod secundus acceptans, qui fecit alias diligentias, præualeat, & quod prima acceptatio habeatur pro non facta, nec beneficium ex persona eius vacare censeatur; cuius contrarium hic dicitur. Item, quod si noua prouisio, & solutio iurium Cameræ diceretur diligentias; sequeretur, quod si vnus primo acceptasset, & non fecisset alias diligentias; secundus vero acceptasset, & expediret nouam prouisionem, & solueret iura Cameræ, quod esset præferendus.

SVMMARIVM.

Regula Pauli Tertij reuocatoria vnionum quomodo intellecta.

1 *Vnio quæ non fuit sortita effectum, intelligitur reuocata per regulam vnionum, ampla, vt ibi.*
2 *In generali reuocatione, non venit id, quod fit per viam contractus.*
3 *In materia beneficiali non cadit contractus inter Principem, & subditum.*

DECISIO L.

FVit conclusum in vna Abulen. portionis coram D. Petro Vorstio in tertia instantia pro Francisco de Hurones, contra Didacum del Castillo, die 19. Nouembris 1540. quod Regula Pauli III. reuocatoria vnionũ suppressionum, &cæt. reuocabat suppressionem sex portionum, non obstante, quod in
1 suppressione Leonis, quæ non fuerat † sortita effectum, diceretur, videlicet, legitime contractus inter nos, & sedem eamdem ex vna, & vos de Ecclesia vestra ex altera, partibus, sollemni stipulatione prædictis celebrati vinculo. Ita esse fatemur astrictos, vt ab eo nobis, & successoribus nostris nulla ex causa liceat resilire, &cæt. nam, licet sub generali reuocatione non veniat reuocatio
2 eius, † quod fuit factum per viam contractus, per not. in cap. 1. de pact. tamen illud esset verum, vbi interuenisset verus contractus inter Papam, & illam Ecclesiam, sed hic non interuenit, licet Papa fateatur, & velit se teneri, & stricte, ac si contractus interuenisset, vnde est potius facta illa confessio ad validitatem actus, & faciendum eum irreuocabilem potius, quam, quod vere contractus interuenerit: & Princeps non potest sibi legem dicere, à qua non licuisset recedere: & hoc importabant verba generalia regulæ Pauli; maxime nullus diceret,
3 quod in ista materia beneficiali † caderet contractus inter Principem, & subditum, cum ista expediantur per viam gratiæ: & licet interueniat compositio, tamen semper dicitur gratia, iuxta dictum Bald. in l. qui se patris circa finem, C. vnd. liber.

SVMMARIVM.

Inhibitio extra curiam quo casu denegata.

DECISIO LI.

IN vna Vlixbonen. in qua erant datæ tres sententiæ & decretæ exequutoriales, & erat commissa causa nullitatis super decreto exequutorialium, quia prætendebatur, exequutoriales nulliter decretas; cum instaretur pro inhibitione, vigore commissionis voluerunt Domini ad tollendam omnem suspitionem fraudis, die 19. Nouembris 1540. quod tãtum inhiberem in Curia, & non darem inhibitionem extra Curiam. Causa erat intitulata Vlixbonen. beneficij de Porros inter Ioannem Vaaz ex vna, & Petrum Ludouici ex alia.

SVM-

SVMMARIVM.

Promissio de stando vnicæ sententiæ ad effectum habendæ remissoriæ quo modo intellecta.

1 *Clement. vnic. de sequestr. poss. intelligitur de prima sententia lata contra possessorem, non si prima fuisset lata pro possessore.*

DECISIO LII.

DVbitaui ego in vna Montisregalis inter Vincentium Fanzonum ex vna, & Michaelem de Taro ex alia, an promissio de stando vnicæ sententiæ ferendæ, facta per Michaelem ad effectum remissoriæ habendæ, intelligatur, si, vigore nouæ remissoriæ, reuocantur duæ sententiæ, latæ in fauorem Michaelis promittentis; quas obtinuerat vigore remissoriæ sibi decretæ, pro qua obligauerat se de stando vnicæ sententiæ. Et pro parte Vincentij contra Michaelem dicebatur, quod ipse promiserat stare vnicæ sententiæ, quandocumq. & in quacumque instantia ferretur. Certum erat, quod erat lata vna sententia; ergo debebat stare suæ promissioni. Item, quia in beneficialibus non datur remissoria, nisi in tertia instãtia, &, si in tertia instantia accepisset Michael remissoriam, itidem Vincentius fecisset, & probasset contra remissoriam Michaelis, & sic tantum super illa remissoria per vnam instantiam fuisset litigatum: ergo idem debebat dici in casu isto. Tamen Domini pro maiori parte, quia ex nouem tantum discreparunt, si bene recordor, duo: tenuerunt, quod dicta promissio intelligeretur de prima sententia; & ad hoc allegata fuit Clemen. 1. de sequest. possess. & fructu. vbi vna sententia lata contra possessorem, beneficium sequestratur; & tamen illud intelligi-
1 tur, quando prima † sententia fuit lata contra possessorem; secus vero, si prima sententia fertur pro possessore, & secunda contra possessorem; quia tunc non debet fieri sequestrum, vt ibi declarat Cardin. in 4. q. Item, quia illa promissio de stando vnicæ sententiæ, ad effectum habendi remissoriam, intelligitur, si illam sententiam contra se habuerit ex illa causa, puta si intentionem suam ex illa remissoria non probaret, non autem intelligitur, si ex alia causa sententiã contrariam reportaret. Et facit, quod promissio de stando vnicæ sententiæ, videtur, quod intelligitur de prima, argum. text. in l. Bones. §. hoc sermone, de verb. sign. Et ita resolutum fuit coram me die 24. Nouembris 1540.

SVMMARIVM.

§. Sed & præsenti in Authen. de Sanctiss. Episc. & Authen. nisi rogati. C. ad Trebell. quomodo intelligantur.

1 *Conditio si sine liberis decesserit, iniuncta filio Episcopo, an, & quando habeatur pro non scripta.*

2 *Conditio prædicta quid operetur, substituto vno ex filijs testatoris.*

3 *Monasterium quando non habeatur loco filij in substitutionibus.*

4 *In substitutione reciproca facta pluribus si sine liberis, an comprehendatur Episcopus.*

DECISIO LIII.

IN vna Romana fideicommissi pro Bernardo de Bubalis cõtra Societatem sancti Ambrosij coram Elect. Britonorien. in qua Franciscus de Bubalis pater, institutis quatuor filijs, inter quos erat quidam vocatus Io. Baptista, & alius Bernardinus, & eos inuicem substituerat in euentum, in quem aliquis eorum decederet sine liberis, de legitimo matrimonio natis, quia volebat bona manere in familia; accidit, quod ex quatuor, prædefunctis duobus, decessit postea Io. Baptista, qui tempore obitus sui erat Episcopus, & qui in vita alienauerat quamdam aream. Post mortem eius, tamquam vocatus ex fideicommisso, Bernardinus petebat illam aream à societate, in quã erat alienata: dicebat societas, quod ex quo Io. Baptista decesserat Episcopus, quod illa
1 conditio, † si sine liberis ex matrimonio &c. habebatur pro non scripta, per tex. in §. sed & præsenti in Authen. de sanctiss. Episc. & in Authen. nisi rogati. C. ad Trebell. Tamen, hoc non obstante, contrarium fuit cõclusum; quia §. sed hoc præsenti, tunc habet locum, quando Io. Baptista effectus Episcopus, dispofuisset de re illa in fauorem piæ causæ; sed hic non dispofuerat, pro vt vult expresse Pau. de Cast. in Authen. nisi rogati. C. ad Trebell. & Dec. conf. 259. col. pen. seu
2 fin. Item, quia erat substitutus † vnus de filijs testatoris; quia tali casu monasterium non habetur loco filij, nec conditio tunc habetur pro non scripta, pro vt ita dicit Ias. qui in hoc dicit non reperisse contradictorẽ in conf. 212. vol. 2. Dicebatur etiam per aliquos ex Dominis, tamen hoc non fuit firmatum, quod per illa verba; quia volebat
3 bona manere † in familia, quod satis dicebatur constare de voluntate patris, vt monasterium excluderetur per ea, quæ dicit Dec. in dicto conf. 259. in princ. fuit facta resolutio die 24. Nouembris 1540. Dicebatur tamen in præcedenti casu, quod si tem-

pore, quo testator fecit testamentum, Ioannes Baptista fuisset Episcopus, quod tūc sub
4 illa substitutione † reciproca, non fuisset ipse comprehensus per not. Paul. de Castr. in l. 1. §. lex falcidia, ff. ad l. falcid. Dec. in consil. 300. col. 4. in 7. quæst. Sed quia Episcopatus non probabatur illo tempore, causa fuit resoluta, vt supra.

SVMMARIVM.

An post tres conformes quis sit admittendus ad beneficium c. Odoardus siue Peruenit.

1 *Appellationis remedium quo iure introductum.*
2 *Ex appellatione appellans non debet mereri pœnam.*
4 *Miles armata militia non conuenitur, nisi in quantum facere potest.*
5 *Condemnatus an dicatur quis per sententiam suspensam per appellationem.*
6 *Dolosus an amittat beneficium, ne conueniatur, nisi in quantum facere potest.*
7 *Cum doloso in quo dispensetur.*
8 *Spoliator quando audiatur in petitorio.*
9 *Spoliator Clericus quando euitet pœnam excommunicationis.*
10 *Difficultas an excuset à pœna excommunicationis.*

DECISIO LIV.

Fuit dubitatum in vna Arboren. coram D. Marco Antonio die 24. Nouembris 1540. inter Hieronymum Zapata ex vna, & Petrum Vilaselares ex alia; an post tres conformes quis sit admittendus ad beneficium c. Odoardus siue Peruenit, & quinque ex Dominis, videlicet Domini Vrallus, Io. Paulus, Rainaldus, Gomesius, & Petrus Vortius distinguebant, quod aut quis habuit iustam causam litigādi, & tunc esset admittendus, aut non habuit, & tunc non esset admittendus, sequentes doctrinam Bald. in l. 1. C. qui bon. ced. poss. & quia, quando non habet iustam causam litigandi, videtur esse in dolo, litigando per tres conformes. Ego vero fui in contrario voto, & in meam sententiam venerunt Domini, Thomas de Tanis, Maceraten. & Marsicanus, & sic fuimus quatuor. Fundamentum meum fuit; quia, licet Bald. in dicta l. 1. loquatur cum distinctione; tamen Salicet. ibi tenet contrarium indistincte, cuius opinionem contra Ang. Aret. defendit Dec. in l. nemo ex ijs. col. fin. ff. de reg. iur. & Afflict. decis. Regni 379. & licet isti loquantur in vna sentētia, dicebam, quod idem erat dicendum, quādo quis litigauit per tres sententias; quoniam remediū
1 appellationis † introductum est de iure, nec ego teneor stare sententiæ vnicæ alicuius iudicis. Cum ergo illud remedium appellandi
2 sit iuridicum, non † debet aliquam pœnam mereri, & ex hoc quod quis facit, lege permittente, puniri non debet. vulgat. l. Gracchus, C. ad l. Iul. de adult. Bene autem dicebam, quod propter illam temeritatem litigandi post primam sententiam, litigans, per
3 tres sententias condemnabatur † in expensis, & quoad illas non poterat vti remedio c. Odoardus siue Peruenit, & isto casu, si non habebat in ære, debebat luere in corpore, prout dicit Abb. in c. finem litibus. in vltimo nota. de dol. & contum. quem sequebantur Dec. in l. si quis id quod in 4. col. & ibi Claud. in 9. col. ff. de iurisd. omn. iudic. & Præposit. in c. reprehensibilis in fine commen. de appellat. & sic quoad principale dubiū, dicebam, quod, litigando per tres sentētias, ex quo, iure permittente, id faciebat, dicebam, quod non amittebat beneficium, ne conueniretur, nisi in quantum facere poterat, sed quoad expensas, in quibus condemnabatur, ratione iniustæ, & temerariæ vexationis, in illis ammittebat priuilegium. Dicebam etiā, quod pro ista parte erat tex. in l. miles. in princ. iuncta gloss. ff. de re iu-
4 dic. Nam miles † armatæ militiæ condemnatus non conuenitur, nisi inquantum facere potest. Ponderabam dictionem, condemnatus, quæ de necessitate intelligi debebat per tres sententias: nam cum prima senten-
5 tia per appellationem † suspendatur, non potest dici aliquis condemnatus per text. in l. 4. §. condemnatus, ff. de re iudic. Et quia ille textus respicit exequutionē, dum dicit, quod non tenetur, nisi inquantum facere potest, ergo de necessitate debet intelligi post tres sententias: & tamen secundum gloss. ibi communiter approbatam, ille text. extenditur ad militem cęlestis militię; ergo ibi est casus. Tandem, quia tres sententiæ erant latæ super spolio, Domini dixerunt, quod non erat amplius insistendum, an post tres deberet admitti, quia, ex quo spoliando ille fuerat in dolo, dicebatur, quod nō debebat ad-
6 mitti; † quia dolosus amittit beneficiū, ne conueniatur, &c. vt per Bal. in c. quæ in Ecclesiarum, colum. 3. vers. accipio secundam gloss. &c. de constit. & in c. ex parte de consuet. in c. Sedes Apostolica. de rescript. refert, & sequitur Crot. in repet. §. Diui. l. filiusfam. nu. 72. ff. de legat. 1. decis. 83. alias 22. de restit. spol. in antiq. & Capp. Tolos. decis. 466. non obstat text. & ibi glos. in c. studeat 50. distinct. vbi in delinquente, &
7 sic doloso † dispensatur in beneficio, licet non in officio, quia illud est in præiudicium superioris: sed in præiudicium tertij nihil ibi dicitur: non obstat text. in c. olim 3. de

restit,

restit. spoliat. quia ibi spoliator nil habebat in bonis, & constabat, quod fuerat spoliatus suis bonis; ideo expectatur, vt restituatur, vt possit satisfacere: tamen, isto casu, dicerem, 9 quod ad hoc † vt spoliator, volens audiri in petitorio, non audiretur, nisi integraliter satisfaceret, vt dicit d. decis. 83. superius allegata. Item diceremus, quod, licet Clericus spoliator non haberet illam congruam portionem pro sui sustentatione, pro quo facit §. quod si delinquentes in authent. de mandat. Prin. tamen, si constaret, quod ipse nō posset satisfacere, dicerem, quod saltem euitaret pœnam excommunicationis, per id, quod dicit Paul. de Castr. in l. si reus paratus. in princip. ff. de procurat. vbi vult, quod difficul-

10 tas † excuset à pœna excōmunicationis: quoad euitationem * carceris, non auderem firmare, per id, quod dixi superius tenere Abbat. in c. finem litibus in vltimo notab.

* Quoad euitationē carceris fuit dictum in vna Calaguritana Heremitorij, coram D. Aquen. die 22. Octobris 1545. quod Clericus etiam quod teneretur ex delicto, nihilominus, quoad euitandum carcerem, admitteretur ad cessionem bonorum, per ea, quæ dicit Abb. in c. Odoardus, col. 2. versic. opponitur contra tex. & cæt. de solution. & ita in hanc partem Domini inclinauerunt, quia non fuit nisi semel informatum: vbi dixi supra Calaguritana, erat intitulata Papien. parochialis.

SVMMARIVM.

Iuspatronatus in potente præsumitur ex vsurpatione quæsitum.

1 *Iuspatronatus parochianorum in dubio præsumitur ex vsurpatione.*

2 *Idem in Magnate declara decis. seq. numero 6.*

DECISIO LV.

FVit * resolutū in vna Oseen. Parochialis S. Vincentij, die 24. Nouembris 1540. coram D. Sarnen, quod, sicut dicimus per dictum Antonij de But. in c. cum dilectus, de offic. ordin. quod iuspatronatus paro-
1 chianorum † in dubio præsumitur acquisitum per vsurpationem; ita idem diceremus in iurepatronatus
2 alicuius † Magnatis, prout tunc disputabatur de iurepatronatus Infantis Hispaniæ, & dicebat D. Marsicanus, quod ista fuerat quædam nota D. Simonetæ, qui nullam doctrinā allegabat; sed D. Marsicanus dicebat, quod ratio est, quod in istis Magnatibus, præsumitur, quod Ordinarius non audeat contradicere, quod secus est in alijs priuatis, vt per Dec. cons. 146. col. 1.

* Vide ad materiam, quod est decisum infra decis. 199. & Andr. Sicul. in d. c. cum dilectus, col. 4. versic. limita iā, &c. Idem fuit dictum in vna Elnē. Prioratus de Cornilliano, die 23. Nouēb. 1543. corā D. Mohedano, vbi tractabatur de quasi possessione præsentandi per vnicum actū præsentationis factæ per Imperatorem de d. Prioratu, vt Comitē Rossilionis, quod ex quo, vt Imperator, seu Comes, erat potens, quod Patronatus præsumeretur ex vsurpatione: & ideo prouisio Apostolica anterior, quæ habebat derogationem, quatenus iuspatronatus non esset ex fundatione, etiam si ad Comitem, seu Ducem, &c. in totum esset præferenda præsentationi posteriori factæ per ipsum Imperatorem. Nec obstat, quod Imperator vna vice præsentasset, & illa præsentatio esset sortita effectum: & probabatur, quod erant viginti anni ante præsentationem, quod erat publica vox & fama, quod dictum beneficium erat de iurepatronatus ex dotatione, & fundatione: & ideo, dato patronatu, & sic beneficio in statu seruitutis, quod beneficiū præsumebatur ex dotatione, & fundatione, iuxta decis. Cassador. 4. de probat. & 7. de iur. patronat. quia fuit responsum, quod illa fama publica 20. annorum erat recens, & erat sufficiens ad causandam bonam fidē iux. not. per Abbat. in c. si diligenti, col. 4. de præscript. & Bart. in l. Celsus, ff. de Vsucap. & ideo propter istam bonam fidem ex vnico actu, erat quæsita quasi possessio præsentandi; sed illa fama, non erat potens, cum esset de recenti ad probandam dotationem, & fundationem; quia fama de recenti non plene probat, sed tantum semiplene. Non obstant decis. Cassador. 4. de probat. & 7. de iurepatronat. quia loquuntur, dato patronatu, prout erat in casu eius, vbi ex confessione probabatur; at hic, non constabat de patronatu; sed de quasi possessione: & aliud est in istis possessorium, aliud petitorium, vt dicit Cassador. decis. 1. de probat. Item & secundo dicebatur, quod Cassador. quando esset intelligendus, vt dato patronatu, idest dato beneficio in statu seruitutis, vt præsumeretur ex dotatione, & fundatione, procederet, vbi essemus in personis priuatis, secus, vbi eramus in potente, ex qua ex interpretatione Rotæ, præsumebatur illa quasi possessio ex vsurpatione, & non ex fundatione.

1 *Potenti an sit concedenda remissoria ad probandum immemorabilem pro iurepatronatu.*

Existens in quasi possessione præsentandi, si probet immemorabilem, potest allegare quemcunque titulum.

2 *Iuspatronatus an in antiquis probetur per famam, & num. 3. & 4.*

DECISIO LVI.

ET * in eadē fuit dictum die 21. Nouembris 1545. in qua petebatur remissoria pro parte Imperatoris ad probādum iuspatronatus, quod si volebat probare immemorabilem eo modo, quo poterat, quod
1 daretur; quia † probata immemorabili, poterat allegare quem titulum volebat, & sic illa probatio tolleret præsumptionem vsurpationis, prout fuit dictum, quod alias ad probandā immemorabilem fuerat concessa cuidam seruitori D. Ioannis Pauli, vbi tractabatur de patronatu cuiusdam Communitatis. Si autem volebat remissoriam ad probandam
2 famam, dicendo, quod fama † in antiquis probat iuspatronatus, vt sentit Bald. in authen. quas actiones. in fine, C. de Sacrosanct. Eccles. & Cassador. decis. 2. de probat. Fuit dictum, quod fama sola etiam, quod essemus in antiquis non probaret,
3 stante præsumptione † vsurpationis in contrarium, & possessione longissima, quia cōstabat per quatuor prouisiones, quæ durauerant spatio centum viginti annorum, quod Papa semper sine derogatione, nec mentione iurispatronatus prouiderat. Item Rota tenet, quod sola fama
4 in antiquis non probat iuspatronatus, nisi quando adest lōgissima possessio

* Quia in causa Oseen. S. Vincentij fuit negata remissoria Infanti, ad probandam immemorabilem, ex ea quia dicebatur, quod ex quo Rota tenebat, quod in Magnate præsumebatur, ex vsurpatione: & ideo stante dicta præsūptione ab initio, illa immemorabilis semper diceretur continuata cum illa vsurpatione: & ideo tunc non fuit concessa, nisi Infans doceret de aliqua iusta causa ex qua ius præsentandi ortum habuisset, & tamen postea in isto eodem fol. in Apostilla dico, quod fuit concessa remissoria Seruitori Io. Pauli ad probandam immemorabilem, & cum ista æquiparentur, videntur istæ decisiones contrariæ. Ideo die 22. Octobris 1548. fuit dictum in vna Fauētina corā D. Achille de Grassis, quod qui eramus in Domino, & Populo, qui superiorem recognoscebat; & tunc probata immemorabili posset allegari dotatio, & fundatio; & ad probandam istam immemorabilē es-

set danda remissoria, ratio est, quia, ea quo isti recognoscunt superiorem, si ius præsentandi vellent vsurpare, de facili posset per superiorem prouideri, & ista ratione in priuato, quando sumus in immemorabili tempore, præsumitur ex dotatione, & fundatione, quia etiā vsurpatio tanquam delictum non est præsumenda. Aut sumus in Potente, qui non recognoscit superiorem, & tunc posset capi ista præsumptio vsurpationis: sed etiam isto casu obstat, quia etiam in Potente non est capienda præsumptio delicti, & semper dato quocumque Potente, quantumcunque Imperatore etiam in istis habet superiorem, puta Papam, coram quo potest peti administratio iustitiæ, & quia dictum Speculat. de quo infra decis. 199. lib. 2. super quo fundatur Rota ad decidendam, quod præsumatur ex vsurpatione, tantum Specul. loquitur in Italia, ergo in alijs locis dicitur cessare ista præsumptio vsurpationis: & ideo ego dicerem, quod vbicunque probaretur immemorabilis possessio, etiā in quocumq. etiā quantumcumque potente, semper posset allegari quicumque titulus, & ita tunc placuit etiam alijs Dominis, vti probata immemorabili possessione semper præsumeretur, seu allegari posset dotatio, & fundatio.

sessio præsentandi, prout sentit Bald. in l. cum super C. de rei vindicat. & Cassador. in dicta decis. 2. de probat. & dixit infra decis. 8. 135. libro primo.

SVMMARIVM.

Doctor per priuilegium, tamen præcedente examine, præferendus familiari Papę post assumptionem.

DECISIO LVII.

FVit resolutum die 24. Nouemb. 1540. coram D. Aqnen. in vna Vicen. hebdomadariæ inter Ioannem Cordellas contra Matthæum Cases, quod Ioannes Cordellas, qui erat Doctor per priuilegium, tamen cum rigoroso examine non fuerat doctoratus per D. Guilelmū Cassadorum cum alijs tribus Doctoribus, iuxta formā cōmissionis, esset præferendus Matthæo Cases familiari Pontificis post assumptionem.

1 *Exequutoriales an possint relaxari, citato procuratore, constituto cum ampla potestate, vel requiratur citatio principalis.*
2 *Instantia an finiatur per sententiam, & num. 3. & 7.*
4 *Procurator instantia an possit citari in exequutione, & num. 6.*
5 *Instantia an detur in exequutiuis.*
8 *Mandatum extenditur ad vicina, & dependentia à mandato.*
9 *In exequutione quomodo adhibenda causæ cognitio.*

DECISIO LVIII.

*In ista al bil fuit relatum.

IN vna Vlixbonen.* beneficij de Porros, quam proposui die 29. Nouemb. 1540. in qua erat constitutus Petrus Antonius Casulanus procurator cum ampla potestate, & tanta, quantam dominus principalis habebat, & dicebat mandatum, quod in dicta causa Vlixbonen. & lite, eum constituebat,
1 procuratorē † cum ampla potestate, &c. Et postea circa finem mandati dicebatur, quod procurator posset appellare, & grauamina prosequi vsque ad tertiam instantiam. Accidit, quod Nicolaus procurator reportauerat tres sententias contrarias, & postea fuerunt decretæ exequutoriales, citato illo procuratore: dicebatur de nullitate illarum exequutorialium; quia mandatum erat limitatum vsque ad tertiam instantiam. Et
2 certum, est quod † instantia, sentent a finitur. l. properandum in princ. C. de iudic. quā allegat Alex. in l. postquam liti, in 1. col. & ibi Ias. in 2. col. C. de pact. glos. in c. pia. §. si vero, in ver. iudicij, de exception. in 6. quā notant ibi Archid. Domin. & Franc. dicentes, hoc notabile pro constitutionibus, seu dispositionibus de instantia loquentibus. Immo dicebatur, quod post conclusum in
3 causa, ante sententiam † instantia esset finita, vt videtur voluisse Bar. in l. 2. col. 2. vers. quarto. ff. de furt. per tex. in Authen. ad hæc, quam notat ibi Aret. expresse ad hoc in secundo not. C. de iud. & ideo nō solum exequutoriales, sed etiam tertia sententia videbatur esse nulla. Et quod exequutio non
4 esset pars † instantiæ, & per consequens procurator non potuisset citari; dicebatur, istud præsupponere Alex. in l. properandum col. 1. C. de iud. in illo articulo, an in exequutiuis, pro vt in re iudicata, & instrumento
5 guarentigiato, sit dare instantiam, † & sic, an de nouo incipiat instantia: de quo non dubitaretur, si exequutio esset pars illius instantiæ: & pro ista parte videbatur decis. Archid. & Domin. in c. pia. §. fin. col. 1. vers. not. ex illo tex. & c. de except. in 6. vbi Do-
6 min. dicit, quod habens mandatum † ad iudicium, non dicitur habere mandatum ad impediendam exequutionem: & Domin. sequitur Felin. in c. quoad cōsultationem col. 12. vers. not. insuper perpetuo de re iudic. Tamen, istis non obstantibus, fuit determinatum contrarium; quia dicebatur, quod mandatum habebat duas partes: in prima parte procurator constituebatur, & habebat illam potestatem, quā dominus in lite, & causa: modo ponderabatur, quod & * lis,
7 & causa non dicitur † sententia finita: sed tunc dicitur finita, quando sententia est exequutioni mandata, pro vt annotaui in vna additione, quam feci in vna decis. Rotæ in nouis: & ideo non poteramus hic dicere, quod mandatum esset per sententiā finitum: & quando fuit limitatum mandatum vsque ad tertiam instantiam in secunda parte mandati, illud erat respectu appellationis, & prosequutionis grauaminum; quæ appellatio & prosequutio nō potest vltra tertiam instantiam durare. Præterea
8 dicebatur, quod mandatum † extenditur ad vicina, & dependentia à mandato, pro vt not. Felin. in c. cum dilecta, num. 12. de rescript. & Curtius Iunior, in l. diligenter, ff. mandat.

*Lis & causa &c. Illud fundamentū fuit reprobatum postea, dum secūdo loco proposuissem causam, quia dicebatur, quod procurator constituitur in lite per sententiā latā in prima instantia, expirat eius mandatū iuxta cōmunē opinionē in

mandat. Ad illud de exequutione, quod non sit pars instantiæ, posset dici, quod habet locum, vbi sumus in exequutione, quam nulla cognitio præcessit, immo in ipsa exe-
9 quutione est adhibenda causæ † cognitio, pro vt est in instrumento guarentigiato, & in forma Cameræ: secus est in exequutione, quæ dependet ex iudicato, in qua non requiritur vlterior cognitio. Item diceba-
10 tur, quod verbum, instantia, † multis modis capitur, pro vt voluit Speculator in tit. de reconuentio. §. 3. vbi dicit, quod capitur stricte ad differentiam iudicij, & dicitur durare vsque ad conclusionem, quia post conclusionem dicitur iudicium: consideratur largius, & dicitur vsque ad sententiam largissime, & vsque ad exequutionem. Sed in hoc non insisto, quia primum fundamentum est reale, per quod Rota fuit mota ad decidendum hanc causam.

l. inuitus C. de procuratoribus: & ideo ista decis. remansit in pendenti; donec ire tur ponere causa.

SVMMARIVM.

In beneficialibus post quadriennium an detur restitutio in integrum.

1 *In beneficialibus post quadriennium an detur restitutio, & decis. seq.*
2 *Quid in Ecclesia, & in Clerico.*
3 *Sententia an trãseat in iudicatum, vbi agitur de periculo animæ.*
4 *Remedium ordinarium quando competit, non recurritur ad extraordinarium.*

DECISIO LIX.

FVit propositum dubiũ in vna * Astorieñ portioñ per D. Marcum Antonium, die 29. Nouembris 1540. an in beneficialibus
1 post quadriennium detur restitutio † in integrum. Et in opinione, quod non daretur, fui primo Ego secundus responsalis, D. Io. Paulus, Rainaldus, Sarneñ, & Aqueñ. Fuit fundamentum meum, quia nos habemus Re-
2 gulam, quod post quadriennium † non detur restitutio: inuenio regulam limitatam in Ecclesia, & ex causa. Cum ergo clericus nõ sit eiusdem fauoris, cuius est Ecclesia; sequitur, quod tex. in c. 1. de restit. in integ. in 6. non habeat locum: præterea in dicto c. 1. dicitur, quod ex causa datur restitutio. gl. ibi considerat causam, quando est enormissima læsio, sed dato, quod constet de bono iure, per hoc clericus non dicitur enormiter læsus, cum nullum damnum patiatur, sed potius lucrum dicatur amittere: ergo ex tali causa, non dicitur sibi competere restitutio. Non obstat fundamentum, in quo aduersarij multum nitebantur, videlicet, Domini Hieronymus, & Thomas, qui contrariam opinionem tenuerunt, videlicet, quod
3 vbi est periculum animæ, † sententia non transit in rem iudicatam; & ideo quandocumque potest quis restitutionem petere, pro vt dicimus in matrimonio carnali: ergo & idem est dicendum in matrimonio spirituali, per not. per Felin. in c. lator, de re iud. quia dicitur, quod, licet in matrimonio carnali sententia non transeat in rem iudicatã, dicto c. lator, & consanguinei; tamen in matrimonio spirituali, quoad victum, ex quo respectu eius nullum imminet periculum; sententia transit in rem iudicatam, pro vt declarat Felin. in dicto c. lator in x. limitat. de re iud. & tunc, si transit in rem iudicatam, dicitur obstare quadriennium, per ea, quæ dicit Felin. in c. 1. col. fin. de præscription. Et licet victor sit in peccato, & quod ad eum non transeat in rem iudicatam; tamen tunc datur remedium ordinarium, quia potest contra eum inquiri per ordinarium, seu contra eum procedi per viam denuntiationis. Cum ergo detur hoc
4 remedium † ordinarium: non est recurrendum ad remedium extraordinarium restitutionis. glos. in dicto c. 1. in verbo. beneficij. l. in causa. ff. de mino. Cum alijs D. Sarneñ etiam sensit illud fundamentum, quod superius dicebam, scilicet, quod quia non datur restitutio, nisi ex causa enormissimæ læsionis & in istis beneficialibus, quia non dicitur lædi, cum in eis non consideretur ius esse aliquod, pro vt decis. 8. de probat. in nouis, & quis agitur de lucro perdẽdo, quod non erat radicatum, quod non daretur restitutio: & allegauit istam partem tenere Cassador. decis. 2. de restit. in integ. Faciunt pro ista parte, quæ dicit Anton. de But. in c. ad audientiam. 2. col. final. de rescript. In ista audientia non venerunt Domini Maceratеñ, & Marsicanus: in sequenti audientia venerunt, quæ fuit tertia Decembris, & ipsi duo tenuerunt cum duobus, & sic fuerunt quatuor vota pro parte affirmatiua, quod daretur, & quinque vota, quod non daretur.

*Vide etiã sup. decis. 31. Vide aliquid per Deciũ conf. 436. nu. 8. vers. 3. quodue iure, &c.

DECISIO LX.

DE anno 1546. die 27. Ianuarij in vna Cæsaraugustana Parochialis de Torralua pro Bartholomæo Fortunij, contra Petrum Valero, D. Thomas de Thanis proposuit idem dubium, videlicet, an in beneficialibus post quadriennium possit peti restitutio in integrum. Et fuit per omnes, qui erant nouem, votantes, resolutum, quod non daretur restitutio. Solus D. Mohedanus dubitauit, ex quo text. in c. 1. de restit. in integ. in 6. dicit, quod restitutio ex causa datur, & gloss. exemplificat, quando est enormissima læsio: sed vbi constat de bono
iure, læditur in totum; ergo læsio enor- 1

missi-

missima. D. Thomas dicit, quod super hoc daret dubium, & quod firmaretur quæstio simpliciter, an restitutio detur, & postea discuteret, an esset aliqua causa, propter quā restitutio dari debet. Sed ad motiuum D. Mohedani patet responsio ex ijs, quæ dicuntur in decisione ista, & vide in secundo libro annotationum mearum decis. 370.

SVMMARIVM.

Excommunicatio ad effectum annullandi prouisionem, alteri factam, an probetur per sententiam declaratoriam, & brachium sæculare.

1 *Notario attestanti de actu præterito an credatur.*
2 *Declaratoria an probet excommunicationem, & num. 4.*
3 *In materia obiectiua insertio facta in exequutorialibus, an probet.*
5 *Insertis in exequutorialibus an credatur.*

DECISIO LXI.

Dubitaui ego in vna Gebēneñ Parochialis de Serraualle, an ad effectum annullandi prouisionem factam Iacobo, tanquam de excommunicato, sufficeret docere de excommunicatione, per sententiam declaratoriam, alias de anno 1533. per D. Camillum de Balleonibus in Rota latam, & vltra dictam declaratoriam erat productum brachium sęculare, Et pro parte negatiua dicebatur, quod brachium sęculare, seu instrumentum brachij sęcularis, solum probabat inuocationem brachij sęcularis, non autem aliquam declaratoriam excommunicationis: ex quo notarius attestabatur de actu
1 de præterito, † cui non creditur ad not. per Innoc. Abb. & alios in c. quoniam contra, & per legistas in authen. si quis in aliquo. Et dato, quod brachium sęculare probaret declaratoriam, tamen, ex quo huiusmodi ex communicatio, opponebatur in vim perem
2 ptoriæ exceptionis, † tunc declaratoria, sine denuntiatio non probat excommunicationem: sed aliter oportet, quod constet de excommunicatione, iuxta decis. 252. alias 8. in tit. de except. in nouis Aegid. decis. 86.
3 in fine, & insertio † facta in exequutorialibus in materia obiectiua, non concludenter probat ad not. per Aegid. decis. 528. & clarius decis. 561. in vers. hæc denuntiatio. Pro parte contraria dicebatur, quod de
4 nuntiatio probabat excommunicationem, vt per Hostien. in c. prudentia. de offic. delegat. & tanto magis in casu isto, vbi constabat ex sententia declaratoria de specie excommunicationis, & de nomine excōmunicantis, vt per Dominic. qui opiniones ad concordiam reducere, videtur in c. pia. §. si quis, colum. pen. vers. forte possent reduci, &c. de exceptio. in 6. & quia erat productum brachium sęculare, & insertis in dicto brachio sęculari creditur, iuxta Rot. decis. 732. alias 57. de rescript. in antiquis,
5 vbi † præinsertis in exequutorialibus creditur: & ratio est, quia sumus in iudicialibus iuxta decis. Rotæ 92. alias 2. de fide instrumen. in antiquis. Et pro ista parte fuit facta resolutio die 10. Decembris 1540. quia ex quo eramus in censuris latis in Curia, ex quo de facili poterat recurri ad regestū, quod crederetur inserto, & si aduersarius volebat dicere de nullitate censurarum, quod ipse produceret regestum.

SVMMARIVM.

An licentia Cæsaris, disponendi de bonis feudalibus, intelligatur non solum de feudo nouo, sed etiam antiquo.

1 *Verba in dubio debent intelligi, vt minus censeatur præiudicatum iure tertij.*
2 *Priuilegia quomodo interpretanda.*
3 *Principis mens qualiter de iure præsumatur.*
In feudo antiquo, an possit Princeps præiudicare agnatis.
4 *Feudi appellatione, de quo in dubio intelligatur.*
5 *Excommunicationis appellatione, in dubio, quæ veniat.*
6 *Pater in quo feudo possit præiudicare filijs.*
7 *Verba satis dicuntur operari, cum tollunt dubietatem.*

DECISIO LXII.

In vna Parmeñ Vallium coram D. Hieronymo Verallo fuit dubitatum, die 10. Decembris 1540. An licentia, seu indultum Imperatoris, concedens facultatem disponē di Io. Galeatio de Corrigio de bonis feudalibus, intelligeretur, nō solum de feudo nouo, sed etiam antiquo. Et pro parte illa, quod tantum censeretur concessa licentia disponendi de feudo nouo, fuit allegata vna nota Matthæi de Afflictis in constitutione 24. incipiente, vt de successionibus, col. 18. versic. sed iuxta hoc quæro &c. lib. 3. constitut. regni. Et vltra eum fuit consideratū,
1 quod hic eramus in dubio; vnde † verba debebant ita intelligi, vt minus censeretur præiudicatum esse iuri tertij, l. 2. §. merito, ne quid in loco publico, & in l. nec auus. C. de emancipan. liber. & ideo debebat intelligi de feudo nouo, in quo minus præiudicabatur agnatis, quam in feudo anti-
2 quo. Item, quia priuilegium † debebat stri-

ctę

ĉte interpretari, & vt minus læderet ius cō mune, quum fieri posset, iuxta dictum Salicet. in l. 2. C. de noxa, & glos. in l. fin. §. in cōputatione, C. de iur. deliber. & quia talis
3 præsumitur esse mens † Principis, qualis de iure esse debet, l. ex facto, vbi Bal. & Aret. ff. de vulga. & pupill. Sed an in feudo antiquo possit etiam Princeps præiudicare agnatis, est arduum dubium, & DD. quasi pro maiori parte videntur inclinare in partem, quod non, vt ponit Cardin. in §. Titius, in titu. si de feud. fuer. conten. inter Domin. & agnat. ergo videtur Princeps concessisse licentiam in casu claro, & expedito de iure, videlicet, in feudo nouo, in quo non dubitatur, quod Princeps possit. Et pro ista parte fuit allegatum cons. vnum Soc. 165. num. 2. & Paul. de Cast. 176. in primo. Non
4 obstat, quod dicebatur, quod in dubio, † appellatione * feudi intelligitur de feudo antiquo, vbi agitur super feudo iā possesso, vt per Bal. in c. 1. in prin. si de feudo fuerit cō tract. inter Dom. & agnat. quem sequitur Alex. cons. 15. col. 2. vol. 5. Deci. consil. 269. col. 2. 395. col. 1. & 445. col. 3. & Curt. iun. in tract. suo feudi, in 8. quæstio. primæ partis principalis, col. 5. versic. ista regula patitur, &c. quia dicebatur, quod istud non procedebat, vbi agebatur de præiudicio tertij, pro vt dicit Afflict. in d. constitutione superius allegata in 18. colum. pro quo facit, quod dicit Felin. in c. 1. col. 6. in princ. versic. declara duobus modis de rescript. & quod dicit Præpositus in cap. 2. qui Cler. vel voven. & Felin. in cap. venerabilem de except. vbi licet in du-
5 bio, † appellatione excommunicationis veniat maior, tamen secus est, quando tractatur de præiudicio tertij. Non obstat clausula, quę erat posita in priuilegio succedentium duntaxat in præfato feudo, iure omnino sublato: nam dicebatur, quod, an in feudo nouo cum consensu domini valeat alienatio in præiudicium successorum, reputetur ardua quæstio: & quando feudum fuisset non simpliciter receptum, sed pater fuisset stipulatus pro se, & filijs; tunc etiam,
6 in nouo de iure communi † non posset pater illi præiudicare, prout not. Paul. de Castro post Din. & Ang. & alij sequuntur in l. apud Iulianum, §. si quis alicui; vbi Iaf. ff. de legat. 1. quem §. legit. Paul. cum l. cum seruus. Et hanc dicit esse magis communē opinionem Alex. cons. 106. col. pen. vol. 4. Et propter plures doctorum distinctiones, & opinionum varietates, habetur pro quæstio ne multum dubitabili, vt apparet ex not. per Curtium in tract. feud. in 4. parte prin. in materia alienationis, vers. ex prędicta regula, & communi conclusione, col. 3. dum per quinque columnas examinat quęstionē, an testator possit in testamento vni filiorū

* In dubio appellatione feudi, quod veniat feudū antiquum. Vide Alciatum in tractat. de pręsūpt. pag. 461. in 28. præsumpt.

totum feudum prælegare, & Iaf. in l. 2. versic. 22. & vlt. C. de iure emphit. & Matthęus de Afflict. vbi in proprijs terminis feudi noui examinat, in c. 1. col. 3. vers. modo quęro quid in feudo nouo, de alienat. paterni feudi, & quia in multis casibus per DD. resoluitur communiter etiam in feudo nouo, etiā accedente domini licentia, posse successores cōtrauenire; & in pluribus remanet quæstio dubitabilis. Clausula tollens ius succedentium etiam in feudo nouo multum operabitur, tum quoad casus, in quibus nō posset habens domini consensum præiudicare, tum quoad eos, in quibus DD. manent dubij: nam verba non sunt sine effectu operan
7 di, † cum operantur, tollendo dubitationē: maxime, vbi agitur de tertij præiudicio Abb. in c. certificari de sepulturis, col. 3. versic. Et sic non obstat.

SVMMARIVM.

An collatio facta excommunicato, citato per edictum ad parendum, & ob non paritionem declarato, sit nulla.

1 *Excommunicari vt quis possit, an sufficiat ficta contumacia.*
2 *Ignorantia quando non excuset.*

DECISIO LXIII.

FVit dubitatum corā me in vna Geben. Parochialis de Serualle, die 17. Decembris 1540. stante intimatione exequutorialium per edictum in locis circumuicinis cuidam Iacobo de Sabaudia, & declaratoria incursus censurarum, ob non paritionem postea subsequuta; an collatio, facta taliter excommunicato, sit nulla. Et pro parte negatiua dicebatur, quod negari non poterat, quin iste esset fictus contumax, & sic excō-
1 municari non poterat, cum † vt quis excōmunicari possit, nō sufficiat ficta contumacia, ad Bal. in l. eum qui res. col. 2. C. de procurat. & quod dicit Innocen. in c. fin. de eo, qui mittitur in possessionem, quod requiritur certa, & indubitata notitia, & cum in exequutorialibus semper ponantur illa verba, Quod si contempserit, vel distulerit, &c. & hic non fit talis contemptus, vel cōtumacia: & ex mente iudicis, qui tales exequutoriales decreuit, apparet, quod aliter noluit excommunicare; talis excommunicatio nō potuit annullare collationes interim factas, prout in excōmunicatione lata in testes impeditos non venientes, decidit Abb. & ibi sequitur Felin. in c. 2. ad finem, de testib. cogendis: & ad istud benefacit, quod dicit de cis. fin. de dolo, & contum. in nonis, & quod scribit Belensinus in tract. de charitatiuo subsi-

subsidio, quæst. 161. Item Iacobus ignorauit excommunicationem; ergo collatio mero iure tenuit, ad text. & ibi glos. in c. Apostolicæ de Cler. excom. minist. & decis. 44. in tit. de rescript. in antiquis, alias n. 281. & quod dicit Ant. & Abb. in c. ad probandu de re iudic. Quod si sententia est lata in longinquo, quod verisimiliter non potuit tranfire in notitiam, quod actus valet, & pro ista parte consuluit Cardin. cons. 40. & sequen. Istis tamen non obstantibus, fuit resolutum contrarium, & dictum, quod istum casum determinat Cassador. decis. 1. de preben. & glos. Ant. Abb. & alij, in d. c. Apostolicæ, de Cleric. excom. minist. vbi licet, quoad pœnam irregularitatis ignorantia † excuset; tamen, quoad nullitatem actus, ignorantia non excusat, & quia hic sumus in Principe, qui mandat, vt constito de non tuto accessu, ille possit citari; et si non compareat, procedatur ad excommunicationē: Vnde imputandum est ei, qui in tali loco moraretur, ad not. in Clemen. 1. de iudic. & ex iis patet clara responsio, ad adducta in contrarium.

SVMMARIVM.

An testes examinati in vno iudicio per viam exceptionis, in alio iudicio per viam actionis, inter easdem personas faciant fidem.

DECISIO LXIV.

FVit dubitatum in vna Spoletana prætensi decursus aquarum, an testes examinati in vno iudicio per viam exceptionis postea in alio iudicio per viam actionis inter easdem personas facerent fidem, puta, In partibus Cherubinus agebat spolio, super certo decursu aquarum contra Archangelum ipse Archangelus pro defensione sua per viam exceptionis, dedit exceptiones, in quibus dicebat, se antiquissimo tempore dictas aquas possedisse, & in fine exceptionum posuerat clausulam, petens ius, & iustitiam sibi ministrari omni meliori modo, & per testes examinatos super illa antiqua possessione eam probabat: tamen quia Cherubinus docuerat de sua possessione, & spolio, fuit restitutus, tanquam quod vltimum spolium esset purgandum: Parito postea iudicato, dicebat Archangelus, quod erat restituendus ad suā possessionem antiquiorem, quam dicebat probasse per illos testes examinatos super exceptionibus per eū datis. Tandem articulo discusso, in Rota fuit conclusum, quod illi testes examinati per viam exceptionis, non facerent fidem in isto iudicio per viam actionis, etiā inter easdem personas, per glos. in c. cū dilectus, in verb. exceptionis, versic. sed quid, & ibi Abb. col. 9. vers. sed quæro de ordinat. cognit. vbi dicit, quod cum illa gloss. tenent magis communiter DD. & est ratio; quia, quando excipio, intendo repellere, & sic intendo ad vnum finem, sed quando agn, intendo consequi, & sic ad aliū finem: & videatur Dec. in l. 2. col. vlt. vers. sed aduertendum, nu. 62. C. de eden. & pendebat causa coram D. Rainaldo, & resolutio facta die 17. Decembris 1540.

SVMMARIVM.

Innocentiana sanat terminos, nulliter seruatos, pendente termino ad comparendum.

1 *Officium Iudicis, quomodo dicatur conquiescere pendente dilatione.*

DECISIO LXV.

IN vna Lugdunen. seu Burgen. Prioratus Nansuaci; fuit conclusum coram D. Hieronymo, die 22. Decembris 1540. quod Innocentiana sanabat nullitatem terminorū male, & nulliter seruatorum, durante tempore 60. dierum ad comparendum: nam in illa causa in facto euenerat, quod, durantibus illis sexaginta diebus, datis ad comparendum, fuerant seruati tres termini ad dicendum cōtra commissionem, libellandum, & articulandum, & postea, seruatis alijs terminis, fuerat pronunciatum, & dabatur de nullitate sententiæ. Fuit conclusum, quod
1 licet, pendente dilatione, † iudicis officiū, debeat conquiescere, ita quod exercitio nō competat iurisdictio tamen competit, & iudex vere habet dilationem, * vt per Lap. allegat. 82. num. 7. & sicut dicimus, quod, si pendente termino ad articulandum, iudicis officium deberet conquiescere, nihilominus, si pendente tali termino, alij termini seruentur, sanantur per Innocentianam; ita etiam erit dicendum in isto casu.

* Legendum forte iurisdictionem.

SVMMARIVM.

Testator an possit grauare heredes ad soluendum certum quid singulo anno legatario, ob dilationem solutionis legati concessam. Vide infra decis. 101.

DECISIO LXVI.

TEstator legauerat vxori suæ dotem 1400. florenorum ac vsumfructum cuiusdam possessionis, & prohibuerat in testamēto, ne vxor, durāte vita sua, posset petere dotem, nec antifatum, sed quolibet anno

no heredes sui tenerentur soluere qninque pro centenario. Fuit dubitatum coram D. Sarneñ in vna Placentina legati, pro Lucia de Asinella contra illos de Pezanchris 31. Ianuarij 1541. an illud legatum testatoris de quinque pro centenario esset vsura. In qua causa erat lata sententia in partibus, quod esset vsura: & pro parte negatiua, quod non esset vsura, allegabatur Socin. in l. fin. col. pen. ff. de ijs quæ pen. nom. vbi Socin. dicit, quod alias ita fuit iudicatum in Curia. Pro parte tamen affirmatiua allegabatur Dec. cons. 39. col. 2. cum sequenti, & quod dicit Ias. in l. 1. col. 7. C. de Sum. Trinit. Purpur. in l. rogasti, §. si tibi, col. 8. vers. & pariter, ff. si cert. pet. qui Purpur. allegat in ista materia plenum cons. Socin. 56. viso testamento in prima difficultate, volum. 3.

SVMMARIVM.

Procuratores duos constituens absque clausula, In solidum cum plena, & libera potestate, an censeatur constituisse per talia verba in solidum.

DECISIO LXVII.

QVando quis constituit duos procuratores absque clausula, In solidum, quibus dedit plenam & liberam potestatem; fuit dubitatũ in vna Vlixboneñ * cõtractus emphitheotici corã D. Thoma de Thanis 31. Ianuarij 1541. An per illa verba, Plenam, & liberam, censeretur vnusquisque eorum in solidum constitutus: & quod sic, allegabatur Bal. in rubr. de exercitor. Philipp. Franc. in c. si duo, col. 1. de procurat. in 6. vbi Capra, & Philipp. Prob. In contrarium tamen fuit allegatus Aretin. cons. 66. colum. 4. versic. vnde ipse idem Bald. & cæt. Pro Bal. fuit allegatus Dec. cons. 297. non patitur, col. 2.

* 4 Februarij 1541. Causa iterum posita, fuit facta resolutio pro dicto Aret in d. cõs. 66. col. 4. Et eãdem opinionem contra Bal. tenet Aret in l. eamdem, col. pen. vers. & aduerte diligenter, ff de duob. reis. vbi per totam illam col. & contra Bal. tenet Dec. in c. prudentiam col. 6 circa finem, vers. & prædicta quæstio limitatur, &c. de off. delegat.

SVMMARIVM.

Matrimonium ad effectum legitimationis prolis, quomodo debeat probari.

DECISIO LXVIII.

IN vna Venetiarum matrimonij coram D. Petro Vortio 31. Ianuarij 1541. fuit resolutum, quod ad effectum legitimationis prolis, sufficit probare matrimonium, per instrumentum dotale, reputationẽ, & famã, vt per Dec. cons. 153. col. 2. vers. & videmus, &cæt.

SVMMARIVM.

Citatio ad primam, quomodo intelligatur, ad primam in domo, an vero ad primam in Rota.

DECISIO LXIX.

IN vna Toletana coram me die 4. Februarij 1541. fuit resolutum, quod, si die Martis fuit quis citatus ad videndũ decerni exequutoriales, & die Mercurij fuit audiẽtia in domo, & tamen fuerit seruatus terminus die Veneris in Rota, quod exequutoriales essent nulliter decretę: quia exequutoriales solent decerni in domo, absque alia causæ cognitione: & non obstat, quod in regesto dicatur, In Palatio apud Sanctum, in loco vbi Dominum sedere contigerit, &cæt. Quia dixerunt Domini, quod ego mandarem, regestum corrigi iuxta formam citationis originalis, & correcto regesto, decernerem exequutoriales nulliter decretas. Secus dixerunt Domini eadem die in vna coram D. Marescoto, quando die Martis quis esset citatus ad sententiam, & die Mercurij fuisset sententia in domo, quia, ex quo sententiæ non feruntur, nisi cum causæ cognitione, quod tunc citatio intelligebatur ad primam in Rota.

SVMMARIVM.

Articuli super execrabilitate in materia spolij, an sint admittendi.

1 *Restitutio in spolio, ex quo denegatur.*

DECISIO LXX.

IN vna Columbrien. parochialis de Pennacoua corã D. Thoma de Thanis 4. Februarij 1541. fuit resolutum, quod articuli super execrabilitate, in materia spolij, nõ essent admittendi, cum sapiant petitorium, & ex quo est suspensum, non veniunt admittendi, quia ex probatis, non autem ex pro-
1 bandis † restitutio impeditur, c. cum super de can. possess. & propriet. vt per Oldrad. cons. 227. incipien. de toto themate, & Rota decis. 16. alias 3. de restit. spoliat. in nouis, in vltima additione, & vide quæ ibi posui: & Sarnen. dixit, quod in illa Gienneñ, de qua meminit ipse in regula de annali, quæst. 52. ibi execrabilitas erat probata.

SVMMARIVM.

Vbi in exequutione citationis dicitur, quod nihil omiserat de substantialibus, quid importent talia verba.

DECISIO LXXI.

IN vna Legionen. parochialis de Cerezales, quam proposui die 7. Febr. 1541. fuerat facta exequutio in Cathedrali ad valuas, tẽpore diuinorũ, & affixa citatio originalis, postea amota, & dimissa copia. postea erat facta in parochiali, de qua agebatur, ad valuas parochialis affixa originali, postea amota & dimissa copia: & quia non dicebatur, quod esset facta tempore diuinorum; Domini dixerunt, quod exequutio nõ valeret: tamen, quia notarius in dicta exequutione in finalibus verbis dicebat, quod nihil omiserat de substantialibus, voluerũt, quod citatio esset bene exequuta, cum facere tempore diuinorum, esset substantiale exequutionis.

SVMMARIVM.

In antiquissimis primum extremum probatur per testes de auditu auditus, à maioribus, & per famam.

1 *Testes de auditu auditus, an probent, & decis. 74.*

DECISIO LXXII.

IN vna Placentina iurisdictionis Castrorum pro Reuerendissimo Camerario cõtra Comites de Rubeis, die 7. Febr. 1541. fuit conclusum, quod primum extremum in spolio in antiquissimis, pura in materia excedente centum annos, probaretur per testes, qui deponebant audiuisse à patribus eorum, qui audierant à maioribus suis; & aliqui testes dicebant, quod audierant à patribus eorum, qui audierant ab eorum patribus, qui audierant ab eorum maioribus; quod Monasterium, cuius Camerarius erat commendatarius, possederat certa oppida, & loca, maxime coniuncto eo, quod dicebant, quod ita publice dici audierant: quia
1 in istis antiquissimis †testes de auditu auditus, & fama probant, c. licet ex quadam, de testib. vbi DD.

SVMMARIVM.

Sequestrum non debet apponi, vbi in negotio restitutionis obtinuit vnam sententiam, quando prius tres sententias contrarias reportauerat.

DECISIO LXXIII.

FVit dictum coram D. Marsicano in vna Oxomen. * Cappellaniæ de Sors, quod quando quis habuit primo tres sententias, vigore quarum habuit possessionem, postea, aduersarius restitutus, docto de bono iure obtinuit illas reuocari, & sententiam super beneficio pro se ferri, quod nõ debet apponi sequestrum in fauorem eius, & si apponatur, quod debet reuocari, per decis. Cassad. 2. de sequest. possess. & fruct. & tenet Curtius in tract. de sequest. col. 3. versic. octauo fallit pro quo facit, quia illa verba vna sententia, &c. posita in Clemen. 1. de sequest. possess. &c. intelliguntur de prima sententia, vt per Card. cons. 145. Et ita dixit D. Marsicanus, quod alias etiam tempore suo fuit decisum in Rota. Tamen, quia ille, contra quem sequestrum fuerat decretum, non solum non appellauerat à decreto sequestri, sed etiam citatus ad concordandum de sequestratoribus, nominauerat sequestratorem pro parte sua, quo casu, facto dicebatur approbasse sequestrum; maior pars Dominorum inclinauit, quod non esset reuocandum sequestrum.

* Vide inf. decis. 128.

SVMMARIVM.

In possessorio recuperandæ in antiquis, testes de auditu auditus probant primum extremum.

DECISIO LXXIIII.

FVit conclusũ in vna Placētina * Castrorum de mense Februarij 1541. pro Reuerendissimo Cardinali sanctæ Floræ Camerario contra Comites de Rubeis, petente sibi restitui, ratione cuiusdam Monasterij, cuius erat Commendatarius, certa castra, & agebat possessorio recuperandæ, videlicet, remedio canon. reintegranda. Et ad probandum primũ extremum deducebatur possessio amissa centum annorum, & vltra, videlicet, quod centum anni, & forsan centum triginta, & vltra, quod Monasterium possederat: & sic petebat restitui ad illã possessionem amissam; & ad probandam illam possessionem Monasterij, inducebat testes de auditu auditus à suis maioribus, quod tales testes de auditu auditus, ex quo eramus in antiquis, probabant primum extremũ, per not. per Innoc. in c. quid per nouale, & in c. veniens, de verb. signif. per DD. in c. licet ex quadam, & c. tam litteris de testib. Iaf. in rub. ff. de iureiur. col. fin. & tanto magis, cũ ijdem testes deponerent de fama: quo casu testimonium de auditu, vna cum fama, dicebatur plene probare: & pro ista decisione videatur consilium Cassanẽi, quod tunc non fuit allegatum 54. ex narratis col. 5. versic. sed deuenio ad principale intentum, &c. & quod dicit Curtius Iunior in l. 1. col. 13. ver. secunda fallentia est, &c. ff. si cert. pet.

* Vide ad istã decis. Felin. in cap. veniẽs 1 col. 6. versic. scias etiã, quod ad intentandũ, &c. de testib. Iacob. Nigrũ in repetit. l. 1. col. 19 ver. in vlt. casu concludebat. &c. ff. si cert. pet.

SVMMARIVM.

Ex quibus præsumatur, quod quis voluerit testari, & non codicillari.

1 *Dispo-*

1 *Dispositio, quæ non valet iure testamenti, quando nec valeat iure codicillorum.*
2 *Verbum, relinquo, relatum ad vniuersitatem bonorum, an importet heredis institutionem.*
3 *Testator quando censeatur facere actum omni meliori modo.*

DECISIO LXXV.

IN vna Liuiana hereditatis coram eodem Io. Paulo die 21. Februarij 1541. in qua ex depositionibus testium constabat, quod Pantasilea mater dixerat, licet ante confectionem testamenti, quod volebat testari, & volebat omnia relinquere Portiæ, vni ex filiabus suis, & exheredare duas alias filias; postea veniens ad mortem ex interuallo, coram multis testibus, excedentibus numerum septem, non tamen rogatis, item & coram notario, non tamen rogato, ad interrogationem Portiæ, an vellet facere testamentum, & ipsa respondit, quod sic, & quod omnia ipsi Portiæ relinquebat, pro vt toties ei dixerat, quod ex quo constabat à principio, quod voluerat testari, & mutatio voluntatis non præsumitur, c. maiores, cũ alijs vulgatis de baptis. item quia in eadem voluntate fecerat legata, iuxta text. in l. illud tractatum est, ff. de iur. codicillor. quod ex
1 quo illa dispositio † non valebat iure testamenti, nec etiam poterat valere iure codicillorum, per not. per Bart. & DD. in l. 1. §. si quis ita, ff. de verbor. obligat. vbi quando agitur de totali dispositione, si non valet, quod ago, vt ago, non valet, vt valere potest; non obstat dictum Paul. de Cast. in l. proxime, ff. de ijs, quæ in testam. delen. vbi verbum, testamentum, si non potest valere, vt testamentũ, valet, vt codicillus, quia ideo ibi erat, quia non continebatur in illa dispositione, heredis institutio: hic autem secus erat, quia erat appositum verbum, re-
2 linquo, † quod relatum ad vniuersitatem bonorum, alio non instituto, importat heredis institutionem secundum Bal. in l. quoties, C. fami. herc. Quod ego sic confirmabam, quoniam ex testibus apparebat, quod Pantasilea mater dicebat, quod ipsa, si poterat cum bona conscientia priuare filias, quod eas volebat exheredare, & totum Portiæ filiæ relinquere, & quod in hoc volebat consulere confessorem suum: vnde cum ad actum testandi venerit, & reliquerit omnia Portiæ, præsumptio est, quod consilium habuerit, quod id poterat facere, ne alias dicamus, quod delinquere voluit contra l. merito. ff. pro soc. Vnde stante voluntate matris, volentis totum relinquere Portiæ, tunc verisimile est, quod meliori modo voluerit relinquere, & cum vsa fuerit verbo, relinquo, quod relatum ad vniuersitatem bonorum, & ad personam, quæ de necessitate debet institui, importat heredis institutionem, vt per Abb. & ibi late per Gulier. de Bened. in c. Raynutius, de testam. Ergo dicendum est, quod titulo institutionis, omnia Portiæ relinquere voluerit: nec obstat, quod ex aduerso dicebatur, quod ex quo testatrix vsa fuerat verbo, relinquo, quod erat commune, & poterat trahi ad directam, & obliquã institutionem, quod si non poterat valere iure directo, quod valeret saltẽ obli-
3 que, vt testatrix videretur † facere actum omni meliori modo, quo poterat, ad l. 3. ff. de test. milit. Quia responsum fuit, quod illud erat verum, nisi repugnasset contraria voluntas testatricis, quia apparebat, vt superius dixi, quod testatrix volebat omnino priuare alias filias, & totum Portiæ relinquere, si nos diceremus, vt actus sustineretur, quod si non poterat valere iure testamẽti, quod valeret iure codicillorum. Iam si valeret iure codicillorum, certũ erat, quod aliæ filiæ non fuissent exclusæ ab aliqua parte hereditatis matris, quod est contra eius voluntatem: ergo de necessitate concludendum erat, quod illa testari voluerit, non autem codicillari, & quia iure testamenti non valebat, non poterat etiam valere iure codicillorum: & istam partem maior pars Dominorum fuit amplexa, duobus discrepantibus, videlicet Aqueñ, & Marsicano, maxime, quia agebatur inter filias, & ne induceretur inæqualitas inter filias; dicebatur, quod, quando casus fuisset dubius, debebat cõtra dispositionem matris iudicari.

SVMMARIVM.

Gratia subreptitia præstat colorem tituli in spolio.

DECISIO LXXVI.

IN * vna Bononieñ Cappellaniæ sancti Lazari coram D. Macerateñ, fuit resolutum 18. Februarij 1541. quod gratia subreptitia præstaret colorem tituli in spolio. Facit decis. 14. de causa possess. in antiqu. quod dicit Felinus in c. in nostra, in 2. corollario, de rescriptis. Et quod * clausula, etiamsi in corpore iuris clausa resultet, caperet vacationem apud Sedem, prout etiam fuerat dictum in vna Bellicceñ coram D. Marsicano.

* Facit decis. Cassadoris. de restit. spoliat. 4 in fine vbi quod titulus alias nullus est coloratus.

* Clausula, etiãsi in corpore iuris clausa resultet, capit vacationẽ apud Sedem.

SVMMARIVM.

Priuilegium Parafrenariorum, quod nõ teneantur ad aliquas diligentias, durante absentia Pontificis, quomodo intellectũ.

DECISIO LXXVII.

COrã D. Aqueñ in vna Tirasoneñ Canonicatus, & Præbendę, in qua erat productum

ductam priuilegium Parafrenariorum Pauli III. in quo dicebatur, quod Parafrenarij non tenerentur ad aliquas diligentias, videlicet acceptationem, publicationem, &c. durante absentia Pontificis, sed perinde esset, ac si acceptationes, & aliæ diligentiæ factæ essent. Dubitabatur, an, ex quo Papa fuerat absens per viginti quinque dies, An Parafrenarius habens gratiam cum mense, ad acceptandum, saltē teneretur acceptare in alijs quinque diebus remanentibus; & videbatur, quod sic, quia ex quo priuilegium erat concessum, durante absentia, cessante ea, debebat cessare priuilegium, & sic licet essent elapsi vigintiquinque dies, tamen acceptatio, & alia erant faciēda infra quinque dies restantes. Contrariū fuit conclusum 18. Februarij 1541. quia, ex quo, durante absentia, perinde est ac si acceptatio, & aliæ diligentiæ essent factæ; ius semel Parafrenario in absentia quæsitum non poterat per aduentum Pontificis tolli: item quia alias sequeretur, quod priuilegium retorqueretur in odium, quia si alius expectans acceptaret per duos, aut tres dies antea, quod si iste teneretur acceptare vigintiquinque, aut viginti sex; quod prior acceptans ei præferretur tanquam diligentior, & sic absentia Pontificis Parafrenario noceret, quod est contra mentem priuilegij.

S V M M A R I V M.

Petitorium quo casu absorbeat possessorium.

1 *Exequutio, quando non sit facienda, licet sententia transiuerit in rem iudicatam super possessorio.*

DECISIO LXXVIII.

IN vna Sabineñ Castrorum coram D. Aqueñ, inter D. Octauium Vrsinum ex vna, & Felicem, & Imperiam etiam de Vrsinis ex alia, quia in vna eadem sententia cōtinebatur condemnatio in spolio in fauorem dictarum sororum super certis castris; & statim illa castra cum alijs bonis adiudicabantur spectare, & pertinere ad dictum Vrsinum, die 18. Februarij 1541. fuit resolutum, quod petitorium absorberet possessoriū, & quod exequutio, † licet sententia super possessorio transiuisset in rem iudicatā,
1 non erat facienda, per text. in c. cum dilectus, vbi gloss. & DD. de cau. poss. & propriet. vbi DD. dicunt, quod isto casu, licet iudex, qui cognouit super vtroque, super vtroque debeat pronuntiare, & sic condemnare ad restitutionem, & fructus: tamen exequutio talis sententię in possessorio est vētosa, & inanis, propter vitandum circuitum.

S V M M A R I V M.

Ius superueniens post commissionem causæ, potest canonizari, dato quod antea competeret ius, vigore supplicationis, & in commissione fuerit petita derogatio regulæ, quod commissio causæ, &c.

1 *In beneficialibus videtur deductum omne ius competens, & competiturum.*

DECISIO LXXIX.

FVit conclusum in vna nullius Abbatiæ S. Saluatoris coram me, die 4. Martij 1541. quod ius, superueniens post commissionem causę, possit canonizari, dato quod antea competeret ius, vigore supplicationis, & in commissione fuerit petita derogatio regulæ, quod commissiones causarum, litteris non expeditis, &c. dummodo ante terminū ad articulandum, expedirentur. Fundamen-
1 tum conclusionis fuit, quod † in beneficialibus quis videtur deduxisse omne ius, non solum quod competit tempore commissionis, sed etiam quod competere poterat etiā post commissionem, vt in c. Abbate sane, de re iudicat. lib. 6. & in terminis allegabatur decisio Aegidij 661. nec obstat, quod fuerit derogatio petita regulæ, dum tamen litteræ expedirentur ante terminum ad articulandum, & sic videbatur, quod ad illud ius se restrinxisset; quia dicebatur, quod verum est, quod etiam illo iure tempore commissionis vti volebat, sed tamen per hoc non sequitur, quod ad illud ius se restringere voluerit, sed voluit etiam omne ius, quod sibi competere poterat, deducere.

* Facit, quod dicit Sarnen. in Compendio vtriusque sign. n. 76. Idē fuit resolutum 15. Octobris 1546. in vna Valētina Parochialis coram Domino Reomano.

S V M M A R I V M.

Succarum, quoad effectum decimarum dicitur fructus naturalis, & ex re elementata prouenies, potiusquam industrialis.

1 *Fructus industriales & naturales qui.*

DECISIO LXXX.

IN vna Canariensi decimarū corā D. Hieronymo Verallo fuit conclusū die 4. Martij 1541. quod ad effectum decimarū, de quibus tunc agebatur, succarum diceretur fructus naturalis, & ex re elementata proueniens potius, quam fructus industrialis; nā
1 licet, simpliciter † loquendo, succarū dicatur fructus industrialis iuxta glo. in l. ex diuerso ad litteram g, ff. de rei vendit. & in c. grauis, in verb. ... de restit. spoliat. cū in eo magna industria hominis requiratur, prout dicitur in segetibus, vt in grano, vino, & oleo: tamen quoad effectum decimarum reputatur fructus naturalis, quia, nisi prouidentia Dei operaretur, vana esset omnis industria personæ, vt dicit Abb. in c. cum non sit, in primo notab. de decimis, & Abb. in c. non est in primo notab. eodem tit. de decim.

SVM-

SVMMARIVM.

An resignatario, agenti ex resignatione, incumbat onus probandi, resignantem tempore resignationis viuere, an vero opponenti non viuere.

1 *Vita à quo, & quomodo probanda.*
2 *Viuere, quilibet præsumitur vsque ad centum annos, quomodo intellectum, & n. 3.*

DECISIO LXXXI.

Martinus Cahahorra produxit quoddam mandatum, factum per Martinũ Baldum ad resignandum parochialem de Pego Valentinæ ciuitatis vel Diœcesis in fauorem suũ, & postea produxit resignationem factam in fauorem suum, quæ fuit facta tredecim annos post mandatum confectum: dicebat Io. Baptista Baldassinus possessor parochialis, contra quem Martinus agebat, quod ipse Martinus debebat probare tempore resignationis, illum Martinum, qui dederat mandatum, superuiuere: & sic in dicta Valentina parochialis de Pego coram D. Io. Paulo 4. Martij 1541. fuit dubitatũ, cui incumberet onus probandi, an Martino, agenti ex resignatione, quod tempore resignationis factæ, Martinus resignans superuiueret, an vero Io. Baptista possessor teneretur probare mortem. Pro parte Io. Baptistę dicebatur, quod Martinus tenebatur proba-
1 re vitam: † per doctrinam Bart. communiter approbatam in l. siquidem, C. sol. matrim. vbi dicit, Non sufficit probare quem fuisse viuum, quando quis fundat intentionem suam ex illius vita, ad l. spadonẽ, §. qui absolutus, ff. de excusat. tutor. & per Bart. in l. si inter, & in l. qui duos, §. cum in bello, ff. de reb. dubijs: cuius opinionem sequitur Raph. Fulg. in l. sed et si de sua: & ibi Alex. col. fin. ff. de acquir. hered. cum ergo Martinus fundet intentionem suam in resignatione, & per consequens in vita, debet
2 illam probare: & licet quis † præsumatur viuere vsque ad centum annos, iuxta ea, quę habentur in l. 2. §. si dubitetur, ff. quemadmodum test. aper. & in l. fin. C. de Sacrosan. Eccles. tamen talis præsumptio non sufficit, vbi agitur de bonis defuncti, & in eius vita fundamentum fiat iuxta præmissa, & not. per Corn. cons. 119. col. fin. vol. 1. Præterea ex quo Io. Baptista erat reus, & possessor, & Martinus erat actor, pręsumptio, quod quis præsumatur viuere vsque ad centum annos, non habet locum in actore, sed in reo, vt per Soccin. in l. si inter, col. 2. vers. quarto infertur, ff. de reb. dub. & cum Io. Baptista sit reus, actor debet venire cum probatione, de necessario concludenti, non autem probatione possibili, & sic non cũ præsumptione: sicuti etiam dicitur, quod quando agitur contra fideicõmissarium possessorem, agens debet probare vitã filiorum, vt per Soccin. in l. qui duos, §. cũ in bello, ff. de reb. dub & istam partẽ fuerunt sequuti Domini Aqueñ, & Marsicanus: alij vero Domini num. septẽ, fuerunt in contrario voto: quia dicebatur, quod Martinus non fundabat intentionem suam principaliter in vita, sed in mandato, & resignatione: pro quibus pręsumitur, do-
3 nec probetur cõtrarium, † quia quilibet pręsumitur viuere vsque ad centum annos, & sufficit allegare vitã absq; alia probatione, vt dicit Bal. in c. ex tenore de testib. col. 1. Nec obstat opinio Aret. in l. sed & si de sua, ff. de acquir. hered. quia cõmunis opinio est in contrarium, & contra Aret. tenet glos. & Bart. in l. 2. §. si dubitetur, ff. quemad. test. aper. Alberic. in l. fin. col. 2. post principiũ, & ibi Salic. col. 1. C. de Sacrosan. Eccl. Abb. in c. in pręsentia, & ibi Moder. de probat. Decius cõs. 575. col. 3. nu. 9. vers. nec in casu isto: cum ergo principaliter agatur de resignatione, secundario vero de vita; fuit conclusum, quod Martinus non tenebatur eam probare.

SVMMARIVM.

Citatio, commissa cuicunque clerico tabellioni notario, quomodo intelligitur.

DECISIO LXXXII.

In vna Columbrien. de Pennacona coram D. Thoma de Thanis fuit dictum 9. Martii 1541. quod citatio cõmissa cuicunq; clerico tabellioni notario, potuit exequi per clericum solũ, dato quod non esset tabellio, & dictum, q̃ illa soluta intelligebatur disiunctiue, nõ autem copulatiue, iuxta not. in l. sępe, ff. de verb. sign. & probabatur per testes, q̃ in illis partibus erat stylus, quod citationes committebantur clericis, & exequebantur, & tales exequutiones, factę corã duobus testibus, faciebant fidem, ita quod, stante hoc, quod credebatur in partibus illis exequutionibus illorum clericorum; Rota tenuit, quod illa verba intelligebantur disiunctiue, cum posset illa soluta in qualibet sui parte verificari.

SVMMARIVM.

Ad impetrandum beneficium c. Peruenit, requiritur speciale mandatum.

DECISIO LXXXIII.

Fvit resolutum in vna Tirasoneñ Prioratus S. Martialis, coram D. Io. Paulo, die 9. Martij 1541. quod ad impetrandum beneficium c. Peruenit, pro Monasterio Gradimonteñ, contra Capitulum de Tudela, requirebatur speciale mandatum, per not. per Bart. in l. filiusfam. col. 3. versic. dic ergo quandoque requiritur, ff. de donat. & quia non probabatur paupertas; fuit ta-

men dictum per maiorem partem, quod si procurator promitteret de rato pro principali suo cum obligatione, quod in euentum in quem principalis non ratificaret, quod solueret debitum, dando cautionem bancariam, quod admitteretur.

SVMMARIVM.

An constitutio loquens de persona, extendatur ad Capitulum.

1 *Iurisdictio in Capitulares pertinet ad Episcopum, cum consilio Capituli, & nu. 4.*
2 *Persona appellatione an comprehendatur vniuersitas, & corpus.*
3 *Iudex vt in causa sua iudicet, iniquum est.*
5 *Persona loquentis non comprehenditur in generali sermone.*

DECISIO LXXXIV.

Erat constitutio facta per Capitulum Ecclesiæ Carthaginien. quod si aliquę contentiones iniuriosæ orirentur inter aliquos ex socijs Capituli, quod duo, vel tres ex antiquioribus canonicis tenerentur eos pacare, facientes satisfacere iniuriato; & si aliqua partium esset rebellis, & nollet obedire mandatis illorum, quod ipsi imponerent eam pœnam, quæ eis videretur, & illi tenerentur eam seruare, & ab ea non appellare, & Capitulũ faceret exequutionem tã pœnę, quam mandati. Dubitaui ego de mense Martij 1541. quia coram me dicta causa Carthaginien. Spolij inter Thesaurarium ex vna, & Capitulum, pendebat ex alia; An dicta constitutio facta per Capitulum, comprehendat casum, vbi capitularis persona prætenditur delequisse contra Capitulum: quia prætendebatur, quod Thesaurarius deliquisset contra Capitulum. Dicebatur pro parte Capituli, quod sic, quia dispositum de persona extenditur ad vniuersitatem, quando verisimiliter statuentes, idem dispo suissent, si interrogati forent iuxta vulg. glos. in l. tale pactum, §. fin. ff. de pact. per Alex. cons. 216. nec arguendi sumus, col. 7. & sequen. vers. ad octauum argumentũ, volum. 2. quod etiam tacite sensit Domin. in c. cum in multis col. 2. in fine vers. sed dicit Zenzelin. de rescript. in 6. & si constituentes voluerunt, emendari damna particularibus, à fortiori ipsi Capitulo, cum prima charitas incipiat à seipso: item in materia fauorabili sub nomine particularium comprehenditur vniuersitas, seu Capitulum, ad not. per Felin. in c. eam te, col. 11. vers. quarta declaratio de rescript. materia autem constitutionis est fauorabilis, cum puniat delicta, & intendat ponere pacem, & quietem, qua nil dulcius, vt in authen. vt iudic. sine quoque suffragio in principio, & auth. vt non luxur. contr. natur. in princ. & in aut. de quæst. his tamen non obstantibus, fuit resolutum contrarium; quia constitutio con-
1 tra ius cõmune, † cum iurisdictio pertineat ad Episcopum cum consilio Capituli, vt in c. nouit de ijs quæ fiũt à Prælatis, & in c. nõ est de consuet. in 6. tum quia per constitutionem remouebatur appellatio, & in mate ria stricte intelligenda, vt in statuto, quod
2 est contra ius commune, appellatione † personæ, non comprehenditur vniuersitas, & corpus collegiale. Bal. in rub. C. ad Trebell. Roman. cons. 400. & cons. 436. Item verba constitutionis loquuntur aperte de singularibus, dum dicit, Inter aliquos ex nostris socijs: & ideo dispositio loquens de cõuenien dis hominibus ex tali Collegio, non intelligitur de Collegio, sed de singulis, nã aliud sunt singuli, aliud vniuersi, vt per Felin. in dicto c. eam te, col. 10. de rescript. Item & quando agitur contra capitulum, capitulũ est pars, & habet interesse, & constitutio etiam vult, quod contra nolentes parere duobus, vel tribus canonicis, capitulum faciat exequutionem, & ideo ratione euitandi absurdi, non debet intelligi, quando contra
3 capitulum: cum sit valde iniquum, † vt in causa sua quis iudicet, l. vnica, C. ne quis in causa sua: & vbi etiam de iure communi per Ordinarium requirendum est in causa Canonicorum consilium capituli, limitatur non procedere, si ageretur contra capitulũ,
4 vel capitulares, † maxime ratione consanguinitatis, vel ex alia causa suspectũ, vt per Hostien. in Sum. de ijs quæ fiunt à Præl. sine consen. capit. §. in quibus consilium, prope fin. & not. Felin. in c. edoceri, de rescript. col. 8. vers. omittitur suspectum: ibi similiter dicunt But. & Abb. in c. nouit de ijs quę fi. à Prælat. accedit etiam, quia persona loquentis, & sic capituli facientis constitutio-
5 nem, non † comprehenditur in generali sermone, l. inquisitio, C. de solut. Et pro ista parte fuit facta resolutio die, & anno, supra annotatis.

SVMMARIVM.

Per clausulam, Quorum tenores, derogatum Priuilegijs Auditorum.

1 *Clausula, Quorum tenores, quid operetur.*
2 *Clausula, Dummodo non sit alteri ius quæsitum, quomodo intelligatur, & num. 7.*
3 *Ius, quod causatur ex receptione in Canonicum, an sit considerabile.*
4 *Collatio beneficij ante acceptationem, an tribuat ius in re, vel ad rem.*
5 *Principis dispositio talis esse præsumitur, qualis de iure esse debet.*
6 *Ius in re ex quo causetur.*
8 *Clausula, Etiam si aliqui in Canonicos sint*

recepti apposita in expectatiuis, quid operetur.

DECISIO LXXXV.

Coram D. Hieronymo Verallo in vna Lucana canonicatus, & præbēdæ pro Io. Baptista de Bernardis contra D. Siluestrum Decanum nostrum, fuit resolutum quod clausula derogatoria, apposita in gratia Io. Baptistæ, in qua dicebatur, quod præferretur etiā Auditoribus Rotæ, & alijs officialibus, non obstantibus priuilegijs, eorū Collegijs, &c. quorū tenores, &c. quod per talem clausulam, quorum tenores, &c. esset derogatum priuilegijs Auditorum, etiam quod in priuilegijs Auditorum caueretur, quod illis non posset derogari, nisi expressus eorum interueniret consensus, &c. quo-
1 niam propter clausulam, † Quorum tenores poterant omnia in priuilegijs concessa extendi, & illis derogari. Bene verū est, quod dicebant Domini, quod si fuisset dictum, nō obstantibus priuilegijs, quibusuis concessis, &c. quod sub illa dictione generali, quibusuis, non censeretur derogatum priuilegijs Auditorum, per cons. Roman. 436. sed quia dicebatur, non obstantibus priuilegijs, Auditoribus, &c. & sic in specie poterāt priuilegia Auditoribus concessa extendi: & ista resolutio fuit facta de mense Martij 1541. Et quia in gratia Io. Baptistæ posteriore di-
2 cebatur, Dumodo * alteri non sit ius quæsitū, & in gratia D. Syluestri facta, puta quia erat creatus in canonicum cum expectatione præbendæ, quam ex tunc prout ex nunc sibi conferebat, itaque sibi esset plene ius quæsitum, & solam perceptionem fructuum expectaret, ac regula de non tollendo ius quæsitum gauderet; dicebatur, quod ex quo Papa conferebat ex nunc, diceretur Domino Syluestro ius quæsitum, & tanto magis cum Papa vlterius processisset, volēdo, quod esset ei plenum ius quæsitum, & posset gaudere regula de non tollendo iure quæsito: cum ergo gratia D. Io. Baptistæ esset limitata per illam clausulā, dummodo alteri, &c. dicebatur, quod gratia D. Io. Baptistæ, non suspendebat gratiam D. Syluestri, licet gratia D. Io. Baptistę esset posterior, & cum derogatione priuilegiorum Auditorum: imo quod non solum ius quæsitum in re censetur esse preseruatum, sed etiam ius quæsitum ad
3 rem, † quod causatur ex receptione in canonicum: & tale ius est in consideratione, vt per Sarneñ in reg. de non tollen. ius quęsit. quæst. t. num. 33. Istis non obstantibus, fuit resolutum contrarium de eodem mense Martij, primo per ea, quæ dicit Domin. in c. fin. in princ. de concess. præben. in 6. vbi dicit, quod semper de mente iuris, & Papę reuocantis gratias, est reuocare ius quæsitum ad rē, modo collatio beneficij vacaturi tribuit ius ad rem, non autem in re, vt per Domin. & Phil. Franc. in d. c. fin. §. fin. de concess. præben. in 6. ergo sub tali reuocatione, seu suspensione veniet tale ius quæsitū.
4 Item & secundo, collatio † beneficij ante acceptationem non tribuit ius in re, sed ad rē Domin. & Philip. Franc. in d. c. fin. §. final. ergo veniet sub reuocatione, non obstante, quod in gratia sint illa verba, Plenum ius sic quęsitum; quia dicebatur, quod debebant intelligi de pleno iure ad rem, secundum dispositionem iuris, quia dispositio Principis
5 talis † esse præsumitur, qualis de iure esse debet, ad not. per Bal. & alios in l. ex facto in princ. ff. de hered. instit. Vel secundo dicebatur, quod debebat intelligi plenum ius ficte, & per priuilegium; non autem vere: quod patet, quia, si esset vere, sequeretur, quod duo in eodem beneficio haberent eodem tempore ius in re: nam ante vacationē ille, qui tenet beneficium, habet ius in re:
6 & † D. Syluester etiam haberet ius in re; ergo duo eodem tempore haberent ius in re: & quod non diceatur habere ius in re, patet; quia ex quo collatio fiebat in euentum acceptationis, & sic requiritur factum, sequuto illo facto, non retrotrahitur in præiudicium alterius, & ante illud factum non potest dici esse ius quæsitum in re, vt sæpe dictum fuit tenuisse Rotam: pro quo fuit dictum facere decis. 10. de præben. in nouis. & cons. Roman. 256. de quo per Felin. in c. su per literis, col. 7. in 5. regula de rescript. vbi clausula, Dummodo ius quęsitum, &cæt.
7 intelligitur † de iure quæsito puro, non autem conditionali. Ad illud, quod dicebatur de iure quæsito quoad canonicum, dicebatur, quod ex quo illud ius est in herbis, & non est considerabile, adeo quod de eo debeat fieri mentio, ad decis. 26. alias 445. de præben. in nouis, & tenet Staphil. in tract. litter. grat. & iust. fol. 8. in prima forma gratiæ expectatiuæ, & quia etiam in gratia Io. Baptistæ, erat clausula, quæ communiter
8 solet apponi, videlicet, etiam si † aliqui in canonicos sint recepti, &c. quæ secundum; quod dicit Franc. in c. si postquam, de præben. in 6. tollit ius ad rem: & facit decisio. 224. alias 34. de appell. in nouis.

* Clausula dūmodo non sit alteri ius quæsitum, quomodo intellecta.

SVMMARIVM.

Error iuris præstat causam præscribendi de iure Canonico, spatio longissimi temporis.

1 *Legitimatio facta à Comite Palatino in Terris Ecclesiæ, an sit nulla.*
2 *Error iuris, ignorando communem opinionem, differt ab errore, quod resistat ius commune.*

Senten-

Sententia lata contra communem opinionem, an dicatur lata contra ius commune.

DECISIO LXXXVI.

Coram D. Hieronymo Verallo de mense Martij 1541. fuit resolutum, quod, licet spurio resistat ius commune ad succedendum patri suo, ita vt spatio longissimi temporis succedere non possit; tamen, si spurius foret legitimatus, & nulliter, vt erat.
1 in casu illo, quia † legitimatio fuerat facta per Comitem Palatinum Cæsaris in ciuitate Bononiæ, & sic terris Ecclesiæ, quo casu legitimatio est nulla, vt per Ferratium secundum communem opinionem, cantel. 1. & sic errauit spurius in iure; tamen fuit dictum, quod error iuris præstat iustam causam præscribendi de iure canonico, spatio longissimi temporis, secundum quod non curatur, nisi de bona fide, secundum glos. in c. de quarta, de præscript. Paul. de Cast. in l. Celsus, & ibi Balbus, in 4. not. de vsucap. & in proprijs terminis Balb. in tract. præscript. in 4. parte, 4. partis principalis, quæst. 18. & remissiue, in l. Celsus in 2. not. colum. 2. versic. quod facit ad quæstionem, &cæt. Nec est verum, quod, ex quo hic spurius nulliter legitimatus, puta per Cæsarem in terris Imperij, qui errauit in iure, credens valere, quod ex hoc dicatur ei resistere ius commu-
2 ne; quia aliud est, quod quis † erret in iure, ignorando communem opinionem, & aliud, quod alicui resistat ius commune, per not. per Alexan. & Ias. in l. cum probatis, ff. de re iudic. vbi sententia, lata contra communem opinionem, non dicetur lata contra ius commune; & fuit facta resolutio in vna Bononien. hereditatis de Papazonibus pro Flora contra Antonium Mariam.

SVMMARIVM.

An in eadem diœcesi possint acceptari duo beneficia, Ordinario contradicente, stante priuilegio, de quo hic.

DECISIO LXXXVII.

* Vide Cassador. decis. 5. & 2. de conc. præb.

De eodem mense Martij coram D. Marsicano dubitabatur, * ex quo Parafrenarius Pauli habebat gratiam expectatiuam in Calaguritana & Oxomensi ad vnum, & duo, &c. an ille Parafrenarius potuerit acceptare duo beneficia in diœcesi Calaguritana Ordinario cōtradicente, ex quo de illo prouiderat: & dubiū faciebat, quia Parafrenarij habebant per priuilegium Pauli, quod omnia priuilegia, & gratiæ concessæ per Clementem suis Parafrenarijs, essent cōcessa & communicata Parafrenarijs Pauli: sed docebatur, quod Parafrenarii Clemētis habebant gratias suas ad tres collationes, & dicebatur ad vnum, duo, tria, & tot, &c. & sic cum daretur in tribus collationibus vltra tria, ergo erat per Clemētem cōcessum, vt sui Parafrenarii possent in vna diœcesi duo beneficia acceptare, & sic sicut poterāt Parafrenarii Clemētis, ita etiam potuissent Pauli. Tamen, hoc non obstante, de eodem mense 1541. fuit determinatum contrariū, quia ex quo vigore gratię certæ, quæ erat concessa in duabus diœcesibus ad duo, erat facta acceptatio; debebat fieri talis acceptatio, secundum quod de iure illa gratia erat sortita suam interpretationem, videlicet, vt vnum in qualibet diœcesi, Ordinario reclamante: nec obstat communicatio gratiarū, quia dicebatur, quod verum erat, quod, virtute talis communicationis, poterant Parafrenarii Pauli expedire similes gratias, quas expediuerant Parafrenarii Clementis, sed quia in casu isto non erat expedita, sed tantum erat expedita gratia ad duas collationes, quod per hoc non poterat vltra tenorem illius gratiæ acceptare: & per ista 18. Martii eiusdem anni fuit similis quęstio determinata coram D. Io. Paulo in vna Salutiarum Cantoriæ pro Gaspare Tapparello contra Iosephum de Spaldis, & Io. Petrum de Ferrariis; nam habebat Parafrenarius Pauli gratiam expectatiuam in mensibus Apostolicis, vigore cuius volebat, potuisse acceptasse beneficium vacans in mense ordinario, eo quia Parafrenarii Clementis habebant gratias suas, etiam in mensibus ordinarijs, & propter communicationem gratiarum, volebat capere beneficium vacans in mense ordinario. Fuit dictum, & resolutū vt supra, quod ex quo acceptatio fiebat vigore certæ gratię, quę erat restricta ad mēses Apostolicos, quod ipsi non poterant acceptare in mense ordinario, & si volebant vti gratia Clementis communicata, quod eam debebant expedire, & vigore illius acceptare.

SVMMARIVM.

An statutum Vrbis de creditoribus, negligentibus petere per sexdecim annos, exceptis dotibus, habeat locum in fructibus debitis, ex causa non solutæ dotis.

1 *Fructus dotis an petantur actione de dote, sicut dos ipsa.*
2 *Dispositum in principali, censetur dispositum in accessorio, & num. 6.*
3 *Dos an sit ius vniuersale respectu mariti, sicut est respectu vxoris.*
4 *Dos an, & quando dicatur augeri à fructibus.*

5 Fru-

5 *Fructus dotis, quando non petantur actione de dote, sed officio iudicis, & nu. 7.*
6 *Statutum non extenditur de casu fauorabili ad casum odiosum.*
7 *Interesse mer. terminos c. salubriter, an sit odiosum.*

DECISIO LXXXVIII.

CAuetur statuto Vrbis, quod, si creditor fuerit negligens in petendo debitum, ex causa mutui, depositi, vel alicuiuscumq. contractus per sexdecim annos, non audiatur vlterius, sed sibi efficaciter obstet praescriptio temporis praelibati, exceptis dotibus, & donationibus propter nuptias. Fuit dubitatum, an huiusmodi statutum, excipiens dotes, dicatur excepisse etiam fructus, qui debentur marito ex causa nō solutae dotis, vt pone in casu, qui tunc ventilabatur coram D. Marsicano de mense Martij 1541. Fuerat maritus stipulatus, sibi dotem solui vna cum fructibus, ad rationem septem cū dimidio, iuxta formam statuti Vrbis, & pater vxoris dederat, seu hypothecauerat omnia bona sua, & inter alia quoddam casale. Dubitabatur, an, sicut in statuto excipiebatur à praescriptione sexdecim annorum dos, ipsa, an etiam censerentur exceptuari fructus, qui debebantur marito ex causa dotis, ex stipulatione mariti: & dicebatur pro parte mariti, quod sic, per text. in l. si marito, §. final. ff. solut. matrim. vbi sicut dos petitur
1 † actione de dote, ita & etiā fructus dotis, tamquam augeant dotem, vt ibi dicit tex. Si ergo eadem actione fructus petuntur, qua
2 & ipsa dos, dispositum in principali † censetur esse dispositum & in accessorio, per tex. in l. 4. C. depos. & in l. eos, C. de vsur. vbi sublata actione, tollitur & actio quoad vsuras: & sic à contrario, vt contrariorum eadem sit disciplina, vt posita, seu conseruata actione quoad dotem, censeatur praeseruata etiam actio quoad fructus. Et pro ista parte inducebantur multa generalia, quod sublata actione, censentur etiam sublata accessoria. Tamen, ijs non obstantibus, causa posita bis, per D. Marsicanum de eodem mense Martij, fuit per maiorem partem Dominorum tentum contrarium, quod, licet statutum ab illa praescriptione praeseruet dotes; non tamen censeatur praeseruasse fructus, per ea, quae dicit Alex. in dicta l. si marito, §. fin. ff. solut. matrim. vbi voluit,
3 † quod licet dos, ex parte vxoris dicatur ius vniuersale, tamen ex parte mariti non, item, quod fructus, qui percipiuntur ante matrimonium, seu soluto matrimonio, illi fructus dicuntur augere dotem, pro vt dicit tex. in d. §. fin. immo, dicuntur tales fructus conuerti in dotem, pro vt dicit tex. in l. dotis fructus, ff. de iur. dot. licet ergo tales fructus possint peti actione de dote, vt dicit tex. in dicta l. si marito, §. fin. illud est,
4 quia † sunt fructus naturales, & conuertuntur in dotem, seu saltem eam augent; fructus autem, qui debentur marito, constante matrimonio, non augent dotem, nec conuertuntur in dotem, vt dicit tex. in d. l. dotis fructus: immo cum debeantur post moram, dicuntur actiones odiosae, & ideo non
5 debentur, † actione de dote, sed officio iudicis, vt dicit Alex. in d. l. si marito, §. fin. post Bal. & Pet. ibi, & Bal. & Pet. in l. fin. §. propterea. C. de iur. dot. Cum ergo istae accessiones, seu fructus, qui debentur marito, post moram dicantur accessiones odiosae, & non naturales, vt dicit Alex. in d. l. si marito, §. fin. & ideo non debeantur, actione de dote, sed officio iudicis; cum nos habeamus, quod statutum nō extendatur de casu ad casum; tanto magis erit dicendum, quod non
6 extendatur de casu † fauorabili ad casum odiosum, vt est iste casus istorum fructuum; nec obstat, quod dicebatur, quod dispositio, loquens de principali, extendebatur ad accessorium; quia illud habet locum, vbi est eadem ratio in principali, quae est in accessorio, vt per Dec. in l. cum principalis, ff. de reg. iur. Cum autē dispositio, respectu praeseruationis dotis, sit fauorabilis, non debet extendi ad fructus, qui est casus odiosus: & quod etiam in casu c. salubriter petitio il-
7 lius † interesse sit odiosa, tenet Alciat. in tract. de praesumpt. reg. 1. praesumpt. 32. nu. 4. & sequen. pag. 133. cum tribus sequentibus paginis. Non obstat, quod Roman. in d. l. si marito, §. fin. teneat, quod fructus, qui debentur marito, debeantur actione de dote, & idem videatur tenere Bal. Nouellus, in tract. de dote, in 2. part. principali, col. 6. quia Bal. Nouellus illud non affirmat, si videantur ea, quae dicit ipsemet in dicta 2. quaest. principali, col. 5. vbi nil affirmat, sed remittit se ad not. per Bal. & Pet. in l. fin. §. praeterea. C. de iur. dot. vbi Pet. & Bald. tenent contrarium, quod immo tales fructes petantur officio iudicis, & idem tenent Pet. Bald. & Alex. in d. l. si marito, §. fin. ff. solut. matrim.

SVMMARIVM.

Facultas, data Vicario per Episcopum conferendi omnia beneficia, etiam quae Episcopus habet in personam suam, quomodo intelligatur.

1 *Tacita renuntiatio an debeat fieri in manibus Superioris.*
2 *Episcopi, & Vicarij vnum est tribunal.*

D E-

DECISIO LXXXIX.

FVit tentum in vna Salamantina de Palatios Rubios pro Ioanne Solano contra Petrum Martin, quod Episcopus Salamantinus, qui dedit Vicario suo facultatē conferendi omnia beneficia, seu prouidendi de omnibus beneficijs, de quibus ipse poterat prouidere, tam auctoritate Apostolica, quam ordinaria, etiam de ijs, quæ ipse Episcopus habebat in personam suam, intelligitur dedisse facultatem prouidendi, dum tamen ipse Episcopus cederet perprius beneficijs, seu commendæ beneficij, in manibus superioris, quia sicut in expressa renun-
1 tiatione, ita etiam in tacita renuntiatione quoad prçiudicium superioris, requiritur renuntiatio in manibus superioris, iuxta communem opinionem, secundum Imol. reprobata glos. ibi in c. ex ore, in verbo renūtiasse de ijs quæ fiunt à maior part. capit. vnde cum hic tractaretur de præiudicio superioris, videlicet dissoluendi, & liberandi Episcopum Salamantinum à vinculo commendæ, dicendum est, quod talis renuntiatio non poterat, quantumcunque tacita, fieri, nisi in manibus superioris. Si ergo renuntiatio non erat facta, sequitur, quod Vicarius non poterat disponere de beneficio cōmendato in personam ipsius Episcopi. Nec aliquid faciebat clausula posita in commēda, Episcopo facta, videlicet, Cum facultate commendæ cedendi, &c. Quia dicebant Domini, quod intelligebatur in manibus superioris; non enim poterat Episcopus, in manibus Vicarij sui cedere, quia esset in
2 manibus proprijs cedere, cum † Episcopi, & Vicarij idem sit tribunal, c. Romana de appellat. in 6. & c. 2. de consuet. in 6. & fuit facta resolutio de mense Martij 1541.

SVMMARIVM.

Facultas absoluendi, concessa in Mari magno Fratribus Prædicatoribus, Fratres sui Ordinis à censuris, &c. intelligitur in foro pœnitentiali.

DECISIO XC.

* Et q absolutio in foro pęnitentiali, nõ tribuat absolutionem in foro iudiciali Præpos. in c. 2 col. 2. vers. nota ibi cari nã &c. de sepul. duor. Dec. cons. 137. & diligenter vol. 2.

DE mense Martij 1541. corā D. Io. Pan. Io in vna Valentina nullitatis Professionis inter Moniales S. Catherinæ de Senis ciuitatis Valentinç ex vna, & Beatricem assertam professam Monialem ex alia; fuit tentū, * quod facultas absoluendi concessa in Mari magno Fratribus Prædicatoribus, Fratres sui Ordinis à censuris, &c. de iure cōmuni intelligeretur in foro pęnitentiali, per extrauagan, super cathedrā, inter extrauagan commun. sub tit. de sepult. in §. si vero idē Prælatus, vbi dicit Bonifacius, quod ex eo quod gratiose concedat Fratribus Minoribus, & Prædicatoribus facultatem absoluendi, & pœnitentias iniungendi, per hoc non intendit Fratribus potestatem impendere ampliorem, quam Curatis, vel Parochialibus Sacerdotibus est à iure concessa: ex eo ergo constat, quod concedendo facultatem ipsis Fratribus, tātum concedit in foro pœnitentiali, prout sentit ibi Io. Monachus in glos. magna, in verb. sed quæ est ista potestas, dū sentit, quod potestas data Cu-
ratis, † tantum est in foro pœnitentiali, 1
prout etiam sentit Abb. in c. Deus qui, in 3. not. de pœnit. & remiss. Et ad idem est text. in Clemen. dudum, in §. si vero, de sepultu. & ibi Cardin. in 9. quæst. & ibi Abb. in dicta Clemen. dudum, col. pen. vers. an in casibus, & ista procedunt de iure communi: sed quia in dicto priuilegio erant multa verba, per quæ comprehendebatur, quod non solum erat concessa facultas absoluendi in foro pœnitentiali, sed etiam in contentioso; Fuit per maiorem partem Dominorum conclusum, quod ex forma priuilegij daretur etiam facultas absoluendi in foro contentioso, & sic rehabilitandi à suspensione, de qua in c. non solum de reg. iur. in 6.

SVMMARIVM.

Tacite admissus ad causam, quando quis dicatur.

1 *Tertius vt admittatur ad causam, debet docere de suo interesse, quomodo intelligatur, & num. 3.*
2 *Citatio generalis, & incerta non afficit, & num. 5.*
4 *Commissio quando principaliter dicatur impetrata cōtra nominandos in commissione.*

DECISIO XCI.

COmmiserat causam Io. Caluo Clericus Maioriceñ contra Ioannem, & Petrū, ac Antonium, omnesq; alios sua communiter interesse putantes, & in eadem cōmissione dicebatur, cum potestate citandi Ioannem, & Petrum, ac Antoniū, omnesq; alios in exequutione nominandos: commissa causa sic, & habita citatione per Ioannem, Ioānes recessit ad partes, relicto mandato contra predictos nominatos, omnesq; alios sua interesse putantes: venit postea Franciscus Agullana, & citauit procuratorem ad vidēdum decerni litteras compulsoriales, & fuerunt decretæ; & procurator Ioannis in actis ad videndum interesse extractioni iurium, constituit procuratorem principalem suū, videlicet Io. Caluo, qui postea citatus in partibus, videlicet ipse Ioannes principalis inter-

interfuit extractioni iurium: Franciscus cũ suis iuribus extractis, seu eius procurator venit ad Curiam,& per Audientiam cõtradictarum reportauit sententiã contra Ioannem,quæ transiuit in rem iudicatam, vigore cuius, in partibus fuit facta exequutio contra Ioannẽ: postea Ioannes venit ad Curiam, & commisit causam nullitatis illius sententiæ, dicendo, quod esset nulla, ex eo quia Franciscus non fuerat admissus ad causam, & casu quo fuisset tacite admissus per decretum compulsorialium, debebat prius
1 docuisse † de interesse per decis. 1. Bisign. de rescript. & 54. in antiquis,& Felin. in c. auditis,col. 14. de præscript. item,quia libellans potest suum libellum interpretari: cum ergo,licet in prima parte commissionis causa foret commissa contra omnes sua interesse putantes; tamen quia postea restrinxit se ad nominandos per eũ in exequutione, & Franciscus non fuisset nominatus, sequitur, quod contra eum causa non diceretur commissa. Item & tertio dicebatur, quod illa citatio ad videndum decerni compulsoriales, erat generalis, & incerta: nam poterat intelligi ad effectum, vt, mediantibus compulsorialibus, extraheret iura,& ipsis habitis,posset docere de interesse suo, & admitti,vel,vt simpliciter per tale decretum compulsorialium ipse censeretur esse tacite admissus ad causam. Cum ergo esset generalis,
2 & † incerta,nõ afficere debebat,ad not. per Bart. in l. aut qui aliter in princ. ff. quod vi aut clam. Istis non obstantibus,in vna Maioricen pro Francisco Agullana contra Io. Caluo, die 18. Martij 1541. fuit resolutum contrarium, quod iudex ad instantiam procuratoris Francisci decernendo compulso-
3 riales, † videretur ipsum Franciscum tacite admisisse: nec erat necessarium, quod docuisset primo de interesse; quia illud habet locum,quando commissio mandat, quod,cõstito de interesse, admittat; sed quia in commissione committebatur causa simpliciter, contra putantes interesse, sufficit, quod iste Franciscus diceret, quod suã putabat interesse, & hoc modo respondebatur ad decisionẽ primã de rescript. Bisign.& 54. in antiquis,quoniã illę decisiones loquũtur,quãdo causa committitur contra habentes interesse, vel contra eos, quorum interest: & tũc bene est necessarium, quod doceatur de illa qualitate; sed in casu nostro erat commissa causa contra putantes. Item dicebatur,quod verba cõmissionis, omnesq; alios in exequutione nominandos,&c. non obstabant,ex quo illa verba erant in parte pote-
4 statiua,† commissio autem in parte principali erat contra omnes sua interesse putantes. Et ideo dicebant Domini, quod si commissio in parte principali dixisset, omnesq; alios sua interesse putantes,in exequutione nominandos, quod tunc tantum causa esset commissa contra nominandos: non obstat,
5 quod citatio esset æquiuoca, † quia dicebãt Domini, quod illud procederet, tenendo, quod,ad hoc vt admitteretur, esset necessarium,quod doceret de iure suo. Sed quia ipsi tenebant, quod nõ erat necessarium illud decretum compulsorialium,non poterat intelligi; nisi ad effectum, vt, habitis iuribus, posset procedere in causa.

SVMMARIVM.

Clausula, sine præiudicio expectantium,& mandata Apostolica prosequentium, quomodo intelligitur.

1 *Verba præsentis temporis quomodo intelligantur, & num. 3.*
2 *Verba generalia in futurum collata restringuntur ad illos, ad quos maior habetur affectio.*
3 *Dispositio, seu gratia in futurum euentum collata, quomodo intelligi debeat.*

DECISIO XCII.

IN vna Virduneñ canonicatus, & præbendæ pro Dominico Tracheti contra Gerardum Goberti coram me,in qua factũ, sic se habebat: Gerardus ex causa cessionis boni iuris in fauorem Capituli Virduneñ. fuerat creatus in canonicum à dicto capitulo cũ expectatione primæ præbendæ,& fuerat facta confirmatio dictæ creationis à Clemente VII. cum istis verbis, Et nihilominus præbendam primo vacaturam ex nunc,prout ex tunc,cum vacauerit, conferimus, sine præiudicio expectatiuas, & mandata Apostolica prosequentium, fuit dubitatum per me, & diu disputatum, An dicta clausula præseruatiua, non solum præferuaret gratias ipsius Clementis, sed etiam præseruaret gratias cuiuslibet futuri successoris. Et pro parte negatiua ponderabatur verbum
1 prosequentium,quod est præsentis † temporis. Ergo intelligitur de illis expectãtibus qui tunc erant de præsenti,ad l. nomen filiorum, §. fin. ff. de verb. sign. Cardin. in Clemen. 1. de offic. Vicar. quæst. 21. Item & secundo ex stylo Pontificis, qui numquam solet præseruare gratias futuri Pontificis, sed tantum de præterito, & præsenti: & cuilibet notissimum est, quod noluit intelligere de illis post mortẽ suam, de quibus numquã cogitauit: & ideo Roman. dicit in cons. 231. 1
quod vbi ex præsumpta mente disponentis, maior cadit affectio ad vnam personam,
2 quam ad aliam, † tunc generalia verba in futurum collata restringuntur ad illos, ad quos maior habetur affectio. Item dicebatur, considerandam esse verisimilem mentẽ dispo-

disponentis, qui nunquam cõsuenit futuras gratias præseruare, nec de illis rationem habere: & quod ista interpretatio contineret absurdum, vt posteriores in data,& pręcipue successorum Pontificum, præferrentur creatis in canonicum, & multæ aliæ rationes adducebantur,de quibus in informationibus. Tamen, istis non obstantibus, die 9. Martij 1541. causa nouissime in Rota posita, Domini Thomas de Thanis, Rainaldus Petruccius,Ioannes Mohedanus,qui cum eis inclinabat, dato quod dixerit,quod causam non bene viderat, Maceratẽ, Marsicanus, Hieronymus Verallus, solis Io. Paulo, & Aqueñ discrepantibus, tenuerunt contrarium:& dum alias posuissem causam istam, partem affirmatiuam etiam tenebant Sarneñ,& Marescotus,videlicet,quod censerẽtur præseruatæ gratiæ, etiam futurorum Pontificum. Fundamentum istius resolutionis fuit, quod ex quo collatio fiebat de beneficio vacaturo, & sic conferebatur in tem
5 pus futurum, † dispositio censeretur cum sua exceptione in illud tempus collata, & sicut dispositio principalis conferebatur in tempus futuri Pontificis, ita etiam & exceptio, & limitatio. Item & secundo, cum collatio cõferretur in tempus futurum, illud tempus debebat attendi: & ideo dicebatur non obstare, quod dicebatur de verbis præsentis temporis, quia, ex quo erant collata in illum futurum euentum, debebant intelligi secundum illud tempus, prout est decis. Rotæ 857. alias 10. de concess. præben. & 858. alias 32. de prębeñ in antiquis. Item & tertio, si per illa verba Clemens voluit, præseruare gratias prædecessorum, quæ solent semper per Pontifices reuocari, à fortiori voluit pręseruare gratias successorum: & quia Clemens præseruauit gratias Apostolicas, & non dixit à se concessas,ergo generaliter censetur omnes gratias Apostolicas præseruasse: & multa alia fuerunt hinc inde deducta, quæ poterunt videri in informationibus,per me in simul coadunatis. Et tandem post longas & multas informationes, dicta die 9. Martij 1541. pronuntiaui pro ista parte.

SVMMARIVM.

Quando causa criminalis sit præiudicialis ciuili.

1 *Non residens ob iustum metum, an lucretur fructus beneficij.*
2 *Causa status quando agitur,omnis alia causa silere debet.*
3 *Clausula prout iurit fuerit, quid operetur in rescripto,constito, quod causa criminalis sit præiudicialis ciuili.*
4 *Reus, pendente accusatione, an possit agere contra debitores suos.*

DECISIO XCIII.

AGebat Alexander Sculteti canonicus Varmiensis contra Capitulum Varmiense, vt sibi daret fructus canonicatus,
1 & præbeñ,ex quo, iusto metu † non poterat residere in Ecclesia Varmiensi,iuxta text.& ibi notat. in c. vnico de cleric. non resideñ in 6. cum esset dictus Alexander exul factus per Regem Poloniæ à suo Regno,& per consequens à dicta Ecclesia, & omnia eius bona proscripta. Replicabat capitulũ, quod Alexander erat Lutherana hęresi infectus, & quod super hæresi pendebat iudicium coram Auditore Cameræ; & ideo fuit præsentata commissio mihi pro parte capituli, in qua dicebatur,quod,quatenus causa criminalis pendens inter Fiscum,& Alexandrum, esset præiudicialis ciuili, prout iuris foret; ego supersederem in ciuili. Ideo dubitaui ego die 23. Martij 1541. an isto casu, causa criminalis esset præiudicialis ciuili. Dicebatur pro parte affirmatiua, quod sic; quia, quando causa criminalis absorbet, & extinguit ciuilem, est illi præiudicialis, & facit,ciuilem silere, l.fin. secundum glos.ibi in verbo de crimine, C.de ordin.iudic. quæ glos.dicit, quod ita illam legem intelligebat Irner. ibi, & illam intelligentiam sequitur ibi Iacob. Butrig. Bal. Pau. de Cast. & Salicet.ibi, Pet. de Anchar. cons.62. duplici respectu,&c. Item & secundo, ratione maioritatis, causa ista criminalis est præiudicialis, prout dicit text. in dicta l. fin. & in l.adulterij cum gloss.in verbo, postponatur. C.de adulter. & in l. 1. C.qui accus.nõ pos. l.per minorem, & ibi Bart.ff.de iudic.& Anchar. in d.cons.62. In casu nostro,causa hæresis absorbet ciuilem; nam si iudicabitur Alexander hæreticus,tunc, vtpote à capitulo Varmiensi diuisus, capitulum iuste potuit denegare fructus, cum culpa sua,& non ex iusta causa Alexander illos amiserit: sed posset ad istud fundamentum responderi, quod illud, quod dicitur,quod quando causa criminalis absorbet ciuilem,tunc supersederetur in ciuili,iuxta not. per DD. in d. l. fin.procedat,prout communiter intelligitur dicta lex fin. videlicet,quando ciuilis mouetur ab vno, & criminalis mouetur à conuento, prout ita illam l.fin. intelligit. Alex. in l.reum criminis,in 2.col. circa finem. C.de procurat. & ita communiter intelligi illam l.dicit Dec.in l.edita,col.14.vers.quintã regulam,&c. C.de eden.non autem procedet, quando tertius,& sic non conuentus,mouet causam criminalem,vt hic Fiscus,qui est tertius,prout ita dicit Alex. in d.l.reum criminis,in d.2.colum. circa finem,& Salicet. in l.vnica,

Lvnica, sentit idem, colum. 3. versic. conclude nunc prædicta, &c. C. quando ciuil. act. crimin. præiud. & hoc vult Paul. de Cast. dum exemplificat in d. l.fin. ita quod non sufficit, quod ab vno intentetur ciuilis, & à conuento criminalis, sed etiam oportet, quod illa criminalis absorbeat illam ciuilem. & ita, si videatur, loquitur Pet. de Ancharan. in dicto consil. 62. & ideo dicit ibi Paul. de Cast. post Ia. But. & Bal. quod si ego peto pecuniam à Titio, & Titius cõuenit me super homicidio, quia causa criminalis, posito quod ille esset homicida, non est præiudicialis ciuili, antequam condemnetur, & bona publicentur, ideo non facit, quod supersedeatur in ciuili. Et licet Pet. de Bella Pertica, & Cynus ibidem teneant contrarium, & Salicet. ibidem dicat quod sit communis opinio, quod criminalis faciat silere ciuilem, siue absorbeat, seu eam contineat vel non, tamen Ang. ibidẽ in d. l.fin. in finalibus verbis, dicit quod licet illa lex finalis intelligatur etiamsi nõ sint adinuicem præiudiciales; tamen quod de consuetudine non seruatur, & quod etiã illa lex finalis intelligitur, quando criminalis absorbet ciuilem; non autem quando ei non præiudicat: tenet Decius in d. l. edita, colum. 14. in fine, versiculo 2. limitatur, vbi intelligit, l. per minorem de iudic. loqui in causis connexis, non autem in causis separatis. & stantibus ijs auctoritatibus, non potest discerni quæ istarum opinionũ sit communis, quidquid dicat Salicet. in d. l. fin. maxime cum hanc opinionem videatur tenere glos. in d. l. fin. in verbo de crimine. Si ergo in casu nostro, ab illo, contra quem intentetur ciuilis, non intentatur criminalis, quæ absorbeat ciuilem, vel etiam quæ non absorbeat ciuilem, secundum communem opinionem, vt dicit Salicet. in d. l.fin. cum in illis duobus casibus loquatur d. l.fin. sequitur, quod ea non faciat ad casum nostrum, cum non à conuento intentetur criminalis, sed à tertio, vt dicit Alexand. in l. reum criminis, colum. 2. circa finẽ. Sed aduertendum est, quod licet per illam legem finalem, criminalis super hæresi, non faciat silere ciuilem, cum non simus in materia illius legis; tamen, alio duplici respectu, in casu nostro, criminalis est præiudicialis ciuili. primo ratione contingentiæ, quia sententia ferenda super crimine hæresis, habet parere præiudicium in causa ciuili, iuxta materiam l. fundi, & l. fundum, ff. de except. & hoc modo dicitur criminalis præiudicialis, prout considerat Bart. in l. per minorem, ff. de iudic. in primo exemplo. Quod autem sententia declarans Alexandrum esse hæreticum, faciat fidem quoad omnes, & sic præiudicet, est text. in l. ingenuum, ff. de stat. homin. & in cap. penult. de re iudic. Item secundo est præiudi-
2 cialis, quia agitur † de statu, & ideo omnis
alia causa debet interim silere, prout dicit
Bart. in d. l. per minorem, versic. tertio modo dicitur, &cæt. Et hoc stante, quod ista
causa criminalis sit præiudicialis, tunc verificantur verba commissionis, in quibus di-
3 citur; † Prout iuris fuerit supersedeat, nam
de iure est. quod causa præiudicialis prius
terminetur, §. præiudiciales, inst. de act. &
d. l. per minorem. Non obstat, quod reus
criminis, pendente accusatione, licet non
possit agere contra accusatorem, potest ta-
4 men agere † contra debitores, prout dicit
Pet. de Bella Pertica, in d. l. fin. & ibi Pau. de Castr. & in isto crimine hæresis dicit Pet. de Ancharan. in cap. cum secundum, in secundo notab. de hæret. in 6. quia potest responderi, prout dicit glos. in d. l. final. de ord. iudic. quod quis non prohibetur agere, tamen differtur donec criminalis terminetur. Tamen prædicta responsio non satisfacit prędictis Doctoribus, vel & secundo potest responderi, prout dicit Salicet. in d. l. fin. quod possunt recipere à sponte soluentibus, tamen non possunt exigere à debitore opponente. Sed ista etiam responsio non placet. Tu, in casu nostro responde realiter, quod DD. supra allegati, loquuntur, consideratis terminis iuris communis. Sed quia in casu nostro ad est commissio, quod quatenus causa criminalis sit præiudicialis ciuili, in ea, prout iuris fuerit, supersedeatur, & per superius dicta sit præiudicialis, etsi præiudicialis prius & ante omnia expedienda. Ideo attento tenore commissionis, non potest in casu nostro Alexander à Capitulo opponente exigere. & ideo posset reformari commissio, quod constito quod de iure, non obstante quod causa criminalis pendeat inter Fiscum & Alexandrum super asserto crimine hæresis, quod Alexander potest contra Capitulum, tanquam contra suum debitorem procedere, quod Auditor moderetur inhibitionẽ præinsertę, &c. Et ita causa posita, die 23. Martij 1541. Domini inclinarunt in hanc partem, quod causa esset præiudicialis in isto casu ciuili.

SVMMARIVM.

An execrabilitas impediat restitutionem in spolio.

1 *Ad petendum restitutionem, an sufficiat docere de titulo colorato.*

Titulus coloratus, quis dicatur.

2 *Decretum irritans non solum inficit titulum, sed etiam possessionem, & num. 4.*

Sed an procedat in decreto apposito in reuocatoria expectatiuarum.

3 *Stante suspensione petitorij, an probatio cõcernens illud admittatur in possessorio.*

4 *An in possessorio admittatur omnis exceptio concernens possessionem.*

5 *Possessio, an quæratur ex actu nullo.*
6 *Via spoliandi est tollenda.*
7 *Restitutio, non conceditur quando constat notoriè de non iure petentis se restitui.*

DECISIO XCIV.

DOmino Thoma de Thanis proponente die 23. Martij 1541. Fuit dubitatū,* An execrabilitas impediret restitutionem in spolio. Et pro parte negatiua, videlicet quod non impediret, inducebatur text. in c. referente, de præben. vbi habens duas Ecclesias, vna spoliatus, fuit restitutus. & istū text. allegat decis. Rotæ 370. alias 15. de restit. spoliat. in fine in antiquis. Sed profecto, si bene consideretur ille text. nil facit; quia ibi tantum ponitur contingentia facti, nō autem principaliter super illo fuit dubitatum. Secundo fuit adductus text. in cap. licet Episcopus, in fine de præben. in 6. qui text. est principalis in ista materia; nā si non debet amoueri illo citato; ergo si fuerit amotus debet restitui; quia de facto factum, de facto debet restitui. Sed posset ad illum text. licet sit principale fundamentū in materia, responderi quod licet textus ibi dicat quod non debet amoueri, quod nihilominus non dicit quod si fuerit amotus, debeat restitui, cum multa prohibeantur fieri, quæ postea facta tenent, ad l. patre furioso, ff. de ijs qui sunt sui, vel alien. iur. cum alijs vulgat. & tanto magis, cum licet quis non debeat amoueri non citatus, tamen quia hodie receptum est, vt postquā quis spoliatus est, non debeat restitui nisi doceat de titulo colorato, & execrabilis non potest docere, vt inferius dicetur; ergo sequitur, quod ille text. non faciat ad propositum. Et licet ratio illius textus, dū dicit quod non debet amoueri quia potest competere defensio, vtputa, vt dicit ibi Rota, quia forsan habebat dispensationem; tamen non sufficit in materia restitutionis, quod possit competere defensio; sed necessarium vt actualiter doceat de ipso titulo colorato: nam cum primus titulus per extrauagantem execrabilis, sit discoloratus, vt statim dicetur, nisi doceatur de dispensatione, certe remanet primus titulus discoloratus, & non aptus ad restitutionem. Tertio dicebatur pro ista parte: ad petē

1 restitutionem † sufficit docere de titulo colorato, vt per Abbat. in c. in litteris, de restit. spoliat. titulus autē dicitur coloratus, quando procedit ab eo qui habuit potestatem dandi, vt per Abbat. in cap. cum nostris, colum. fin. de concess. præben. Execrabilis autem habet titulū ab eo qui dare potuit; ergo dicetur habere titulum coloratum. Et in quantum dici posset, quod ille titulus sit discoloratus per extrauagantem execrabilis, propter decretum ibi ap-

2 positum, quod non solum † inficit titulum, sed etiam possessionem, iuxta decis. 16. alias 3. de restitut. spoliat. in nouis. Respondebatur, quod sicut multotiens fuerat tentum in Rota, quod decretum irritans, appositum in reuocatoria expectatiuarum, non inficiebat possessionem captam, vigore expectatiuæ reuocatæ. & proximis diebus fuerat tentum in vna Carthaginiensi coram D. Verallo, quod decretum appositum in regula reuocatoria gratiarum Conclauistarum, non inficiebat possessionem captam vigore gratiæ Conclauistæ concessæ, cum illa decreta dicantur apposita, super corpore incerto; ita esset dicendum in casu isto, quod decretum appositum in dicta extrauaganti, tanquam appositum super corpore incerto, non afficeret possessionem, & titulum priorem; quominus præstare possit titulum coloratum, ad effectum restituendi. Et quod dicatur habere titulum coloratum ad effectum restitutionis, tenet Sarnen. super regula de triennali, quæst. 10. num. 22. & ibi Sarnen. ponit multos auctores, tenentes istam opinionem; quod execrabilitas non impediat restitutionem. Pro ista etiam parte dicebatur, quod execrabilitas concernit petitorium. ergo stante suspensione pe-

3 titorij, † omnis probatio concernens illud, non potest probare, nec debet admitti in iudicio possessorio, prout est decis. Rotæ 399. alias 16. num. 2. de restit. spoliat. in nouis. Et stante ista ratione, dicebāt Domini, quod nec etiam erant admittendi articuli, cum tales articuli continentes execrabilitatem, saperent petitorium: & ideo tanquam non releuantes in possessorio, non erant admittendi. Pro parte tamen affirmatiua, videlicet quod execrabilitas impediat restitutio-

4 nem, multum facit quod omnis † exceptio cōcernens defectū possessionis, est admittenda in possessorio. Abb. in c. solicite, col. 2. uers. uenio ad glos. de restit. spol. notat Domin. cons. 24. colum. 2. & notatur in cap. fin. de ordin. cognit. Sed execrabilitas est exceptio concernens possessorium, propter decretum irritans, quod apponitur in extrauaganti execrabilis; quod non solum inficit titulum sed etiam possessionem, ut dicit Rota decis. 16. alias 3. de restit. spoliat. in nouis. Si ergo inficit possessionem, ergo exceptio execrabilitatis est admittenda, & per consequens articuli super ea. Nec obstat, quod dicitur de decreto apposito in reuocatoria expectatiuarum, ut per Cassador. decis. 2. de restitut. spoliat. quia alia ratio est in illo, quam in isto: nam illud decretum ideo non afficit, quia est super incerto corpore appositum, decretum autem de quo in extrauaganti execrabilis, est appositum super certo corpore, puta super illo primo beneficio, & etiam secundo, si possessionem non dimiserit. & ideo mirirū, si de-

* Vide aliquid per Cassad. decis. 7. pag. 3. in fin. versic. An aute cōsti- tut. &c. super reg. Cancell.

si debet inficere possessionem in isto casu. Sed ad istud fundamentum respondebatur, quod decretum appositum in extrauagan. execrabilis, est super corpore conditionato, & sic incerto, videlicet, nisi dispensationem obtinuerit: & sic cum sit conditionatum, & incertum, non inficit possessionem: quod autem sit conditionatū nisi dispensationem obtinuerit, patet in dicta extrauagan. Execrabilis, in vers. porro; quia quorumdam oculos, &c. Vel secundo, & melius, & cessabit omnis difficultas; potest responderi, quod in extrauagante Execrabilis, tantum priuatur iure sibi competenti ille, qui est execrabilis, & efficitur inhabilis, & circa istam partem nullū apponitur decretum irritās. Bene verum est, quod postea beneficia illius qui est execrabilis, reseruantur Sedi Apostolicæ, & inhibet, ne Ordinarij aliquid de eis disponant, & circa istud apponitur decretum irritans: & si dicatur, Si est inhabilis, ergo non est restituendus; dicitur quod ista consequentia non tenet, cum istud respiciat petitorium, cum possit esse, quod ex contractu nullo, & sic ex actu nullo, quis
5 quæreret † sibi possessionem, iuxta not. in l. prima, §. si vir vxori, ff. de acquiren. possess. Tandem post multa, Rota fecit resolutionem pro prima opinione dicta die 23. 1541. quod execrabilitas non impediret restitutionem, & quod articuli, qui dabantur super execrabilitate, tamquam non releuantes, non essent admittendi, vt tollatur, & præcludatur via spolijs, cum aliter dicendo, pararetur via spoliandi possessores. & statim opponeretur eis, quod essent exe-
6 crabiles: † & via spoliandi est tollenda, dicto cap. licet Episcopus. de præben. in 6. Fuit tamē moderata ista decisio, nisi spoliatus fuisset passus, quod spoliator probasset execrabilitatem; quia tunc non esset danda restitutio, quia esset imputandum ei, qui passus est, causam instrui in petitorio, iuxta notat. in cap. primo de restitut. spoliat. nam tunc, ex quo constaret, de non iure petentis se restitui, non deberet fieri restitutio, iuxta not. per Innoc. in c. constitutus de filijs presbyt. & per Alexand. in §. nihil commune, vbi dicit, quod quando constat notorie de nō iure petentis se restitui,
7 non fit restitutio, etiam in profanis: & hoc modo fuit intellecta decis. Rotæ 371. alias 15. de restit. spoliat. in antiq. & additio ad decis. 16. alias 3. de restit. spoliat. in nouis, & Oldrad. cons. 227. in 3. colum. & aliç decisiones, quæ dicebantur modernis temporibus in Rota fore factas, vt per Sarneñ, super regula de annali, quæst. 55. Secus, si non passus fuisset, etiam quod in actis constaret de execrabilitate, quia per suspensionem petitorij tollebatur illa probatio: & ideo articuli super tali materia non erant etiam admittendi. Erat intitulata causa Columbrieñ de Pennacoua, pro Petro Vaz contra Aluarum Gundisalui.

SVMMARIVM.

Posito, quod in confectione succari manus hominis præcipue operetur, an ante solutionem decimæ, debeant detrahi impensæ.

1 *Expensa, quæ fiunt in colligendis fructibus in solutione decimarum, an detrahantur.*
2 *Decimæ soluuntur, prout fructus colliguntur.*
3 *Decima, quomodo soluatur de succaro.*

DECISIO XCV.

FVit dubitatum corā D. Hieronymo Verallo 23. Martij 1541. in vna Canariēn decimarum inter incolas, & Capitulum Canariēse pendente præsupposito, quod in confectione succari manus hominis præcipue operetur; An ante solutionem decimæ deberent detrahi impensæ. Pro parte Incolarum dicebatur, quod sic; quia aut volumus considerare ius commune tantum,
1 & tunc verū est, quod expēsæ, † quæ fiunt in colligendo, & separando fructus à solo, non debent deduci, & ita loquitur text. in c. Pastoralis, in versic. expeñ, & in cap. tua. 2. de decimis: sed expensæ, quæ fiunt in separādo fructus à fructu, postquam sunt collecti, de iure debent deduci; Hinc est, quod deci-
2 ma debet solui, † prout fructus colligitur, vt in grano in spica, in vino in vua, in oleo in oliua, vt per Host. in c. pastoralis, colum. 4. vers. prædiales, &c. & Abb. in c. peruenit. de decim. Et istud etiam procedit in fructibus, qui non germinant, vt expensæ, quæ fiunt in colligendo fructus, non deducantur, iuxta text. & ibi Abb. in c. pastoralis, in primo notab. de decim. Aut nos volumus considerare consuetudinem, & tunc
3 in locis, in quibus fiebat † succarum, vt puta in regno Valentiæ, solutio fiebat deductis expensis, vt erat probatum. Aut volebamus considerare consuetudinem in alijs rebus in locis vicinis, & erat probatū, quod granum soluebatur in spica, & vinum in vua, & oleum in oliua; ergo ita esset dicendum in succaro. Tamen ijs non obstātibus, eadē die fuit resolutum contrarium, quia ex quo erat probatum, quod decima non poterat solui in cannis, cum talis solutio fuisset inutilis, cum de facili corrumperentur, nec in liquore, sed tantum in succaro omnes illæ expensæ, quæ fiebant vsque ad Succarū, dicebantur expensæ factę in colligendo fructus; ergo de iure non debebant deduci.

SVMMARIVM.

Quando in impetratione sit facienda mentio de dispensatione.

DECISIO XCVI.

* Vide Dec. in l. li beror. col. 2. in princ. C. de Collation.

FVit dictũ in vna Oueteñ * Canonicatus & Prębeñ, coram D. Rainaldo 23. Martij 1541. ꝙ ant impetratio, superueniẽs est exequutio dispensationis impetratæ prius, & tunc in impetratione non oportet facere mentionem de dispensatione: aut nõ est exequutio, sed secunda dispensatio venit addẽdo, & augmentatiue ad priorem, & tunc oportet in secunda facere mentionẽ de priori secundum Rotam, decis. 280. sub rubrica de filijs presb. in antiquis. Io. And. Domin. & Philip. Franc. in c. 2. de filijs presbyt. in 6. Item fuit dictũ, quod illa * clausula in dispensatione posita, vt beneficium dimittere, & loco dimissi, aliud obtinere, debet intelligi, ita ut non per hoc, retento beneficio, debeat fieri collatio, sed prius debet beneficiũ dimittere, & postea fieri collatio secundi beneficij, per text. in c. Ordinarij in fine, de offic. ordin. in 6. & glos. in Clemen. si plures, in verbo vacare, de Pręben.

* Clausula, vt beneficiũ dimittere, & loco dimissi, aliud obtinere posiit, quo modo intelligatur.

SVMMARIVM.

In terminis Alexandrinæ, non apparente alia causa, vulnera censentur occasione litis illata.

DECISIO XCVII.

IN vna Vrbeuetana Castri Castilioni coram D. Io. Mohedano, & in altera Placeñ coram D. Io. Paulo, die 28. Martij 1541. fuit conclusum in terminis constitutionis Alexandrinæ, quod, non apparente alia causa, præsumantur vulnera, seu homicidium ex causa litis factũ, sed apparente alia causa, tunc non præsumeretur. Sed dicens, ex causa litis esse illata, teneretur probare per ea, quæ dicit Roman. consi. 283. Bart. in l. aut facta, §. causæ, ff. de pœnis cum alijs, de quibus, in l. si quis seruum, ff. de poen.

SVMMARIVM.

Verba occasione litis, de quibus in Alexandrina, quomodo intelligantur.

DECISIO XCVIII.

IN eadem Vrbeuetana coram eodem D. Mohedano, quia, pendente lite, super Castro Castilioni Vrbeuetanę diœcesis inter Io. Franciscũ de Sabellis ex vna, & tres fratres Monaldenses ex alia. Tres fratres emerant bona Io. Francisci, quæ fuerant confiscata per Fiscum ex causa rebellionis Io. Frãcisci, vt prætendebatur; ita quod non solum emerant bona litigiosa, sed etiam non litigiosa, itaut omnia bona emissent, & post emptionem sequutam Io. Franciscus interfecerat Gentilem, vnum ex fratribus collitigãtibus. Fuit dubitatum, supposito quod homicidium fuisset perpetratum ex causa emptionis bonorum, & sic ex noua causa; An esset locus Alexandrinæ, & videbatur, quod sic; quia Alexandrina vult, quod quis occasione litis sit vulneratus, aut interfectus: & verbum, occasione, dicit causam remotã. Licet ergo ex causa emptionis foret interfectus; quia tamen lis fuerat causa remota, quoniã occasione litis motæ, Gentilis interfectus, emerat bona; ergo erant verificata verba Alexandrinæ, & sic illi locus erat; Tamen istis nõ obstantibus, fuit resolutũ contrarium 4. Aprilis 1541. Nam præsupponebatur in facto, quod nõ solum bona litigiosa, sed etiã omnia bona, et non litigiosa, fuerant empta; Vnde dicebatur, quod ista erat noua causa, & non dependens à lite; & præsumebatur, quod ex illa noua causa homicidium fuisset commissum, ex quo ante emptionem, ex sola causa litis, Io. Franciscus nil contra collitigantes fecisset: minusq; erat præsumendum, quod postea fecisset, cum iam obtinuisset vnam sententiam super spolio, &, si ita lite, vt causam remotam cõsideraremus, sequeretur, quod, si duo, vnus Gallus, alter Hispanus, litigarent in Curia, & lite pendente, propter verba iniuriosa, vnus alterum verberaret, quod locus esset Alexandrinæ, cum similiter dici posset, quod occasione litis, ad verba iniuriosa deuentum foret.

SVMMARIVM.

Alexandrina habebat locum in eo, qui verberauit procuratorem litis vertentis in Curia, extra Curiam, qui illuc occasione litis accesserat.

DECISIO XCIX.

CRedo, quod eadem die 4. Aprilis 1541. in vna Placen. de Scotis, coram D. Io. Paulo, Domini voluerunt, quod constitutio Alexandrina haberet locum in eo, qui verberauerat procuratorem litis ventilatæ in Curia, licet ille procurator fuisset verberatus in ciuitate Placentiæ, qui tamen accesserat ad illam ciuitatem causa exequendi remissoriã super liquidatione bonorum, occasione legitimæ & trebellianicę detrahendæ, licet verba Alexandrinę in multis partibus illius cõstitutionis videantur prospicere, vt existentes in Curia, sint tuti, & libertati Curię fauere. Tamẽ Domini voluerunt, vt intelligeretur de uerberatore procuratorem, testem, seu iudicem, etiam extra Curiam,

litis

lite pendente occasione litis, tum quia con-
stitutio Alexandrina, tanquam fauorabilis
esset extendenda, tum quia ex quo talis pro
curator causa exequendi recesserat reuersu-
rus, tamen post exequutionem factam ad
Curiam, non dicebatur à Curia abesse: tum
quia eo modo lites impedirentur per indi-
rectum exerceri in Curia, si licitũ esset pro-
curatores, testes, vel iudices à Curia absen
tes, extra Curiam verberare.

SVMMARIVM.

Mandatum ad compromittendum, vt per arbitros deberent causæ terminari non solum intelligitur, vt semel possit compromittere, sed toties quoties.

1 *Statutum cogens ad compromittendum, quoties cogere dicatur.*
2 *Statutum Vrbis de donationibus, & pactis non valituris, an habeat locum in muliere compromittente.*
3 *Statuti sollemnitas non requiritur in actu necessario.*
4 *Tutor an & quando possit compromittere super re, & lite pupilli.*

DECISIO C.

FVit resolutum in vna Liuiana heredita
tis coram D. Io. Paulo 4. Aprilis 1541.
quod mandatum datũ ad compromittendũ
procuratori, expressa causa, vt per compro-
missum, & per arbitros differentiæ deberẽt
terminari, non solũ intelligeretur de primo
compromisso, ita vt procurator non tantum
intelligeretur habuisse semel facultatem cõ
promittendi, sed toties, quoties, donec
lis esset compromisso finita, prout dicimus
1 de statuto, † cogente ad compromittendum
secundum Bal. in l. fideicommissa, §. siquis
decem ff. de legat. 3. & per Felin. in c. 1. de
Treug. & pace. Et tanto magis fuit tenta
ista pars, quia præsupponebatur in facto,
quod compromittentes, ex quo erant soro-
res, tenebantur ex statuto compromittere
per dictum Bal. in dicto §. si quis decem. nec
obstat, quod dicebatur ex aduerso, quod il-
lud esset verum, quando ipsa principalis fe
cisset compromissum, & dixisset, quod vigo-
re statuti fecisset, quia tunc videretur coa-
cto fecisse; tunc haberent locum superius di
cta: secus est in mandato dato ad compro-
mittendum, vt illud intelligendum foret vo
luntarie factum iuxta dictũ Salicet. in l. fin.
C. de iudic. quia fuit responsum, ꝙ illud di
ctũ Salic. reprobatur, vt per Deciũ in c. cũ
M. Ferrarieñ, col. 12. vers. secundo Abbas
refert per totam illam col. de constitut. &
per Crotum in l. qui Romæ, §. duo fratres,
col. 14. vers. notate etiam pro complemen-
to, & text. ff. de verb. obligat. Et in eadem
2 fuit dictum, † quod statutum Vrbis de do-
nationibus, & pactis non valituris, non ha-
beret locum in muliere faciente compro-
missum, quoniam prima pars illius statuti
tantum comprehendit quatuor contractus,
inter quos nõ enumeratur compromissum,
nec etiam secunda pars: in quo dicitur, quod
mulier vltra tertiam partem læsa, &c. Item
& secundo, quia cũ præsupponeretur, quod
ad compromissum partes poterant cogi per
statutum, ergo ad faciendum actum necessa
3 rium † non erat necessaria solemnitas statu
ti, l. 1. §. sed si patri stipulanti, ff. de reb.
eorum, & text. & ibi not. Aret. in l. si tibi
pecuniam, in 4. not. ff. si cert. pet. glos. pen.
Cinus, & Bal. qui dicit communem, & Salic.
& Ange. in l. fin. C. de legit. tut. Roman.
cons. 280. & 394. & licet tutor non possit
4 compromittere † super re, vel lite pupilli.
Ange. in l. Imperatores, ff. de pact. Pau. de
Castr. Alex. & Ias. in l. Iurisgentiũ §. fin. de
pact. tamen potest cõpromittere ex neces-
sitate statuti, vt notat Bal. & Ang. vbi di-
cit seruari in practica, & sequuntur ibi Pau.
Alex. & Ias. in d. l. iurisgentium §. fina.

SVMMARIVM.

Testator an possit grauare heredem dare singulis annis certum quid, ratione retardatæ solutionis legati.

DECISIO CI.

TEstator * legauerat vsumfructũ cuius-
dam possessionis vxori suæ; item pro-
hibuerat, quod in vita sua non posset pete-
re dotem suam ab heredibus suis, sed quod
heredes tenerentur ei dare quolibet anno
ad rationem quinque pro centenario. Item
prohibuit, quod vxor simpliciter non posset
petere antiphatum sibi debitum ab heredi-
bus suis. Fuit dubitatum in vna Placeñ, co-
ram D. Sarnen. An illa quinque, quæ tene-
bãtur dare heredes singulis annis, essent vsu
ra: & causa sæpius posita in Rota; tandem
4. Aprilis 1541. vota fuerunt paria; nam
quinque videlicet Aqueñ, Thomas de Tha-
nis, Io. Paulus, Rainaldus, & Mohedanus
dicebant, quod non essent vsura per illud,
quod dicit Socin. in l. 2. col. 3. circa finem,
vers. & ista inducuntur ad quæstionem, ff. de
ijs quæ pen. nom. vbi dicit cõsuluisse, & sic
iudicatũ Romę. Item & secundo, quia vide-
bantur illa quinque data esse in recompen-
sam antiphati adempti, & sic non diceretur
vsura: quod fundamentum admittebant alij
quinque, si fuisset in facto verum, sed dice-
bant, quod ex verbis testamenti apparebat,
quod non essent data in aliquam recompẽ-

* Vide aliquid supra decis. 66.

sam, sed potius ob dilationem retardatæ solutionis dotis. Et ideo pro alia parte, videlicet, quod esset vsura, alij quinque videlicet Maceraten. Marsicanus, Marescotus, Verallus, & Puteus allegabant Ias. in l. 1. col. 7. in 2. lectura, vers. vltra eorum dicta, C. de sum. Trinit. Socin. cons. 56. vol. 3. Alex. cons. 27. vol. 4. Barbatia, cons. 66. 2. vol. & dicit Anania in c. super eo de vsur. quod grauamen isto casu reijcitur, & aliquid dicit Io. Anto. Alex. cons. 108. Tandem 2. Maij 1541. per septem ex decem votantibus fuit resolutum, quod esset vsura, contradicentibus Aqueñ, Io. Paulo, & Rainaldo, & ad istam decis. facit, quod dicit Aymon Crauetta, cons. 89. nobilis Antonius. vide Hieronymum Cagnolum in repet. l. curabit, col. 1. vers. ex quibus infertur, & ext. C. de actio. empt.

SVMMARIVM.

In materia præscriptionis iurisdictionis non fit extensio de casu ad casum.

1 *In iurisdictionalibus an fiat extensio ad alios gradus eiusdem speciei.*

2 *Tantum præscriptum, quantum possessum, quomodo intelligatur.*

DECISIO CII.

Dubitaui ego in vna Carthaginien. spolij fructuum pro Thesaurario Carthaginien. videlicet Petro de Medina, contra Capitulum Carthaginien. 4. Aprilis 1541. An actus iurisdictionales Capituli in Capitulares, non reclamantes pro iniurijs contra Capitulũ à capitularibus factis, Episcopo existente in quasi possessione procedendi contra capitulares delinquentes cum vno ex Canonicis, faciant, vt Capitulum solum potuerit procedere contra Thesaurarium reclamantem. Et fuit resolutum, quod non, & dictum, quod anno præterito, in vna Legionen. Archidiaconatus de Saldagna corã D. Io. Paulo fuerat tentum, quod in materia præscriptionis procedendi sine consilio Capituli, non fiebat extẽsio de casu ad casum, etiam eiusdem speciei, contentæ sub vno gradu iurisdictionis; & quod quasi possessio relegandi, non extendebatur ad casum priua-
1 tionis, & licet in † iurisdictionalibus fiat extensio ad alios gradus eiusdem speciei, vt per Ias. post Paul. de Cast. in l. Imperium, col. penult. de iurisd. omn. iudic. hoc tamen intelligitur, nisi ius commune præscribentibus obstet, tunc non fit extensio, etiam in quibus alias fieri deberet, vt per Felin. in c. auditis de præscript. vbi col. 8. refert limitationẽ Paul. de Castr. in l. Imperium li-
2 mitantem regulã, † Tantum præscriptum, quantum possessum, vt non procedat in extensione ad alios gradus eiusdem speciei, col. tamen 9. vers. intellige prædicta, limitat procedere in ijs, in quibus nõ præscribitur, iure communi resistente, vel alius sit in possessione, ex notat. per Innoc. & Abb. in c. 1. de relig. dom. & ita tenet Riminal. in l. Imperium, col. 2. vers. inquantum dicit: vbi cõcludit ad extensionem, vtrumque requiri copulatiue, tam conformitas iuris communis, quam etiam, quod alter non possideret, Roman. cons. 368. tenet, etiam Balb. in tract. præscript.

SVMMARIVM.

An in casu c. non solum de regular. in 6. Moniales admittentes ad professionem infra annum, excusentur à suspensione illius Canonis.

1 *Quelibet causa excusat à pœna, quomodo intelligatur.*

DECISIO CIII.

Fuit dubitatum in vna Valentina nullitatis professionis coram D. Io. Paulo, prima Aprilis 1541. An in terminis, c. nõ solum de regular. in 6. Moniales Sanctæ Catherinæ de Senis ciuitatis Valentinæ, quæ admiserunt Beatricem ad professionem infra annum probationis, excusarentur à suspensione, de qua ibi per canonem. Et fuit conclusum, quod non, quia aliter dicendo redderetur elusoria communis sententia Canonistarum, in c. non solum, quę habet, quod Moniales Prædicatorum, vel Minorum recipiendæ infra annum probationis, incurrant pœnas, de quibus in illo c. nõ solum: debebant enim Moniales per se, vel alium consulere peritiores, iuxta nor. in l. bonorum, ff. de bonor. possess. & in l. iuris ignorantia C. qui admit. Et ad illud, quod dicebatur,
1 quod quęlibet causa † excusat à pœna; verum est à pœna corporis afflictiua, vt, per Bart. in l. iuste possidet, in fine, ff. de acquir. possess. Et vlterius considerabam ego, quod pœna suspensionis, de qua in c. nõ solum de regular. in 6. non solum est imposita in pœnam Monialium recipientium, sed etiam in fauorem recipiendarum, ne de cetero sint ita faciles ad obligandum Religioni volentes eam ingredi: licet ergo conditio personarum, difficultas iuris, & alia, quę pro parte contraria considerabantur ad excusandum Moniales à pœna eis infligenda, tamen non excusabant eas, quominus non essent suspensę in fauorem recipiendarum; nam ex quo ex illo Canone erat illis ius quesitum

tum, non poterat absque facto earum ab eis tolli.

SVMMARIVM.

An in gratia posteriori, ad effectum vt suspendat priorem, non solum sit facienda mentio de clausula derogatoria, sed etiam de derogatoria derogatoriæ.

1 *Clausula Ex certa scientia, vis.*

DECISIO CIV.

IN vna Zamoreñ Canonicatus, & præbeñ, inter Alfonsum de Villanoua ex vna, & Gasparem de Monte Rosso ex alia, die prima Aprilis 1541. dubitaui ego, An in gratia posteriori ad effectum, vt suspendat priorem, non solum sit facienda mentio de clausula derogatoria, sed etiam de clausula derogatoria derogatoriæ. Et fuit resolutum, quod sic; nam ratio DD. quæ vult, vt sit facienda mentio de clausula derogatoria præcedentium, ea est, vt constet de mente principis volentis suspendere, seu reuocare primam gratiam, etiam cum clausula derogatoria præcedentium, ad not. per Bart. in l. si quis in principio, ff. de legat. 3. Paul. de Castr. cons. 55. passus iste dubitabilis, alias est num. 278. in 1. vol. in non. col. 3. vers. & ideo pro concordia, &c. non est verisimile, quod per secundum priuilegiũ princeps voluit derogare primo, nisi tollat clausulas derogatoriarũ derogatorias adiectas in primo, per quas princeps declarat mentẽ suam futuram esse in secundo priuilegio cõtrario primo, & derogat derogationibus in primo priuilegio contentis. Et quia communis est, & Rota semper tenuit, quod nõ sufficiat generalis derogatio, nec requiratur derogatio in indiuiduo, sed sufficiat specialis derogatio, vt per Pau. de Castr. in dicto cons. 55. alias 278. in nouis in 1. volum. & cons. 316. incipieñ, quoniam adiectione non indiget, &c. alias 3. in 1. volum. in nouis in quibus fundatur Felin. in c. nonnulli, col. 5. vers. amplia. 2. & in c. accedentes, col. 3. de præscript. necessario ergo oportet dicere, quod sit facienda mentio clausulæ derogatoriarum derogatoriæ, vt tollatur omnis protestatio primæ gratiæ, vt voluit Bart. in d. l. si quis, in principio, col. 4. ad finem versic. quæro, quid si verba derogatoria, & clarius Pau. de Cast. in dicto cons. 278. col. penult. ad finem, versic. patet ergo, quod dicta clausula, &c. Dixerunt tamen Domini Thomas de Thanis, Io. Paulus, Mohedanus, Maceraten. Marsicanus, Marescotus, & Veralius, contradicentibus Raimaldo, Sarneñ, & Aquen. quod, licet istud sit verum, quod requiratur mentio derogatoriæ derogatoriarum, tamen, quod in gratia Alfonsi sufficiẽter de dictis clausulis esset facta mentio, ex quo in ea dicebatur, quod tollebat omnes gratias præcedentes, cũ quibusuis clausulis, suspẽsionibus derogationibus, &c. Nã certũ est, quod derogatoria derogatoriç est derogatio. Si ergo Papa renocat cum quibusuis derogationibus, ergo voluit comprehendere omnes species comprehensas sub illo genere derogationũ & fuit allegatũ cons. Domin. 115. Item in gratia Alfonsi posteriori erat clausula ex certa scientia, 1 quç habet vim specialis derogationis, vt per Felin. in d. c. nonnulli, col. 16. vers. fallit quarto prędicta regula, ita limitando regulam d. qua col. 4. vers. regula prima est ista: vbi lex Canonica, vel Ciuilis habet clausulam derogatoriam, & licet ibidem Felin. col. 19. hoc limitet, quando agitur de prçiudicio singularis personç, à dicta limitatione excipit beneficialia propter plenissimã potestatẽ, & casum etiam modici prçiudicij; quæ ambç exceptiones casui non conueniunt, & etiam quia, an sit derogatum, vel non, primç gratiç, dependet ex mente disponentis, quæ secundum prçfatos in isto casu colligebatur, ex quo gratia prima erat generalis, & ista secunda erat specialis ad canonicatum, & cum in secunda Papa vellet, quod prçferretur omnibus etiam familiaribus, etiam antiquis descriptis, Rotç Auditoribus, &cęt. satis apparebat de mente Papç, quod secunda primæ gratiç derogaret.

SVMMARIVM.

Decretum, quod à die possessionis, habitæ infra sex menses, teneretur expedire litteras, quomodo intelligitur.

DECISIO CV.

IN vna Gerunden. Canonicatus, & Prębendç, in qua, in vna gratia erat apposita clausula, quod à die possessionis habitç infra sex mẽses, teneretur expedire litteras, de mense Martij 1541. coram D. Rainaldo fuit dubitatum, An illi sex menses inciperent currere à die possessionis * habitç simpliciter, an vero à die habitæ possessionis pacificæ, & vota fuerunt paria, videlicet quinque, & quinque. Illi quinque, qui tenebant, quod intelligeretur à die possessionis, mouebantur, ex quo decretum simpliciter loquitur, ergo debet simpliciter intelligi. Itẽ quia ita vtitur Cancellaria, vt videlicet non cõsideret possessionem pacificam, vel non, dum tamen possideat, nõ satis fit succursum, quod in euentum in quem beneficium euincatur, officiales tenẽtur restituere pecunias illi, qui litteras

* Quod aũt intelligatur de possessione et nõ pacifica, vide quæ dicit Staphil. in Tract. de lit. grat. & iustit. fol. 23. pag. 1. vers. viterius pro declaratione cum seq. pag.

litteras expediuit, alij vero quinque, inter quos ego fui, dicebant, quod iura semper cõsiderant pacificam possessionem, vt in c. cõmissa, & c. licet canon, & alibi sępe: & quia in dubio, de possessione pacifica esset intelligendum, tanquam de potiori significato, & ita allegaui tenentem Aret. in rub. ff. de acquiren. possess. col. penult. qui ad hoc alleg. gl. in Clem. 1. in verbo neutro, vt lit. pend.

SVMMARIVM.

Sex menses appositi ad expeditionem litterarum de beneficijs reseruatis, an incipiat currere a die notæ reseruationis.

DECISIO CVI.

ET postea in eadem die 28. Martij 1541. quia illi sex menses erant appositi ad expeditionem litterarum de beneficijs reseruatis; fuit dubitatum coram eodem, An illi sex menses currerent à die notitiæ reseruationis: & fuit cõclusum, quod, si illa reseruatio erat occulta, * vt præsupponebatur in facto, quia erat reseruatio multum antiqua, de familiari, tempore Alexãdri ꝙ tunc non currerent, nisi à die notitiæ reseruationis, nc ignorantia sine culpa puniretur per not. per Bart. in l. genero ff. de ijs, qui notantur infam. Alex. consil. 116. in 5. vol. & Bal. in l. cum annus, ff. de calumniat. cum alijs, de quibus in informationibus.

* Quod si illa reseruatio esset occulta. Vide quæ dixi. in 2. lib. Annot. mearũ, decis. 352.

SVMMARIVM.

Procurator in tali causa constitutus contra Titium, & in omnibus alijs litibus, & causis, intelligitur contra Titium.

DECISIO CVII.

IN vna Placen. Præstimonij coram D. Britonorien. 28. Martij 1541. fuit dictum, quod, si ego constituo * procuratorẽ in tali causa contra Titium, & in omnibus alijs litibus, & causis, quod intelligitur contra Titium, per dictum Bart. in l. quod dicitur in princ. ff. de tute. Milis in verbo procurator, constitutus contra certam personam, & Iason in l. si vnus in princ. in fin. colum. ff. de pact. Gozadinus, consf. 87. prima facie, colum. 3. in princ. vers. 2. quia clausula sequens, &c.

* Vide Rom. sing. 353. constituo Titiũ vbi dicit, quod dictũ Bart. non est verum, tamen nihil allegat.

SVMMARIVM.

Consuetudo Religiosorũ procedendi summarie, & post datam sententiam comburendi processum, & lacerandi quanto tempore præscribatur.

1 *Consuetudo contra bonos mores, præstans occasionem delinquendi non valet.*
Nec consuetudo approbatiua pacti de succedendo.
2 *In quasi possessione, habente contra se resistentiam iuris communis quid requiratur.*
3 *Contra Regulares, quomodo per Prælatos eorum procedatur.*
4 *An admittatur appellatio in eorum processibus.*

DECISIO CVIII.

IN * vna Romana prętensi spolij coram D. Marsicano pro fratre Georgio, contra Congregationem S. Saluatoris, fuit dubitatum 23. Martij 1541. An consuetudo, quam seruant Religiosi S. Saluatoris in priuando aliquem à Congregatione, videlicet summarias capiendo informationes, & constito de delicto per suas probationes, & Religioso eiecto, cõburitur, & laceratur processus, ne de causa eiectionis appareat; sufficiat, quod probetur per quadraginta annos, ita quod dicatur præscripta: & pro parte negatiua dicebatur, quod ista esset † consuetudo contra bonos mores, præstans occasionem delinquendi, & sine causa expellendi, & priuãdi: & sicut in tali casu lex non valeret, vt per Domin. in c. 1. col. fin. versic. quid si Episcopus, de fil. presb. in 6. Federic. de Senis, cons. 275. incip. casus talis. Bart. & Aret. in l. testamenti factio, ff. de testam. Dec. in c. 2. in primo not. in prima lectura, etiam in 2. not. in 2. lectura, de constitut. Felin. in c. Ecclesia Sanctę Marię, col. 15. de constitut. & consuetudo contra bonos mores, & quę inuitat ad delictum, non operatur, vt dicunt DD. de consuetudine approbatiua pacti de succedendo, per quod inducitur votũ captandæ mortis, vt notat Bart. in l. omnes populi in 3. quęst. prin. ff. de iust. & iur. Alex. in l. pactum quod dotali, col. 2. in 2. limitat. C. de pact. Item cum ista quasi possessio habeat contra † se iuris cõmunis resistentiam, ergo vel requiritur priuilegium, vel quasi possessio temporis immemorabilis, c. ad decimas de restit. spoliat. in 6. Bal. in l. sollemnibus, C. de fid. instrum. in l. ius eius, C. de probatio. Sed istis non obstãtibus fuit conclusum pro parte affirmatiua; primo per tex. in c. per tuas, in fine de simon. Secundo, quia cõgregatio ex suis constitutionibus habet facultatem destituendi Canonicos reos, & delinquentes, quò fit, quod cum Prælati, † Priores, seu Rectores Congregationis procedunt contra delinquẽtes in causa correctionis ad pœnam contentam in statutis, possunt procedere, omissa omni forma iudiciali, vt dicit glos. in verb. & correctione, quam omnes approbant in c. ad nostram 1. de appellationib. & inde est, quod in tali reijcitur appellatio, vt est tex. in dicto c. ad nostram, & in c. reprehensibilis, & in c. cum speciali, §. fin. de appell. & hoc est, quod dicit Io. Mona. in c. 1. in fine de

* Et contra Regulares quis processus formandus. Vide Felin. in c. olim, col. 4. versic. vlt. quæritur. Io. Andr. de accus.

ne de religios. domin. lib.6. quod regularis denunciatio, idest clamatio in Capitulo debet fieri potius secundum obseruantiam regularem, & diuersas religionum institutiones, quam secundum iuris subtilitatem, & hæc de plano, & simpliciter expediunt in
4 qua non est appellatio † admittenda, vt est text. in c.qualiter, & quando 2. in fine de accusat. Tertio, pro ista parte facit text. in c. fina. in fine de confirm. iuncto text. in dicto c.per tuas de simon.not.in c.auditis, de præscripr. in c. cum Ecclesia Sutrina, de causa possess. & propriet. & est textus, vbi Abb. not. in c. Cumana, de elect. & est tex. in c.non est de consuetud. lib.6.

SVMMARIVM.

Vt quis obligetur per epistolam oportet, quod transmittatur, & in vita eius recipiatur.

DECISIO CIX.

IN vna Massilien. coram D. Mohedano inter Simonem Centurionem ex vna, & heredes Petri del Bene ex alia 23.Martij 1541. fuit dubitatum, adhoc, vt quis obligetur per litteras, sit necessarium, quod littera trãsmittatur, vel sufficiat, quod scripta reperiatur penes scribentem. Et conclusum fuit, quod requiritur transmissio, vt dicit Bal. in rub. C. de dotis promiss. circa finem: faciunt not. per glos. in l. consensu, ff. de action. & obligat. & quæ ibi dixi in apostilla ad glos. & ratio est, quia, licet littera sit scripta, potest tamen scribentẽ pœnitere: antequam ergo deducatur ad actum id, quod scriptum est, nõ debet obligare. Immo non solum requiritur transmissio, sed etiam receptio litterarum ante obitum transmittentis, vt per Roman. in l.nuda ratio, ff.de donat. col. penult. & Iason. in repet. l.admonendi, col.56. vers.secundo limita. ff. de iureiur. Hippol.de Marsilijs in l. is qui cum telo, col.6.num.42. vers. Item vltra prædictos, &c. ff.ad l. Corne. de sica.

SVMMARIVM.

Remedio Canonis reintegranda quanto tempore præscribatur.

1 *Dictio Quacumque, quid operetur.*
2 *Concessio in emphyteosim pro heredibus quibuscumque, quid operetur.*
3 *Dictionis perpetuo natura.*
4 *Actiones personales, an perpetua, & quomodo.*
5 *Præscriptio cur inuenta.*
6 *Actiones à principio, an vere essent perpetua, & num.13.*
7 *Remedium restitutorium non datur illi, qui ex iusta causa cecidit à possessione.*
8 *Possessio spatio quanti temporis amittatur.*
9 *Præscriptione exclusa, de qua præscriptione intelligatur, & num.10. & 12.*
10 *Præscriptio an sit exclusa per illa verba, semper, omni tempore, perpetuo, quandocumque, & similia.*
11 *Priuilegium concessum, quod nulla præscriptio currat, quomodo intelligatur.*
13 *Verbum perpetuo, quomodo intelligatur, & num.14.*

DECISIO CX.

DIe 28.Martij 1541. in vna Placen. Castrorum pro reuerendiss. Camerario de Sancta Flora, contra Comites de Rubeis, fuit propositum dubium, quanto tempore præscriberetur * remedio Canonis Reintegranda, cum in illo casu illi Comites de Rubeis essent in possessione quorũdam Castrorum, spectãtium ad quoddã Monasteriũ, quod ipse Camerarius habebat in Commendam, spatio centum & triginta annorum, & forsan vltra: & Camerarius tanquam Commendatarius agebat remedio Canonis reintegrãda, petendo possessionem eorũdem, quia probauerat per famam publicam, & auditum à maioribus, &c. quod sui antecessores possederant illa Castra. Et pro parte negatiua, quod etiã * spatio centum annorũ non esset præscriptum, allegabatur text. in c.reintegranda, dum dicit, quacumque conditione temporis nõ obstante, & Archid. ibidem, dum remittit se ad glos. in c.solicite. de restit. spol. dum vult, quod perpetuo cõpetat idẽ Domin. in d.c.reintegranda in 3.notab. & clarius prope finẽ super glos. in verbo Captiuitate, vbi post Gaspar. de Calder. ibi tenet, quod licet ad pœnam agi debeat infra tempora à iure statuta; tamẽ ad rem ipsam recuperandam nulla temporis conditio tollit illud remedium; & hoc idem tenet Cardin. Alex. ibidem, col.fin. & sic sunt
3 quatuor Canonistæ id tenentes in d. c. reintegranda, videlicet, Archi. Domi. Gaspar de Caldcr. & Cardin. Alexand. Eamdem opinionem tenuit glos. in cap. solicite, in glos. fin. de restit. spoliat. & ibi Gofre. Hostien. Ioannes Andr. Cardinal. & Imo. Itaque non videtur dubitandum, quin ista opinio sit communis apud Canonistas, & eam sentit Decius cons.57. circa finem, vers. & ex supradictis etiam tollitur, &c. Istam etiã opinio-

* Quod spatio decem annorũ præscribatur, Cassad. de eis 5. pag. 21 versic. videtur tamẽ, &c. de restitut. spoliat. Quod spatio 30. annorum præscribatur ponit Ruin. cons. 44. in iudicio, num. 16. lib. 4.

* Quod remediũ Can. reintegranda sit perpetuum, ponit lo. de Amic. cons. 61. n.18. Et dicit Ripa post Alexandr. per eum relata in l 3. col. 3. in princ. ff. quot. bonor. quod licet possit præscribi dominium rerum singularum, ad quas datur remedium Can. reintegrãda spatio lõgi temporis; tamen remedio d. Canonis non potest præscribi, nisi spatio longi temporis. An tanto tempore amittatur possessio, quo proprietas. Vide Felin. in c.vigilanti, col. penult. versic. alij volunt, quod consideratio, &c. de præscript.

opinionem tenuit Rota, prout refert Cassador. decis. 6. de restit. spol. Sarnen. super regula de triennali, quæst. 11. circa finem, qui dicit, quod illud remedium datur vsque ad mille annos, & etiam fuit ostensus liber. bo. me. Cardinalis Simonetæ, qui scripserat, quod in vna Florētina bonorum corā Vgone Subrogato Campegij pro Fratribus Carthusiæ, Rota tenuerat remedium vltra quadraginta annos competere, eo tamen reclamante; & in alia etiam Fesulana, ita conclusum fore; vsque ad centum annos competere, etiam testatur idem Cardinalis Simonetæ. Fundamenta illius partis sunt verba text. in c. reintegranda, dum dicit, quacumque conditione temporis; dictio
1 enim, † quacumq., facit, vt dispositio, quæ de se habet terminos præfixos, excedat terminos, & extendatur in infinitum, vt videmus in cōcessione feudi seu emphyteosis, quod si conceditur simpliciter pro se, & heredibus, intelligitur de descendentibus heredibus. Sed si est dictum, pro se, & heredibus quibus-
2 scumque, † tunc comprehenduntur etiam heredes extranei vsque in infinitum, vt per Ias. in l. quædam, §. nihil interest. ff. de eden. Hoc etiam videtur voluisse glos. in d. c. sollicite, in glos. fin. dum dicit, quod perpetuo cōpetit, ergo in infinitum, vt est natu-
3 ra ipsius dictionis, perpetuo, † quæ significat in infinitum, vt de se patet, & probatur in c. 2. & ibi Archid. circ. fin de hæret. in 6. & in l. pure. §. fin. ff. de except. doli, & not. in l. falso, C. de diuers. rescript. Nec obstat, quod actiones personales dicantur perpe-
4 tuæ, † & tamen non durent nisi spatio triginta annorum. l. omnes, cum notissimi, & l. si quis emptionis, C. de præscript. triginta annorum. Quia dicebatur, quod ab initio cum inuētæ fuerunt actiones, veræ erāt, & dicebātur perpetuæ, nec aliqua præfinitione temporis concludebantur; de Iure enim Digestorum, & ante; quo fuerunt dictæ actiones inuentæ, non erat cognita præscriptio triginta annorum, vt notat. in l. Iulianus, ff. ex quib. cau. maior. & ideo appellabantur perpetuæ. Et licet postmodū per iura Cod. vt in titulo. C. de præscript. triginta annorum fuerit restrictum tempus, tamen ex quo illud nomen habebant per prius, non fuit eis postea ademptum. Et ideo vbi dicitur perpetuo competere, intelligendum est sine temporis præfinitione. Nec obstat, quod si præscribitur dominio, quod est magis præiudiciale, multo magis debet præscribi possessioni; quia dicebatur,
5 quod præscriptio † proprie inuenta est propter dominia, ne semper, sint in incerto. l. 1. ff. de vsucap. non autem propter possessionē, quæ de facili postea recuperatur probato dominio: vnde non est inconueniens, quod ei non præscribatur, & maxime ne

* Quod actiones essent perpetuæ ab initio, sine tēporis præfinitione, ponit Cus. in. in rubr. C. qui adm. col fin in princ. vers. & ideo puto, &c. Et quod verbum perpetuum stet sine præfinitione tēporis, ponit Mar. Soc. Iun cons. 141 Viso, &c. col. 2. nu 6. in 1. vol.

detur materia hominibus occupādi possessiones alienas. Nec obstat, quod præscri-
6 batur alijs remedijs, & actionibus: † quia omnes actiones ab initio veræ erant perpetuæ, & durabant in infinitum. Sed postea ius ciuile per leges Imperiales, eas restrinxit ad triginta annos, & remansit illud nomen, perpetuæ actiones; sicut ante habebāt inst. de perpet. & temporal. act. in princ. Sed canon reintegranda fuit inuentus post ius ciuile à iure canonico, & ab ipso initio fuit inuentus esset remedium perpetuum, vt patet, dum dicit, quacumque conditione temporis non obstante, &c. Nec postea per iura ciuilia, aut canonica fuit illud remedium restrictum; ergo debet manere perpetuum; nec obstat, quod non debet induci diuersitas inter ius ciuile & canonicū, quia respondetur, quod nulla inducitur diuersitas, cum illud remedium canonis reintegrāda fuit inuentum de iure canonico, & non fuit cognitum de iure ciuili. Ideo non possumus dicere, quod per ius ciuile fuerit restrictum. Et istam partem, quod perpetuo competat sine temporis præfinitione, dicta die 28. Martij, qua fuit posita causa, fuerunt sequuti Rainaldus, Mohedanus, Sarnen., Aquen., Maceraten., Marescotus, & Veralius: alij vero tres, videlicet Marsicanus, Puteus, & Thomas de Thanis tenuerunt partem contrariam, videlicet, quod tali remedio præscriberetur spatio triginta, vel saltem quadraginta annorum. Hanc partem tenuit Soc. in l. rem quæ nobis, col. 9. in 8. quæst. ff. de acqu. possess. Dec. cons. 302. col. fin. in princ. Balbus in tract. præscript. in 4. parte 4. partis principalis quæst. 24. tenēt Ant. de But. & Abb. in c. sollicite, super glos. fin. de rest. spol. & videtur hanc partem tenere Ang. Aret. in §. quadrupli, col. 10. & 11. inst. de act. Fundamenta huius partis sunt; primum, quod adduxit Marsicanus, vi-
7 delicet canon reintegranda † non datur illi, qui ex iusta causa cecidit à possessione; sed qui tacuit per triginta annos, dicitur esse negligens, & sic ex iusta causa possessionem perdere: ergo de necessitate habemus fateri, quod spatio triginta annorum dicto canoni præscribatur, & istud fundamentū sensit Soc. in d. l. rem, quæ nobis, col. 4. vers. quinto dubitatur, &c. ff. de acquir. possess. Sed retorquebatur istud fundamentū, quia
8 spatio decem † annorum propter obliuionem possessio amittitur, iuxta glos. in l. si de eo, §. quod si forte. ff. de acquir. possess. ergo spatio decem annorum, præscribitur huic remedio: & ideo dicebatur, quod intelligebatur de negligentia, quæ interuenisset à principio, non autem post. Secundo dicebam ego, quod contra opinionem superius dictam, erat text. iuncto dicto Angel. ibi, quod cōmuniter tenent DD. in authen. de

ve de cętero commutat. rerũ ecclesiast. vbi
9 text. dicit, † nulla præscriptione obstãte. &
tamen Ange. dicit, triginta annorum, non
autem excludit præscriptionem centenariã.
& de illo dicto Angeli vide Felin. in rub. de
præscriptio. col. pen. vers. considera. &
nota. Tertio obstat communis opinio, de
qua in c. 1. §. preterea, de Capitulis Conra
di, vbi glos. & omnes feudistæ dicunt, quod
si statutum dicit, quod in aliqua materia
non currat præscriptio, si non potest verifi-
cari in præscriptione longi temporis, vtpu-
ta in actionibus personalibus, vel in rebus
Ecclesiæ, tunc intelligeretur de pręscriptio
ne longissimi tēporis, ad hoc vt aliquid ope
retur, sed si potest verificari in pręscriptio-
ne longa, de illa intelligetur, non autem de
longissima, vt minus corrigat ius commu-
ne, & ita erit dicendum in proposito, vt ius
Canonicum minus corrigat ius Ciuile, quã
sit possibile: sed vna pars iuris canonici mi
nus corrigat alteram partem, puta cap. de
quarta, de præscrip. in quo tractatur etiam
de rebus Ecclesiæ, in quibus habet locum
præscriptio quadraginta annorũ, & sic ca-
non reintegranda, dum excludit quamcum-
que conditionem temporis, intelligetur vs-
que ad quadraginta annos, non autem cen-
tum. Facit quod per hæc verba, semper, om-
10 ni tempore, perpetuo, † quandocumque, &
similia, non videtur exclusa pręscriptio tē-
poris, secundum And. Tiraquell. in suo tra-
ctatu de vtroque retractu, fol. 95. pag. 1. ver
sic. quibus adde, &c. Maria. Sozin. iun. con-
sil. 145. viso puncto, maxime, col. 7. vers. fa-
cit etiam, &c. Hieron. Gratus, cons. 61. per
Vicelegatum, &c. col. 1. vers. respondetur
quod illa non procedunt. lib. 1. Tiraquel. in
tract. de vtroque retractu, fol. 390. pag. 1.
nu. 16. vers. sed non parum dubij, cum se-
quen. pagina. Paul. de Cast. in l. neq; in final.
verbis, C. de vsufruct. Facit pro ista parte,
quod dicit Ares. cons. 15. quod licet priui-
11 legium † concedatur alicui Ecclesiæ, quod
nulla præscriptio currat, intelligitur de pre
scriptione quadraginta annorum, non au-
tem centum. Præterea est aduertendũ, quod
canon reintegranda; excludit tantum condi
tionem temporis. Sed tempus centum an-
norum, vim constituti & priuilegij dicitur
habere; ergo talis præscriptio non censetur
exclusa. Alia fundamenta colliges ex ijs
quæ dicit Balbus in d. tract. in loco supe-
rius allegato, & Felin. in d. rub. de præscri-
pt. col. pen. Et vide ad istam materiã Cas-
sanæum, cons. 66. col. 8. num. 18. & in tract.
consuetudinum Burgundiæ, fol. 301. col. 3.
vers. aduerte, quia quando lex communis.
Et de constitutione excludente quãmcumq;
12 præscriptionem, † quod non censeatur ex-
cludere præscriptionem centenariam, vide
Afflictum in constitut. Regni, incipien. cõ-

suetudinem in 8. not. in 3. lib. & in constitu
tione, si dubitatio, vers. quarto pōdera, &c.
in eodem 3. lib. Et ex omnibus istis tu pote
ris colligere multa fundamenta hinc inde.
Aduerte ad glos. in c. sollicite, super qua fit
totum fundamentum pro parte prima.
Quia licet glos. dicat quod compe-
13 tat * perpetuo, † tamē intelligetur,
vsque ad trigesimum, vel quadrage-
simum annum, vt voluit ibi Anto-
nius, & Abb. & quia actiones sunt
perpetuæ, vt patet in rub. de perpe-
tuis, & temporalibus actionibus, &
tamen finiuntur spatio triginta, vel
quadraginta annorum, l. sicut, & l.
omnes, C. de pręscript. triginta an-
norum. Et ad verbum * perpetuo,
vide pulcram doctrinam, quam tra-
dit Cassanæus, in d. tract. consuetu-
dinum, in d. fol. 301. col. 2. in fine
vers. aduertendum est, &c. Et quod
canoni reintegrãda pręscribatur spa
tio triginta, aut quadraginta anno-
rũ, vide Paul. de Castr. cons. 105. incipiēte,
in quęst. quę tractatur verti, in pen. colum.
ad finem, cum seq. in antiquis, quod repe-
ritur allegatum in dictis memorialibus bo:
m:: Card. Simonetę. Et pro * ista
parte videtur bonus text. in c. pla-
cuit vt quicumque negligunt, §. iu-
bemus 16. quęst. 3. vbi dicitur post
cursum quadraginta annorum nul-
lus super possessione, vel dominio
molestari debet. Causa iterum posi-
ta 27. Aprilis 1541. fuit allegatum,
quod Socin. cons. 39. in quęst. quę
vertitur, &c. col. 3. vers. pręterea
remedio dicti canonis, &cęt. vol. 3. tenet,
quod spatio triginta annorũ pręscribatur.
Pro alia vero parte, videlicet quod perpe-
tuo competat, vltra allegata supra, D. Sar-
neñ dixit, quod Anton. Corset. & Angel. Fe-
lin. in d. c. 2. de rest. spoliat. tenent, quod
perpetuo competit. Sed respondebatur,
14 perpetuo, idest, vsque ad triginta annos.
D. Marsicanus retulit se vidisse quędã scri-
pta, seu collecta s Ludouici Romani manu ip
sius Romaniqui in vna parte dicit, quod ista
quęstio fuit in Rota, & quod tunc nihil fuit
decisum. & paulo infra Romanus dicit quod
iterum fuit in Rota, & quod fuit decisum
quod præscriptio non obstaret. Istis tamen
non obstantibus, vota fuerunt paria, vide-
licet Domini Rainaldus, Mohedanus, Sar-
nen. Aquen. & Maceraten. tenuerunt, quod
nullo tempore pręscriberetur, & sic sine tē-
poris præfinitione competeret, vsque ad mil
le annos, & sic quinque pro ista parte; pro
alia vero parte fuerunt alij quinque, videli-
cet Marsicanus, Marescotus, Verallus, Pu-
teus, & Thomas de Thnnis. Et die 29. Apri-
lis 1541. causa iterũ posita pro parte quod
pręscri-

* Quod verbũ perpetuo exponatur pro triginta annis ponit Andreas Tiraquell. in tract. suo de vtroq; retract. fol. 21. pag. 2. vers. perpetuum autem tempus &c. & ibi, quod alijs modis capiat.

* De Verbo perpetuo, vide Cassanæũ cons. 18. col. 6. versic. ex quibus videtur dicendum, &c. & sequen. vers. 9. pro hac opinione, &c. & col. 15 vers. & ad fundamētum.

* Et pro parte ista quod spacio cētum annorum cēseatur præscriptum Can. reintegrãnda videtur decil. 259 in nou. incip. In testa. pro alicuius parochię. Nam ibi agebatur spolio pro decima, tamen admittitur allegatio pręscriptionis centum annorum.

præscriberetur spatio quadraginta annorũ, fuit allegatus Steph. Bertrand. cons. 44. venerabiles, & egregij, col. 3. nu. 8. vers. tum & quia si probaretur, &c. vol. 3. Et in dicta audientia D. Verallus mutauit votum, per ea, quæ dicit Iason in l. stipulationum aliæ 5. in princip. in final. col. versic. 2. singulariter limita, &c. ff. de verb. obligat. & quod dicit Alber. in l. 1. in prin. ff. de vi, & vi armat. vbi dicitur, quod de iure canonico perpetuo spoliatus agit; sed dabatur responsio, quæ fuit data ad gloss. in c. 2. de restit. spol. Et ideo dixit, quod pro illa audientia non volebat præcise dare votum, sed melius videre. Iterum 2. Maij 1541. causa posita, D. Hieronymus Verallus affirmauit votum, quod noluerat affirmare in audientia præterita: & sic fuerũt sex pro Reuerendiss. Camerario, videlicet, quod nullo tempore, & sine præfinitione temporis, dictum remediũ canonis reintegranda, competeret: & quatuor fuerunt pro parte, quod tantum competeret spatio triginta, vel quadraginta annorum, & sic fuit facta resolutio, quod remedium canonis, perpetuo, & sine temporis præfinitione competeret.

S V M M A R I V M.

Statutum, quod instrumenta, post sexdecim annos fidem non faciant, habet locum etiam in instrumento iurato.

1 *Statutum detrahens fidem instrumentis, quomodo validum.*

2 *Instrumento debiti sublato per statutum, an tollatur iuramentum.*

Iuramentum an habeat vim litis contestationis, & perpetuet actionem ad 40. annos.

3 *Dispositio quantumuis generalis, non comprehendit dispositionem iuratam.*

DECISIO CXI.

Die 27. Aprilis 1541. fuit conclusum per nouem ex decem Dominis, solo D. Rainaldo contradicente, quod statutum Vrbis situatum in 4. lib. sub rub. 18. de præscriptione personalium actionum, &c. dum in finali parte dicitur, quod instrumenta, & codices rationum, post cursum sexdecim annorum nullam faciant fidem, quod habet locum etiam, vbi est instrumentum continens iuramentum: & causa erat coram D. Marsicano intitulata Romana dotis, pro Ioanne Baptista de Theholis, contra Marium Cappocinum. Fundamentum,
1 quoniam tale † statutũ detrahens fidem instrumento post cursum certi temporis, validum est, vt dicit Soc. cons. 120. col. pen. & cons. 231. col. 8. vol. 3. Alex. cons. 170. vol. 5. Corn. cons. 32. vol. 3. & 252. in fin. vol. 4. Gozad. cons. 88. vnde, cum statutum valeat, & tollat vires instrumento post sexdecim annos, sequitur quod non probetur iuramentum, nec aliquid in eo appositum, cum veniat accessorie ad instrumentum; vnde sub-
2 lato † instrumẽto, tollitur & iuramentum, tamquam accessorium, vt voluit Dominic. cons. 83. Et per hoc cessat quod dicebatur, quod iuramentum habet vim litis contestationis, & perpetuet actionem ad quadraginta annos, vt per Bart. Alexan. & Ias. in l. nam, & postea, §. si is, qui temporali, ff. de iureiur. quia istud esset verum, quando iuramentum appositum in instrumento, probaretur aliunde, quam ex ipso instrumento: sed quia in casu nostro non probatur, nisi per instrumentum, & illud non facit fidem; sequitur quod cessat talis perpetuatio. Non obstat etiam, quod dicebatur, quod omnis dispositio quantumcumq. ge-
3 neralis non intelligitur † de dispositione iurata, vt plura cumulat Felin. in c. constitutus, de rescript. & sic statutum, quod loquitur, quod nulla fides adhibeatur instrumento, non intelligitur de instrumento iurato; quia respondetur, quod aliud est instrumentum, & aliud quod continetur in instrumento, secundum Bart. in l. si quis legauerit. ff. de fal. Vnde non est verum, quod instrumentum sit iuratum, sed bene id quod continetur in instrumento. Et ideo tollitur, quod dicit Capella Tolosana decis. 220. quia verum est, quod debitum iuratum non præscribitur præscriptione statutaria, vbi probatur iuramentũ: sed hic non probatur, ergo, &c. & eadem responsio cadit ad cons. Corn. 328. n. 22. vol. 1. & cõs. 180. col. 2. nu. 28. vol. 3. Non obstat, quod dicit Ias. adductus per D. Rainaldum, in authen. sacramẽta puberum, col. fin. vers. nota tamen quod si statutum, &c. C. si aduersus ven. quia loquitur de contractu iurato, non autem de statuto. Et in contrarium fuit allegatus Crotus in repet. l. omnes populi, ff. de iust. & iur. qui voluit post alios, quod statutum detrahens fidem instrumento, intelligitur etiam de instrumento iurato; quoniam instrumentum capitur pro illa pelle mortua & illa non est iurata, sed bene contractus contentus in ea.

S V M M A R I V M.

Iuratoria cautio non admittitur, vbi tertius veniens pro suo interesse, vult admitti ad impediendum exequutionem.

DE-

DECISIO CXII.

FVit dictum in vna Lamacen. coram me die 27. Aprilis 1541. quod Petrus Ribello, qui petebat exequutionem sententiæ contra tertium, volentem impedire exequutionem, & cui volebat cauere per cautionē iuratoriam, quod tali casu iuratoria cautio non esset admittenda, sed idonea. Quia quoties quis vult ab aliquo aliquid consequi, non sufficit cautio iuratoria, per ea, quæ dicit Iason in l. 1. col.fin. vers. Tertio limita, &cæt. ff. qui satisd. cogant. & ibi posui in addit. ad eum. Et ideo Petrus, qui volebat possessionem Parochialis, de qua erat spoliatus, & fructus consequi à sequestratoribus, debebat tertijs dare cautionem idoneam.

SVMMARIVM.

In isto casu, licet non essent attentata, tamen non fuit auditus, nisi restitutis fructibus.

DECISIO CXIII.

IN vna Amerina, coram D.Maceraten. in qua Io. acceperat possessionē Castri Atiliani, nomine Hyppolitæ, à qua fuerat datum mandatum, & postea idem Io. acceperat certos fructus eiusdem Castri, super qui bus pendebat lis. Et erat commissa causa at tentatorum, & statim commissa causa, Hyppolita in actis fuerat protestata, quod non ratificabat perceptionem factam nomine suo per assertum procuratorem, de cuius mandato ad percipien.fructus prædictos nō constabat, licet testes deponerēt, quod Ioannes, tanquam negotiorum gestor, & nomine Hyppolitæ perceperat. Tamen voluerunt Domini, quod licet prædicta non essent reuocanda per viam attentati, cum non constaret de mandato expresso, nec ratificatio ne Hyppolitæ; quia tamen constabat, quod Ioannes fuerat procurator Hyppolitæ ad capiēdū possessionē. Et castrū nomine Hyppolitæ gubernabat, & propter lōgitudinem tē poris præsumebatur Domina Hyppolita anuisata, & poterat facere, quod illi fructus restituerentur Panthasileæ, siue eius heredibus. voluerunt, quod Hyppolita non audiretur, nisi restitutis fructibus perceptis. Et dixit D.Marsicanus, quod ita in vna heredum Militis Casalis alias fuerat iudicatum. Die 9. Maij 1541. similis decisio fuit facta in vna Placen. pro Comitibus de Rubeis, contra Reuerendiss. Cardinalem S.Floræ, coram D.Ioanne Paulo. in qua, lite pendente inter prædictos, Legatus Cispadanus posuerat Potestatem in vna ex terris, seu in vno castro, cuius erat dñs præfatus Camerarius. Et sic cum fuisset factum lite pendente, licet non probaretur, quod ad instātiam Camerarij; tamen quia erat positus Potestas in Castro suo, quem poterat ad libitum remouere; fuit dictum, quod non audiretur, nisi Potestate amoto.

SVMMARIVM.

Defectus telæ iudiciariæ, non inducit nullitatem ex defectu citationis.

1 *Defectus citationis, quando sanari possit.*
2 *Commissioni refectis expensis, an satisfiat per depositionem vnius Iulij.*

DECISIO CXIV.

DIe 29. Aprilis 1541. in eadem Amerina, dixit D.Marsicanus, quod defectus telæ iudiciariæ, puta in dicta causa, in qua deficiebant termini ad producendum omnia, & dicendum contra producta, quod talis defectus non inducit nullitatem ex defectu citationis. itaut non possit sanari per commissionem, etiam quod dicatur, præterquam ex defectu mandati citationis & iurisdictionis. Quod alias ita fuerat in Rota
1 resolutum. quoniam † intelligitur de defectu citationis ad sententiam, vel citationis deuolutiuæ causæ, non autē de defectu citationis * terminorum. Et ita in illa fuerunt sanati termini duo deficientes per commissionem, in qua dicebatur, quod refectis expensis, procederet ad confirmationem, vel infirmationem. Tamen quia commissio dicebat, refe-
2 ctis expensis, † voluerunt Domini, quod non sufficiebat depositum factum de vno iulio, cum obligatione, sed oportebat taxare, & realiter soluere.

* Citationis ad senten.. Postea in vna Romana Census, coram D.Mohedanopro, Bernardino de la Cithara, contra Paulum Martium, articulo per duas, vel tres audientias discusso, Fuit resolutum, quod defectus citationis ad sententiam, non esset defectus insanabilis per cōmissionem, sed bene defectus citationis deuolutiuæ. Et potest esse ratio, quia sicut defectus iurisdictionis, & mandati lęsicit totum processum, itaut ex illo, nullo modo iudicari possit, ità erit in defectu citationis deuolutiuæ. sed illud non est in defectu citationis ad sententiam. quia licet sententia sit nulla, poterit ex eod. processu iudicari.

SVMMARIVM.

Iudex appellationis post desertionem, potest confirmare sententiam, non autem infirmare.

DECISIO CXV.

IN vna Legionen. Prioratus de Sealeda inter Bernardum Ordas, & Lupercium Quignones coram D.Rainaldo, fuit consu-

sum die 29. Aprilis 1541. quod decis. Aegidij 438. dum vult, quod iudex appellationis, post desertionem possit confirmare sententiam, intelligitur simpliciter, prout loquitur. videlicet vt possit confirmare, non autem infirmare. Fuit allegata decis. 14. de appellat. in nouis, alias num. 98. & alia decis. etiam in antiquis 41. de appellat. alias num. 453. Et ad ea, quæ dicebantur, quod si iudex appellationis poterat sententiam confirmare, poterat ergo infirmare; quia qui habet iurisdictionem in absoluendo, habet iurisdictionē in condemnãdo, maxime quãdo nõ opponit pars de re iudicata. per not. per Felin. in c. inter Monasterium, col. 7. in prima limitatione, & col. 12. in 8. limitatione, de re iudic. Quia ad primum, quod licet possit confirmare, non possit infirmare, respondet additio in dicta decis. 14. de appellat. in nouis. Ad secundum, est considerandũ, quod aut iudex appellationis infirmat vt iudex appellationis: & quia non habet iurisdictionem; non valet infirmatoria, etiam parte consentiente, per text. in clemen. si appellationem, vbi glos. & Innoc. de appellat. & sic iudex appellationis non potest iudicare contra sententiam, quæ transiuit in rem iudicatam. Sed si alicui est commissa causa, & non opponitur de prima re iudicata, tunc secundus iudex potest pronuntiare. & pronuntiando præiudicat primæ rei iudicatæ, itaut dicatur illa prima res indicata eneruata, & infirmata. Et ita intelligenda sunt, quæ dicit Felin. in dictis duabus limitationibus. Et ita declarantur ista, ex ijs, quæ dicit Alex. cons. 114. in 5. vol. Philip. Francus in c. ex ratione, col. 17. vers. circa tertium, & vers. circa septimum, de appellat. & in c. sæpe. col. 5. vers. secundus casus, eod. tit. de appellat. Petrus de Anchar. cons. 343. siue 345. Georgius Natta in Clemen. sæpe, col. 28. secundum antiquam impressionem, vers. sed tunc iuxta prædicta oritur dubitatio, &c. de verb. sign. Et D. Marsicanus fuit attestatus, quod ita alias Rota iudicauerat. Vide Bonifacium in clement. si appellationem, col. 3. vers. conclude, quod ista clemen. de appellat.

SVMMARIVM.

Inhibitio vigore Cõmissionis restitutorię prout de iure, post tres sententias non facit vt iudex tertię instantiæ, procedens ad exequutionem, dicatur attentare.

1 *Inhibitio Rotalis quando liget, vel non, manus iudicis à quo.*

DECISIO CXVI.

VOluerunt Domini in vna Placen. crediti pro Pasquasibus, contra Arcellos coram me, die 29. Aprilis 1541. Quòd cum esset commissa causa restitutionis in integrum aduersus tres sententias. & signatura daret, prout de iure. & per me fuisset inhibitum iudici, qui tulerat tertiam sententiã. & non obstante inhibitione, fuisset processum per D. Marsicanum iudicem, qui protulerat tertiam sententiam. & processerat ad electionem calculatorum, & sic ad exequutionem sententiæ. & calculator retulerat. quod illa electio, calculatorum, & relatio non esset reuocanda per viam attentatorũ, quamuis esset commissa causa super attentatis. quia cum causa restitutionis esset cõmissa, prout de iure, & inhibitio esset facta iuxta formam commissionis, & post tres sententias, commissio restitutionis non impe-
1 diat exequutionē sententiæ; quod talis † inhibitio non debebat ligare manus iudicis, à quo, attento quod esset calumniosa. iuxta clemen. vnicam de senten. & re iudic. Et tex. in c. non solum, de appellat. in 6. non obstabat, quia loquitur de inhibitione canonice facta. at in isto casu, ista inhibitio erat calumniosa. Et licet diceretur, quod ex stylo Rotæ, prout dicunt DD. in d. c. non solum inhibitio etiam sine causæ cognitione facta, ligat manus iudicis à quo, dato quod postea declaretur, quod illa inhibitio esset nõ rite, & iniuste facta. puta, quia cum causæ cognitione fuisset declarata, quod nulliter esset facta; nihilominus ligaret, vt tentum fuerat in vna corã D. Mohedano pro Io. Petro Capharello, cõtra Aloysium de Gaddis. Fuit dictum quod illud procedit, quando illa inhibitio ab initio est dubia, quia potest esse quod sit recte facta. secus quando ab initio constat quod est calumniose facta, vt in casu isto. videlicet post tres sententias ad finem impediendi exequutionem. licet diceretur, quod ad istud erat prouisum per commissionem præfixionis termini.

SVMMARIVM.

Denegatio publicationis testium, de iure communi non inducit nullitatem. & coram quo sit petenda.

DECISIO CXVII.

IN vna Tarraconen. iurisdictionis Ville de Reus, pro Capitulo Tarraconen. contra Vniuersitatem dictæ Villæ, corã D. Thoma de Thanis. Fuit resolutum die 29. Aprilis 1541. quod de iurę communi, denegatio publicationis testium, si non fuit appellatũ, non reddit sententiam nullã, vt per Innoc. & DD. in c. cum I. & A. de re iudic. Et istã dicit communem Card. Alex. in c. nominationes, §. sententia, in 1. col. 2. q. 6. Et D. Mar-

D.Marsicanus dixit, quod si appellaret infra decem dies à tempore denegationis publicationis, quod talis appellatio induceret nullitatem sententiæ statim prolatæ. Quãuis aliqui Domini vellent, quod ad inducendam nullitatem, oportebat, quod statim appellaretur ante prolationem sententiæ. alias quod sententia esset valida; tamẽ super hoc pro tunc non fuit disputatum. Fuit tamẽ dictum, quod denegatio publicationis petitæ, de stylo Rotæ reddit sententiam nullam, vt dicit Felin. in d.c. cum I. & A. in 2.colum. Domini tamen dixerunt, quando illa publicatio fuisset petita ab Auditore, & denegata. secus tamen quãdo est petita à Notario. licet de publicatione petita, Auditor habuisset notitiam à Notario. Et dato quod cõram Notario pars fuisset protestata quod à denegatione appellabat, & dicebat de nullitate. quia dixerunt Domini, quod ista est publicatio, coram Auditore, & non coram Notario erant dicenda, & petenda. maxime quia tempore audientiæ, pars non comparuit in tribunali, potuit credere Auditor quod pœnituerit eum suæ petitionis.

SVMMARIVM.

Expensæ in causa attentatorum, non fuerunt compensatæ cum expensis in causa spolij.

1 *In spolio, An admittatur compensatio alterius causæ.*

2 *In spolio an possit opponi de causa æque priuilegiata.*

DECISIO CXVIII.

SEcunda Maij 1541. Fuit resolutum coram D. Aqueñ pro Ludouico de Gaddis, contra D.Blasium de Cęsena, in vna Cęsenaten. compensationis, quod D. Blasius qui fuerat condemnatus in causa attentatorum in expensis, & sententia transiuerat in rem iudicatam, non poterat opponere exceptionem compẽsationis super expensis, quę debebãtur ei ex causa rei iudicatę super beneficio. & in qua Ludouicus fuerat condemnatus tamquam intrusus in beneficio. Fundamentum fuit, quia in causa spolij, non ad
1 mittitur † compensatio alterius causæ, prout est text. in l. fin. in fine, C. de compensation. & quæ dicit Decius, in c. ex parte 5. col. fin. de rescript. Nec obstant quæ dicit Felin. in c. suborta, de re iudicat. col. 3. in princ. dum vult, quod ex cau
2 sa † æque priuilegiata, potest opponi. Et idem tenent Bal. & Salicet. in d. l. fin. Anton. & Imol. in c. fin. de ordin. cognit. Tamen ijs non obstan. fuit dictum, quod ista causa non est ęque priuilegiata, prout est causa attentatorum.

SVMMARIVM.

Dilationes post terminum ad dicendum contra commissionem & iura producta, fuerunt negatæ.

DECISIO CXIX.

FVerunt negatę dilationes in vna Conchen. Parochialis de la Motilla, coram D.Sarnen. inter Petrum de Valenzuella ex vna, & Petrum de Villaroell ex alia. & hoc secunda Maij 1541. ex quo Petrus Valenzuella petebat dilationes extra terminum. puta, post terminum ad dicendum contra cõmissionem & iura producta, per decis. Cassador. primam de except. Nam licet quando quis venit vigore commissionis principalis, vtputa quia causa principaliter est commissa inter talem & talem, possint peti dilationes ad partem, ante terminum ad articulandum bene seruatum, vt dicit Cassador. decis. 1. de dilation. tamen quando quis venit ad causam vigore commissionis dependentis pro interesse, &c. vt erat in illo casu in quo Petrus Valenzuella venerat ad causam pendentẽ inter duos, pro suo interesse. Tunc si iste veniens, fuerit citatus ad dicendum contra iura producta, & in termino, non petierit, non potest postea petere post terminum seruatum. Et ratio est, quia ex quo venit pro interesse in eisdem statu, & terminis, perinde est ac si termini essent contra eum seruati. Et ideo si in illa citatione ad dicendum contra iura producta, non petierit dilationes, debet sibi imputare si postea ei denegantur.

SVMMARIVM.

An c. si à sede, de præbend. in 6. tantum habeat locum quando possessio eadem die est capta.

DECISIO CXX.

FVit dubitatũ * in vna Aquilana Archidiaconatus, corã D.Rainaldo, inter Baptistam Tornesium ex vna, & Benedictum Oliua ex alia. An c. si à sede, de præben. in 6. habeat locum tantũ quando possessio est capta eadem die, qua fuit facta prouisio, an vero etiam, quando possessio superuenit post per aliquod tẽpus vtputa prout erat in casu illo, extabat prouisio Apostolica, & Ordinarij sub eodem die, tamen ignorabatur quę earum esset anterior. & post octaua die prouisus ab Ordinario assecutus fuerat possessionem. Dubitabatur quis esset pręferendus. Maceraten. & Marsicanus, ac Sarnen. tenuerunt, ꝙ data possessione ex interuallo, pręferendus esset Apostolicus. & sic volebãt text. in c. si à sede, habere locũ tantum qñ statim interuenisset possessio. Fundamẽtũ in d. tex. si à sede, dũ dicit ꝙ dato concursu propter

* Vide ad materiam, quã dicit Cassador. decis. 14. incipien. Regula est, de præben. & decis. seq.

prerogatiuā conferentis præferretur prouisio Apostolica. ergo per superuenientiā possessionis septima, vel octaua die, nō poterat amittere beneficium iam semel quæsitum. & fuit dictum quod istam partem tenebant Lapus, quem referunt Domin. & Phil. Francus, in d. c. si à sede, & Cassad. decis. 15. de præben. Maior pars tamen Dominorum, videlicet septem alij, tenuerunt contrarium. quia c. si à sede, loquitur indistinctè. vnde ista esset restrictio magna restringēdo illum text. quando possessio eodem tempore esset capta. & quia nunquam posset ille text. verificari in prouisione Apostolica facta de beneficio vacanti extra Curiam, cum impossibile sit, eodē tempore, quo fit prouisio, possessionem adipisci. Et ita fuit dictum quod tenet Calde. cons. 7. de præben. in fine Stepha. Bertrandi, consi. 87. quem refert Probus in addit. ad Io. Monachum, in d. c. si à sede, vbi Probus istam quæstionem tangit. Ad rationem superius dictam, responsum fuit, quod possessio superueniens, non aufert beneficium antea quæsitum, sed declarat, illi per antea non fore quæsitum. Et cum simus in dubio, quæ collatio sit prior, ista dubia probatio non debet aduersus possessorem præualere. Et ita fuit conclusum 4. Maij 1541. Ad dictum Lapi. Domi. & Phi. Franchis, in c. si à sede, & ad decis. Cassador. 15. de præben. fuit dictum, quod non loquebantur in terminis nostris.

SVMMARIVM.

Quis præfertur Nobilis. an Doctor.

DECISIO CXXI.

FVit dubitatū * in vna Abulen. beneficij del Barco, pro Christophoro Nuñez cōtra Petrum de Mota, coram D. Aquen. quis esset præferendus. An Doctor, an vero Nobilis ex secundo genere nobilitatis. Et licet regula Cancellariç in secunda cellula ponat primo Nobilem, & postea Doctorem, & sic ex ordine litteræ, videatur quod Nobilis deberet præferri: tamen quia eadem Regula dicit, quod si inter se concurrant seruetur ius commune, tenuerunt Domini quod de iure communi Doctor præferatur Nobili ex inferiori genere, de quo loquitur Regula in dicta secunda cellula, per argumenta quę deducit Staphilęus in suo tractat. de lite gratiæ & iustitię, fol. 137. Non obstat quod dicitur quod primo describitur Nobilis in illa cellula; quia respondebatur quod per hoc non debebat iuris ordo seruari, ex quo regula dicebat, quod concurrentibus inter se, ius commune seruaretur, & sic ordo litteræ excludebatur. Et fuit facta resolutio 2. Maij 1541.

* Vide ad illā quæstionē, quā ponit Prob. in c. statutum in addit. ad Io. Monach. col. 2. n. 7. de rescrip. in 6. Et quod non attendatur ordo nominationis ponit Staphil. in d. Tractat. fol. 134. pag. 2. versi. sed istā maioritatem, &c.

SVMMARIVM.

Probato stylo procedendi coram Ordinario non probatur stylus procedendum coram Delegato.

1 *Delegatus, an stylum Ordinarij, vel delegantis seruare debeat.*
2 *De stylo probato coram Ordinario, an inferatur ad stylum delegati.*
3 *Libris mercatorum si probetur, quod credatur in vna Curia, an sufficiat quoad alteratam Curiam.*

DECISIO CXXII.

IN vna Cæsaraugustana, matrimonij pro Comite de Fontes contra Franciscam Sanchias, coram D. Marsicano 4. Maij 1541. Fuit resolutum, quod stylus procedēdi corā Ordinario, absque citatione ad sententiam probatus, non inferebat, quod esset idē stylus coram Iudice Delegato, ex quo Delega-
1 tus † debet procedere * secundū stylum delegantis, cuius vicefungitur. Ergo debet seruare ius scriptum in procedendo, & non stylum Ordinarij. Et quia, cum tractaretur de consuetudine & stylo probando, non infe-
2 rebatur de stylo probato coram † Ordinario, ad stylum probatum coram Delegato; quia tāntum præscriptum quantum possessum. Non obstabat consil. Corn. 319. colum. 11. in 3. volum. dum voluit, quod pro-
3 bato quod in Curia mercatorum datur † fides libris mercatorum; probatur etiam, quod in Curia Capitanei, & alia quacumq; Curia, datur fides eisdem libris. quia illud habet locū in materia probatoria inter easdē personas. quia si libri probant in Curia mercatorū inter mercatores, debēt probare in quacūq; Curia inter eosdē mercatores.

* Delegatus debet seruare stylū delegātis. Ia so. in l. & si prętor col. 2. ff. de iudic. & om. iudic.

SVMMARIVM.

Regula de annali realis, & inuenta in odium impetrantis, & non in fauorem possessoris.

1 *De Regula de annali, quilibet etiam non possessor potest dare.*
2 *Regula de annali, in odium cuius inuenta.*
3 *Regula de annali producta, an inducat de nouo nullitatem, vel detegat eam quæ erat tempore sententiæ.*

DECISIO CXXIII.

IN * vna nullius S. Saluatoris, pro Petro Aurelio Garriga contra Io. Felicem, die 29. Aprilis 1541. in qua Io. Felix commiserat causam contra Petrum Aurelium & obtinuerat sententiā, quę trāsiuerat in rē iudicatam, vigore cuius obtinuerat brachiū sęculare, quo mediante, Io. Felix assecutus fuit possessionē. Et adepta possessione per Io. Felicem,

* Secundū Cassad. super Regul. Cācel. decis. 14. propositū fuit, &c. in fin. 2. pag. & ibid. in princ. 3. pag. quod sit realis.

cē,Petrus Aurelius commisit causam nullitatis & omniū inde sequutorū. & in ista instātia dedit de Regula de annali dicens, quod tempore quo Ioannes felix cuius impetrauerat beneficiū,ipse erat annalis possessor. Et cōmittendo causam in prima instantia. in qua reportauerat sententiam, & rem iudicatam, quod non satisfecerat Regulę de annali. Fuit dubitatum. An Petrus Aurelius esset audiendus in tali allegatione. Et pro parte Ioannis Felicis dicebatur,quod non, ex quo ipse iam assecutus erat possessionem beneficij. & cum Regula de annali tueatur possessorē, & tempore quo dabatur de regula, Petrus Aurelius non erat possessor: Sequebatur quod non poterat de regula de annali dare. Contrarium tamen fuit determinatum: quia regula est realis,& qui
1 libet etiam † non possessor, potest de ea da re. & sic Petrus Aurelius quantumcumque non esset possessor. poterat eam allegare. Nec erat verum secundum Rotam, quod regula de annali esset inuēta in fauorem possessoris, immo dicebatur quod erat inuenta
2 in † odium impetrantis.& quod licet hodie daretur de regula de annali, non per hoc possessio Io. Felicis dicebatur legitime adepta, cum regula de annali producta non in-
3 duceret de nouo nullitatem, † sed detegebat nullitatem, quæ erat tempore sententiæ.Et ideo cum possessio esset quęsita vigore sententię quę erat nulla, non dicebatur illa possessio legitima.

SVMMARIVM.

An stetur narratiuæ Papæ asserentis.

DECISIO
CXXIV.

* Vide Petr. Rebuff. super Concord. Francię chart. 243. super rub. de sublatione clement. litteris circa fin. additis. Cardin. Iacob. in Tract. de Concil. pag 437. col. 2. circa fin vers. praeterea non est credendum, &c. cū seq. col. & pag 438 col. 2. vers. quod autem dicitur. &c. Aym. Crauet. in Tract. de antiquit. tēp fol. 7. prima pag. in fin. vers. hoc igitur præsupposito, &c.

QVod non staretur * narratiuæ Papæ asserentis aliquem rebellionem commisisse, seu alia crimina perpetrasse, & propterea eum priuat bonis, & alijs vendit. Fuit tentum in vna Vrbeuetana Castri Castilioni, pro Sabellis contra Monaldenses, per ea quæ dicit Abb. in Clem. 1. de probationibus, & idem in c. quæ in Ecclesiarum, col. pen. & ibi Felin. col. 23. in princ. de constitutionib. Geminian. consi. 53. col. 4. Decius, consil. 344. 510. & 445. col. antepen. Aret. consil. 175. col. 3. Iason consi. 34. col. 6. vol. 1. & consi. 86. col. 5. vol. 3. Rebuf. in concordatis Francię, fol. 241. & licet Socin. tenuerit contrarium, consi. 266. col. 12. & Bal. consi. 328. col. 4. vol. 1. & Socin. consi. 87. col. 6. vol. 3. Tamē pro prima opinione facit,quod quādo agitur de alicuius graui præiudicio, non statur assertioni Papæ. Paul. de Castr. consi. 46. col. fin. volum. 2. Pet. de Anchar. consi. 348. col. fin. Aret. consi. 165. col. 3. Decius consil. 357. & in c. quæ in Ecclesiarum, col. 12. de constitut. Staphil. de litteris gratię & iustitię, car. 155. Nec obstat, quod quando Papa se fundat in sua narratiua, tunc statur illi. Item quando Papa procedit tamquam informatus, quod stetur assertioni: quia ista non procedunt in criminalibus ad probandum delictum, & maxime rebellionem, & confiscationem. Et fuit dictum quod alias in vna Bentinolorum, contra Ghislerios Rota etiam ita tenuerat.

SVMMARIVM.

Quando Breue est expeditum post vacationem beneficij, gratiatus tenetur probare, collationem in Breui positam tempore concessionis gratiæ fuisse expressam aliunde quam ex data Breuis.

DECISIO
CXXV.

IN * vna Tirasonensi Archipresbyteratus pro Garzia Cortes, contra Petrum Duenas, coram D. Marsicano, in qua cōnstabat, quod Breue ad collationem Tirasonen. erat expeditum post vacationem beneficij. Voluerunt Domini exceptis me, & D. Thoma de Thanis, quod Petrus, qui nitebatur super dicto Breui, debebat probare aliunde quam ex data Breuis, quę erat de mense Martij: quod tempore concessionis, & sic datæ fuisset expressa collatio Tirasonen. cum vacatio dicti Archipresbyteratus fuisset de mense Martij: & pręsupponebatur quod expeditio fuisset facta de mense Augusti. Et fundamentum fuit stylus concedendi, quia dicebant Domini, quod Papa concedit in genere ad vnam, vel duas collationes, & postea Secretarius in expeditione exprimit in specie illas collationes. Et ex quo Breue erat expeditum post vacationem, & sic tunc erat facta expressio: dicebāt Domini, quod aliūde quam ex ipsa data, puta per testes, deberet probari, quod Papa tēpore datę concessisset gratiā ad collationem Tirasonen. Pro parte antē Petri dicebatur, quod ille stylus erat verus, qn̄ Papa faciebat gratiam alicui Collegio, puta Auditoribus, seu Referendarijs,

* Vide infra deci sio. 143.

rijs: quia tunc solet dare ad duas collationes exprimendas, & fit postea expressio ante vacationē. Sed quādo facit gratiam vni, quod non erat talis stilus, & quod istud satis erat probare ex ipsa data. quia non est credendum, quod si Papa concessisset de mēse Martij gratiam in genere ad vnam collationem, quod de mense Augusti Secretarius expediuisset ad collationem Tirasoneñ. Tamen præualuit prima opinio. Et ista resolutio fuit facta 29. Aprilis 1541. In eadem coram eodem, secunda Maij fuit etiam resolutum, quod transferretur onus probandi in Petrum, qui fundabat se in dicta gratia concessa de mense Martij, quod tempore datæ fuerit facta concessio Diœcesum expressarum in Breui expedito: & non sufficeret probatio ex Breui proueniens, exceptis duobus, vt supra proxime dixi.

SVMMARIVM.

Taciturnitas modicæ quantitatis, an reddat gratiam surreptitiam.

1 *In beneficialibus surreptio quantumcumq; minimam vitiat gratiam.*
2 *De minimis quando curet Prætor.*
Mala fructuum perceptio, debet narrari in gratia.
3 *Camera componit de fructibus male perceptis, etiam modicis.*

DECISIO CXXVI.

VOluerunt Domini in vna Belliceñ. Prioratus Ordanati, pro Petro Burullardi contra Christinum Ferrati, coram D. Marsicano die 29. Aprilis 1541. Quod taciturnitas modicorum fructuum indebite perceptorum, puta vnius scuti siue dimidij redderet gratiam subreptitiam, quamuis in impetratione nouæ prouisionis, fuisset facta mentio, de intrusione impetrantis.
1 Ratio fuit, quia † in beneficialibus subreptio quantumcumque minima vitiat gratiā ad text. in cap. si proponente, de rescript. & in c. si motu proprio, de præben. in 6. Item
2 quia de minimis † curat Prætor in ijs, quæ de iure communi competunt, & fieri debēt, ad Bart. in l. si proprietarium, ff. de damno infect. Sed de iure communi perceptio fructuum indebita debet narrari, vt per Felin. in c. postulasti, in fine de rescript. & in c. in nostra. in 2. coroll. eodem titulo, propter compositionem, quam cum Camera fa-
3 cere tenetur. & de fructibus † etiam modicis Camera componit. ergo, &cęt. Et licet opinio videretur rigorosa, nihilominus lex quantumcumque dura, &c. In contrarium facit, quod dicit Aymo Crauetta, consi. 182. col. fin. num. 17.

SVMMARIVM.

Citatio ad instantiam partis an præsumatur facta.

DECISIO CXXVII.

TEnuerunt etiam Domini in vna Paduana feudi pro Hieronymo de Saluaticis contra Gasparem de Dondis, coram D. Thoma de Thanis 2. Maij 1541. quod præsumeretur citatio ad instantiam partis facta, tum quia est actus qui requirat impensam ad not. per Bart. in l. cum seruus, ff. de verb. oblig. tum quia ita communiter fieri consueuit: Et ita communiter concludunt DD. prout refert Felin. in c. 1. col. 1. & ibi Aret. in 3. col. de iudic.

SVMMARIVM.

Sequestrum in iudicio restitutorio aduersus rem iudicatam an sit decernendum.

1 *Res inter alios acta, non debet prodesse, nec obesse, quomodo intelligatur.*
2 *Et an faciat præsumptionem.*

DECISIO CXXVIII.

DE mense Maij 1541. circa finē mensis, in vna Astoriceñ. * in qua erat data sententia in fauorem Io. Ariē contra Petrū de Medina, quæ transiuerat in rem iudicatam. & postea Petrus de Medina cesserat ius suum in fauorem Io Mugnos. qui Ioannes parendo sententiæ latæ contra Petrum, dimiserat possessionem in fauorem Garsiæ Bermudez qui successerat eidem ante. Et pariter iudicato, idem Io. Mugnos obtinuerat sententiam in iudicio restitutorio, in fauorem suum contra Garsiam. Fuit dubitatum An vigore istius sententiæ, deberet decerni sequestrum in fauorem ipsius Ioānis; Et pro sequestro dicebatur quod sic, ex quo in illo iudicio erat prima sententia, & sic erat locus Clemen. ad cōpescendas. Et quia erat paritum iudicato, videbatur quod illud primum iudicium erat enacuatum, & sic illa prima sententia non poterat aliquam præsumptionem boni iuris, in casu isto facere, in quo erat nouum iudicium. maxime cum esset noua persona quæ successerat illi Ioāni Ariē qui habuerat sententiam pro se. Et
1 cum esset res inter alios acta, † non debebat sibi prodesse, vel obesse, secundum Specu. in titu. de senten. §. nunc de effectu, colum. 2. vers. item pone, &c. Istis tamen non obstan. fuit tentum contrarium, per decis. Cassador. 2. de sequest. possess. & fruct. eo

* Vide sup. dec. 73

quia

quia illa prima sententia faciebat præsumptionem pro bono iure. nec obstabat dictū Speculat. in d.§. nunc de effectu, quia licet res inter alios acta alijs non præiudicet, vel prosit, tamen facit præsumptionem,
2 † ita vt secundum aliquos,quos ponit Dec. in l. 2.C. de eden. facit semiplenam probationem. Vnde cum faciat præsumptionem pro bono iure, istud sufficit ad impediendum sequestrum.

SVMMARIVM.

Gratia in alia gratia narrata,canonizari non potest.

DECISIO CXXIX.

SEcunda Maij 1541. in vna nullius, seu Giennen beneficij pro D.Petro de Barrio Nueuo contra Sebastianum Ponce,siue pro ipso Sebastiano contra dictum Petrum. Fuit resolutum, quod gratia in alia gratia narrata cum annotatione datæ licet probaret concessionē gratiæ, tamen quod gratia narrata,cum illa annotatione, datæ aliter non expedita,non poterat canonizari. & fuit resolutum coram D.Mohedano.

SVMMARIVM.

Collatio præben. in Ecclesia collegiata, spectat ad capitulum.

DECISIO CXXX.

VIgesima nona Aprilis 1541. coram D.Mohedano in vna Palen canonicatus Vallisoleti inter Doctorem Ruesta ex vna,& Franciscum del Rincon. Fuit resolutum, quod collatio præben in Ecclesia collegiata,spectet ad Capitulum.licet alias variæ fuerint opiniones inter Auditores,de quibus per Rotam decis.4. de concess.præben.in nouis. Tamen secundum istam opinionem fuit alias iudicatum,prout testatur Cassador. decis.22. num. 3. de præben. Et ideo dicebatur, quod aut appellatione Capituli veniebat Prælatus, & tunc collatio spectabat pariter ad Prælatum & Capitulū aut non venit Prælatus,& tunc collatio non spectabat ad Prælatum. & sic in casu illo, cum solus Prælatus collegiatæ Ecclesiæ cōtulisset dicebatur,quod collatio erat nulla.

SVMMARIVM.

Ex gestatione habitus, an præsumatur professio.

DECISIO CXXXI.

IN vna Callaritana coram D.Marsicano inter Iacobum Aragall. & Antonium Ferret. die 13.Maij 1541.Fuit tentū, quod sola delatio habitus sancti Antonij, puta illius signi quod gestauerat dictus Antonius vltra decem annos, &c. cum eo quod seipsum denominauerat commendatorem, quod non induceret professionem, per text. in c. vt clerici, de regul.& not. in c.ex parte,& gloss.in Clem.eos, in verbo aliquo,de regular. in quibus locis dicitur, quod gestatio habitus extra religionem, quantocūq. tempore,non inducit professionem.Et vide Card.Alex.in c. quod interrogasti,circa finalia verba.27.dist.

SVMMARIVM.

An possit dari de regula de annali, post præfixionem termini.

DECISIO CXXXII.

IN vna nullius sancti Saluatoris inter Io. Feliecem, & Petrum Aurelium corā me, in qua aduersus vnam sententiam,quæ trāsiuerat in rem iudicatam, fuerat per viam commissionis bis dictum de nullitate.& ille qui obtinuerat sententiam,per aliam commissionem obtinuerat præfigi bis terminū ad docendum de nullitate. quo elapso, & non docto, fuerat processum ad exequutionem, & fuerat facta. qua facta, iterum fuit commissa causa nullitatis, & datum de regula de annali, & erat informatum, & resolutum, quod regula annullaret & sententiam latam, & exequutionem. Fuit dubitatū, An ex quo fuerat bis præfixus terminus, & non erat datum de dicta regula annullante, an esset exclusus per illam præfixionem, quod non posset vlterius dare in illo iudicio nullitatis tertio loco intentato. Et die 13.Maij 1541. fuit resolutum, quod posset dare. Et fundamentum principale fuit, quia illa bina præfixio, facta fuerat ad effectum vt exequutio esset bona. & ad illum effectum non poterat audiri. & sic si non fuisset facta exequutio, debebat fieri. Tamen ad effectum vt si volebat dicere de nullitate principaliter, dicebatur quod per illam præfixionem non erat exclusus, & sic poterat dicere quandocumq. de nullitate sententiæ.

SVMMARIVM.

Pensio transferri potest in articulo mortis.

DE-

DECISIO CXXXIII.

IN vna Gadicẽsi pensionis coram D. Thoma, inter Antonium Mudarra, & Lazarum Garsiæ 13. Maij 1541. Fuit resolutum quod pensio poterat transferri in articulo mortis, dato, quod in facultate nõ esset clausula, etiam in mortis articulo, quia non reperiebatur prohibitum, dato quod de stylo soleret talis clausula apponi. & D. Sarnen. in regu. de infr. resig. quæst. 16. etiam videtur tenere hanc partem.

SVMMARIVM.

Ad excusandum quem à mala expressione veri valoris, quæ requirantur.

DECISIO CXXXIV.

PRima Iulij 1541. Fuit dictum in Rota, quod ad excusandum quem à mala expressione veri valoris, tria copulatiue requiruntur. Primum videlicet arrẽdamenta præcedentia. impetrationes Anctorũ, in quibus beneficia ad talem valorem fuerint impetrata. & tertium publica fama, quod beneficiũ tantum valeret. pro quo facit decis. Cassador. 20. super regul. Cancellariæ. Immo in d. decis. dicitur quod ista non requiruntur copulatiue, sed sufficiunt disiunctiue, & alterum eorum sufficiat. & sic superius dicta non requiruntur copulatiue. & vide Sarnen. quæst. 11. super regula de valo. exprimen.

SVMMARIVM.

Iuspatronatus in antiquis, quando probetur per publicam vocem, & famam.

DECISIO CXXXV.

SExta Iulij 1541. quæ fuit vltima audiẽtia in vna Terracinẽsi Prioratus S. Antonij, pro Petro Normasino, cõtra quemdã Antonium. Voluerunt Domini, quod Iuspatronatus, quod Ciuitas Piperni prętendebat habere in dicto Prioratu, non probaretur ex quadam fundatione Sergij Episcopi, in qua Sergius ad instantiam syndici Communitatis, fundauit dictam Ecclesiam S. Antonij, cum promissione habita quod Communitas eam dotaret; quia non constabat de dotatione, sed tantum de promissione. Item & secundo, adducebatur quoddam statutum dictæ Ciuitatis, in quo dicebatur, quod officiales tenerentur conseruare iurapatronatus Ecclesiarum, & pręcipue S. Antonij. Sed nec istud sufficiebat, Primo, quia statutum extractum lite pendente, & sic nulliter. Secũdo, quia illa narratiua statuti, per hæc non probabat iuspatron. Tertio, erant examinati quatuor testes, inter quos duo erant maiores quinquaginta quatuor annorum, qui omnes deponebant de auditu à maioribus senioribus & antiquioribus suis, quod Iuspatr. dicti Prioratus, erat Cõmunitatis Piperni, & de publica voce, & fama, & quod audierunt de pręsentationibus factis per Communitatẽ ad dictum Prioratum. Et pro hoc faciebat, quia in antiquis à tempore Sergij fundatoris, transierant ducentum anni, & vltra. ergo per famam iuspatronatus probabatur. Tamen Rota tenuit contrariũ, quod per talem probationem non probaretur. quia illud, quod iuspatronatus probetur in antiquis per famam, habet locum quando concurreret possessio præsentandi. Hic autem non concurrebat. & ideo talis fama non probabat. Et ita colliges ex ijs quæ dicit Cæsar Lambertinus in suo tract. de iurepat. fol. 331. colum. 3. in 4. art. 10. quæst. princ. 2. partis 2. lib. vbi ponit quomodo in antiquis probetur iuspatr. & ibi fol. 332. col. 2. vers. si vero apparet, &cæt. istud sentit.

SVMMARIVM.

Propter breuitatem temporis quo causa est commissa, non pronunciandum.

DECISIO CXXXVI.

EAdem die 6. Iulij 1541. vltima audientia. Voluerũt Domini in vna Palentina Cantorię pro Antonio Romero, cõtra Gundisaluum Luzo, in qua erat commissa causa 23. Ianuarij 1541. ad instantiam ipsius Antonij, & citatio executa 3. Aprilis, processus decretus 30. Maij. Tamen quia dabantur sexaginta dies, processus tantum debebat incipere tertia Iunij, quod licet Gundisaluus comparuisset per Procuratorem, & sicut miserat Procuratorem, ita potuisset mittere alia iura, licet causa fuisset instructa tum ipso Procuratore; tamen propter breuitatem temporis quod non pronunciarem, & ita non pronunciaui.

SVMMARIVM.

Clausula cum auocatione, & extinctione litis quo ad cedentem, quomodo intelligitur.

DECISIO CXXXVII.

EPiscopus Solis resignauerat Archidiaconatum, & certa alia beneficia quæ habe-

habebat in Ecclesia, & diœcesi Segobien. in fauorē Gundisalui Perez, & in supplicatione resignationis, in clausulis dicebatur, & cum auocatione, & extinctione litis, quo ad cedentem tantum, aut alia vtiliori via, etiā fatendo nullum ius sibi competere literæ expediri possint. Post istam cessionem, & extinctionem litis, Episcopus obtinuit sententiam, & sequestrum contra Sanctium contra quem litigabat antequam fieret cessio per eum super Archidiaconatu post latam sententiam, & sequestrum. Venit Sanctius, & producta cessione Episcopi, ante sententiam, dixit de nullitate sententiæ, & petebat sequestrum reuocari. Et D. Io. Paulus, qui fuerat Auditor in prima instantia, pronunciauerat reuocando sententiam, & sequestrum per viam nullitatis. Coram me dicebatur in secunda instantia, quod licet sententia esset nulla, quo ad Episcopum ex defectu iuris, ex quo cessio, præsumebatur acceptata, vt dixi in alia decis. per me collecta, tamen sententia non dicebatur nulla ex defectu iurisdictionis, & ideo sequestrum non erat reuocandum, iuxta Clem. vnicam, in gloss. final. de sequestr. possess. & fruct. Et licet in supplicatione cessionis diceretur, & cum extinctione litis & causæ quo ad cedentem tantum; dicebant ipsi, quod illa clausula intelligebatur quo ad cedētem, & cessionarium, si qua erat iis inter ipsos, non autem quo ad extraneos collitigantes. quia absurdum esset, quod, quo ad illos, in eorum præiudicium, Papa voluisset litē extinguere. Tamen hoc non obstante, fuit determinatum contrarium. nam dicebant Domini, quod per illa verba, & cum auocatione causæ, & extinctione litis quo ad cedentem tātum, lis erat penitus extincta quo ad ipsum cedentem, ita vt, non solum contra cessionarium, sed nec etiam contra alios collitigantes agere non poterat. & sic in eius præiudicium lis erat extincta, ex quo cessionarius erat subrogatus in ius suum per cessionem, sed non dicebatur lis extincta quo ad extraneos collitigātes, ita quod si voluissent illi agere contra Episcopum non potuissent. Et sic fuit resolutum, quod in præiudicium Episcopi, lis contra quoscūque erat extincta, ita vt Episcopus contra eos non poterat agere, sed alij collitigantes bene poterant contra eum agere. Et ita 6. Iulij vltima audientia cōfirmaui sententiam D. Io. Pauli in vna Segobien. Archidiaconatus.

S V M M A R I V M.

Non est quis audiendus in petitorio, donec satisfecerit de omnibus condemnatis in possessorio.

1 *Pauper quando non audiatur nisi refectis expensis.*

DECISIO CXXXVIII.

IN vna Oueten. Canonicatus, & præben. coram me, Ferdinandus habuerat duas sententias in petitorio contra Andream, postea Andreas venit in possessorio, & habuit vnam sententiam contra Ferdinandum, cū fructuum, & expēsarum cōdennatione, quæ transiuit in rem iudicatam. Ferdinandus cessit in fauorem Didaci de Vesga, qui Didacus petebat cōfirmationem duarum sententiarum in petitorio. Tamen Rota voluit, quod dato quod Didacus esset cessionarius Ferdinandi, quod non admitteretur ad prosequutionem, donec satisfieret Andreæ de fructibus, & expensis super sententia lata in possessorio. Videns resolutionem Didacus, fecit commissionem, vt attento, quod Andreas habuerat duas sententias in petitorio contra, & erat pauper, quod satisfacto de expensis per Ferdinandum, data cautione per Andream de eis restituendis in euentum succumbentiæ, ac etiā facto deposito de minima quantitate, cum obligatione de satisfaciendo fructus liquidandos, cum simili cautione de restituēdo, Auditor procederet in negocio. Signatura respondebat prout de iure. Voluerunt Domini, quod dato, quod constaret de paupertate, nihilominus quod Didacus cessionarius non audiretur nisi refectis expensis,
1 & restitutis fructibus absque aliqua cautione. Quia ex quo Andreas fuerat spoliatus, in primis & ante omnia erat restituendus. Quia si non si fuisset spoliatus fructus percepisset. Item si non fecisset eum super spolio litigare, non fecisset expensas. Vnde imputandum est ei, si spoliauit, & litigauit, & ideo debet satisfacere absq. aliqua cautione. Et ita fuit decisum 6. Iulij 1541.

S V M M A R I V M.

Regressus potest extingui absque auctoritate superioris.

DECISIO CXXIX.

IN vna Valentina Decanatus de Xatina, me proponēte. An regressus ad Decanatum in fauorem Didaci del Mila, de consensu Nicolai, potuisset extingui per ipsum Nicolaum coram notario, & testibus absque auctoritate superioris. Et D. Marsicanus dixit, quod his viderat casum decisum in Rota, quod sic. Et ita alij Domini sequuti fuerunt die 6. Iulij 1541.

S V M-

SVMMARIVM.

Non habens facultatem restituendi, non est condemnandus ad restitutionem.

1 *Resignans sub conditione, ea non adimpleta agit spolio.*
Iure & possessione tradita sub conditione, ea non adimpleta, nec possessio, nec ius est abdicatum.
2 *Resignans, si agat spolio contra primum resignatarium, qui & ipse resignauit, quomodo sententia sit concipienda.*
3 *In electione spoliati est, agere contra spoliantem ad æstimationem, vel succedentem in vitio ad ipsam rem.*

DECISIO CXL.

IN * vna Vicentina Parochialis de Longares, coram D. Britonorien. in qua Ambrosius de Auria resignauerat Parochialem prædictã, in fauorem Hieronymi de Nigris Veneti, reseruata sibi annua pensione, libera, exempta ab omni decima, &c. & non aliter, nec alio modo. Qua renunciatione facta, & soluta pensione per Hieronymum per aliquot annos, dũ postea essent imposita onera per dominium Venetorum, & vellet Hieronymus, quod Ambrosius pensionatius concurreret in illis, dicebat Ambrosius, quod non tenebatur, attento quod pensio sua erat libera. Dicebat Hieronymus, quod mandatum suum ad cõsentiendum reseruationi, non erat cum illa clausula, vt pensio esset libera. & per consequens, quod procurator constitutus male consenserat, quod ita cõpertum fuit. Vnde Ambrosius egit contra Hieronymum spolio, dicens ipsum fore spoliatum suo beneficio, ex quo resignatio erat facta sub con-
1 ditione, † dummodo pensio esset libera. Et ideo cum ius & possessio, esset sub conditione tradita, conditione non sequuta nec ius nec possessio erat ab eo abdicata. ad l. qui absenti, §. 1. ff. de acquir. possess. Et ita D. Sarnen. pronunciauit super spolio, declarando Ambrosium fore restituendum. Postea in secunda instantia, Hieronymus docuit, quod ante litem, per tres annos antea ipse dictam Parochialẽ resignauerat alteri, & quod resignatarius possidebat. Fuit dubitatum. An sententia D. Sarnen. esset confirmanda quo ad caput restitutionis. Et die 13. Maij 1541. fuit resolutum, quod, quia in commissione erat intentatum iudicium
2 restitutorium, † & condemnatio in restitutione fieri non poterat, quod tantum canonizaretur ius Ambrosij, & declararetur nullum ius Hieronymo competere. & Ambrosium immittendum in possessionem non autem restituendum, * ex quo Hieronymus non habebat facultatem restituendi, quia ante litem sine dolo desierat possidere: Immo quãdo dolo desijsset possidere, licet habeatur pro possessore, nõ tamẽ habetur pro possessore vt ad ipsam rem cõdemnari possit, sed ad eius æstimationem, prout dicit glos. in c. pro possessore, in glos. magna, de reg. iur. in 6. Sentiunt Innoc. & Abb. in c. sæpe, circa fin. de restit. spol. dum
3 volunt, † quod est in electione spoliati agere contra spoliantem ad æstimationem, vel succedentem in vitio ad ipsam rem.

* In obligatione rẽ sellitui, quomodo debeat fieri petitio, & condẽnatio. vide Bar. in l. stipulationes non diuiduntur, in 6. quæst. ff. de verb. oblig. Abb. in c. fin. in vlt. notab. quod met. cau. Et ad propositũ istius quæstionis, quomodo beneficialia recipiãt æstimationẽ, vide Abb. in c. conquærente, n. 13. de rest. spol. & ibi Bald. & Abb. in c. ceram, num. 12. de offic. deleg.

* Intellige ad rem ipsam, secus est ad æstimationẽ, secundum tex. in l. 1. § ex interdicto, iuncta glos. ff. de vi, & vi armat. & quomodo recipiãt æstimationẽ dixi supra allegando Abb. in c. conquærente, n. 13. de rest. spol.

SVMMARIVM.

Mater deputata tutrix in testamento patris, quando dicatur administrasse vt tutrix.

1 *Mater est tutrix voluntaria filiorum.*
Quæ requiratur vt iuridice efficiatur tutrix.
2 *Bona tutoris, sunt tacite hypothecata pro administratione, quomodo intelligatur.*
3 *Administratio matris, an impediat exequutionem instrumenti dotalis.*

DECISIO CXLI.

DEcima tertia Iunij 1541. corã D. Io. Paulo, in vna Vicentina seu Soderin. dotis. Fuit resolutum, quod licet mater sit deputata tutrix filiorum per maritum in testamento, & probetur, quod ipsa post mortem, administrauerit bona pupilli, tamen per hoc non probabatur, quod administrasset, vt tutrix. Ratio quia mater est tutrix
1 voluntaria, secundum Bar. in authen. matri, & auiæ, col. 2. vers. quæro vtrum tutela, &c. C. quando mul. tut. offic. Et non efficitur tutrix; nisi seruata forma tradita per Bar. in d. authen. matri, & auiæ, col. penul. Vbi dicit necessarium fore, quod mater renunciet Velleiano, secundis nuptijs, & expresse obliget bona. In casu nostro ista non interuenerant, ergo non constabat, quod mater administrasset vt tutrix. Et licet text. in l. pro officio, C. de admin. tut. dicat, quod bona
2 † tutoris, tacite sunt obligata pro administratione. Respondetur, quod illud est verum, vbi quis est tutor. sed mulier non est tutrix nisi seruata forma, vt dixi. Præterea in ea requiritur expressa obligatio omnium bonorum. Fuit etiam in eadem dubitatum.
3 An dicta administratio † matris * impediret exequutionem instrumenti dotalis, quia maritus instituerat filium, cuius bona admini-

* Administratio matris an impediat exequutionẽ instrumenti dotalis.

ministrauerat mater. & filio in euentum mortis, erat substitutus frater mariti. Euenerat conditio fideicommissi, & mater petebat contra fideicommissarium exequutionē instrumēti dotalis. fideicōmissarius petebat in primis sibi reddi rationē administrationis. Dubitabatur An talis administratio impediret exequutionē dicti instrumenti. Et quod impediret, allegabatur cons. Soc. 180. diligenter puncti, &c. vol. 2. In contrarium fuit allegatus Neguzantius, quem Doctorem excellentissimum, & insignis authoritatis appellat Dec. cons. 552. in princ. in tract. de pign. in primo membro 5. partis, nu. 36. vers. decimo, circa effectum, vbi reprobat cons. Soc. & dicit contrarium iudicatum fore. Nil fuit pro tunc resolutum, circa istud caput.

SVMMARIVM.

An scientia reseruationis probetur ex testibus deponentibus de publica voce, & fama.

1 *Ignorantia, non potest allegari in publice notis.*

2 *Scientia præsumpta an sufficiat vbi agitur de graui præiudicio, & de amissione iuris.*

DECISIO CXLII.

FVit dubitatum coram D. Rainaldo in vna Gerunden. Canonicatus, & præben. inter Sebastianum Bret, & Antonium Cardello. An scientia reseruationis probaretur ex testibus deponentibus de publica voce, & fama, quod in partibus, & in Curia, talis defunctus, habebatur publice pro Prothonotario, & familiare Cardinalis. Et agebatur, vt ius concessum super dicto Canonicatu, cōcessum per obitum illius familiaris, ex quo ille non expediuerat litteras infra sex menses, ex forma decreti in mandato de prouidēdo esset resolutum. Et pro parte affirmatiua dicebatur quod præsumebatur scientia. & quod ignorantia tūc
1 non † posset allegari, ex quo eramus in publice notis, vt in c. 1. de post. Prælat. in c. cum in tua, qui mat. accusar. poss. glos. & DD. in l. tutor. C. de per. tuto. Fuit resolutum contrarium, 16. Maij 1541. Quia hic
2 agitur de præiudicio graui, † scilicet de amissione iuris quæsiti. ergo non sufficit illa scientia præsumpta per famam. ad not. per Felin. in c. cum contingat, col. 2. vers. & dicit Bal. hic, &c. de rescript. & per glo. in clemen. vnica, in glos. pen. incip. nota erit, & quod vult ibi Card. col. pen. vers. 3. quæro, de concess. præben. Vbi quando tractatur de puniendo negligentiam alicuius, nō sufficit illa presumpta scientia, quæ oritur ex eo quod publicum est; sed oportet quod aliter legitime probetur. Facit quod dicit Lapus alleg. 78. de iur. pat. col. pen. vers. ad quartam quæstionem.

SVMMARIVM.

An collatio possit declarari in litteris post vacationem beneficij.

1 *Contra impetrantem Apostolicum post impetrationem, an possint litteræ expediri. An sit idem inter expectantes.*

2 *Collatio non potest declarari post alterius acceptationem.*

Expectātes possunt quandocūq; acceptare, dūmodo infra mensem: quomodo intelligatur.

DECISIO CXLIII.

IN vna Osten. * Archidiaconat. de Vallibus, coram me, pro Thoma Fort. contra Io. de Artieda. Fuit dubitatum An supplicatio gratiæ expectatiuæ, quę dabat ad collationem cuiuslibet exprimen. collatoris, posset extendi. seu declaratio collationis fieri expediendo litteras post vacationem beneficij, & post acceptationem alterius. Et dicebatur, quod licet alias Rota tenuisset, quod
1 contra † impetrantem Apostolicum, post ipsius impetrationem, non posset quis litteras post vacationem expedire; tamen inter expectantes alia erat differentia. quoniā impetranti statim est quæsitum ius, nimirū si non potest expectans, per expeditionem litterarum, illud sibi auferre, quod secus est inter expectantes. quia infra mensem, & eo durante, quilibet potest acceptare. Sicut ergo poterat acceptare, poterat etiam litteras expedire. Tamen 16. Maij 1541. Fuit reso-
2 lutum contrarium, quod post vacationem, & alterius acceptationem, collatio non poterat declarari. Quia hoc modo posset fieri fraus, & tollere ius alteri quæsitum. Et licet expectantes possint quandocumque acceptare, dum tamen infra mensem intellexit Rota, & litteras expeditas, non autem ante expeditionem litterarum. Pro quo facit quod pulchre dicit Felin. in c. 1. col. 3. vers. tertio restringe dummodo, & c. de rescript. Et videtur tex. in c. pastoralis, §. quoniam, de rescript. & facit quod dicit Sarnen. in tractat. expectatiuarum, num. 17. & 18.

* Vide sup. decis. 15.

SVMMARIVM.

Confessio Cedentis an noceat Cessionatio.

DECISIO CXLIV.

IN vna Tirasonen. Archipresbyteratus inter Petrum Dueñas, & Garziam Cor-

tes coram D. Marficano. Fuit resolutum die 16. Maij 1541. quod confessio Cedentis nō noceret Cessionario, quando cessio est facta ad commodum cessionarij, & cessionarius non potest habere regressum aduersus Cedentem. per not. per Bart. & clarius Pau. de Cast. in l. facta, §. si heres. ff. ad Trebell.

SVMMARIVM.

An valeat Sententia lata in negocio principali, omisso articulo grauaminis.

DECISIO CXLV.

IN vna Siracusana feudi coram me, inter Alexandrum de Vrbino procuratorem litis effectum, & Petrum de Balsamo. Fuit dictum 16. Maij 1541. Quod valebat sententia, tam in negocio principali, omisso articulo appellationis à grauamine, parte non opponente. per decis. 716. & 798. alias 6. & 71. de appellat. in antiquis. Et vide ad hoc Innocentianam in illis verbis, & super articulo grauaminis, &c.

SVMMARIVM.

In instrumentis antiquissimis non requiritur recognitio.

DECISIO CXLVI.

COram D. Britonorien. in vna Parmen. Vallium inter Corrigien. & Comitem Hieronymum de Sala. Voluerunt Domini 16. Maij 1541. quod in instrumentis antiquissimis excedentib. memoriam hominum, & sic centum annos, non esset necessaria recognitio, * vt per decis. Neapolitanā 245. Immo in illo casu in quo agebatur de instrumento octuaginta annorum (ex quo illud instrumē tum iuuabatur alijs adminiculis) dixerunt non esse necessariam aliam recognitionem, Socin. cons. 187. in controuersia, colum. 4. versic. ad secundum respondeo, &c. vol. 2. Facit quod dicit Alex. cons. 17. viso instrumento, col. 2. in fine, vers. nec obstat, quod not. Host. & Io. And. vol. 4. Idem fuit resolutum 6. Aprilis 1543. in vna Mediolanen. option. coram Mohedano, in instrumento excedente centum annos. Alex. cons. 101. super primo, col. 3. vers. non obstat quod non appareat, volum. 7. alias colum. 2. vers. circa secundum.

* Quod non requiratur recognitio. Aymo. in Tract. de Antiq. temp. in 2. par. num. 316.

SVMMARIVM.

Ad effectum regressus reseruati, non tenetur quis iustificare ius cessum.

DECISIO CXLVII.

DEcimasexta Maij 1541. in vna Hispalen. beneficij de Carmona, coram D. Marescoto, pro Dominico Centuriono, cōtra Io. Baptistam Pinellum. Fuit resolutum quod Dominicus qui cesserat ius suum in fauorem Episcopi Castellamaris reseruato sibi regressu, & Episcopus postea cesserat in fauorem Francisci Pinelli per cuius obitum Dominicus Centurionus dicebat, quod esset locus regressui. Exaduerso dicebatur, quod Dominicus tenebatur iustificare ius suū cessum in fauorem Episcopi. Fuit dictum quod Dominicus non tenebatur iustificare ius suū cessum. Sed vigore regressus, quod habebat ad beneficium poterat illud capere.

Vide infr. decis. 191.

SVMMARIVM.

Pro titulo colorato, sufficiunt litteræ Ordinarij expeditæ in forma, Rationi congruit.

DECISIO CXLVIII.

IN vna Regien. Cappellaniæ S. Iacobi coram Aquen. Fuit resolutum 16. Maij 1541. quod pro titulo colorato, sufficiebant litteræ Ordinarij expeditæ in forma, rationi conuenir, per Legatum Bononien.

SVMMARIVM.

Breue habet vim litterarum expeditarum.

DECISIO CXLIX.

DEcimasexta Maij 1541. coram D. Aquen. in vna Taurisina pēsionis, inter Cardinalem Pisanum, & Camillum de Rubeis. Fuit resolutum, quod Breue haberet vim litterarū expeditarum. Et approbatur quod dicit Sarnen. in tractat. Breuium fol. 124. num. 9. vers. & propter istam maiorem licentiam, &c.

SVMMARIVM.

An conuentio circa decimas operetur non solum respectu prædiorum quæsitorum, sed etiam de nouo quærendorum.

1 *Si Parochianus vnius Parochiæ, colit terras in alia Parochia, cui debeantur decimæ, & num. 5.*

2 *Præscriptio percipiendi decimas in aliquibus bonis; an operetur ad bona postea quæsita. Quid cum priuilegio percipiendi decimas, num. 3.*

Immemorabilis, non operatur quo ad ea quæ de nouo superueniunt.

4 *Pactum non operatur in quæsitis post pactum.*

DECI-

DECISIO CL.

* Vide ad propositum huius decis. quam ponit Barth. Brixiē. in sua quæstio. dominicali 35. quid&Clemen.

FVit dubitatum coram D. Io. Paulo in vna Cæsaraugustana Decimarum 16. Maij 1541. inter Fratres Sanctæ Fidei, & Dominicum Cōrianum præsuppofito quod Parochialis del Villar fit folita, vel ratione concordiæ vel præscriptionis percipere decimas ab eius Parochianis coltiuantibus, & colligentibus fructus, in termino de Herrera An dicta concordia, vel præscriptio vendicaret fibi locum iu poffeffionibus pofitis in termino de Herrera, quas parochiani del Villar in dies fibi de nouo acquirūt. Et dicebatur quod licet alias fuerit diffentio Sanctorum Patrum quādo parochianus
1 vnius † parochiæ, colit terras in alia parochia, cui Parochiano debeantur decimæ. vt dicit text. in c. cum fint homines de decim. tamen illa diffentio, hodie fublata erat propter communem opinionē glof. Innoc. Hoft. & Abb. in d. c. cum fint homines, qui tenēt de iure fpectare decimas ad Ecclefiam infra cuius fines terræ funt fitæ ex quibus fructus colliguntur. Et ideo aut pacto, aut præfcriptione decimæ debeantur in cafu ifto, dice-
2 batur † quod præfcriptio non operabatur in poftea quæfitis, fed tantum in antea, iuxta text. in c. cum contingat. de decim. & ibi Abb. in 1. not Immo etiam præfcriptio immemorabilis, non operatur quo ad ea quæ de nouo fuperueniūt. Corneus. conf. 184. colum. 3. verf. Sed tunc conftitutum volum. 1.
3 Immo nec priuilegium, quod † facilius extēditur fecundum glof. in c. cum Capella de priuileg. Immo nec legatum fe extendit ad loca poftea quæfita, fecundum Bal. in l. qui filiabus. in prin. de legat. 1. Et pro ifta parte allegabatur text. in c. pen. de priuileg.
4 vbi priuilegium † de decimis nou foluendis non fe extendit ad terras quæfitas poft priuilegium. Ad idem eft text. in Clem. 1. de cenfibus. & idem etiā dicebatur effe in pacto, quod non operaretur in poftea quæfitis, fed quo ad præterita vel præfentia de quibus potuit effe cogitatum, l. cum ftipulamur. ff. de verb. oblig. Tamen iftis non obftantibus, fuit decifum contrariū per tex. in d. c. cum fint homines. vbi text. determinat, quod licet fuper hoc fuerit diffenfio inter
5 Sanctos Patres, tamē quod attenditur † cōfuetudo. in noftro cafu præfupponebatur probata confuetudo immemorabilis, ergo illi confuetudini ftandum erat, Immo dicebatur quod in terminis illius text. cum fint. non requirebatur probare confuetudinem immemorabilem, fed fufficiebat probare cōfuetudinem decem annorum, ex quo erat præter ius, prout ibi dicit Abb. colum. fin. Nec obftat, quod fit cōis opinio quod debeatur illi Parochiæ, in qua fitæ funt terræ ex quibus fructus colliguntur; quia refpōdebatur illud effe verum feclufa confuetudine. Cum autem hic probaretur confuetudo, ergo illi ftandum erat. Et ita conclufum fuit per maiorem partem.

SVMMARIVM.

An proceffus factus per procuratorem minorem fit nullus.

1 *Minor an poffit effe procurator.*
2 *Quid in beneficialibus.*
Quid in caufa poffefforij.
3 *Proceffus factus cum minore, quare fit nullus.*

DECISIO CLI.

FVit dubitatum in vna Bononien. Cappellaniæ fancti Lazari, inter Nicolaum Campanum, & Ioannem de Falchis die 19. Maij 1541. An proceffus factus per procu-
1 ratorem qui erat minor, effet nullus. † Et pro parte affirmatiua quod effet nullus, allegabatur text. in c. qui generaliter. §. final. de procur. in 6. Et dum dicebatur, quod illud erat verum fi pars oppofuiffet, prout videtur fentire Aegid. decif. 143. Quia dicebatur, quod indiftincte etiā parte nou opponēte, proceffus erat nullus, vt per Rot. decif. 801. alias 37. de procur. in antiq. & videtur fentire Aegid. in d. decif. allegata in princ. Et iftā opinionem fequuntur communiter Legiftæ in l. exigendi. vbi Alex. & Iaf. C. de procurator. Abb. in c. non iniufte. verf. in glof. 1. de procurat. Domin. in d. c. qui generaliter & Franc. ibidem. circa finem, qui dicit iftam effe communem opinionem. Tamen iftis non obftantibus, fuit refolutū cōtrariū, & dictum ꝙ in beneficialibus tex. in d. c. qui generaliter. §. fin. non habet locū vt per Franc. ita limitantem illum text. in d. §. final. & ad text. in d. §. final. dum dicit nequibit, debet intelligi cum effectu, vt per Aegid. decif. 143. & 182. Tamen attenta di-
2 † cta limitatione Franchi, quod in beneficialibus minor poffit effe procurator, procederet etiā ifta refolutio, dato ꝙ fuiffet oppofitum. Item & fecundo, limitatur ille §. final. * in caufa momentaneæ poffeffionis in qua minor poteft effe procurator, prouenerat cafus de quo agebatur, quia agebatur poffefforio, vt etiā per Franc. in d. §. fin. Prætere a ideo proceffus factus cum minore non
3 tenet † propter periculum reftitutionis in integrum, vt per Bart. in l. minor. ff. de procurator. Sed in cafu ifto ceffabat iftud periculum, cum ipfe obtinuiffet fententiam in fui fauorem, & fic proceffus tenebat, vt per Ang. & Paul. de Caft. in d. l. minor.

* Minor in iudicio poffefforio habet legitimā perfonam ftandi in iudicio quomodo intelligitur Vide Steph. Bertran. conf. 87. vifis dubijs nu. 8. vol. 1. conf. nouiffime impreffo-rum.

SVMMARIVM.

Possessio superueniens; non connumeranda inter diligentias.

DECISIO CLII.

TErtia Iunij 1541. in vna Tullen. Canonicatus, & Præben. coram D. Thoma, pro Nicolao le Bon, contra Io. Fusoris fuit tentum, quod possessio superueniens, nō connumeraretur inter diligentias. Sed attēto quod erant duo expectantes vigore man datorum de prouidendo, in quibus mādatis erat clausula, quod inter similes gratias habentes, locus sit præuentioni in diligentijs, & vnus eorū prçuenerat in acceptando per vnum diem. Quod illa diligentia acceptationis attenderetur, non autem possessio postea superueniens alteri, qui fuerat negligentior per vnum diem in acceptando, quia illa diligentia, oportet quod sit à principio. & possessio superueniens, dicebatur poeius venire ad exequutionem gratiæ iam formatæ, & in esse deductæ, potius quam ad deducendum & formandum eam. Et pro ista parte fuit allegata decis. Cassador. 15. sub tit. de præben.

SVMMARIVM.

Stante dubio, vel ratificationem, vel adeptionem possessionis præcessisse, quis teneretur probare.

1 *Possessione capta nomine alterius, quis debeat probare ratificationem.*

2 *Reus possidens, præsumitur tempore licito accepisse possessionem.*

DECISIO CLIII.

CArdinalis Ghinutius, siue tertius nomine Cardinalis, de cuius mandato nō constabat, acceperat possessionem beneficij, die 8. mensis Iunij. & 15. eiusdem, Cardinalis ratificauerat possessionē nomine eius captam. Et etiam eodem die 15. alius acceperat possessionem eiusdem beneficij nomine suo. itaque Cardinalis dicebat se esse spoliatum, & agebat spolio contra illum. Fuit dubitatū, cum ratificatio Cardinalis, & possessio alterius eadem die concurrerent; ad quem pertineret probare, vel præcedentiam ratificationis, vel præcedentiam adeptionis possessionis. Et tandem die 8. Iunij 1541. in vna Clusina prioratus Sancti Guilelmi, pro Petro Paulo Facio, contra præfatum Cardinalem, coram D. Sarnen. fuit resolutum, quod ad Cardinalem 1 spectabat probare, ratificationem † suam præcessisse. Quia cum Petrus Paulus esset in possessione, adhoc vt à possessione sua amoueretur, debebat agens intentionem suam clare probare. Et cum illa ratificatio potuisset interuenire ante adeptionem possessionis alterius, vel post, dubia probatio agentem non releuabat. Item quia reus ha- 2 bebat præsumptionem pro se † quod tempore licito, & sic ante ratificationem alterius, possessionem nactus fuisset. per doctrinam Bart. communiter approbatam, in l. non solum, §. sed vt probari, ff. de nou. oper. nunc.

SVMMARIVM.

Commenda perpetua beneficij, an afficiat beneficium.

DECISIO CLIV.

IN vna Florētina Sanctæ Felicitæ, coram me, inter D. Rainaldum Petrucium ex vna, & D. Balthasarem de Piscia ex alia, fuit dubitatum, An commenda beneficij perpetua puta ad vitam, afficeret beneficium itaut eueniente cessatione commendæ per obitum commendatarij, Ordinarius de beneficio disponere nō posset. Et die 8. Iunij 1541. fuit resolutum, quod commenda afficeret beneficium, dato quod esset perpetua. vt per glos. in c. is cui, de elect. in 6. & per Roman. consf. 350. col. 7. vers. cęterum, &c. Non obstat quod sint aliquæ decisiones Rotæ, dicentes quod commenda perpetua extinguit reseruationem, ex quo commenda perpetua habet vim prouisionis. Quia stat bene, quod talis commenda extinguat reseruationem præteritam, & quod afficiat etiam in futurum beneficium, vt nullus præter Papam de eo se intromittere possit. Et licet Sarnen. dicat in multis locis, quod commenda perpetua habeat vim collationis. quia verum est in illis casibus. Sed non sequitur, ergo simpliciter, & indistinctè in omnibus casibus. Vide Cassad. decis. 5. pag. 3. in princ. vers. & sciat quod commenda, &c. de priuileg. & decis. 2. pag. 5. vers. pro qua etiam facit, &c. de vnion. super reg. Cancellariæ, & decis. 4. mentalis reseruatio. pagina 5. vers. & idem est quo ad hoc, &c. de reseruat. super reg. Cancellariæ.

SVMMARIVM.

Exemplum instrumenti quando fidem faciat. & an præsumatur citatio in exemplo antiquo.

1 *Exemplum instrumenti, parte non citata non probat.*

Quid si sit exemplatum per iudicem secularem, in causa beneficiali.

2 *Ex*

1 *Exemplum exempli licet solemniter extractum an probet.*

DECISIO CLV.

IN vna Casalen. S. Victoris, coram Marescoto, 10. Iunij 1541. Fuit dictũ quod 1 exemplum instrumenti, † parte non citata, * non probaret. Itẽ quia eramus in materia beneficiali, & erat transumptatum per iudicem secularem, & ideo etiam non faciebat fidem, secundum Abb. & Felin. in c. fin. de fide instrum. Tamen fuit dictum, quod si in termino ad dicendum contra, nil fuisset oppositum, saltem generalia contra, quod non posset postea talis defectus allegari, prout dicit Felin. in d.c. fin. col. 2. in 2. fallent. de fid. instr. Et in antiquis, quod exemplum probet ponit Aret. cons. 36. Casus talis est, &cæt. colum. pen. in princ. vers. Ad secundum dico, &cæt. Iason in auth. si quis in aliquo, colum. 4. versic. nono fallit, &cæt. C. de eden. Alexan. cons. 101. super primo dubio, col. 2. in fine, vers. circa secundum dubium, vol. 7.
2 vbi ponit cõmunem † opinionem. Exemplũ exempli, licet solenniter extractum, nõ probat secundum Corn. cons. 24. licet in themate, col. 4. vers. ex alio etiam non probãt vol. 4. Et ibi ponit, quando non est citata pars, & ibidem in sequen. colum. ponit de exemplo antiquo.

* An præsumatur citatio in exẽplo antiquo, vide Purpurat. in auth. si quis in aliquo, col. 3 versic. vlt. an talis citatio, &c. C. de eden. & vide in 2. lib. decis. . . .

SVMMARIVM.

Pendente termino remissoriæ, possunt decerni compulsoriales.

1 *Dilatione pendente officium Iudicis conquiescit, quomodo intelligatur.*

DECISIO CLVI.

DEcima Iunij 1541. Fuit dictum, quod pendente termino remissoriæ, ad partes, poterant decerni compulsoriales generales, non obstãte l. siue pars, C. de dilatio.
1 quia † procedit in pronunciatione, non autem in ijs quæ fiunt ad expeditionem causæ.

SVMMARIVM.

Acceptatio præsumitur in tempore facta, etiam in casu de quo hic agebatur.

DECISIO CLVII.

GRegorius Valaguer habebat mandatum de prouidendo cum prouisione ex nunc prout ex tunc, sub data prima Ianuarij 1539. & acceptauit Parochialem de Ramundo, de qua tunc agebatur, sub die vndecima Ianuarij eiusdem anni. Vigore huius mandati, & acceptationis corã D. Vorstio, fuerat gratia ipsius Gregorij, in prima instantia, canonizata, à qua sententia appellato pro parte Gometij de Auila, & causa mihi in secunda commissa, fuit pro parte Gometij, de quodam mandato de prouiden. concesso D. Io. Mohedano, suspensiue omnium aliarum gratiarum, sub die 14. Ianuarij 1539. & per testes probabatur, quod ille, per cuius obitum ambo veniebant ad parochialem, obierat de mẽse Ianuarij eiusdem anni. Dicebat Gregorius, quod ex quo mandatum erat concessum post vacationẽ, & ius sibi quæsitum per acceptationem, quod illud mandatũ postea cõcessum D. Mohedano non auferebat sibi ius quæsitum. Ex aduerso dicebatur, quod ex quo non probabatur certa dies vacationis, sed tantum quod de mense Ianuarij vacauerat, quod non poterat dicere Gregorius, sibi ius fore quæsitum. Et sic dubitaui ego coram quo causa pendebat, An Gregorius haberet intentionem fundatam ex acceptatione facta 11. Ianuarij, quod Baschus obijsset * ante 11. seu ipsa 11. Ianuarij, ad effectum excludendi gratiam D. Mohedani: Et fuit conclusum 13. Iunij 1541. Quod ex quo probabatur * vacatio de mense Ianuarij, quod præsumebatur acceptatio in tempore facta. Et dictum fuit quod hoc semper tenuit Rota, quod præsumatur acceptatio in tempore facta, ne quis videatur gratiam suam consumere velle. & maxime isto casu, in quo Gregorius habebat suam gratiam & docebat de sua acceptatione, & alius ad effectum excludendi eum dabat de alia gratia nam debebat probare clare, quod post suam gratiam impetratam vacauerat.

* Quod præsumatur obitus præcessisse facit, q̃ dicit Cassad. decis. 21. de præb.

* Ex quo probabatur, &cæt. videtur facere in cõtrarium, decis. 125. in nou. alias 3. de concess. preb.

SVMMARIVM.

An minor, constituens procuratorem ad lites, debeat seruare formam statuti de adhibendis proximioribus, & alijs solemnitatibus.

1 *Stante statuto, quod quis non possit contrahere, an possit compromittere, & transigere.*
2 *Statutum Vrbis prohibens minorem contrahere, considerat solum actum lesiuum.*
3 *Minor in possessorijs, an habeat legitimam personam standi in iudicio.*
4 *Mandata tot sunt quot negocia.*

Et an mandatum possit pro vna parte valere, pro alia non.

DECISIO CLVIII.

FVit dubitatum in vna Balneoregien. restitutionis in integrum, & nullitatis, coram D. Rainaldo, inter Maherbalem Vrsinũ ex vna, & Vicinum etiam Vrsinum fratres ex alia; An ex eo quod Maherbal constitue rat procuratorem ad lites, non seruata forma statuti Vrbis, videlicet, cum proximioribus, & alia solennitate de qua in statuto, & Maherbal succubuerat, an talis constitutio valeret. Et videbatur quod non, ex quo statutum dicit. in omni actu, in quo minor lęderetur, &c. Contrarium tamen fuit resolutum 13. Iunij 1541. ex quo mandatum ad lites, non est de se actus læsiuus, & statutum respiciebat actum læsiuum, & cui non conueniunt verba constitutionis, &cęt. Nec obstabat quod sufficeret, quod ex ipso mandato poterat quis lædi, prout dicitur quod
1 stante statuto, † quod quis non possit contrahere, non poterit etiam compromittere, & transigere. qui licet non sint actus de se læsiui, sufficit tamen, quod possint tendere ad lęsionem, prout de compromisso dicit Lanfrãc. in tract. de arbit. col. 17. vers. quarto quæro, & de transactione dicit Decius, cons. 532. Quia respondebam ego, quod cõpromissum est quidam contractus, prout dicit Lanfranc. in dicto loco; & si statutum prohibet contractum, per consequens prohibet compromissum, & transactionem. Sed
2 in casu statuti Vrbis, consideratur † actus læsiuus, & mandatum de se non est actus læsiuus. Item alia ratione fuit resolutum, quod mandatum esset bonum, quia eramus
3 in possessorijs, in quibus minor † habet personam legitimam standi in iudicio, vt l. fin. C. qui legit. pers. & per Lanfranc. in c. qui generali, §. 1. de procurat. in 6. Non obstabat, quod in mandato erant multa alia, quæ non concernebant possessionem, & mandatum dicebatur actus indiuiduus. Quia respõ
4 debatur † quod tot erant mandata, quot erant negocia, & non inconueniebat, quod mandatum pro vna parte valeret, & pro alia non, l. scire debemus, coniuncta l. 1. §. si stipulanti, ff. de verb. obligat.

SVMMARIVM.

Cedula depositi in manibus bancharij in materia venditionis, an habeat vim solutionis.

DECISIO CLIX.

DIe 20. Iunij 1541. in emptore, & venditore, quorum vnus in alio non confidebat, voluerunt Domini, coram D. Sarnen. in vna Romana domus, quod cedula bancharia deposita in manibus Auditoris, haberet vim solutionis, per dictum Bart. in l. si soluturus, ff. de solution.

SVMMARIVM.

Vide in materia probandi nõ tutum accessum ad aliquem citandum.

1 *Iustus metus, vt dicatur probatus, quæ sufficiant.*

2 *Ad effectum validitatis exequutionis factæ à cursore, an sufficiat relatio de affixione, absque lectione.*

DECISIO CLX.

DIe Iouis 11. Augusti 1541. fuit facta Cõgregatio in S. Ludouico, in qua interuenerũt Domini Aquen. Sarnen. Marsicanus, Mohedanus, Marescotus, Io. Paulus, Puteus, & Thanis. Et D. Thomas de Thanis proposuit, in vna Nepesina, excessũ pro fisco, contra Alphonsum Mariam de Accoltis: Nam Clemens concesserat mandatum de capiendo quemdam Marium malefactorem. vigore cuius, captus fuerat malefactor per Barisellũ Insulæ in Ciuitate Nepesina. quo capto. familia Potestatis rapuit eum à manibus Barifelli, & fecit eum aufugere in arcem. quo in arce existente Alphon. Maria noluit eum dare. Quo facto Auditor Cameræ decreuit monitorium contra Alphonsum ad comparendum personaliter. Et exequutor, prima vice qua fuit in Ciuitate Nepesina, fuit bene acceptus, sed non potuit exequi. Secunda vice qua exequutor cõparuit. ad exequendum, fuit ei dictum quod licet prima vice fuisset bene visus, quod recederet, quia posset ei aliter accidere quam putaret, & sic fuerunt sibi illatæ minæ. Auditor Camerę dimissa via ordinaria, via cõmissionis, in qua dicebatur, ꝙ constito summarie, & extra iudicialiter de non tuto accessu decreuit citationem per edictũ, in duobus locis exequenda extra Vrbem. videlicet in Cathedrali Sutrina, & in vna capella prope Ciuitatem Nepesinam ad mediũ miliare. Et quia ad probandũ nõ tutum accessũ fuerat repetita depositio Barifelli in primo indicio examinati, & repetitus cursor, qui retulit se ad primam depositionẽ prius factam. Dubitatum fuit, an sufficienter cõstaret de non tuto accessu. Fuit dictum, quod depositio Barifelli, in primo iudicio facta, non faceret fidem in isto iudicio, in quo procedebat A. Camerę vt delegatus. Item, licet cursor deponeret, quod sibi fuisset dictum, quod recederet, & quod si non recederet aliter sibi accideret; tamen

non

non cõstabat quod ille qui talia dixerat, esset de familia ipsius Alphonsi Mariæ; Tamen dicebatur, quod ex quo eramus post factum, & sic post decretam citationem & exequutam, & sententiam latam, & commissio dabat constito de non tuto accessu summarie, & extraiudicialiter. & A. C. poterat moueri ex aliis, vt constaret sibi de nõ tuto accessu. Voluerũt Domini, quod prędicta sufficerent. Ego vltra eos, allegabã not. per Bart. in l. de pupillo, §. si quis ipsi prætori, in 6. quæst. & quæ ibi ponit Iason ff. de nou. oper. nunc. & DD. in c. fin. de appellat. vbi
1 vt probetur iustus metus † sufficit quod bina vice aliquid fecerit. Hic primo constabat quod Alphonsus Maria contrauenerat exequutioni reali, videlicet in captura illius delinquẽtis, & sufficiebat quod familia eius contrauenisset, vt per Perus. in c. fin. col. 2. de appellat. Constabat etiam quod erant illatæ minæ Cursori, ergo hic constabat de bino actu. nisi dicatur quod isto vltimo casu, non constaret quod minæ illatæ cursori, essent illatæ à familia Alphonsi Mariæ. Fuit etiam dubitatum, ex quo cursor in relatione dicebat se affixisse tantum, an valeret
2 executio † cum vltra affixionem requiratur lectio. Fuit dictum quod de stylo cursorum est in relationibus suis, etiam in exequutionibus quæ fiunt extra curiam, ponere tantum, se affixisse, & non facere mentionem de lectione. Et ideo fuit dictum Auditori, quod informaret se super stylo à cursoribus.

2 An ad effectũ validitatis exequutionis factę à cursore sufficiat relatio de affixione, absque lectione.

SVMMARIVM.

An per verba promissionis in locatione facta de restituendo domum vacuam in fine locationis, censeatur decreto Camerali renunciatum.

1 *Pactum locatoris de non expellendo conductorem durante tempore conductionis, an operetur quod non possit expelli etiam pro vsu locatoris.*
2 *Expressio eorum quæ tacite insunt, quando operetur.*
3 *Promittens restituere decem in omnem casum, an intelligatur promisisse iuxta formam statuti, & consuetudinis.*
4 *Priuilegio an censeatur renunciare qui facit actum proximum renunciationi.*
5 *Et an qui facit actum contrarium.*
6 *Dispositio quælibet ita saluari debet, ne importet contradictionem.*

DECISIO CLXI.

Promiserat cõductor locatori, finito termino quatuor annorum, pro quibus locatio erat facta, si medio tempore aliter nõ conuenerit, domum restituere vacuã, & expeditam in fine quadriẽnij. non facta medio tempore alia conuentione, locator instabat, vt domus relaxaretur iuxta formam instrumenti, conductor vero volebat vti decreto Camerali. Fuit dubitatum extra Rotam, An posset vti. Pro parte negatiua, quod non posset vti adducebatur decis. Ang. in l. ędẽ, C. locati quæ est approbata, vt ibi posui apo stillam, ad eum. vbi voluit Ang. quod pa-
1 ctum † locatoris de non expellen. Conductorem durante tempore conductionis, operatur, quod etiam non poterit expelli, etiã si voluerit domum pro vsu suo. & sic vt illa verba aliquid operentur, censetur renunciatum priuilegio illius, l. ędem. Idem ergo erit in casu nostro dicendum, vt illa verba aliquid operentur promissionis de restituendo in fine vacuam, & expeditam, operantur vt censeatur renunciatum priuilegio decreti Cameralis. Ad istam doctrinam Angeli potest responderi, quod in casu Ange. non expresso illo pacto, certe inquilinus pro vsu proprio poterat expelli, d. l. ędem expressio ergo eius debet aliquid operari. Sed in casu nostro, dato quod illud pactum dimittẽdi domum vacuam, non esset appositum, tamẽ finito tempore locationis semper intelligitur, quod de iure tenetur. & expressio eius
2 quod tacite inest † nihil operatur vltra dispositionem iuris communis. Nam licet nõ apponendo pactum ego tenebar dimittere iuxta formam decreti, ita etiam expressio pacti intelligitur, quod iuxta formam decreti tenear dimittere, quia expressio eius quod tacite inest, nil debet operari. Nisi replicetur aduersus istam responsionem, quod expressio eius, quod tacite inest, quando aliter exprimitur quam inesset, operatur d. l. 3. hic aliter exprimitur, quia fuit dictum, si medio tẽpore aliter nõ conuenerit. Et sic voluit excludere omnem alium casum, præter casum conuentionis faciendæ medio tẽpore, quia exceptio in vno casu, firmat regulam in cõtrarium, l. nam quod liquide, ff. de pen. legat. Et quod aliter exprimatur, patet, quia decretum dat conductori retentionem contra voluntatem locatoris, & tamen ex pacto apposito, si aliter medio tempore nõ conuenerit, clare apparet, quod vult conductor in casu nostro retentionẽ ex voluntate locatoris, ex quo reseruat quod medio tẽpore possit fieri conuentio. & sic oportet; quod procedat mediante voluntate vtriusque. In contrariũ tamen, quod per illa verba promissionis restitutionis, non videatur quis renunciasse decreto, facit quia si
3 promitto tibi restituere dotẽ † in omnẽ casum, intelligitur promissio, secundum formã statuti vel consuetudinis secundum Bal. in l. 2. in fine, C. de bon. quę liber. & in l. fin. versic. & est argumentum, C. ad l. falcid.

Secundo quia nunquam per legem genera-
lem,nec quamcumque dispositionem, etiam
4 contrariam,videtur quis † renunciare priui
legio, etiam quod ille actus sit proximus re
nunciationi. Ita Decius,cons.402.colum.2.
num. 3. & 4. Et multa cumulat Afflictus in
constitutione incipien.ea quę ad decus, fol.
121,col.pen. vers.in glo.2.in primo lib.cō-
stitution.Regni. Aduerte,quia istud funda-
mentum procederet vbi fuisset facta loca-
tio,& promissum simpliciter in fine locatio
nis,restituere domum liberam & expeditā.
quia intelligeretur promissio secundum for
mam decreti, per fundamenta superius di-
cta.Sed quia in casu nostro fuit dictū,si me-
dio tempore aliter contentum non fuerit.
& sic patet quod voluit secundum volunta-
tem locatoris; decretum autem intelligi-
tur contra voluntatem. Cum ergo iste actus
sit contrarius priuilegio,per talem actum
5 contrarium † dicitur renunciare priuilegio,
iuxta not.in c.cum M. Ferrarien de constit.
Et ideo particulariter respondendo ad con-
sil. Decij 402.dicitur quod ibi nil fiebat cō
trarium priuilegio, nimirum si illa genera-
lis promissio limitabatur ad formam statu-
ti,seu consuetudinis. Ad ea quæ dicit Affli-
ctus in d.constitutione, respondetur, quod
generalis dispositio contraria,non intelligi
tur in casu priuilegij,ex quo de illo specia-
lis est mentio facienda. In casu nostro su-
mus in speciali dispositione, non autem ge-
nerali. & quia continet contrarium actum
decreto, per talem actum censetur renuncia
tum ipsi decreto. Sed aduerte, inquantum
præsupponitur quod illa verba,si medio tē-
pore aliter non conuenerit, sunt contraria
decreto. quia verba pacti ita se habent. &
viceuersa, dictus D. Antonius promisit vti
dicta domo ad vsum fundaci, & more boni
conductoris,finito tempore,si medio tempo
re aliter non conuenerit,restituere vacuam,
& expeditam sub pęna tercentum ducarorū.
Nam dico quod illa verba, promisit resti-
tuere vacuam, & expeditam, intelliguntur
secundum formam statuti. & ita de iure il-
lam interpretationem recipiunt,per doctri-
nas superius allegatas. Illa autem conditio
posita,si medio tempore aliter non conuene
rit, cum veniat ad qualificandum illam di-
spositionem à iure sic interpretatam,intelli
gitur,si aliter non conuenerit,quod decreto
Cameræ,vti noluero. & sic nullam contradi
ctionem,importabunt,prout qualibet dispo
6 sitio † ita saluari debet,ne importet contra-
dictionem,iuxta doctrinam Bart. in l. scri-
pturas,C.de fid.instrum. Et cum saltim ne-
gari non possit quin ista verba sint dubia;
debent interpretari contra fundantem se
in verbis, & contra stipulantem,l. veteri-
bus, ff. de pact.

S V M M A R I V M.

Beneficia extra curiam vacantia possunt in curia per Ordinarios conferri.

DECISIO CLXII.

QVod collatio * beneficij vacātis extra Curiam, possit fieri in curia vide Petrum Rebuff. in tractatu nominationum,pag.85. col.2. in fine, versic. Immo etiam possunt beneficia. Et ita alias fuit coram me resolutum. Et quod Ordinarius possit conferre in curia, vide Glossatorem super regula 15.de concurrentibus, pag. pen. in prin.

* Vide Sarnen. in regula de non iudican. iux. formā lit q. 3. & in addit. quam ibi feci Aneā de Falcoñib in tract. referuat. in 2.par. tractat. quæst. 4. princ. in 10. quæsito.

S V M M A R I V M.

An Vicarius Episcopi possit Locumtenentem deputare.

DECISIO CLXIII.

COram D.Sarnen. 7. Octobris 1541. Fuit dubitatum in vna Pampilonen. decimarum, An Vicarius Episcopi Pampilonen. potuisset facere Locumtenentem non expressa causa. Et fuit dictum,quod communis opinio est, quod siue in mandato Vicarij sit potestas substituendi, siue non, quod non potest deputare Locumtenētem. vt per Hosti. Abb. & alios, in c. clerico, de offic. vic. per Domin. & Francum, in cap. 1. de offic. Vic. in 6. Rota decis.4. de offic. Vic. in nouis,alias num. 378. Pauin. in tract. de offic. & potest. Capituli sede vacante, in secunda parte,in 10. quęst.in 5.aut 6.col. Verum est,nisi ad modicum tempus,& ex causa.cum autem in casu nostro nulla probaretur causa,ergo deputatio nulla.

S V M M A R I V M.

An Delegatus possit alteri subdelegare receptionem iuramentorum, & examen testium.

DECISIO CLXIV.

SEcundo fuit dubitatum, An ille Locumtenens potuisset subdelegare alteri ad recipiendum iuramenta,& examen testium. Et pro parte negatiua allegabatur decis.8. de offic.deleg. in nouis, alias num. 258.,& Felin. in c.cum Bertoldus, col.7. versic.de subdelegatione autem examinis testium,&c. de re indic. Pro parte autem negatiua dicebatur,

batur, quod illę decisiones loquebantur in
delegato ad vnũ articulum, seu vnã causam,
vt ille non possit subdelegare, quia receptio
iuramẽtorum est actus iurisdictionalis. Sed
in casu nostro Locumtenẽs Vicarij erat de-
legatus ad vniuersitatem causarum, qui De-
legatus Ordinario æquiparatur, glos. & DD.
in cap. cum causam, de appellat. Ergo sicut
potest Ordinarius, poterit & Delegatus, ad
vniuersitatem causarum subdelegare. Ta-
men quia fuit conclusum, quod deputatio
Locumtenentis non tenebat, vt superius di-
xi, ideo iste articulus remãsit irresolutum.

SVMMARIVM.

Arrendatarius qui durante arrendamento incepit possidere ex alia causa, si spoliatur à locatore, an habeat remedium possessorium.

1 *Conductor, an possideat. & an possit detentationem, mutare in causam possessionis. num. 3. & seq.*
2 *Colonus quando dicatur interuertere possessionem domini.*
3 *Ad mutandam causam possessionis, quæ requirantur, & num. 7.*
4 *An sufficiat solus animus.*
5 *Detentatio ex quo mutata in possessionem.*
6 *Domino an liceat propria authoritate expellere conductorem, qui mutauit sibi causam possessionis.*

DECISIO CLXV.

IN vna Compostellana spolij, inter Colle-
gium Ciuitatis Compostellanæ ex vna,
& Alphonsum, &c. ex alia, in qua Collegiũ
arrendauerat quoddam beneficium, quod
possidebat tanquam vnitum Alphonso. Al-
phonsus durante arrendamento, de cuius so
lutionibus non constabat, neque etiam con-
stabat, quod denegasset soluere, impetrauit
dictum beneficium, & vigore illius impetra-
tionis accepit possessionem. & cum arren-
damentũ incepisset de anno 1534. ad trien-
nium, & paulo post factum arrendamentũ,
idem Alphonsus impetrasset, & accepisset
possessionem nomine proprio, illam cõtinua
uit vsque ad annum 1539. de quo anno fuit
expulsus à Collegio. ipse vero Alphonsus
commisit causam super spolio, & petebat se
restitui. Dicebatur pro parte negatiua, ꝙ
non esset restituendus, quod ipse Alphonsus
1 erat † conductor, & ideo non possidebat;
l. 1. C. commun. de vsucap. & ibi glos. & ideo
non competebat sibi remedium possessoriũ;
& merito, tãquam esset finita locatio, pote-
rat expelli: nec potuerat iste Alphonsus per
illam apprehensionem possessionis, seu, non
dicebatur per talem actũ interuertisse pos-
sess. locatoris, per text. in l. cũ nemo, C. de
acquir. possess. cum tũc demum dicatur in-
2 teruertere, † quãdo denegasset solutionem
pensionis, vel dominum venientem non ad-
misisset, aut alteri tradidisset, iuxta glos. in
d. l. 1. & ibi DD. C. commun. de vsucap. &
per Alex. in l. si rem, in fine. ff. de acquiren.
possess. glos. pen. in l. 2. C. de prescript. tri-
ginta annorum. Item, quia ad hoc vt quis
dicatur sibi mutasse causã * possess. oportet — * Quomodo quis dicatur mutare sibi causam possessionis, vide Dec. cons. 400. col. 3. vers. Nec obstat &c. vol. 2.
3 vt prius possess. dimittat, † & postea eam
acquirat, per text. & quod ibi notant Ful-
gos. Paul. de Cast. & Alexand. in l. qui bo-
na, §. 1. ff. de acquiren. possess. Cassador. de-
cis. 4. pag. penult. in fine, de restitut. spol.
Cũ in casu nostro nõ interuenerit ista abie-
ctio illius detentationis, ergo non fuit muta
ta, & sic non poterat ei competere remediũ
possessorium. Sed in contrarium dicebatur
quod illud quod dicit glos. in d. l. 1. C. cõ-
mun. de vsucap. procedit vbi quis solo ani-
4 mo vult sibi mutare † causam possess. prout
etiam dicit text. in l. cum nemo, de acquir.
possess. dum dicit, quod nemo potest sibi mu
tare possess. causa extrinsecus non acceden-
te. At hic accedebat titulus habitus à supe-
riori vt præsupponebatur, ergo erat muta-
5 ta detentatio in possessionem, † sicut dicit
ibi Paul. de Castr. Salicet. d. l. cum nemo,
quod si conductor tenet rem à locatore, &
credens quod alius sit dominus, eam emat
ab illo, accedente ista causa iusta extrinse-
cus, dicitur sibi mutare causam possessionis.
Et idem dicit Paul. de Cast. in l. 1. col. 2. ver-
sic. si autem interuerteret, &c. C. cõmun. de
vsucap. Sic erit in casu nostro. quia licet à
principio, à Collegio conduxerit, tamen
quia postea credidit Collegium nullum ius
habere, ideo illud impetrauit. & accedente
ista causa iusta, seu saltem quam credebat
iustam, accepit possessionẽ, mutauit sibi de-
tentationem in possessionem, & Collegium
possessione priuauit. licet ipsum spoliauerit,
tamen quia per talem mutationem, quæsi-
6 uit sibi possessionem, † non licuit Collegio
auctoritate propria spoliare. argumento
text. in l. si colonus, & in l. cum fundum. ff.
de vi, & vi armat. Nec obstat, quod isto mo-
do, Collegium, & sic locator, priuaretur
ignorans sua possessione; quia dico ꝙ istud
non inconuenit, vt sentit Paul. de Castr. in
dictis locis, ex quo vult, quod mutetur de-
tentatio in possessionem, cum duo in solidũ
non possint possidere. Immo est text. in l. pe-
regre, §. quibus explicitis, ff. de acquir. pos-
sess. & glos. in d. l. 1. C. commun. de vsucap.
Ad illud quod dicitur, quod ad hoc vt dica
7 tur mutata causa possessionis, † oportet
prius dimittere, & postea de nouo assequi,
quod hic non interuenit secundum DD. su-
perius allegatos. Tamen in hoc dicas, quod

Socin.

Socin. in l. 3. §. ex pluribus, col. 2. ff. de acquir. possess. dicit quod quis quærendo ex noua causa, dicitur in dubio dimittere ex antiqua. Et istud tanto magis procedet vbi causa antiqua, & noua, non se compatiuntur, quia tunc non videtur quis ex vtraque velle possidere, prout dicit Paul. de Cast. in dictis locis, quod superueniente iusto titulo detētatio mutatur in possessionem, cum istæ duæ causę se non compatiantur. Nil fuit resolutum, sed gratia excitandi ingenij ista dicta fuere. & erat causa, coram D. Io. Paulo proposita 10. Octobris 1541.

SVMMARIVM.

Testes examinati in possessorio, non faciunt fidem in petitorio.

1 *Suspenso petitorio, testes examinati in possessorio, an faciant fidem in petitorio.*
2 *Causa possessorij, & petitorij quando & quo modo dicatur connexa.*
3 *Regulariter nihil commune habet causa possessorij cum petitorio.*

DECISIO CLXVI.

ERat commissa causa in possessorio tantum, & testes examinati. Et dubitabatur; An isti testes fidem facerent in petitorio. Fuit resolutum coram D. Thoma de Thanis, in vna Oueten. parochialis de Riberas, die 10. Octobris 1541. quod non facerent fidem, per decis. Rotæ 437. aliàs 23. de testib. in nouis. & sicut ibi decisio, quan-
1 do † suspensum est petitorium, testes examinati in possessorio non faciunt fidem in petitorio, propter defectum iurisdictionis Iudicis. Et quia si, quid dicunt in petitorio, dicunt extra articulū, vt etiam dicit decis. 393. aliàs 16. de rest. spol. etiā in nouis; ita & hic, vbi causa erat commissa in possessorio tantum, non facerent fidem in petitorio, & testes erant examinati circa vacationem, habilitates, & alia huiusmodi. Nō obstant quæ dicit Abb. in c. causam quæ col. 3. in fine, vers. item dubitatur, numquid inter easdem personas, &c. de testib. circa finem
2 illius quæstionis, dum sentit, quod † causa possessorij, & petitorij sint connexa. & allegat cap. 1. de can. possess. & propriet. & quæ dicit Ias. in l. 2. col. pen. vers. limita quatuor modis, in vers. secundo limita, C. de eden. quia procedunt in omnino connexis, non in ijs, quæ aliquo modo, & respectu sunt connexa, vt sunt possessorium, & peti-
3 torium. quæ licet † in aliquibus conueniant, tamē regulariter nihil cōmune habet causa possessorij cum petitorio, secundum Claud. Marmerij in repet. §. nihil commune, in 1. col. in 1. not. ff. de acquir. possess.

SVMMARIVM.

Ex narratiua Ordinarij de præsentatione in instrumento institutionis, an probetur quasi possessio præsentandi.

DECISIO CLXVII.

PEr obitum Ioannis de Rialmar ad quādam Capellaniam S. Ioannis Salaman. diœcesis. Veniebat Ioannes de Guideia ex prouisione Cardinalis S. Crucis, qui habebat indultum cōferendi in diœcesi Salamātin. ex aduerso veniebat Hieronymus Lopez, tamquam præsentatus à patronis laicis dicens beneficium esse de iurepatronatus, & quod præsentantes eum erant in quasi possess. præsentandi. Et ad eam probādam producebat institutionem de dicta Capellania factam in persona dicti Ioānis de Rialmar, in qua Vicarius Episcopi Salamantin. instituendo. Io. de Rialmar, dicebat hęc verba, quam capellaniam dotauit, & fundauit talis laicus ad quam præsentatus fuisti per ipsum patronum, & ideo in ea te instituimus. Dicebatur pro parte Hieronymi, quod ex tali narratiua posita in institutione probabatur quasi possess. præsentādi. per decis. Rotæ 423. aliàs 11. de iur. patr. in nouis. Exaduerso dicebatur, quod ex illa narratiua nō probabatur quasi possessio, quia in illa decisione pōderabatur, quod ibi erat verus patronus, ꝙ secus est in casu nostro. Tamē dicebatur quod istud nihil erat, quia ita euenerat ibi in facto, quod colligitur ex ijs quæ dicit Roman. in l. sciēdū, col. 14. vers. non quid si cōstat, &c. ff. de verb. obligat. vbi Roman. ponderat duo extrema, videlicet vacationē, & institutionē, & nō dicit, quod esset patronus. Secundo dicebatur, quod illa decisio 423. non habebat locū in præiudiciū tertij, secundum Felin. in c. sicut, col. 12. verfic. extrinseca solēnitas, de re iudic. & Roch. Curt. in tractat. iurispatronat. in verbo honorificum, quæst. 50. Ad istud respondebatur quod etiam in casu dictæ decis. agebatur de præiudicio alterius collitigantis, & nihilominus probabatur ex narratiua præsentatio. Vel & secundo, & melius, illud quod dicit Felin. habet locum quando agitur de præiudicio tertij, puta expectātē. Hic autem non agitur de præiudicio tertij, sed ipsiusmet Ordinarij, seu loco eius succedens qui habebat indultum in illa diœcesi. Vnde non est præiudicium, quod inferatur tertio, sed potius nascitur ex facto proprio, ex quo prædecessor eius qui veritatem sciebat, ita in institutione facta narrauerat. Et ita pro ista parte renuerunt Maceraten. Marescotus Io. Paulus, & Thomas de Thanis, discrepante solo Sarnen, dicente, quod probabatur præsen-

præsentatio, sed non quasi possessio præsentandi. 10. Octobris 1541. Et pro ista parte Sarnen. facit, quia licet quo ad validitatem actus, illa narratiua probaret præsentationem; tamen quia principaliter nunc agebatur, an interuenisset ad effectum constituendi assertos patronos in quasi possessione, nō debebat probare. præsentationem, & sic qua si possessionem. per l. optimam, C. de contrahen. stipul. & dictum Anton. in c. illud, de quo ibi per Abb. de præsumpt. Tamen dicebatur, ꝙ si probabatur institutio, & quod erat sortita effectum; quia vterque veniebat per obitum Ioannis. ergo probabatur status seruus, & non liber. Et si quis volebat dicere, quod forsan ex alio iure veniebar, quod debebat probare. cogita. Ista causa fuit iterum posita 16. Nouembris 1541. Et in dubio, fuit additum, dato quod Ioānes habeat prouisionem Apostolicam. Et fuit decisum, quod illa narratiua faceret fidem. Nec obsta, quod decis. 423. ponderet ibi, quod con stabat de vero patrono. quia dicebatur quod illud ita in facto contigerat, prout etiam alias fuit dictum. Non obstat illud quod dicebatur, quod in præiudicium tertij, puta Apostolici, narratiua nō facit fidem, per doctrinas hic allegatas. quia respondebatur, quod tempore narratiuæ, non agebatur de præiudicio Apostolici. quia nullus erat qui concurreret cum Ioanne, qui per tot annos posledit, & nunc defuncto. Et sic illo tempore non tractabatur de alicuius præiudicio. & ideo, postquam per illam narratiuam quę sita erat possessio, illud ius semel quæsitum non poterat infringi per prouisionem impe trantis per obitum illius possessoris, sed debebat acceptari cum suis qualitatibus.

SVMMARIVM.

Vbi terminus est præfixus cum intimatione, non currit ante intimationem.

DECISIO CLXVIII.

FVit dictum in vna Romana pecuniaria, coram D. Io. Paulo 10. Octobris 1541. quod si terminus est præfixus cum intimatione, & non sit facta intimatio, actus postea factus est nullus; quia dilatio non currit, donec sit intimata. & ideo reperitur actus factus præcedente dilatione, qua pen dente conquiescebat officium Iudicis, l. fine pars, C. de dilation.

SVMMARIVM.

Priuilegiū de percipiendis fructibus in absentia, in casu de quo hic, ligat à die intimationis.

1 *Priuilegium, ad hoc vt operetur, an sufficiat quod transeat in notitiam priuilegiati, absque eo quod transeat in notitiam eius, contra quem conceditur.*

2 *Priuilegium concessum beneficiato de percipiendis fructibus in absentia, an perdatur per negligentiam.*

Et vigore talis priuilegij contra quem agendum. An contra Capitulum, vel contra clericos qui perceperunt fructus.

3 *Non vtens priuilegio, an dicatur illud amisisse.*

Priuilegiū de percipiendis fructibus ad quinquēnium, à quo tempore incipiat currere.

4 *Et quod afficiat Capitulū à die intimationis.*

Priuilegium à quo tempore incipiat habere effectum.

DECISIO CLXIX.

FRanciscus de Miranda obtinuerat priuilegium de percipiendis fructibus in absentia, de anno 1524 etiam cuiusdam Archidiaconatus de Andorra, quē habuerat ex resignatione Episcopi Castellimaris in Ecclesia Aurien. De anno 1526. commisit cau sam contra Capitulum Aurien. super molestationibus fructuum cuiusdam Parochialis de Tombes, vnitę dicto Archidiaconatui. & sic constabat, quod vigore prouisionis factę de dicto Archidiaconatu, mouerat litem; quia etiā priuilegium de percipiendis fructibus, non expediuerat, nec intimauerat Capitulo. postea primo anno Pauli, videlicet 34. in forma rationi congruit, expediuit priuilegium prædictum, & illud intimauit Capitulo de anno 1538. Fuit dubitatum coram me, die 17. Octobris 1541. An fructus vigore dicti priuilegij, deberentur Francisco à die intimationis, vsque ad resignationem per eum factam, quia per quatuor menses post intimationem resignauerat. An vero deberentur à die commissionis causæ, quæ fuit de anno 1526. vsque in diem resignationis. Et pro parte affirmatiua dicebatur,
1 quod ad hoc, † vt priuilegium operetur, sufficit, quod transeat in notitiam priuilegiati; non autem requiritur, quod transeat in notitiam eius, contra quem conceditur, c. 1. §. dicebat, cum sequenti, de concess. præben. lib. 6. & quod dicit Franc. in d. c. 1. §. ex parte, de reuocatione priuilegij. Item, & secundo, dicebatur quod ex quo priuilegiū habebat decretum irritans, & illud operatur ante certificationem, & ligat ignorantes, & sic quidquid per Capitulum perceptum fuit, indebite detinebatur. In contrarium fuit allegatum, cons. Oldrad. 96. vbi.
2 voluit Oldrad. quod per negligentiam, † tale priuilegium perdatur. vel saltem non esset agendum contra Capitulum, sed contra particulares, in quos fructus erant distribu-

ti, ma-

ti. maximeſtante fundatione dicti Archidiaconatus per Papam approbata, in qua cauebatur, quod abſente Archidiacono, fructus diſtribuerentur intereſſentibus. Vnde, cum Capitulum in caſu noſtro eſſet in iuſta ignorantia, & fructus, vigore fundationis in intereſſentes diſtribuiſſet, erat agendum contra percipientes, non autem contra Capitulum. Immo dicebant aliqui ex
3 Dominis, quod ex quo per decennium † nõ vſus fuerat priuilegio, diceretur illud amiſiſſe, per not. per Felin. in c. cum veniſſent de conſtit. Vide Io. And. in addit. ad Specul. in tit. de cler. reſiden. in 1. addit. vbi ponit priuilegium de percipiendis fructibus ad quinquennium, à quo tempore incipiat currere. In vna Conchen. fructuum coram D. Mareſcoto, die 12. Ianuarij 1543. inter Conſtantinum del Caſtillo, & Capitulum Conchen. in fructibus diſtributis, fuit idem cõcluſum, quod voluit Oldr. conſ. 56.
4 videlicet, † quod à die intimationis afficeret Capitulum. & infra, deciſ. 407. poſui, quod priuilegium ligat Capitulum in fructibus non diſtributis à die datæ. Et priuilegium à quo tempore incipit habere effectum, vide Iaſ. in l. fin. col. 8. verſ. ſucceſſiuè querunt DD. &c. ff. de conſtit.

SVMMARIVM.

Regula de triennali, tuetur poſſidentem ſeptem parochiales.

DECISIO CLXX.

FVit dubitatum coram Domino Sarnen. 17. Octobris 1541. An regula de triẽnali tueatur poſſidentem parochiales ſeptem, qui non docebat de diſpenſatione. Et fuit dictum, quod omnes rationes, per quas Dominus Sarnen. in reg. de trienn. in 10. quæſt. mouebatur ad dicendum, quod tueatur tenentem duas parochiales militabant in illo, qui tenebat ſeptem. immo multo fortius. quia ſi nõ haberet diſpenſationem, veriſimile eſt, quod ſuperior eum non tolleraſſet. Non obſtat quod dicebatur, quod per Concilium Lateranenſe prouidetur, vt quis vltra quatuor parochiales, etiam per viam vnionis, tenere non poſſet. Quia dicebatur, quod, cum contra tale Concilium Papa diſpenſare poſſet, ſufficiebat dare poſſibilitatem caſus.

SVMMARIVM.

Obligatio fuit interpretata pro rata, non obſtante clauſula renunciatiua legum, dicentium duos reos conueniendos pro rata.

1 *Renunciatio beneficij de duobus reis, an ſit valida, & quando, & num. 6. & 7.*
2 *Clauſulæ executiuæ, an declarent partem principalem. & num 7.*
In eadem diſpoſitione, ſequentia declarant præcedentia.
3 *Interpretatio ſemper fieri debet, ne in eadem ſcriptura adſit repugnantia.*
4 *Et quod non adſit ſuperfluitas in contractibus.*
5 *Dubietas contractus quando oritur ex verbis promiſſoris, in dubio contra promiſſorem debet fieri interpretatio.*
6 *Obligatio in dubio, intelligitur pro rata, & non in ſolidum.*
7 *Clauſula in parte exequutiua poſita, non debet principalem diſpoſitionem augere.*
8 *Obligatio an ex tacito ſenſu induci debeat. Verba in contractibus, intelliguntur prout ſonant.*
9 *Clauſulæ renunciationis Velleiani, Epiſtola D. Adriani, an dicantur appoſitæ ex conſuetudine, & ſint impertinentes.*

DECISIO CLXXI.

QVinque mulieres promiſerant in inſtrumento tranſactionis, dare alteri mulieri certa bona. & in clauſulis renunciationum fuerat dictum, renunciantes legibus dicentibus, quod vbi ſunt duo, vel plures rei debendi, quemque pro rata teneri. Fuit dubitatum 17. Octob. 1541. coram D. Thoma de Thanis in vna Placentina tranſactionis, An iſtæ mulieres promittentes, tenerẽtur in ſolidum. Et pro
1 parte affirmatiua dicebatur, † quod illa renunciatio beneficij de duobus reis, valida erat, vt per gloſ. in auth. hoc ita, in gloſ. final. & ibi per Bart. col. 10. in 11. quæſt. C. de duob. reis. Si erat valida, licet poneretur in parte exequutiua, tamẽ tales clauſu-
2 læ declarant † partem principalem, vt per Iaſ. conſ. 56. col. 2. vol. 3. Et cum ſimus in eadem diſpoſitione, in qua ſequentia declarant præcedentia, l. ſi ſeruus ſeruum, §. fin. de legat. 1. illa clauſula declarabat, quod principalis diſpoſitio in ſolidum eſſet facta.
3 Præterea † ſemper debemus facere interpretationem, ne in eadem ſcriptura adſit repugnantia, l. ſcripturæ, vbi Bart. C. de fid. inſtr. ſi non intelligimus, quod principalis diſpoſitio intelligitur in ſolidum, dabitur repugnantia in eadem oratione. Item
4 & dabitur † ſuperfluitas, quod in contractibus non debet fieri, vt per Bal. in rubr. de contrahen. empt. Item, & cum iſta dubietas oriatur ex illis clauſulis renunciationum, & ſic oriatur ex verbis promiſſoris,
5 tunc interpretatio † in dubio debet contra promiſſorem fieri. Iaſ. in l. ſtipulatio iſta, §. in ſtipulationibus. ff. de verb. oblig. Tamen iſtis

istis non obstan. contrarium fuit resolu-
6 tum. Quia, ex quo principalis † dispositio intelligebatur non insolidum, sed pro rata, l. reos. §. cum in tabulis, de duob. reis l. Paulus, ff. de re iud. & l. 1. C. si plu. vna senten. clausula in parte executiua posita,
7 non debebat † principalem dispositionem augere. clem. 1. de præben. vbi multa appo stillaui. Et quia illa clausula, renũciantes, tantum inducebat renunciationem, vnde
8 ex tacito sensu, non debebat induci obligatio, per glo. in c. sæpe, in verbo, partibus, de verb. sign. & in contractibus, debemus verba intelligere prout sonant, non autem vt ex tacito sensu inducamus obligationẽ, vt fuit allegatus Bal. in l. tres fratres. ff. de pact. Et quia in eadem obligatione, reperiebantur aliæ clausulæ impertinentes, puta, renunciatio Velleiani † item epistolæ
9 Diui * Adriani, fuit dictũ, quod ex consuetudine tales clausulæ essent appositæ.

* Renunciatio epistolæ Diui Adriani, & beneficio de fideiussoribus, nõ est impertinens, vt per Bart. in auth. hoc ita col. 20. vers. vnde decimo quarto &c. de duo reis.

SVMMARIVM.

In obligationibus in forma Cameræ, Auditor Cameræ potest procedere contra præsentem in curia, non citatum personaliter.

1 *Verba in facultatibus A. C. citationes affigendas ab ortu solis ad occasum, quomodo intellecta.*

DECISIO CLXXII.

Die 21. Octobris 1541. In vna Modrusien. Pensionis, pro Iacobo Hermolao, contra fideiussores, coram Maceraten. Domini tenuerunt, quod Auditor Cameræ, vigore Leoninæ, possit procedere in obligationibus in forma Cameræ, dato quod prima citatio non fuerit facta contra præsentem in curia, personaliter, sed per affixionem citationis. quia verba, priuilegij dicunt, dato quod obligatio in forma Cameræ, sit de maiori summa viginti ducatorum, nam in illa agebatur de pensione ducentum ducatorum. Quoniam dicebant Domini, quod in duobus casibus poterat procedere, videlicet, in obligationibus in forma Cameræ, & vbi agebatur de summa viginti ducatorum. Sed voluerunt, quod doceretur de stylo, pro maiori satisfatione. * Item dixerunt, q illa verba posita in dicto priuilegio, citationes affigendas ab ortu solis ad occasum, non Intelligebantur taliter, quod citationes deberent esse affixæ ab ortu ad occasum, sed quod affigerẽtur inter ortum, & occasum, ad excludendum ne fierent de nocte.

* Iste intellectus si contra stylū A. C. quo secuatur, vt citationes per affixionem in talibus, fiant vna te pro altera, & non fiant per totam audientiam, quasi sentiant tales citationes per affixionem, debere manere ab ortu ad occasum, & ita standum esse stylo. Et de ad propositum styli, quæ dicit Hippol. in l. de vnoquoque, col. 11. n. 41. vers. & in hac materia illegitime citationis &c. de re iudicat.

SVMMARIVM.

An de oblationibus, quæ fiunt in Missa, iniuste perceptis, debeat fieri mentio in noua prouisione.

1 *Oblationes an sint fructus.*
2 *Oblationes, quo casu de iure debeantur parocho.*
Et quando, dicantur ab eo accipi vigore tituli.
3 *Temeritas sua alicui prodesse non debet.*
4 *Oblationes, de consuetudine, non soluuntur in Italia.*
Oblationes, quando censeantur data ex voluntate, & non necessitate.

DECISIO CLXXIII.

Coram eodem Domino Maceraten. eadem die, fuit dubitatum, An de oblationibus quæ fiunt in missa, iniuste perceptis, debeat fieri mentio in noua prouisione Et dicebatur pro vna parte, quod licet de fructibus iniuste perceptis, debeat fieri mentio, iuxta dicta per Felin. in c. postulasti, & in c. in nostra, in 2. coroll. de rescrip.
1 tamen, † quod oblationes non erant fructus, vt per Felin. in c. ad aures, in 13. quæst. de rescript. Tamen hoc non obstante fuit facta distinctio, quod aut istæ oblationes fuerunt captæ quia de iure debebantur, vt quia die dominico, & Rector erat pauper, vel in loco
2 erat consuetudo dandi, † quo casu de iure debentur; * vt per Abb. in c. causa. de verb. sig. & in rub. de paroch. & tunc, cum parochiani videantur de necessitate tales oblationes dare, & Rector recipere vigore sui tituli, tunc si iniuste percepit, quod tenetur de illis fa-
3 cere mentionem, † ne temeritas ei prosit, c. eum cui. de præben. in 6. Aut vero de iure oblationes non debebantur; quia sumus in loco in
4 quo non est † consuetudo soluendi, vt in Italia. & tunc cum tales oblationes censeantur dari potius ex voluntate, quam necessitate, & potius ratione seruitij & celebrationis, quam respectu tituli, & isto casu de talibus oblationibus non esset facienda mentio, cum non essent solutæ respectu tituli.

Causa erat intitulata Vasionen.

* Quando capiuntur in casu quo de iure debẽtur, quod debeat fieri mentio, facit quod dicit Abb. in c. 2. de paroch. vbi dicit, q ideo debens parochiani in parochijs suis audire missas propter oblationes. & quod si alienus parochianus admitteret, & caperet, diceretur committere furtum, & rapinam. Si ergo per nõ Rectorem iniuste recipiuntur, propter periculum animæ debet fieri mẽtio in prouisione.

* *

Vbi

SVMMARIVM.

Vbi præcedit consuetudo locandi ad nouennium, an in terminis, §. qui impleto tacita reconductio censeatur facta secundum illam consuetudinem, videlicet ad nouennium.

1 *Consuetudinis, de qua est publica vox & fama, an quis notitiã habere præsumatur.*
2 *Dispositio recipit interpretationem à consuetudine.*
Contractus locationis an recipiat interpretationem à consuetudine, & quomodo, & num. 6.
3 *Reconductione in tacita an procedat idem.*
4 *Consuetudo vltima attenditur.*
5 *Consensus ad factum limitatum, ad quod restringatur.*
7 *Argumentum de expresso ad tacitum, quomodo & quando procedat.*
8 *Consuetudo probata in expresso consensu, de ea non potest inferri, vbi interuenit tacitus.*
9 *Tacita locatio an recipiat interpretationem quoad tempus à consuetudine legitimè præscripta.*

DECISIO CLXXIV.

LOcauerat Reuerendissimus Tranen. de anno 1535. D.Petro de Maximis Casale Portuẽse ad nouennium, cum pacto de triennio in triennium. Finito biennio fuit translatus ad Episcopatũ Hostiẽsem cui successit Reuerendissimus Hipporegien. qui recepit pro affictu, etiam per biennium pensiones debitas. & finito biennio voluit expellere dictum Petrum, qui replicabat nõ posse expelli, quia per receptionẽ videbatur tacite relocasse. Et ex quo probabatur pro parte D.Petri, quod à quadraginta annis citra, Casale Portuense per Episcopos Portuenses solitum erat locari ad nouennium, de triennio in triennium. item quod de tali consuetudine erat publica vox, & fama in Vrbe, & per consequens Cardinalis qui erat præ-
1 sens præsumebatur † de ea notitiam habere iuxta glos. in l. fin. C. de peric. tutor. quod Cardinalis videbatur tacite relocasse ad nouennium iuxta formam consuetudinis Propterea coram me, cui causa de consensu Locumtenentis A.C. fuit remissa die 21. Octobris 1541. fuit dubitatum, præsupposita cõsuetudine locandi Casale de quo agitur ad nouennium, cum pacto renouandi de triennio, &c. An Reuerendiss. Cardinalis Hipporegiensis recipiendo pensionẽ pro affictu, videatur ad tempus, de quo in vltima locatione, relocasse. Pro parte affirmatiua diceba-
2 tur, quod omnis dispositio † recipit interpretationem à consuetudine, ad not. per Innoc. in c. olim. in princ. de verb. signif. Idq; proprium est contractus locationis, vt in l. licet l. excepto l. circa. C. locat. Hinc videmus, quod etiam contra iuris communis dispositionem locatio simpliciter facta per Prælatum Ecclesiæ, intelligitur in tertiam generationem, si ita erat consueta res dari. Item pro filiabus fęminis, & futuris nondum natis, qui alias non comprehẽderetur, ad not. per Imol. in c. potuit ad finem. de locat. per Bal. in addit. ad Specul. eo. tit. per Felin. in c. cum M. Ferrarien. col. 3. in fine. vers. & dicit Imo. cum versic. præceden. & sequen. de constit. per Ias. in l. vt liberis. col. 3. C. de collat. & in l. certi condictio. §. si nummos. col. 4. & sequen. ff. si cert. pet. Nam in similibus consuetudo rei inspicienda est, vt ad tertiam generationem locari solita ad tertiam locata censeatur per superius dicta. Immo in terminis nostris, vt censeatur
3 tacita † reconductio facta iuxta consuetudinem, locatorum, conductorum, & vtilitatẽ rei ad tempus nouennij, vel simile quo vtilitas percipi potest consideratur per Bal. in d. §. qui impleto. ad finem, versic. in eadem glos. &c. Quod etiam ibidẽ voluit Bartol. in 3. col. vers. aduerte, quia. &c. ibi quia plus expenderet, quam recolligeret, dum etiam ponitur exemplum de faba, & similibus. Itaque si D. Petrus, vel alij similes cõductores non minori tempore nouennij recepissent dictum Casale, quod pro bubalis tantum retinendis aptum esse dicitur propter difficultatem mutandi bubalas, & expensas tuguriorum, & similium, cum alias plus fere exponeretur quam recolligeretur, sequitur quod inspecta natura, & vtilitate rei, & consuetudine Casalis, & locantium & conducentium, pro nouennio & non minori tempore, iudicanda sit facta reconductio, seu locationis renouatio. Istis tamen nõ obstantib. Rota tenuit cõtrariũ per tex. in d. §. qui impleto. nam ibi præcedebat locatio ad lustrum. Et cum, vt dicit Decius in l. semper in stipulationibus. ff. de reg. iur.
4 col. 2. vltima consuetudo † attendatur, & sic esset attendenda consuetudo illius lustri: tamen non censetur facta relocatio ad lustrum, sed ad annum. Et ideo cum in casu isto tacitus consensus resultet ex patientia,
5 & ex facto receptionis limitato, † debet ille consensus ad factum limitatum restringi. Bart. in l. 1. §. si quis interdicto. ff. de itin. actuq; priuato. Et quia consensus tacitus non extenditur vltra illud quod sonat, licet secus sit in expresso iuxta glos. in Clemen. sæpe. in verbo. de partiũ de verb. signif. Ad quæ optime faciunt decis. 232. & 233. alias prima, & 2. de locat. in nouis, & Aegid. decis. 748. supposito quod D. Guido, &cæt. Ad illud autem, quod dicebatur de consuetudine

6 tudine respõdebant Domini dicẽtes,† quod procedere posset in expressa locatione. vtputa, si Prælatus indeterminate locaret forsan intelligeretur secundum consuetudinẽ. secus autem est in tacita, ex quo habemus text, in d. §. qui impleto. & isto casu non procedere argumentum de expresso ad tacitum. quod patet etiam quia ille text. tantum considerauit vtilitatem, quæ erat percipienda ex re, distinguendo inter prædium vrbanum, & rusticum. & quia ex rustico nõ percipitur nisi in anno, ideo voluit quod ad annum. secus in vrbano, quia quolibet momento percipitur vtilitas. & non considerauit quid solitus esset facere locator. videlicet, an præcessisset locatio ad lustrum vel non. Item quia verum erat quod isti tantum probauerant consuetudinem in casu expresso. extendere autem illam consuetudinem in casu tacito, in quo habemus dispositionẽ iuris claram, dicebant Domini, quod ista extensio non esset facienda. Ad illud dictum Bart. in §. qui impleto, in 3. col. de vtilitate, dicebant Domini, quod illud dictum procedit in expensis quæ fiunt in re ipsa, puta in exemplo quod ponit Bart. quando seminatur faba vt terra magis pinguis fiat pro sequenti anno. tunc ne expensæ sint maiores quam vtilitas, & quia fructus non sunt vniformes, ideo censetur ad biennium relocatio facta. Hic autẽ quolibet anno fructus vniformes erant, quia herba semper nasceba tur & renascebatur, licet expensæ fierent extra rem locatam, puta in bubalis. Præterea cõsiderabatur quod nulla expensa fuisset facta post reconductionem, sed omnes expensæ factæ erant in principio locationis, & iã quadriennio Casale habuerat. Item dicebatur quod in alijs Casalibus vbi manebant bubalæ, fiebant locationes ad quadrienniũ, & sic illa expensa non erat in consideratio-
7 ne. Et nota quod isto casu † non procedit argumentum de expresso ad tacitum * quoniam expressus consensus extenditur ad similes casus. Secus est in tacito secundum glos. in Clem. sæpe in verbo partibus. de verb. signif. de qua per Felin. in c. si quis contra. columm. 2. vers. nec obstat ratio. &c. de for. compet. & per Decium, in l. 1. colum. 2. in fine. vers. & conclusio DD. &c. C. qui admit. & ibi dicta per eum bene faciunt ad propositum. Cum ergo con-
8 suetudo sit probata † in expresso consensu, de ea non potest inferri, vbi interuenit tacitus, quia facilius extenditur expressus, quam tacitus consensus, vt dixi.

* Quod in isti terminis non procedit argumẽtum de expresso ad tacitum, vide Decium in c. dilecti. 2. in 2 not. de appellat. vbi dicit quod ex facto colligitur consensus tacitus, & limitatur ad limites facti. secus est in expresso, qui extenditur.

Fuit iterum 27. Martij 1542. causa po-
9 sita super eo, videlicet. An tacita † locatio recipiat interpretationem quo ad tempus, à consuetudine legitimè præscripta, rei sic solitæ locari, prout expressa. Et fuit resolutum per maiorem partem, quod non. quia illa tacita locatio, quæ resultabat ex facto, debebat limitari ad terminos facti, itaut tantum induceretur ratificatio pro tẽpore præterito, non autem pro futuro. & per alias rationes de quibus hic.

SVMMARIVM.

Successor non tenetur stare contractui Prælati prædecessoris.

1 *Emphiteuta non soluendo, ita demum cadit, si dominus voluerit, & quare nu. 3.*
2 *Pensionem recipiens, an censeatur ratificasse contractum locationis. & vide infra decis. 178.*
3 *Emphiteuta an cadat à contractu, ex eo quia non soluerit, vel ex eo quod dominus ita voluerit.*
4 *Contractus personalis non transit in successorem.*

DECISIO CLXXV.

Die 24. Octobris in eadem Portuensi fuit resolutũ, quod Reuerendiss. Hipporegiensis non tenebatur stare contractui prædecessoris, quia erat personalis, & non realis. per not. in cap. fin. ne prælatus vices suas. & per dec. 232. alias 1. de loc. in nouis, & ꝙ dicit Aegid. dec. 748. Nec obstat ꝙ dicebatur de emphyteuta, & pensionario, qui li-
1 cet cadant à iure suo † tamen intelligitur domino volente. vt per multa declaraui in vna apostilla ad Bart. in l. 2. C. de iur. emphyteut. Et ita etiam dicendum in casu nostro, vt licet per superuenientiam successoris, extinguatur locatio, tamen intelligitur Cardinale volente. Cum autem hic non cõtradixerit, sed immo pensionem receperit,
2 ergo videtur contractum † ratificare velle. Quia respondebatur ex ijs quæ dicit Rota in d. decis. 232. & ex ijs quæ superius dixi. Nam videtur tantum voluisse pro illo tempore pro quo recepit, non autem quod in futurum inducatur aliqua obligatio. Similiter est aduertendum, quod in emphyteuta non soluente non extinguitur, seu resoluitur lo-
3 catio, † propter non solutionem, sed bene verum est, quod resoluitur si dominus vult. Sed in casu nostro locatio non extinguitur fauore successoris, sed ideo extinguitur, quia prædecessor non potuit obligare successorem. & sic cum contractus sit persona-
4 lis, † non transit in successorem. Et si postea superuenit tacitus consensus, ille tacitus non extenditur vltra terminos facti, vt dixi in præcedenti decisione.

SVMMARIVM.

Mater dotando, in dubio de cuius bonis dicatur dotasse.

1 *Auus maternus dotando, in dubio de quibus bonis dotare censeatur.*

DECISIO CLXXVI.

Vigesimasexta Octobris 1541. in vna Romana domus, coram D. Io. Paulo, pro Augustino de Alexijs, contra Alteriam, fuit dubitatum. An mater, quæ administrabat bona filiæ, dotando simpliciter, an in dubio censeatur de bonis proprijs, an vero de bonis filiæ. Et licet text. in l. fin. C. de dot. promiss. in patre disponat, quod in dubio censeatur de bonis proprijs dotasse; tamen secus est in matre. per glos. in d.
1 l. fin. in verbo intelligi. dum dicit † secus in auo materno. quæ glos. est communis. & quæ dicit Salicet. in d. l. fin. de extraneo negociorum gestore dotante. & per ea quæ ponit Bal. Nouellus in tract. de dote. in 6. par. in 3. priuileg. & 45. Campegius, in tract. de dote. in 1. par. in 16. & 22. quæst.

SVMMARIVM.

Tenuta nulliter data, si constat de bono iure, an sit confirmanda.

1 *Spoliatus vigore mandati executiui nulliter decreti, an restituendus.*
2 *Spoliatus an restituatur, quando notorie constat de non iure per sententiam.*

DECISIO CLXXVII.

Eadem die, coram eodem D. Io. Paulo in alia Romana domus, inter Bernardinum de Bonagurijs ex vna, & Camillum de Serrobertis ex altera, in qua Camillus dicebat se spoliatum vigore mandati exequu-
1 tiui † nulliter decreti, & ideo erat restituendus. per not. in c. conquerente. de restit. spoliat. & Decium, cons. 125. Et licet diceretur, quod isto tempore constabat de bono iure Bernardini, quia post exequutionē nulliter factam, erat iterū processum de nouo, & Camillus condemnatus, & sententia transiuerat in rem iudicatam. Et ideo cum constaret de bono iure eius, dato quod tenuta fuisset à principio nulla, tamen debebat sustineri. per ea quæ dicunt Alex. & Ias. in l. à Diuo Pio. §. in venditione. ff. de re iudic. Tamen Domini dixerunt, illud locum habere in vi compulsiua, non autem expulsiua. prout sentiunt DD. in d. §. in venditione. & Baptista de S. Seuerino in tract. de debitore suspecto. in 14. quæst. & Ripa vbi late, in §. nihil commune. nu. 74. ff. de acquir. possess. Tamen dicebant Domini, quod istud erat verum, nisi Camillus passus fuisset causam instrui super bono iure, & de illo constaret quod non erat restituēdus, dato quod essemus in vi expulsiua. per capit. 1. de restit. spoliat. quæ dicit Socin. in l. iuste possidet. in 3. col. in 2. quæst. ff. de acquiren. possess. Alex. in §. nihil commune. in 14. fallentia. Paul. de Castr. in l. 2. in fine. C. de edict. Diui. Adrian. tollen. Alex. cons. 77. in fine. vol. 2. Aretin. in §. ex maleficijs. col. 6. & in §. quadrupli, col. 9. in fine. & sequen. inst. de act. Sociu. in regula 379. in 4. fallentia. Et in isto. non solum per probationes, sed per sententiam, constabat de non iure.
2 quo † casu quando notorie constat per sententiam, tunc spoliatus non restituitur. vt per Alex. reprobando Bart. in §. nihil commune. in 6. col. Abb. in c. in litteris, in 3. colum. de restit. spoliat. & Franc. in c. ad decimas. col. 4. de restit. spoliat. in 6. Socin. in d. reg. 379. in vltima fallentia.

SVMMARIVM.

An ex receptione pro affictu, inducatur tacita vel expressa locatio.

1 *Verba illa, pro affictu, quomodo de iure intellecta.*
2 *Expressum quod dicatur.*
3 *Cōsensus qui ex facto resultat, an sit tacitus.*

DECISIO CLXXVIII.

Quia Reuerendiss. Hipporegiensis, successor Reuerendissimi Tranēsis, in cædula quietantiæ de affictu, quem fecerat D. Petro de Maximis, dixerat ista verba. Confessiamo esser sodisfatti de m. Pietro de sc. 845. quali sono del ftto ne paga del pascolo di Porto & de tutto l'anno, videlicet, del termine di Natale prossimo passato 1537. & de Pascha di Resurrettione da venire 1538. Dubitaui ego 26. Octob. 1541. An ex ista receptione induceretur expressa, vel tacita locatio. Pro parte D. Petri dice-
1 batur, quod illa verba, pro affictu † secundum communem vsum loquendi, vel intelliguntur de locatione, vel de mercede locationis. Vnde vtroque modo, verbum locatio exprimitur. ergo dicitur expressa locatio.
2 Cum id dicatur expressum † quod oculis legi potest. ad l. 1. in princ. ff. de ijs quæ in testam. vbi Bart. & alij. prout etiam dicitur expressum, quod de necessitate, & non persuasine, resultat ex verbis scriptis. vt per Felin. in c. translato. col. 2. in fine. vers. sed generaliter vitium illud. de constitut. & latius id refert Petrus de Anchar. cons. 393.

visa

Visa diligenter gratia. & Ang. in l. prætor ait in princ. ff. de non. oper. nunciat. Anton. & Abb. in c. eum olim. in fine, de censib. Istis non obstantibus, fuit resolutum, quod resultaret tacita locatio, quia cõsensus qui
3 ex facto resultat tacitus est. † vt per Deciũ, in c. dilecto. 2. in 2. notab. de appellat. & quia locatio non ex receptis, sed ex tacitur nitate, & patientia Cardinalis resultabat; vnde tacita erat: receptio aũt consequutiue ad illã patientiã veniebat. prout dicit, §. qui impleto, & dec. 233. alias 2. de loc. in nouis. Et quia cum causa in quietantia esset assignanda. ne alias sine causa pareret repetitionem ipsi Petro, inducta ad vnum effectum non debebant operari locationem expressam, sed tantum locationem pro illo facto, pro quo recipiebat. vt dicit Dec. in d. c. dilecti. in 2. notab.

SVMMARIVM.

An iudici deponenti de gestis à se, sit standum.

DECISIO CLXXIX.

DVbitani ego die 4. Nouembris 1541. in vna Dolensi pensionis. An depositioni D. Marescoti, dicentis fecisse decretum reseruatis iuribus vtrique parti. &c. eum in decreto annotato per Notarium, non esset illa reseruatio iurium vtrique parti, esset standum. Pro parte negatiua allegabatur text. in cap. eum nuncius. de testib. vbi glos. dicit non esse Iudici credendum, si dixerit se fecisse aliquid in præiudicium partis hoc negantis. & glos. in c. post cessionem de probat. & in c. quoniam cõtra. eodem tit. & notatur in c. cum à nobis. de testib. Bart. & Paul. de Cast. in auth. nisi breues. C. de senten. ex peric. recit. Contrarium tamen fuit decisum. per decis. 5. in nouis. de testib. tum quia non eramus coram eodem Iudice, sed coram alio, & erat actus ex quo non resultabat laus, vel vituperium. Tamen ad hoc vltimum potest dici, quod resultat vituperium, quia non reseruãdo iura, grauauit. Et ad istud, An iudex possit testificari, videatur Felin. in c. cum dilecti. col. 3. vers. nota quarto. per tot. illam col. de accusat. Alberic. Malu. in tract. de test. inserto in 1. vol. tract. in illa parte, quando testes repellantur ratione affectionis, num. 9. cum pluribus sequentibus. & etiam fuit allegatus Aufred. in tract. de recusat.

SVMMARIVM.

Noua prouisio, sufficit pro titulo colorato.

1 *Titulus coloratus ad restitutionem, an sit necessarius de iure, vel ex stylo.*

DECISIO CLXXX.

EAdem die 4. Nouembris, fuit conclusum coram me, in vna Colimbriensi Spolij Monasterij de lo Rurã, quod noua prouisio, narrans electionem in Abbatissam licet non constaret de electione, sufficeret pro titulo colorato in spolio, ad restitutionem. Et licet electio narrata non verificaretur tamen quia non agebatur ad canonizationem, sed tantum ad restitutionem, cum
1 non sit de iure, † sed tantum ex stylo, quod requiratur tituli coloratio, dicebant Domini, quod sufficiebat noua prouisio quæ titulum dabat, licet præsupponeret alium.

SVMMARIVM.

An expresio, quod quis esset in duodecimo anno, cum tamen esset in decimo, reddat gratiam subreptitiam.

1 *De subreptione, an possit dari in gratia impetrata pro absente.*
In gratia concessa motu proprio, an cadat subreptio, num. 5.
2 *Non omne expressum, facit subreptionem; sed quod, & num. 6.*
3 *Impetrans suam narratiuam iustificare tenetur.*
4 *Cessante dolo, & concurrente ignorantia an possit dari de subreptione.*
6 *An Papa esset concessurus gratiam vel nõ, quid inspiciendum.*
7 *Minori beneficia, à duodecimo, vsque ad decimum octauum annum commendantur, deinde dantur in titulum.*

DECISIO CLXXXI.

PRocurator Michaelis Vignal pro eodem Michaele absente, obtinuerat gratiam, videlicet mandatum de prouidendo, & dicebatur. Tibi, qui vt asseris, in duodecimo ætatis anno existis, Motu proprio. &c. & agebatur de Præcentoria Tarraconensi, quæ est dignitas. Fuit probatum quod illo tempore, quo fuit impetrata gratia Michael erat constitutus in decimo anno. Fuit dubitatum coram D. Thoma. An ex hoc quod erat dictum, quod esset in duodecimo anno, & non erat: gratia foret subreptitia. Pro parte negatiua dicebatur,
1 quod erat impetrata gratia † pro absente, & ideo non poterat de subreptione dici. ad decis. 600. & 825. alias 74. & 85. de rescript. in antiquis. & quæ dicit Io. Monac.

in cap. gratia. de rescript. in 6. Item quia gratia erat motu proprio, & ideo non poterat dici de subreptione. cap. si motu proprio. de præben. in 6. cum alijs vulgatis. Tertio, quia non omne, expressum dicit subreptionem, † sed quod mouisset Principem ad facilius concedendum. iux. decis. 4. Aegid. Istis non obstantibus fuit decisum contrarium. quia considerabatur, quod ista gratia habebat duas partes, vna quæ est ad supplicationem, dum dicit, tibi qui vt asseris in duodecimo, & ideo impetrans

2

3 tenebatur † illam narratiuam verificare. ad not. per Io. Andream, in cap. 1. de lit. contest. in 6. & Felin. in cap. constitutus. in princ. de rescript. Postea autem fiebat gratia per Papam, motu proprio. Ad contraria respondebatur, quod propter absentiam non potest dari de subreptione, vbi

4 adest ignorantia, † & cessat dolus, prout considerauit Lapus in allegat. 89. in 3. col. prout est in casu dictarum decis. & in cap. gratia. de rescript. in 6. & quod ibi dicit Ioan. Monac. In casu autem nostro, licet adsit ignorantia in procuratore, tamen in principali postea vtente gratia non cessat dolus. & ideo ne fraus, & dolus sibi patrocinetur, gratia est subreptitia. & ita colliges ex ijs, quæ dicit Io. Monachus, in d. cap. gratia. & Abb. in cap. significante. in prima colum. de rescript. Ad id quod

5 dicitur † de motuproprio, respondebatur vt supra: quia illa verba erant ad supplicationem. Item quia motusproprius non purgat expressa, vt per Felin. in c. causam quæ. 2. col. 3. de test. nec defectum ætatis, vt per Rot. decis. 111. & seq. alias 6. & 7. de præb. in nou. Ad tertium dicebatur, quod an

6 Pontifex † ita esset concessurus, vel non, debebat inspici stylus Signaturæ, vt dicit Lapus in dicta allegatione 89. in 3. colum. Sed stylus est, vt à duodecimo anno vsque

7 ad decimum octauum † commendentur; & deinde dentur in titulum. Et licet essemus in dignitate non curata, tamen etiam requirunt ætatem vigintiquinque annorum per not. per Abb. in cap. cum in cunctis. §. inferiora. de elect. Fuit resolutio 4. Nouembris 1541. in vna Tarraconensi Præcentoriæ, coram D. Thoma.

SVMMARIVM.

An vbi ante litem contestatam non opponitur exceptio excussionis, si postea opponatur, & non fiat, possit sequi sententia.

1 *Excussio, an sit necessaria ad purificandum exercitium actionis.*
2 *Excussionis exceptio, an sit dilatoria.*
3 *Processus, an annulletur ex peruersione ordinis vnius causæ ad aliam.*
4 *Actio pro indemnitate promissa, an sit nata ante conditionis euentum.*
5 *Iudicium, an sine actione valeat.*
6 *Excussionis exceptio, an impediat actionem.*

DECISIO CLXXXII.

Dubitaui ego in vna Romana viginti milliū inter Illustrissimam Dominam Margaritam de Austria ex vna, & creditores bo. me. Alexandri Ducis Florentiæ, seu Cardinalis de Medices. An exceptio discussionis, vbi non opponitur ante litem contestatam, si postea opponatur, & excussio non fiat, possit ferri sententia contra tertium possessorem pignorum. Et pro parte negatiua adducebatur id quod dicit Bald. in l. 2. C. comm. diuid. & sequuntur ibi Pau.

1 & Salicet. vbi dicit † quod ad purificandum exercitium actionis, necesse est quod excussio fiat, etiam quod non opponatur, nisi doceatur de inopia principalis debitoris, & quod alias sententia ferri non potest. Pro parte affirmatiua dicebatur, quod exceptio

2 discussionis † est dilatoria * vt per Bal. & DD. in l. exceptionem. col. pen. C. de probat. per Bart. & DD. in auth. hoc si debitor. C. de pign. ita vt nec etiam opponi possit in causa appellationis, Bal. & DD. in l. ita demum. C. de procurat. cum alijs traditis per Negusantium, in tractat. de pign. in 1. memb. 8. par. num. 34. cum sequen. Nec obstat, quod licet opponi non possit, nec etiam possit ferri sententia pro agente, secundum Bal. in d. l. 2. ex eo quia licet agenti nō deficiat ius, deest tamen actio nis exercitium. Quia dicebatur quod doctrina Bald. non obstabat quin ferri possit sententia. Nam regula est, quod peruersio

* Et debet opponi ante litē contest. Nicolaus Boer. in suis decisionib. decis. 223. num. 16.

3 ordinis † vnius causæ ad aliam, non annullat processum, nec sententiam. licet secus sit in peruersione vnius causæ ad se ipsam. Quam regulam tradit Bart. & omnes DD. in l. prolatam. C. de senten. & ibi Pau. de Cast. in princ. in principali, & fideiussore, seu tertio pignorum possessore, & ibi Ang. & Bartol. in authent. hoc si debitor. quam legit cum l. prosequutione. C. de pign. in fine, & ibi Salicet. col. 3. vers. quæro vndecimo. & in l. exceptionem, C. de probat. & Bart. in anthen. de fideiuss. §. sed neque. Bart. & communiter DD. in l. fin. ff. si cert. pet. vbi Bart. in fine hoc firmat, intelligendo illum text. quia non fuit oppositum. Et licet ibi Fulgos. teneat contra Bart. est aduertendum quod in terminis dictę l. fin. Seius promiserat. si à Titio principali consequi nō posset, & sic tenebatur sub conditione indemnita-

4 tis, & ante conditionis euentum, † nō erat nata obligatio, nec actio, nec agi poterat.

l. de-

l.decem, ff. de verb.obligatio. l.cedere diē ff. de verb.signif.& exceptio excussionis tūc est peremptoria. in alijs autem qui non essent conditionaliter obligati, cessant Fulgosij, & Doctorū difficultates. & ipsemet Fulgosius in fideiussore & alijs, vult posse conueniri, & procedere iudicium etiam non excusso principali, quando non fuit opposita, prout ipse Fulgos. declarat in d. l. fin. post princ. versic. quod dictum Bart. in fideiussore. & opinionem Fulgos. intelligi in obligato conditionaliter, secus vero esse in alijs tradit ibi Pau. de Castr. col.2. vbi ita etiam intelligit Bal. in d.l.2. C.commu. diuid. & ibi Alex. col.3. etiā in terminis obligati conditionaliter tenet procedere iudicium, si iudex agentem non repellit, quod sequitur Ias. col.2. in fine. quia etiam fine

5 actione, iudice † non repellente, valet iudicium. & cum Bart. tenet ibi Angel. & late tradit Alex. cons.32. 4.vol. Cum itaque in fideiussore, & pignorum possessore, cesset conditionalis obligatio, cum teneantur pure, licet habeant beneficium excussionis, & difficultates in casu dictæ l. fin. fiant propter conditionalem obligationem; remanet ex mente omnium, clara decisio quæstionis nostræ, quod in pignoribus, possessore non opponente, valeat iudicium, & fideiussor, ac pignorum possessor parificantur. Et in eis

6 exceptio excussionis † non impedit actionē, sed solum dat beneficium opponendi vt per Salicet. in authen. hoc si debitor. colum.3. in fine, & sequen. C. de pign. & in l. exceptionem. col.7. C. de probat. & in l.2. ff. de except. Et materiam late declarat Aret. in l.decem. ff. de verb. oblig. col.4. vbi refert Bal. in d.l.2.C.comm. diuid.& declarat ibi opinio Bal. procedere in casu text. in d.l. decem, in quo fideiussor erat obligatus sub conditione, secus vero est in fideiussore, & alijs contra quos potest agi. Nec exceptio excussionis elidit exercitium actionis, sed remanet liberum, & cōsequenter potest sequi condemnatio. & in conditionaliter obligato militant difficultates, an possit per iudicem compelli, vt per Alex. in d.l.fin. colum. 3. Alias vero procedit iudicium parte non opponēte, secundum quod ibi tenet Angel. in fine col.2. versic. constat autem. Ex quibus colligitur solutio eorum, quæ ex aduerso allegantur, dicendo, quod Bal. in d.l. 2. restringi debet in conditionaliter obligato, nam in fideiussore, & possessore pignoris apparet contrarium communiter teneri. Et quod in pignorum possessore valeat iudicium parte non opponente ante litem contestatam, indistinctè tenet Negusan. in d. tractat. de pign. in 1. memb. 8. par. & Socin. consil.24. 1. volum. vbi colum. 5. allegat Bal. in d.l.2. C. commu. diui. & col.13. prope finem, vers. & tamen si non opponitur non obstan. not. per Bal. concludit valere iudicium parte non opponente Abb. cons.29. in 2.volum. Nil tamen fuit resolutum, quia pars contraria noluit informare.

SVMMARIVM.

Quasi possessio præsentandi quæritur ex præsentatione, institutione sortita effectum, licet potuerit impugnari.

1 *An omnia præsumantur solemniter acta in tempore antiquo triginta annorum.*

2 *Solemnitas ex cursu temporis, quando non præsumenda.*

DECISIO CLXXXIII.

IN vna Oscensi Parochialis de Boil, corā Domino Sarnensi die 7.Nouemb. 1541. fuit resolutū, quod ad probandū quasi possessionē præsentandi, sufficiat probare, quod vltimo præsentatus fuerit institutus, & possedit, & obijt in possessione beneficij per triginta annos, vt erat in illo casu. & etiam si tanto tempore non fuisset, sed quod institutio fuisset sortita effectū, licet institutio potuisset annullari, si super ea fuisset actum; vt erat in casu illo, in quo institutio erat facta eodem die quo & præsentatio. quia dicebatur, quod sufficiebat quod doceretur de præsentatione, institutione, & quod esset sortita effectum ad hoc vt esset quęsita possessio præsentandi per cons. Calder.12. de quo per Rochum in suo tractat. de iurepatr. in verbo competens. quæst. 14. Tamen contra istam decis. videtur facere cons. Decij 126. In causa D.Francisci, col.2. vers. tertio allegata in contrarium. &c. Tamen respondebatur, quod hic eramus in tempore antiquo

1 triginta † annorum, respectu cuius antiquitatis omnia præsumebantur solemniter acta l.si filius cum vulgatis. C. de pet. hæredit. Sed replicabatur, quod istud verum esset, nisi ex productione ipsius instrumenti præsentationis probaretur cōtrarium. nam ponebatur in facto, quod eadem die, qua fuerat facta præsentatio, subsequuta erat institutio. Et cum institutio fieri debeat præpositis edictis cum interuallo temporis, quod ex productione instrumēti apparebat

2 non interuenisse, † ergo talis solemnitas non poterat præsumi, per ea quæ dicit Felin. in c.quoniam contra, de probat. quod licet propter antiquitatem, præsumatur quod citatio, & alia solemnia interuenerint, tamen fallit vbi per exhibitionem actorum, de contrario apparet, & quod dicit Decius in authen. si quis in aliquo. colum.5. vers. septimo fallit. &c. C. de eden.

Tamen respondebatur, quod ex quo, tanto tempore ille præsentatus, & ita institutus possederat nemine contradicente, illa diuturnitas temporis, & patientia longæua supplebat illum defectũ. quia verisimile est, quod si quis habuisset causam contradicendi, tanto tempore contradixisset.

SVMMARIVM.

Articuli super liquidatione fructuum vigore remissoriæ, sunt dandi in Curia, & non extra.

1 *Iudex remissoriæ est merus exequutor, sed an possit admittere articulos.*

DECISIO CLXXXIV.

FVit dictum in vna Parmẽsi, in qua erat decreta remissoria pro liquidatione fructuum, in qua pars volebat dare articulos in partibus, dicens, quod hic in Curia non poterat bene instrui super dictis fructibus, quod pars volens dare tales articulos haberet instructionem de partibus, & daret
1 articulos in Curia. quia Iudex † remissoriæ erat merus exequutor, & non poterat admittere articulos.

SVMMARIVM.

An de bonis sitis extra territorium iudicantis, debeat fieri excussio.

1 *In materia excussionis difficultas conuenien di, ex quibus probetur.*
2 *Qui dicit adesse alia bona, quid probare debeat.*

DECISIO CLXXXV.

PRoposui ego 14. Nouembris 1541. pro Illustrissima D. Margarita de Austria in vna Romana vigintimilliũ, contra creditores Cardinalis de Medices. An ipsa Domina Margarita teneretur excutere, seu per eam esset facienda excussio de bonis præfati Ducis Alexandri, sitis Florentiæ, & sic de bonis sitis extra territorium iudicantis, cum præfata Domina Margarita, nũc ageret hic Romæ contra tertios possessores. Pro parte affirmatiua, quod esset facienda in Ciuitate Florentiæ, in qua Dux habebat domicilium originarium, allegabatur Iacob. de Aren. in suo tractat. excuss. quem multi male attribuunt Bart. in 5. quæst. tenuisse, quod sic, quem refert, & sequitur Bal. in l. si fideicõmissũ. §. tractatũ. ff. de iudic. Io. Pe. de Ferrarijs pract. Papien. in sua practica, in forma libelli super actione hypothecaria, in verbo exceptionem excussionis. Idem Bal. in l. fin. col. 3. vers. sed pone scholaris, ff. si cert. pet. cum temperamento tamen quando facilis est exactio. & Angel. in authen. de fideiuss. §. sed neque. Iacob. de Santo Georgio in l. & ante omnia. ff. de probat. Alexan. consi. 84. in causa col. fin. lib. 3. Licet contrarium dixerit Bald. in l. sciendum. in princ. colum. fin. vers. extra glos. ff. qui satisd. cogan. Et dicebant isti, quod nullus negare poterat quin Florentiæ, vbi Cæsar esset dominus directus, & habebat fortalitia in manibus, Illustrissima Domina filia Cęsaris non haberet facilem exactionem. Et istud vltimum aliqui Domini admittebant. Tamen pro parte contraria fatebatur, quod verum est quod in loco extra territorium, vbi facilis est exactio, debeat fieri discussio. per ea quæ dicit Negusant. in tract. de pignorib. in 1. memb. 8. part. princip. colum. antepen. Tamen dicebatur, illud intelligendũ esse quando fieret extra territorium, itaque non esset extra prouinciam iudicantis, sed esset locus vicinus loco iudicis, & sub eadẽ iurisdictione. per illud quod dicit glos. in authen. de fideiuss. circa princ. in verbo pręsentis. Bart. in l. 3. §. vbi duo. circa finem. ff. de duob. reis. & Iacob. de Sãcto Georgio, in l. sciendum. §. 1. ff. qui satisd. cogantur. Tamen ad istud fundamentum Domini respondebant, quod glos. & Bart. loquebãtur in personis, & isto casu non erat bonum argumentum de personis ad res, cum in ipsis rebus DD. superius allegati loquantur in bonis existentibus extra territorium, & extra prouinciam, dum loquuntur de scholare Theutonico existente Bononiæ, & tamen volũt quod in Germania sit facienda excussio, dum tamen facilis sit exactio. Et ideo aliqui ex Dominis dicebant, quod ex eo solum, quod agendum esset contra Ducẽ Flo-
1 rentiæ, non probabatur difficultas † conueniendi, sed probanda erant illa, quæ considerat in ista materia Decius, in l. fin. col. 3. vers. in glos magna. & cæt. ff. si cer. pet. Sed pro Illustrissima Domina, quod non teneretur excutere in Ciuitate Florentiæ, fuit consideratum, quod iam ipsa habuerat bona ipsius Ducis existentia Florentiæ, pro parte solutionis siue dotis. vnde si creditores di-
2 cerent † esse alia bona, debebant docere. iux. glos. in l. cum de lege. ff. de probat. Et non solum ostendere quod essent bona, sed etiam docere possessores illorum bonorum. quia si erunt hæredes, tunc excussio forsan dabitur; si autem fuerint tertij possessores excussio non esset danda cum esset frustatoria. quia etiam illi tertij possessores opponerent, quod prius fieret excussio hic in Vrbe.

SVM-

SVMMARIVM.

Ex vnica præsentatione, an quæratur quasi possessio præsentandi, & an cum bona fide.

1 *Ex vnica præsentatione, an præsumatur bona, vel mala fides in præsentante.*
2 *Beneficia præsumuntur libera.*
3 *Mala fides in præsentante à principio, an præsumatur purgata ex longo tempore.*

DECISIO CLXXXVI.

FVit dubitatum 14. Nouẽbris 1541. per D. Sarnen. in vna Oscensi Parochialis de Boil, An vnica * præsentatio sufficeret ad probandum quasi possessionem? Et fuit dictum, quod sic, prout tenet Roch. in tract. iurispatr. in verbo competens. quæst. 14. Dec. cons. 126. in causa D. Frãcisci. in princ. 2. col. Rip. in c. cum Ecclesia. col. 19. versic. glos. in verbo trium. &c. de caus. possess. & propriet. Sed dubiũ fuit, an ex vnica præsen-
1 tatione † præsumatur bona, * vel mala fides, & dicebatur, quod ex quo ista possessio, est iure resistente; cum beneficia po-
2 tius præsumantur † libera quã serua, quod ex vnica presumebatur mala fides. * per ea, quæ dicit Abb. in c. consultationibus. col. 2. versic. item ad prædicta, quod notat Innoc. &c. de iur. patr. Rip. in d. c. cum Ecclesia. col. 20. vers. prima conclusio. &c. & in terminis ponit Alexan. cons. 75. Visis ponderatis. col. pen. versic. præterea videtur indubitanter. &c. vol. 4. Tamen in casu de quo agebatur, ex quo præsentatio illa durauerat, & sic præsentatus fuerat in possessione beneficij per triginta annos, fuit dictũ,
3 quod illa mala fides fuisset purgata, † & præsumeretur bona, ex quo possessio fuerat lõga per ea, quæ dicit Abb. in d. c. consultationibus. col. fin. versic. Item ad prædicta. quod notat Innocentius, & Rip. in d. c. cum Ecclesia. col. 22. in 5. coniectura.

* Quod ex vnica præsẽtatione quæratur Libert. in Tract. iurispatr. fol. 181. pag. 2. in 21. artic.

* Et in 2. li. mear. Annotat. decis. 237. fuit decisum, quod ex possessione 25. annorum per præsentatum, præsumeretur bona fides in præsentante.

* Contrarium videtur dicere Curtius in d. tract. in verbo, competẽs. in 24. quæstio.

SVMMARIVM.

An isto casu requiratur verificatio vtriusque copulati.

1 *Donans pro vna vice iuspatronatus, & asserens se verum, & indubitatum patronum, an sufficiat si probet se esse in quasi possessione præsentandi.*
2 *Falsitas expressorum non necessariorum, an vitiet gratiam.*

DECISIO CLXXXVII.

IN eadem fuit dubitatum, quod cum is qui donauerat ius præsentandi pro vna vice, postea in supplicatione confirmationis illius iuris, Pontifici narrasset, quod erat ve-
1 rus, † & indubitatus patronus, & in possessione præsentandi. Dubitabatur, An oporteret vtrumque copulatiuè probare. Et fuit determinatum, quod non, quia cum hic non ageretur de proprietate transferenda, sed tantum iuris competentis ex possessione, sufficiebat probare quod ille, qui transferebat illud ius, esset in possessione. Quia tunc requiritur probatio vtriusq; copulati, quando ad causandum effectum, requiritur concursus vtriusque, secundum Ias. in l. 1. col. 3.
2 vers. septimo limit. &c. ff. de iust. & iur. † & falsitas expressorum non necessariorum non vitiat gratiam, secundum Rotam decis. 60. de rescript. in antiquis.

SVMMARIVM.

Ad effectum Regulæ de subrogandis, non sufficit habere notitiam, commissionis causæ contra se.

DECISIO CLXXXVIII.

IN vna Herbipolensi coram me, 16. Nouembris 1541. fuit dictum, quod ad effectum litis pendentiæ inter aliquos, vt detur subrogatio, non dicitur lis pendere, dato, quod quis habeat notitiam commissionis contra se impetratæ: nisi etiam citatio fuerit exequuta. per ea quæ dicit Felin. in c. causam quæ 2. col. pen. versic. in ca. glos. in princ. de testib.

SVMMARIVM.

Vtrum Cardinales subiaceant Regulæ de publicandis resignationibus.

1 *Cardinales, an comprehendantur in dispositione odiosa vltra ius commune.*
Regula de Valore, an comprehendat Cardinales, & num. 5.
2 *Lex generaliter loquens, an comprehendat casum specialem, & multum priuilegiatum.*
3 *Constitutio generalis, an comprehendat casum dotis.*
4 *Cardinales, an comprehendantur Regulis Cancellariæ, num. 7. & 8.*
5 *Regula de Valore, est de prima editione.*
6 *Cardinales, an teneantur ad taxas.*
Regula reuocatoria, an sit de prima editione.
8 *Argumentum à contrario sensu est validum.*
9 *Cardinales constitutione rationabili ligari debent.*

DECI-

DECISIO CLXXXIX.

Die 14. Nouembris 1541. in vna Conchensi Archidiaconatus de Alarchon. pro Ludouico de Torres, contra Marcum de Parada coram D. Marsicano, fuit dubitatũ. Vtrum Cardinales subiaceant Regulę de publicandis resignationibus. Pro parte negatiua dicebatur, ꝙ quando constitutio generaliter disponit, † & est odiosa vltra ius commune, non comprehendit Cardinales. Pet. de Anchar. cons. 295. & 297. vbi loquitur in regula de exprimendo vero valore. Roman. cons. 498. Felin. in c. in eos. in fine. de hæret. in c. cum in iure. col. 2. vers. secundo limita. de offic. delegat. in c. quod super ijs. colum. 3. de fid. instrum. Dec. in cap. Ecclesiæ Sanctæ Marię. col. 6. vers. 3. Abbas hic dicebat. de constit. Andr. Sicul. in tract. de præstan. Card. in 1. quæst. & in 7. quęst. & cons. 23. col. 8. in 4. quæst. vol. 1. Rip. in 2. respon. in 2. col. lib. 1. Comentator Regular. Cancell. in regula 10. Petr. Rebuff. in tract. nominat. fol. 24. & in concordat. Fran. fol. 58. Phil. Prob. in c. fin. col. 3. in fin. vers. quę Principes nõ comprehendit. &c. de rescript. in 6. Dec. in c. 1. in 2. lect. de constit. & Hieronymus Albanus Bergomen. in tract. de Cardinalibus nouissime edito, fol. 92. pag. 1. vers. tertiumdecimũ est priuilegiũ. &c. Itẽ dicebatur, ꝙ lex generaliter loquens, † non cõprehendebat casum specialem, & multum priuilegiatum. vt not. glos. & DD. in l. sciendum. ff. qui satisd. cogant. & ibi Ias. col. 7. vers. tertio limita. glos. in verbo vacan. in auth. de hæred. ab intest. Bart. in extrauagan. ad reprimendum. in verbo non obstãte & multa ego cumulaui in l. decurionibus, quę est 2. C. de silent. lib. 12. Et propterea, † constitutio generaliter loquens, non comprehendit causam dotis fauorabilem, & priuilegiatam. vt per Dec. cons. 5. vbi multa cumulaui, vol. 1. Et dicebatur non obstare, quod dicebatur de regula, † in qua dicitur, quod Cardinales nõ comprehendantur in alijs regulis post primam editionem: quia respondebatur, quod Papa quo ad secundam editionem declarat suam intentionem expresse; vt non includantur Cardinales. in prima autem non includit, nec excludit Cardinales, sed remanet in dispositione iuris communis. Et quod sit verum, patet, quia regula de exprimendo vero valore † est de prima editione, & tamen non comprehendit Cardinales, vt per Pet. de Anchar. cons. 295. attestando Rotam, ita iudicasse. Gozad. cons. 201. col. 2. Sarnen. in regula de idiomate. in 3. quæst. Sed ad istud respondebatur, ꝙ non constat, quod tempore Petri esset illa regula, quod Cardinales in regulis post primam editionem, non comprehenderentur. Item, & quia Cardinales non † tenentur ad taxas. Item dicebatur, quod regula reuocatoria erat de prima editione, & tamen non comprehẽdebat Cardinales, vt dicit iudicatum fuisse Io. Monac. in c. 1. de schismat. Rom. cons. 498. col. 1. in fin. vers. tertia ratio. Et facit quod dicit Sarnen. in reg. de publican. resignat. in 12. quæst. & in reg. de exprimendo vero valore. quæst. 1. Felin. in tract. quãdo lit. Apost. in 8. ampliat. Staphil. in suo tract. de lit. grat. fol. 9. vers. 2. infert. Barbat. in c. in nostra. num. 10. de rescript. Ias. cons. 98. col. fin. & 117. vol. 4. In contrarium, quod comprehenderentur, etiam in dispositionibus odiosis, adducebatur Dominic. & alij in c. 1. de schismat. lib. 6. & in c. nemo deinceps. de elect. in 6. Pauin. in extrauagan. ad onus, posita post tractat. de offic. & potest. capit. sede vacan. & Felin. in c. ad aures. col. 6. vers. octaua conclusio; vbi etiã multa cumulaui, de rescript. Cassad. decis. 38. super regul. Cancell. & tenent istam partem multi ex superius allegatis. Et pro ista parte facit regula, † quod Cardinales non comprehendantur sub regulis Cancellarię post primam editionẽ, quasi arguendo à contrario sensu, velit quod comprehendantur in prima: & istud fundamentum † est potissimum. ad not. in l. 1. §. huius studij. ff. de offic. eius. Et quia ista regula videtur fauorabilis, vt dicit Sarnen. in reg. de public. in 12. quæst. ergo extẽdenda. vt per Dec. cons. 301. col. 2. & cons. 398. in fine. & maxime quia sumus in cõstitutione rationabili, † & ideo debent ea ligati, vt per Sarnen. super proœm. regul. quęst. 9. Et ita dicta die 14. Rota pro Ludouico de Torres, secuta est hanc partem nemine discrepante, in qua eramus octo Auditores.

SVMMARIVM.

Cõmissio quæ habeat, cum potestate citandi prædictos, omnesq; alios in exequutione nominandos, in Curia & extra, contra quos det iurisdictionem.

DECISIO CXC.

Reuerendissimus Triuultius commiserat causam contra Hieronymum Episcopum Marianensem, & non erat clausula consueta, omnesq; alios. &c. sed erat absq; illa clausula: est verum quod in parte potestatiua dicebatur, cum potestate, prædictos, omnesq; alios, in exequutione citationis huiusmodi decernendę, nominandos, in Romana Curia, & extra eam, & in partibus, citandi. Cardinalis processit longo tempore cõtra Hieronymum: postea comparuit Octauius Cybo, seu eius procurator, dãs mãdatũ in actis. Et citato procuratore d. Octa-

nij, pro parte Cardinalis fuit lata sententia contra Octauium. Dicebatur quod sententia erat nulla ex defectu iurisdictionis, cum causa esset tantum commissa contra Hieronymum Episcopum Marianensem. Nec obstabat quod cōmissio diceret: cum potestate citandi prædictos, omnesque alios. &c. Quia respondebatur quod erat restricta ad nominandos in exequutione citationis. & cum citatio fuisset in partibus exequuta, & non foret nominatus, quod per consequens non esset data iurisdictio contra eum. Istis non obstantibus fuit determinatum contrarium. quia fuit consideratum, quod dicebatur, cum potestate citandi in exequutione citationis decernendæ in Romana Curia, & extra eam. Et licet in exequutione citationis factæ extra Curiam, iste non fuisset nominatus; tamen poterat fieri nominatio in exequutione citationis quę fiebat in Curia, cum commissio copulatiue daret, & in Curia, & extra. Et ita fuit resolutum 16. Nouembris 1541. coram D. Marsicano.

SVMMARIVM.

An regrediens, vel accessum habens, teneatur, suum primum ius cessum iustificare.

1 *Impetratio facta de beneficio pleno nulla. Regressus an sit nullus, si ius cessum est nullum.*
2 *Regressus an detur vigore prioris tituli, vel vigore nouarum litterarum.*
3 *In accessu, an requiratur iustificatio prioris tituli.*
4 *Regressus vbi est concessus ex causa cessionis, an sustineatur, etiam quod cedens, bonum ius non habeat.*
5 *Regressus non datur ad ius cessum, sed ad ipsum beneficium.*
6 *Beneficium ex duplici bono iure, an possit ad aliquem spectare.*
7 *Verba non debent esse frustratoria.*
8 *An causa pracedens, sola sufficiat ad validitatem regressus, etiam si antiquus titulus non esset validus.*
9 *In reseruatiuis, potius mens quam verba attendenda.*
10 *In accessu, an cesset consideratio iuris praambuli, & num. 18.*
11 *In regressu, an sit necessarium verificare ius cessum.*
12 *Et an sit nullus regressus, si ius cessum erat nullum.*
13 *Regressus nullus, an validetur consensu alterius partis.*
14 *Obligationis conditio ex persona successoris, an immutetur, & num. 20.*
15 *Præsumitur certificatus dominus à procuratore, soluente pensionem nomine illius.*
16 *Scientia actus non sufficit, sed etiam omnium qualitatum requiritur.*
17 *Clausula, sine praiudicio, quid operetur.*
19 *Emolumentum sentiens, debet illud sentire cum suo onere.*
21 *Verba supplicationis, vbi non conueniunt, nec eius dispositio conuenit.*

DECISIO CXCI.

IN vna * Hispalensi de Carmona, de qua feci mentionem supra decis. 147. Casus talis erat. Per obitū Petri de Torquemada vltimi possessoris, vacāte beneficio, fuit prouisum ordinaria auctoritate, Francisco Pinello, sub die 15. Octobris 1527. Et eadem die Franciscus fuit assequutus possessionem beneficij, quam continuauit ad eius obitū. Dominicus Centurionus, impetrauit illud beneficium, per obitum d. Petri 21. Decembris 1527. & sic illa impetratio pręsupponebatur nulla; quia facta de beneficio pleno. De mense Nouembris 1528. Dominicus renunciauit in fauorem Episcopi Castellamaris, reseruato sibi regressu, & pensione, & accessit per decessum d. Episcopi, vel eius mediati vel immediati successoris. Postea Episcopus, sub narratiua, quod alias dictū præstimonium esset cessum per Dominicum Centurionum, cum reseruatione pensionis & regressus, vt supra; cessit dictum pręstimonium in fauorem Francisci Pinelli. & cassata antiqua pensione, Frācifcus per procuratorem consensit pensioni nouę, in fauorem Episcopi, de regressu, nec in mandato, nec per procuratorē fuit facta mentio. Itaque ponebatur in facto, quod Franciscus de regressu non habuerat scientiam. Mortuo Frācisco Pinello, Dominicus, vigore regressus, volebat regredi ad dictum beneficium, & iam habuerat duas sententias. In tertia coram D. Io. Mohedano. 16. Nouembris 1541. dubitabatur de dictis sententijs. Primo quia pręsupponebatur, quod ius Dominici erat nullum; † quia impetratio facta de beneficio pleno, & cum regressus esset ex causa cessionis, & ius cessum per eum, esset nullum, quod etiam regressus erat nullus. Tamen ad istud dicebatur, quod ex quo ius Dominici, per sententiam non erat declaratum nullum, non poterat dici quod nullum ius sibi competeret: cum potuisset beneficium esse reseruatum, vel alia obstare, quare Ordinarius in mense alternato non potuisset conferre. Imo dicebatur, quod dato quod ius videretur nullum: tamen quia regressus ad beneficium, datur † tam vigore prioris tituli, quam vigore pręsentium litterarum. &c. quod Dominicus non tenebatur il-

* Vide sup. decis. 147.

tur illud ius cessum iustificare ; sed satis
erat, quod ius suum primum cessisset qua-
lecunq; esset. quia Papa ex causa illius ces-
sionis, non solum vigore prioris tituli, sed
litterarum vigore præsentium conficienda-
rum, volebat quod regrederetur. Item pon-
derabatur, quod in eisdem litteris dabatur
3 accessus,† & in accessu non requiritur iusti-
ficatio prioris tituli: quia Papa per talem ac
cessum videtur nouum titulum, ex causa il-
lius cessionis, dare. Tamen replicabatur,
pro parte impetrantis per obitum Frãcisci,
qui concurrebat cum Dominico; quod ista
erant vera in præiudicium consentientis: sed
hic Franciscus nõ consenserat regressui, nec
eius procurator, nec notitiam habuerat ali
quam de illa narratiua facta in cessione
Episcopi, sed tantum Episcopus consenserat.
Vnde, licet ille regressus potuisset nocere
Episcopo, dicebatur per hoc, quod non de-
bebat nocere Francisco, qui erat tertius.
Tamen fuit responsum, quod istud erat fal-
sum, quod Franciscus esset tertius; quia
cum esset successor Episcopi, licet esset igna-
rus regressus, concessi per obitum mediati,
vel immediati successoris: tamen diceba-
tur acceptasse ius illud, cum suis qualitati-
bus: cum regressus sine consensu per Papam
possit concedi. Nec obstat quod Franciscus
aliud ius primæuum habuisset quia Domi-
nico sufficiebat, quod ius suum etiam accep-
tasset, non contentus suo primæuo iure. Die
Lunæ 21. Nouembris 1541, causa iterum
posita, dicebatur pro parte Dominici, quod
4 regressus, † vbi erat concessus ex causa ces-
sionis, sustinebatur, etiam quod cedens
bonum ius non haberet. & sufficiebat quod
cedens de aliquo titulo doceret. prout plu-
ries dicebatur in Rota iudicatum, & præ-
sertim in vna causa Cæsaraugustana Archi-
presbyteratus de Darroccha, pro Hierony-
mo Tonsos, contra Petrum Villauerda. &
tunc Simoneta ostendit annotationes suas,
in quibus attestabatur ita per antiquos Do-
minos, iudicatum fore. Et hoc ex pingue-
dine regressuum. nam non datur regressus
5 ad ius cessum, † sed conceditur regressus ad
ipsum beneficium, tam ex antiquo titulo,
quàm præsentium vigore. ex quo arguitur
mens concedentis, volentis valere regres-
sum, etiam si prior titulus non subsisteret.
Cum enim ex duplici bono iure, non pos-
6 set † beneficium ad aliquem pertinere. l. 3.
§. ex pluribus. ff. de acquir. possess. prædi-
cta verborum pinguedo, arguit cõcedentem
voluisse valere regressum, etiam si antiquus
titulus nõ suffragaretur; & electio esset gra-
tiati in petendo beneficium ex priori, vel ex
nouo titulo. Et requirendo validitatem,
antiqui tituli, dicta verba nihil operarẽtur,
7 & redderentur † frustatoria. contra, c. si Pa-
pa. de priu. in 6. Nec obstabat secundũ cos,
regressum habere causam de præterito, quia
dicebatur, quod constabat de cessione, & sic
verificabatur causa præcedens. & causa so-
8 la sufficit, † ad validitatem regressus, etiam
si antiquus titulus no esset validus. cum non
detur regressus ad ius pristinum, sed ad be-
neficium. Et etiam quod antiquum nõ sub-
sisteret, Papa voluit regressum reseruare ex
nouo titulo, & vigore præsentium. & sic in
euentum inualiditatis primi tituli, & ma-
9 gis, in reseruatiuis & similibus † mentem
consideramus, quam nudum verborum so-
num. vt dicit Bal. in l. si in venditione. in
fine. ff. com. prædior. Et tanto magis dice-
batur in casu isto, in quo non solum erat re-
10 gressus, sed etiã accessus. & in accessu † ces-
sat consideratio iuris præambuli, prout po-
nit Cassad. decis. vnica de pact. Pro parte
contraria considerabantur duo casus; quia
aliquando, quis; non habens ius, cedebat
in fauorem possessoris, seu habentis bonum
ius, & possessor, vel habens bonum ius, con-
sentiebat reseruationi regressus. Et tunc di-
11 cebatur, quod non erat necessarium † ve-
rificare ius cessum, ex quo regressus dabatur
de consensu habentis bonum ius ad benefi-
cium. Et isto casu militabant omnia supra
dicta. Et aduerte, quia quando daretur de
consensu possessoris non habentis ius, tunc
etiam per talem concessionem, non præiudi
caretur habenti bonum ius. Aut, & secun-
do, dicebatur, cessio fit à non habente ius in
non possessorem, aut non habentem etiam
ius, vt erat in casu isto. in quo presuppone-
batur, quod Dominicus non haberet ius, &
cesserat in Episcopum Castellimaris, qui
etiam non habebat ius, & consenserat reser-
uationi regressus. Et isto casu dicebatur
quod talis regressus erat nullus: quia isto
casu non poterat dari, nisi ad ius cessum, &
non ad beneficium. nam Papa intendebat
dare regressum de consensu. Si ergo cedens
non habebat ius, nec etiam cessionarius in
beneficio regressus ad beneficium non pote-
rat dari, quia sic præiudicaretur tertio nõ
consentienti; quod Papa non cedit face-
re aliàs facile esset. vt quis haberet regres-
sum ad omnia beneficia. Datur ergo isto
casu regressus tantum ad ius. si ergo illud
12 ius est nullum, erit & regressus nullus. † Et
licet in casu nostro, esset datus regressus nõ
solum per decessum Episcopi Castellimaris,
quo casu ratio supradicta militabat, sed
etiam per decessum mediati vel immedia-
ti successoris, & ex isto capite, regressus vi-
deretur posse sustineri, ex quo Franciscus
successor erat possessor, & habens ius: Ta-
13 men dicebatur, quod regressus, † ab
initio subreptitius & nullus, cessante
defectu causæ subreptionis, non valida-
tur, etiam de consensu alterius partis.
ad not. per Abb. in capit. cum olim.
col. 5.

colum.5. num.19. versic. & nota ex textu iux. glos. de re indic. & facit c.si eo tẽpore. de rescript. in 6. Itẽ & secundo, dicebatur, quod licet daretur per obitum successoris, quod Franciscus non dicebatur successor, nisi respectu iuris sibi per Episcopum translati, quod præsupponitur nullũ fore in persona Dominici primi cedentis, ergo regressus respectu illius iuris tantum, datus fuit. Nam sicuti in persona Episcopi Castellimaris, regressus ad beneficium non poterat intelligi, nisi respectu iuris Dominici cessi; ita & in persona successoris. quoniam ex
14 persona † successoris, non immutatur conditio obligationis, l.2. §.ex ijs. ff. de verb. obligat. Et sicut si Franciscus non acceptasset ius Episcopi, sed obijsset: regressus Dominico concessus etiam Episcopo mortuo, nõ accepisset ius Francisci, sed illud ius transisset in impetrãtem. quia si aliter diceremus, aperiretur via fraudibus, quia tertius non habens ius, cederet, in non etiam habentem ius, & reseruaretur regressus, & per obitum habentis bonum ius, caperet beneficium, quod tamen non est intentionis Papæ. Non obstabat quod dicebatur, quod Franciscus consenserat pẽsioni, & in supplicatione erat posita clausula, sine præiudicio regressus, ergo dicebatur etiã consensisse regressui. Quia respondebatur, quod Franciscus consenserat per procuratorem, quia erat absens à Curia, & in mandato non erat positũ quod consentiret regressui. Et licet ex tanto tem-
15 pore, † & quia soluerat pensionem, præsumeretur de omnibus per procuratorem certificatus, iuxta cons. Rom. 480. dicebatur quod erat verum respectu pẽsionis. & quod
16 non sufficit scientia actus, sed etiam † omnium qualitatum. iux. glos. in verbo sciuerit in c. concertationi. de appell. in 6. Et dato, quod sciuisset quod procurator consensisset
17 cum illa clausula, sine † præiudicio regressus, dicebatur, quod illa clausula nil noui concedit, sed ius siue bonum siue malum prout erat, dimittit. iuxta decis. 198. alias 8. de re iudic. in nou. Felin. in c. inter dilectos. colum. 6. de fid. instrum. & in c. inter monasterium, colum. 2. de re iudic. Gemin. cons. 168. colum. 2. ad finem. Nec etiam obstabat, quod in casu isto, vltra regressum
18 esset cõcessus accessus, de cuius natura † est vt non requiratur verificatio boni iuris. Quia dicebatur, quod sicut intelligebatur regressus de mente Papæ concessus ad ius cessum, ita & etiam accessus. Item non obstabat clausula, præsentium vigore, quia etiam intelligebatur respectu iuris cessi. Pro ista parte dicebatur, quod verba supplicationis, non simpliciter dabant regressum per decessum Castellimaris, & eius successoris. quo casu, licet in persona Castellimaris, regressus tantum censeretur concessus ex iure cedentis, & cessionarij, sed propter illa verba, & successoris, censeretur concedi etiam ex iure successoris, ex quo emolumentum Franciscus successor ex cessione senserat, de-
19 bebat sentire † illud emolumentum cum suo onere, iux. tex. in l. cum pater. §. surdo. de legat. 2. & obligatio, seu cõcessio ex per-
20 sona successoris, † ampliari & augeri poterat. iux. text. in l. si per imprudentiam. §. nõ mirum. ff. de euict. & ponit Ias. in l. 2. §. ex ijs. col. 2. de verb. obligat. Tamen in casu isto, dabatur regressus ex persona Castellimaris, & eius, mediati vel immediati, successoris in dictis beneficijs. quo casu dicebatur, quod licet Franciscus esset successor in iure, non erat tamẽ successor in beneficio. quoniam antequam Episcopus cederet in fauorem Francisci, Franciscus iam ius bonum in beneficio habebat. & sic non poterat ei in beneficio succedere, sed tantum in iure.
21 Vnde cum non † conuenirent verba supplicationis, nec etiam dispositio ad vulgat. l. 4. §. totiens. ff. de damn. infer. tandem post longam disputationem, maior pars fuit pro cõfirmatione duarum sententiarũ.

SVMMARIVM.

Possessio ciuilis, an veniat in obligatione generali omnium bonorum.

1 *In generali hypotheca omnium bonorum, an veniant bona tantum ciuiliter possessa.*
2 *In generali hypotheca, an veniant iura.*
3 *Possidens ciuiliter, quod remedium possessorium habeat.*
4 *Possessionis ciuilis effectus qui.*
5 *Hypotheca quomodo consideretur in iuribus realibus.*

DECISIO CXCII.

Die Lunæ 21. Nouemb. 1541. Dubitaui ego in vna Romana vigintimillium, pro D. Margarita Illustriss. de Austria, con
1 tra Creditores, An in hypotheca † generali omnium bonorum, veniant bona, quorũ possessio ciuilis tantum, tempore hypothecæ, apud hypothecantem, & naturalis erat penes alium. & sic an illa possessio ciuilis veniret in hypotheca generali. Et fuit resolutum, quod sic, quia cum in creditorem, per hypothecã transeant omnia iura quæ erant penes debitorem, sicut debitor ex sola ciuili poterat, & habebat ius recuperandi naturalem: ita & etiam creditor, cui omnia iura erant obligata. Nam non est dubium,
2 quod in generali † hypotheca veniũt iura. * vt declarat Bart. in l. rem alienã. col. 4. de pign. act. Salic. in l. cum res. C. si alien. res pign. data sit. & possidens ciuiliter habet reme-

* Vide omnino Ci num, in l. cũ res col. fin. versic. si vero agitad possessionẽ C. si alien. res pig. data sit.

5 remedium † recuperandæ & interdictum vti possidetis, etiam cōtra extraneum possessorem. l. 1. in fine. cum sequen. ff. vti possid. ergo & istud remedium transibit in creditorem. & non est dubium, quod possessio
4 ciuilis, parit omnes effectus, † vtputa præscriptionis, acquisitionis fructuum. &c. Ergo habebit etiam istum effectum. Non obstant notata per Bart. in l. si is cui. §. an vsufructus. & §. iura prædiorum. in fin. ff. de pign. Ang. de Aret. in §. item Seruiana. col. 5. & ibi Ias. col. 12. vers. hinc sumpta occasione cum colum. sequen. inst. de act. dum volunt
5 quod † in istis iuribus realibus, quo ad hypothecam, consideratur commoditas percipiendi fructus & Dux dictam commoditatem percipiendi fructus, non habebat tempore contractæ hypothecæ. Quia respondebatur, quod illud quod dicit Bart. & alij, procedit vbi illa iura nec actu, nec habitu non possunt habere illam commoditatem, possessio autem ciuilis, potest habere illam commoditatem; ergo veniet in obligatione generali.

SVMMARIVM.

An per clausulas de quibus hic, sit sufficienter derogatum.

1 *Pluribus obstantibus concurrentibus, an vno sublato, censeantur sublata omnia.*

DECISIO CXCIII.

ALuarus de Sande, tempore traditæ sibi possessionis de Thesauraria Ecclesiæ Placentinæ, promiserat eidem Capitulo medio iuramento, de non impetrando licentiam à Sede Apostolica, de lucrandis fructibus in absentia, & de impetrata non vtendo; alioquin ex tunc medio iuramento donabat, & remittebat dictos fructus eidem Capitulo. & successiue, impetrauerat tria breuia, tamen super secundo erat difficultas, in quo habuerat licentiam à Sede Apostolica, cum clausula, non obstantibus huiusmodi, non obstantibus præmissis, ac constitutionibus Apostolicis, necnon dictæ Ecclesiæ iuramento, & confirmatione Apostolica roboratis, etiamsi de illis obseruandis, & non impetrandis litteris Apostolicis contra ea, ac litteris ipsis, etiam ab alio impetratis, non vtendo, seu per te, vel procuratorem tuum, iuramentū quod tibi, quo ad hoc dumtaxat relaxamus, præstiteris, ac omnibus illis, quæ in dictis litteris voluimus non obstare, cæterisq; contrarijs non obstātibus. Fuit dubitatum, coram D. Sarnense, die 21. Nouembris 1541. In vna Placentina denegationis fructuum. An per dictas clausulas derogatorias, esset sufficiēter derogatum ijs, quæ Aluarus in ingressu suo promiserat. Et fuit decisum, quod non, quia licet duobus esset sufficienter derogatum, videlicet, promissionibus de non impetrando, & de non impetratis vtendo: tamen tertiæ promissioni non erat sufficienter derogatū, dum videlicet dicit, quod donabat. &c. Et
1 regula est quod † quando sunt plura obstantia, vno sublato non censetur reliquum sublatum. c. ex tuarum. de auct. & vsu pall. l. si domus. de seruit.

SVMMARIVM.

Cap. si electio, de elect. in 6. habet locum in præsentatione.

1 *Beneficium, non vacat per mortem præsentati qui non fuit institutus, sed per mortem primi.*

DECISIO CXCIV.

IN vna Paduana Parochialis de Aggere magno, coram D. Thoma de Thanis, die 21. Nouembris 1541. fuit resolutum, quod c. si electio. de elect. in 6. haberet locum etiā in præsentatione. prout dicit Philip. Franc. in d. c. si electio. & Rota decis. 269. alias 8. de iur. patr. in nou. Curt. in tract. iurispatr. in verbo. honorificū. quæst. 42. Tamen dicebatur, quod per obitum Sebastiani, qui fue-
1 rat præsentatus & non † institutus, non inducebatur noua vacatio, sed vacabat per mortem primi. prout dicit Rota decis. pen. alias 6. de elect. in nouis. & Sarnen. in suo tract. super regul. Cancell. super reg. de infirm. resignan. quæst. 17. num. 6. Verum erat tamen, quod perinde erat ac si esset noua vacatio, vt patroni potuissent de nouo præsentare, tamen debebant præsentare per obitum primi.

SVMMARIVM.

Remissoria in prima instantia, in causa profana decerni potest.

DECISIO CXCV.

FVit dictum corā D. Mohedano, die 21. Nouemb. 1541. Quod remissoria, poterat dari in prima instantia sine fumo. dum tamen non esset longū tempus, q causa penderet. & ita dedit in causa intellige profana.

SVMMARIVM.

Aetas ad effectum gratiæ, ex coniecturis probatur.

1 *Aetas narrata, an probanda pro canonizatione gratiæ.*
2 *Et an plenarie probanda, vel sufficiat probatio per coniecturas.*

DECI-

DECISIO CXCVI.

Coram D. Thoma 21. Nouembris 1541. fuit dictum, quod quo ad canonizatio
1 nem † gratiæ, licet quis teneretur probare ætatem in gratia narratam, iux. dicta per Felin. in c. constitutus. in princ. de rescript.
2 non tamen plenaria † probatio requirebatur, sed sufficiebat quod ex coniecturis probaretur. vt per Bart. & Bal. in l. cum te, C. de probat. faciunt quæ dicit Alciat. in tract. præsumpt. pag. 240. in 14. præsumpt.

SVMMARIVM.

Probatio valoris, non inducit nullitatem tituli ad effectum purgationis attentatorum.

DECISIO CXCVII.

Probatio non veri valoris, non inducit nullitatem tituli, vt dicatur de non iure constare, ad effectum vt quis non sit super attentatis audiendus. quia licet sit probatum, tamen ex aduerso potest contrariũ probari. quia probatio non excludit probationem. Et ideo hoc stante, fuit conclusum quod attentata debebant purgari. 21. Nouembris 1541. coram D. Thoma.

SVMMARIVM.

Sufficit docere de tribus sententijs absque processu, ad effectum moderationis inhibitionis.

1 *Sententia præsumitur valida, & qui vult dicere de nullitate, an debeat docere de processibus.*
2 *Non creditur sententiæ, nisi doceatur de processibus secundum stylum Rotæ, sed quomodo intelligatur.*

DECISIO CXCVIII.

Fvit conclusum in vna Valentina matrimonij, coram D. Marsicano, die 21. Nouembris 1541. quod ad effectum moderationis inhibitionis vigore commissionis, in qua dicebatur, vt constito de tribus conformibus, Auditor inhibitionem moderaretur, & causam ad partes remitteret, quod sufficiebat, quod petens moderationem inhibitionis, produceret tria instrumenta sententiarum, & ille qui dicebat de nullitate
1 debebat docere de processibus. † quia pro sententijs præsumebatur. & illud quod dicitur, quod Rota semper tenuit, quod non credit sententiæ, nisi doceatur de processu,
2 fuit † dictum, quod procedit vbi ageretur, vt Rota sententiam exequeretur, vel ex ea vellet iudicare. sed ad effectum remittendi, sufficiebat, quod constaret de tribus. Et D. Marsicanus attestatus fuit quod alias ita Rota resoluerat.

SVMMARIVM.

Iuspatronatus parochianorum, an præsumatur ex vsurpatione, an ex fundatione, & dotatione.

1 *Iuspatronatus parochianorum in Italia præsumitur ex vsurpatione, & quare. Immemorabili quasi possessione præsentandi data potest allegari quicumque titulus.*
2 *Quod tempus dicatur immemorabile, vt quilibet titulus allegari possit.*
3 *Et an possit allegari Titulus, licet non sit in articulis allegatus.*

DECISIO XCIX.

IN vna Lucana canonicatus, & præbendæ fuit resolutum, coram D. Mohedano, die 21. Nouembris 1541. quod si populus erat in possessione præsentandi, non tamen probabatur tempus immemorabile, quod iuspatronatus. per hoc non præsumeretur ex fundatione, vel dotatione, sed potius ex vsurpatione. per dictum Ant. de But. in c. dilectus. de offic. legat. & quia Specular. * in tit. de iurepatr. dicit, quod
1 in Italia * præsumuntur † ex vsurpatione, sed si essemus in tempore immemorabili, quod populus possset allegare titulum, quem voluisset etiam ex fundatione, vel dotatione. iuxta not. per Abb. in c. querelam. colum. 3. in fine. versic. vtile est ergo. &c. de elect. Alex. in c. nobis. circa medium... [rendered as printed below]

* Specular. quem refert Curtius in tract. iurispatr. in verbo ipse, vel in quæst 36. colum. 3. vers. pro hac etiam opinione.

* In Italia ideo præsumuntur ex vsurpatione, quia propter recessũ Curię ob Italia omnea Domini, & populi effecti fuerũt tiranni, & iura Ecclesiæ modo suotrũ ĉiare cœperunt. Et quod in Vniuersitate non præsumatur ex vsurpatione, pôt colligi ex ijs quæ dicit Lambertin. in tract. de iur. patr. fol. 160. pag. a in 9. art. 11 q. princ. a. p. primi libri. & Rochus in suo tract. iurispatr. in verbo construxit. q. 20.

* Et vide quid alias resolutũ fuit in materia sup. decis. 35. & vide infra decis. 206. quod tempus dicatur immemorabile, vt quilibet titulus allegari possit. Et die 16. Ian. 1543. in vna Pennensi Abbatiæ de Cutto Quana pro D. Cæsare de Primo, maior pars inclinauit quod dato quod tractaretur de iurepatronatus Domini illius Castri, tamẽ quia probabatur tempus immemorabile, quod posset allegari titulus ex fundatione, dato quod non esset allegatus in articulis, super quibus testes erãt examinati. vt hoc sentit expresse Fel. in c. causam quæ col. 4. de præscript. Et tanto magis fuit dictum in illo casu in quo præsentationes dicebantur ex fundatione.

SVMMARIVM.

Indultum de conferendis beneficijs ad collationem suam spectantibus intelligitur de beneficijs, in quorum quasi possess. conferendi Cardinalis existit.

1 *In collatione an attendatur quasi possessio vel sit videndum ad quem spectet.*
Indulta non ampliant iurisdictionem ordinariam, sed remouent solum obstacula.

DECISIO CC.

Coram D. Marsicano die 28. Nouembris 1541. fuit dubitatum. An indultum Cardinalis de conferendis beneficijs ad collationem suam de iure spectantibus, comprehendat beneficia, in quorum possessione conferendi alius erat, licet de iure collatio spectaret ad eum ex quo erant in sua diœcesi. Fuit decisum quod non, per cons. Calder. 23. de præben. & decis. 5. Bisign. de præben. in quibus habetur quod attendi
1 tur quasi possessio † conferendi, non autem quod de iure ita spectet. Et quia indulta nil aliud faciunt, nisi remouere obstacula, non autem iurisdictionem ordinariam ampliant, vt per Cassador. decis. 3. de priuileg. si ergo remoto indulto, Cardinalis ordinarius conferre non poterat stante alio in quasi possessione conferendi, ergo nec stante indulto.

SVMMARIVM.

Extincta possessione hypothecata, nihilominus competit Saluianum.

1 *Hypothecata re perempta soluitur hypotheca. An procedat in Saluiano.*
2 *In Saluiano quid probandum.*
3 *Saluianũ, an detur contra tertiũ, & quare.*

DECISIO CCI.

Eadem die 28. Nouembris 1541. Dubitaui ego in causa Romana vigintimillium pro Illustrissima Domina, contra creditores, posito quod Dux tantum ciuiliter possederit, & illa possessio ciuilis, venerit in generali obligatione bonorum, An per obitũ Ducis hypotheca extincta fuerit. Et pro parte affirmatiua dicebatur quod sic, quia per mortem Ducis erat amissa possessio, &
1 illa quæ erat penes creditores erat noua. † & perempta re hypothecata soluitur hypotheca. l. sicut. ff. quib. mod. pig. Et pro ista parte allegabatur Bart. in l. rem alienam. col. 3. vers. sed contra hoc oppono. ff. de pignor. actio. & ibi Salic. col. 3. vers. quæro quinto. & Cyn. in l. cum res. col. 2. C. si alien. res pign. & ibi Salyc. col. fin. versic. quæro quinto. Contrarium fuit decisum. quoniam prædicta procedunt in hypothecaria, secus
2 autem est in Saluiano interdicto, † in quo non est necessarium, nisi probare possessionem defuncti & possessionem tertij. Et ideo Saluianum datur contra tertium possesso-
3 rem, † dato quod possessio hypothecata, sit amissa. l. 1. ff. de Salu. interdict. Et ita istam differentiam sentit Bart. in d. l. rem alienam colum. 4. vers. item oppono contra prædicta. &c. ff. de pign. act. Negusan. in tract. de pign. in 3. par. 8. part. princ. quæst. 6. & 7. & facit text. in l. 2. C. de Sal. interdict. vbi datur contra hæredes.

SVMMARIVM.

Alimenta an debeantur eiecto à religione, prætendenti se iniuste eiectum, dum causa disputatur.

DECISIO CCII.

Georgius Bergomensis Frater S. Saluatoris, per superiores inquisitus, fuerat priuatus habitu. & facta priuatione, processus secundum statuta, & consuetudinem religionis, erat combustus, ita vt de causa priuationis non apparebat. Agebat Georgius ad restitutionem, & dicebat se sine causa priuatum, quia de ea apparere non poterat. Exaduerso fuit articulata, & vt prætendebatur, probata consuetudo ita procedendi, per quadraginta annos. Sed antequam super dicta probatione disputaretur, petebat Georgius alimenta, & expensas litis, per not. per Abb. in c. si quis contra in repet. col. 20. vers. sed quam formam sequetur Abbas. & in c. cũ contingat. col. 10. vers. sed quam formam sequetur Abbas. &c. de for. compet. & Guid. Papæ decis. 561. & Afflict. decis. 10. cum seq. & per decis. Rotæ 305. alias 10. de iudic. in nouis. In contrariũ inclinauit maior pars Dominorum, die 28. Nouemb. 1541. quia considerabatur, quod Georgius non erat in possessione monachatus. per not. per Bar. in l. si neget. ff. de alen. liber. & in isto casu procedunt decisiones superius allegatæ. Et dum dicebatur ꝙ Georgius prætendebat se esse iniuste eiectum & spoliatum; respondebatur, quod ex quo fratres prętendebant, secum iuxta constitutiones, & consuetudinem religionis processisse, quam consuetudinem prętendebant probasse, quod in primis erat videndum, an verum esset quod talis consuetudo esset probata. & ad hoc bene facit decis. Aegidij 88. & fuit allegatus Felin. in cap. cum dilecta. col. 19. vers. Monachus non agit. &c. cum sequen. col. de rescript.

SVM-

SVMMARIVM.

In delictis grauibus, & etiam in leuibus Episcopus non potest procedere sine consilio Capituli.

1 *Crimen falsi graue.*
2 *Simonia crimen graue.*
3 *Concubinatus publicus graue crimen.*
4 *Episcopus in arduis, non potest procedere sine consilio Capituli.*
5 *Procedens contra inhibitionem Rotæ, an incidat in censuras.*
6 *Episcopus sine consilio Capituli in criminalibus, an aliquid statuere possit, & num. 7.*

DECISIO CCIII.

IN vna Zamorensi iurisdictionis, coram D. Io. Paulo, die 28. Nouembris 1541.
1 fuit resolutum, quod crimen † falsi graue est, per not. per Hippol. sing. 163. & in rub. de fals. col. 3. versic. & circa hanc materiam
2 falsi. Item crimen simoniæ † graue est, vt per text. in c. & sicut simoniaca. &c. & cap. tanta. de simon. Io. de Anan. in c. quotiés. in 1. not. & in cap. accusatum. de simon. & Hostien. in c. sicut. de simon. Et de istis duobus, quod connumerentur inter grauia delicta, ponit Archid. in c. alias. 25. dist. Item
3 crimen † concubinatus publici, propter notorietatem, & continuationem graue est, quia dignum depositione. c. at si clerici, vbi Abb. de iudic. Dicebatur ergo, quod quia procedere in istis criminibus, erat circa ar-
4 dua † procedere, quod Episcopus sine consilio Capituli non poterat procedere. c. nouit. & c. quanto. de ijs quæ fiunt à prælat. c. 1. vbi Hostien. Ant. Card. & Abb. de excess. prælat. & cum processisset contra inhi-
5 bitionem † Rotæ, quod inciderat in censuras. Et dato quod ista crimina forent leuia, tamen dicebatur, quod ex quo contra capitularem vel clericum processerat, quod non potuit etiam sine cõsilio Capituli. quia etiã in leuibus, nil potest statuere, & diffinire.
6 Episcopus † sine cõsilio Capituli in criminalibus. per text. in c. si quid. & c. Episcopus nullius. 15. q. 7. & in c. si quid. 86. dist. tenuit Abb. in c. 1. de excess. prælat. & est text. feclusa consuetudine. in c. 2. de consuet. lib. 6. & fuit allegatus Bertach. in tract. de Episcopo. in 4. parte 3. lib. in 7. quæst. Non obstat, quod Abb. dicat in c. nouit. de ijs quę
7 fiũt à prælat. quod † Episcopus potest minora negotia sine Capitulo expedire, quia loquitur de negotijs extraiudicialibus. secus est autem in iudicialibus, & quibus requiritur solemnitas iudicij.

SVMMARIVM.

Examen si fiat per contradictam non docto de absentia, validum est. dum tamen in processu causæ, postea de absentia illo tempore, constet.

DECISIO CCIV.

VOluerunt Domini in vna Triuentina, coram D. Mohedano, die 2. Decembris 1541. quod testes, qui erant examinati citata parte ad videndum iurare per contradictas, non docto de absentia illius, essent valide examinati. dum tamen postea, in processu causæ constaret legitime de absentia, eo tempore quo per contradictas fuit citatus. & ita dixit D. Marsicanus quod alias fuit resolutum in Rota.

SVMMARIVM.

Aliud est derogare gratijs Auditorum, & aliud priuilegijs.

1 *Gratia facta Auditori Rotæ, an dicatur derogatum si non sit derogatum priuilegijs Auditorum.*
2 *Derogatio specialis requiritur in priuilegijs Auditorum Rotæ.*

DECISIO CCV.

IN vna Legionensi de Villa Muzar, coram D. Sarnense pro Ludouico de Torres, contra Ludouicum del Mila, die 11. Decembris 1541. fuit dictum, quod licet gratia dicti Ludouici derogaret gratijs Auditorum Rotæ, & per consequens derogando, & faciendo mentionem de Auditoribus, derogaret collegio Auditorum, cum nil aliud esset collegium quã Auditores. Tamen quia
1 in illa gratia, non erat † derogatum priuilegijs Auditorum, quod derogatio non esset sufficiens, vt ipse Ludouicus præferri posset Auditori. quia aliud erat quod derogaretur gratijs Auditorum, & aliud priuilegijs. & dato quod esset derogatum gratijs, non ta-
2 men per hoc derogatum † erat priuilegijs, immo requirebatur specialis derogatio.

SVMMARIVM.

An tempus octuagintaquinque annorum dicatur tẽpus immemorabile, vt quilibet titulus, etiam fundationis allegati possit.

1 *Tempus immemorabile, quod dicatur.*
2 *Tempus antiquissimum quod dicatur.*
3 *In immemorabili probata per testes, quid deducendum.*
4 *Tempus centum annorum dicitur tempus longissimum.*
5 *Immemorabilis, an debeat esse centum annorum, vt in iurepatronatus quilibet titulus allegari possit.*

DECISIO CCVI.

FVit dubitatum in vna Lucana canonicatus & præbendæ, coram D. Mohedano, die 2. Decembris 1541. An tempus * octuaginta annorum, quod probabatur per
1 instrumēta, diceretur † tempus immemorabile, itaut quis posset allegare titulum quē voluisset, & sic dicere iuspatronatus competere sibi ex fundatione. Et licet variæ sint opiniones, quod tempus dicatur antiquissi-
2 mum.† ita ut voluerit Socin.conf.15.vol.1. quod tēpus quinquaginta annorum. & idē Socin. conf.79. vol.1. voluit, quod tempus sexaginta annorum. & de alijs temporibus vt per Alex. & Ias. in l.cum aliquis. C. de iur.delib, Et fuit dictum, quod alias Rota fuit arbitrata, quod tēpus septuaginta annorum esset tempus antiquissimum, vt in vna Bononiēsi, de Ghiselerijs. Tamē in isto casu, fuit conclusum quod tempus 85. annorum, non esset antiquissimum, & sic immemorabile. tamen quia hic probabatur tempus per scripturas, & sicut habebatur probatio istius temporis, poterat probari de antiquiori tempore per scripturas. quod secus est si essemus in probationibus per testes.
3 quia tunc † cum sit deducendum tempus infantilis ætatis, & sic ad minus nonem annorum, testis qui deponeret de tempore octuagintaquinque annorum, satis diceretur deponere de tempore antiquissimo. Itē quia licet in alia materia sit arbitrarium, consideratis multis qualitatibus; tamen quia in ista materia. DD.volunt tempus immemorabile, vt per Felin. in c.causam quæ de præscript. capiemus tempus præcisè cen-
4 tum † annorum, quod longissimum tempus hominis est. & quia, vt superius decis.199. fuit dictum, quod post tempus immemorabile potest allegari quilibet titulus, & sic potest allegari præscriptionis titulus. Sed ille non potest haberi, nisi spatio centum
5 annorum. † vt per Curt. in tract.iurispatr. in verbo,ipse, vel is à quo. quæst.36. col.6. vers.circa aliud punctum.&c. Et sic fuit cōclusum, quod tēpus octuagintaquinque annorum, non sufficiebat. Domini tamen dicebant, quod si vltra instrumenta, probaretur fama per testes, quod tunc forsan tempus posset dici immemorabile, ita ut quilibet titulus, etiam fundationis, allegari posset.

* Et vide i 3.par. annotat. mearum, decis.204. vbi Rota in vna Bononiensi tenuit, quod in instrumentis tēpus nonaginta annorū esset antiquum.

SVMMARIVM.

Sufficit quod citatio in duobus locis legitimè exequatur, licet in parochiali de qua agitur, non sit legitime exequuta.

1 *Citatio est bona, facta diligentia de reperiendo citandum in partibus, si non fuerit repertus affixa citatione in valuis parochialis.*

DECISIO CCVII.

COram D.Mohedano, die 5. Decembris 1541. fuit dictum, quod citatio esset
1 bona, facta diligentia † de reperiendo citādum in partibus, & non fuerit repertus, affixa copia citationis in valuis parochialis de qua agebatur, licet non probaretur quod ibi esset affixa citatio originalis. dum tamē citatio esset legitime exequuta in duobus locis, pront erat in casu illo, in Ecclesia cathedrali, & quadam collegiata. quia decisiones nostræ volunt, quod sufficiat, quod citatio in duobus locis exequatur.

SVMMARIVM.

Subrogatio vbi est in forma gratiosa, potest apprehendi possessio absque vitio attētati. secus vbi est in forma rigorosa.

DECISIO CCVIII.

FVit dictum in vna Calaguritana coram D.Thoma de Thanis. 5.Decemb.1541. quod quando subrogatio beneficij litigiosi est concessa in forma gratiosa, quod tunc subrogatus, etiam lite pendente, propria auctoritate potest apprehendere possessionem absque vitio attentati. secus est quando est in forma rigorosa. tunc qua bulla dirigitur Auditori, si pars absque licentia iudicis possessionē ingrederetur, tūc diceretur attētare.

SVMMARIVM.

De alternatiua debet fieri mentio in derogatione.

1 *Gratia concessa in mensibus ordinarijs quomodolibet concessis, an comprehendat etiam menses alternatos.*

Menses alternati sunt menses ordinarij.

2 *Dispositioni quando censeatur sufficienter derogatum stante decreto Papæ.*

3 *Regula reuocatoria indultorum, an comprehendat alternatiuam.*

Alternatiua non est noua concessio, sed tantum est remotio obstaculi.

DECISIO CCIX.

IN vna Virdunensi, coram D. Sarnensi, die 5.Decembris 1541. fuit dictū, quod gratia Alexandri Ruffini, concessa in mensi-
1 bus ordinarijs † quomodolibet concessis, cōprehendebat etiam menses alternatos: quia menses alternati, erant menses ordinarij, & tanto magis stante illa vniuersali, quomodolibet. Tamen fuit dictum, quod ex quo in gratia Alexandri, non erat facta mentio de alternatiua Capitulo concessa, & sic non erat ei derogatum sufficienter,
2 propter † decretum Papæ in ea appositum, prout

prout dicit Felin. in c. cum ex officij. col. fin.
vers. quid autem si Episcopus de præscript.
quia de alternatiua debet fieri métio. Item
in eadem fuit dictum, quod in regula reno-
3 catoria † indultorum, non venit alternati-
ua. quia alternatiua est remotio obstaculi,
& sic Papa nil videtur de nouo concedere,
sed tantum obstacula impedientia iurisdi-
ctionem ordinariam, remouere.

SVMMARIVM.

In dubio præsumitur hæredes extare.

1 *Hæredem quis habere, an præsumatur, & quando.*
2 *Possessio quando vacat, an sit necessaria scientia, & patientia.*
3 *Scientia quando præsumatur.*

DECISIO CCX.

FVit dubitatũ in causa Romana vigintì-
millium, inter Illustrissimam Dominam
ex vna, & Creditores ex alia, An ex quo cre
ditum montis cantabat sub nomine hæredũ
Cosmi de Medices, an præsumeretur hære-
des Cosmi extare. Et fuit resolutum, quod
sic. per glos. in l. ex facto. §. fin. ff. ad Trebell.
& per Bart. & Paul. de Castr. in l. sancimus.
§. eum autem. C. ad Trebell. vbi Paul. dicit
1 præsumitur † quis habere hæredem, donec
sit proclamatum, & non reperiatur hæres.
In casu nostro non erant factæ istæ procla-
mationes. Item & secundo, fuit dubitatum,
posito quod præsumatur, an Alexander po-
tuerit quærere quasi possessionem exigendi
fructus dicti crediti, absque scientia * di-
ctorum hæredum, dato quod non probetur,
hæredes Cosmi esse in quasi possessione exi-
gendi. Et fuit resolutum quod sic. quia ex
quo possessio, tempore quo Alexander ince-
pit exigere erat vacans, & tractabatur de
præiudicio possessionis, in qua nulli fiebat
2 præiudicium, ex quo vacabat, † quod non
erat necessaria scientia, & patientia hæredũ
per not. per Innoc. in c. bonę. 2. col. 1. in fine,
cum sequenti. de postul. prælat. & per Bal. in
l. 2. col. 4. C. de ser. & aqua. Immo diceba-
tur, quod ex quo eramus in multiplicitate
actuum, quia per decem & octo menses exe
3 gerat, præsumebatur † scientia. per not. per
Innoc. in d. c. bonæ. in d. 1. col. & sequen. &
Abb. in c. cum Ecclesia. col. 5. de causa poss-
ess. & propriet. Fuit resolutum 5. Decem-
bris 1541.

* Vbi possessio vacat. nõ requiritur scientia, & patientia.

SVMMARIVM.

Potest quis condemnari in expensis, non probatis molestationibus.

DECISIO CCXI.

DIe 9. Decembris 1541. fuit resolutum coram me, in vna Callaritana canonicatus, & præbendę absolutoria, in causa quę erat commissa super iactationibus, & molestationibus, cum condemnatione expensarũ non probatis molestationibus, seu iactationibus, quod esset bene lata, & ille bene esset condemnatus in expensis ratione contumaciæ. quia debebat cedere. * Pacisa ad istã decisionem quæ posui infra decis. 336. in illa decis. quis dicatur actor, & quis reus.

SVMMARIVM.

Decreta remissoria ad excusandum à delicto in materia exequutiua, etiam absque fumo.

1 *Possidens non est sua possessione priuandus, lite pendente.*
2 *Remissoria non conceditur in attentatis à Rota.*
3 *Remissoria in profanis decernitur absque fumo maxime in exequutiuis.*

DECISIO CCXII.

DIe 12. Decembris 1541. in vna Zamo-
rensi iurisdictionis, coram D. Io. Pau-
lo in qua Capitulum Zamorẽse commiserat
causam super iurisdictione, quam prætende
bat habere in clericos Ecclesiæ. & commissa
causa, fuerat inhibitum Episcopo, & Vica-
rio. & Vicarius non obstãte inhibitione pro
cesserat contra clericos. Pro parte Capituli
agebatur, vt Vicarius declararetur incidisse
in censuras, & pęnas contentas in inhibitio
ne. Replicabatur pro parte Vicarij, ꝙ Epi-
scopus ante inhibitionem erat in possessione
1 procedendi, & ideo lite pendente † nõ erat
sua possessione priuandus. ad c. 1. vt lit. pen-
den. Et ꝙ esset in possessione, seu quasi produ
xit quosdã testes in partibus examinatos, li
cet nulliter. & sic stãte isto fumo, petebatur
quod decerneretur remissoria. Dicebatur ꝙ
remissoria non erat decernenda, ex quo era-
mus in attentatis: quia clare cõstabat quod
Vicarius processerat post inhibitionẽ. & cũ
2 essemus † in attẽtatis, Rota non solebat re
missoriã decernere. Fuit resolutum, ꝙ si erat
pronunciãdum diffinitiue Vicariũ attentas-
se, quod tunc non daretur remissoria, ex quo
clare cõstabat de attentatis. & quoad excu
sandum ab attentatis, Rota non solet decer
nere remissoriam, nisi stante maximo fumo,
prout dicit Cassador. in collectis suis, qui nõ
aderat. Sed quia hic nõ procedebatur vt su
per attẽtatis pronũciaretur, sed via exequu-
tiua ad incursum censurarũ, & pęnarum, &
sic agebatur vt declararetur deliquisse, &
exequutiue, ita vt illa declaratio haberet
vim triũ, immo plusquã trium, quia ad exe-
quutionẽ deueniebatur; quod ad excusandũ

eum à delicto datetur remissoria, etiamsi
1 nō extaret aliquis fumus. quia † in materia profana absq; fumo decernitur remissoria & maxime in materia exequutiua.

SVMMARIVM.

Prorogatio remissoriæ ad duos menses, ex causa de qua hic.

DECISIO CCXIII.

IN causa Bononiensi pro Bentiuolis, contra Lipum, in qua erat decreta remissoria in ciuitate Bononię ad tres menses, quibus finitis erant dati duo alij, in quibus apparebat de negligentia Bentiuolorum in non exequendo. Tamen ad conuincendum eos in maiori contumacia, & quia causa erat maximæ importantiæ, fuit dictū quod darentur duo menses, quibus durantibus deberent adducere testes, quos volebant examinare ad Curiam. & pro testibus impeditis tam de iure quàm de facto, fieret examen in dicta Ciuitate Bononiensi.

SVMMARIVM.

Admissio ad cessionem bonorum in materia spolij, ad effectum vt ageret in petitorio, in casu de quo hic.

DECISIO CCXIV.

* Et infra decis. 145.

IN * vna Toletana della Strella, coram D. Io. Paulo, die 12. Decembris 1541. pro Martino de Corduba, contra Episcopū Solis. pro fructibus & expensis, in quibus Martinus erat condemnatus per tres sententias in materia Spolij, fuit Martinus admissus ad beneficium cessionis pro dictis fructibus, & expensis, pro illo tēpore pro quo non fuerat in eo dolus, puta vsque ad primam sententiam, quia vsque ad illam dicebatur, quod Martinus non erat in dolo, ex causis tunc deductis. Pro alio vero tempore, in quo erat in dolo, fuit dictum, quod non admitteretur, sed realiter satisfaceret, per decis. 83. alias 22. de restit. spoliat. in antiquis, quæ considerat dolū, ad hoc vt nō admitteretur in petitorio. Et in illo casu agebatur de admittendo Martino in petitorio, facta cessione bonorum vsque ad illud tempus, in quo non erat dolus. Tamen fuit dictum, quod illa cessio debebat esse realis antequam admitteretur ad agendum. id est, vt Martinus hic, assignaret fructus beneficiorum, & daret listam bonorum medio iuramento. ad hoc vt si reperiretur in mendacio postea, non esset dignus illo beneficio cessionis, & præfigeretur terminus Episcopo ad capiendam possessionem. qua capta, vel si staret per eum procederetur postea in petitorio.

SVMMARIVM.

Per illa verba, in mensibus, quomodolibet ordinarijs collatoribus concessis, veniunt menses alternati.

1 *Alternatiuæ, an sit in specie derogandum & num. 2.*
3 *Priuilegijs de conferendo an censeatur derogatum sub verbis generalibus.*

DECISIO CCXV.

HAbebat Alexander Ruffinus priuilegium, vt posset acceptare vigore suæ gratiæ expectatiuę, etiam in mensibus, ordinarijs collatoribus quomodolibet concessis. Fuit resolutum per maiorem partem 12. Decembris 1541. quod propter illam dictionem, quomodolibet, quæ est vniuersalis, quæ comprehendit menses quocumque modo concessos, quod posset acceptare etiā in mensibus alternatis: quia menses aut per regulam, aut per alternatiuam cōceduntur. Hic autem dicitur, quod possit acceptare in mensibus quomodolibet concessis, ergo per regulam, & alternatiuam concessis. Tamen dicebatur, quod ex quo non erat derogatū
1 alternatiuæ † in clausula, nō obstantibus ex tali defectu non poterat acceptare in mense alternato: quia vltra illud, quod dabatur facultas acceptandi in mensibus quomodolibet Ordinarijs concessis, dicebatur quod
2 erat necessarium, quod alternatiuæ † derogaretur, de qua Rota tenuit quod specialis mentio debebat fieri. Et licet in clausulis diceretur, non obstantibus quibusuis priuilegijs, indultis, prærogatiuis, & litteris Apostolicis, &c. & alternatiua posset dici priuilegium, seu indultum; tamē dicebatur quod nunquam sub verbis generalibus de priuile-
3 gijs, & indultis † non censetur derogatum priuilegijs de conferendo. & quod ita semper Rota tenuit, & per consequens alternatiuis.

SVMMARIVM.

Ad reuocandam possessionem vt attentatam, quid debeat probari.

1 *In attentatis quid sufficiat probasse, & numer. 5. & 6.*
2 *Actū faciēs qui potest esse licitus, & illicitus in dubio præsumitur fecisse actum licitū.*
3 *Attentare an dicatur, habens possessionem à tertio.*
4 *Executoriales an comprehendant intrusos, & intrudendos.*

DECI-

DECISIO CCXVI.

FRatres Sanctæ Mariæ Nouæ, narrantes se locasse Casale quoddam Iacobo Zabeccario, commiserunt causam super nullitate locationis, & iactationum, & molestationum. vigore cuius fuit inhibitum, & post inhibitionem probabatur, Iacobum in Casale immisisse animalia ad pascendum. petebatur istam immissionem, tãquàm attentatam reuocari, ex quo post inhibitionẽ.
1 Et quod Fratres non tenebantur,† nisi probare attentatum. per decis. 89. aliàs 10. de appellat. in antiquis. licet non probet possessionem attentatam. Contrarium fuit resolutum 1 quia faciens actum, qui potest esse
2 licitus, † & illicitus, in dubio præsumitur fecisse actum licitum, l. non solum. §. sed vt probari. ff. de nou. oper. nunc. Hic potest esse licitus, puta continuando primam possessionem, si eam prius habebat, licet non
3 probaret. Item, etsi † à tertio possessore habuisset; non diceretur attentasse. vt per Ægid. decis. 349. ergo ex quo, aliquo casu, potuit actum licitum fecisse, præsumetur ita; nisi contrarium doceatur. Et in simili facit
4 quod exequutoriales † comprehendunt intrusos, & intrudendos, & tamen non sufficit probare, quod quis hodie possideat: sed necessarium est probare, quod lite pendente inceperit possidere. Non obstat d. decis. 89. aliàs 10. de appellat. in antiquis:
5 quia seipsam declarat,† dum dicit. Et hoc verum, nisi ille, contra quem petuntur attentata reuocari, de iure communi, & ex causa verisimili, præsumatur possidere, pro ut est in casu nostro, in quo ex forma commissionis apparebat de præcedenti locatione. Ergo ex illa causa verisimiliter præsumitur possidere, etiam ante inhibitionem: nisi contrarium probaretur, quod post inhibitionem, incepisset ingredi possessionẽ. Vel melius responde ad illam decisionem dum dicit, quod non tenetur probare possessionem, quæ est attentata: intellige idest spoliationem. Et quod ita debeat intelligi, colliges ex ijs, quæ dicit Felin. in c. dilecti. col. pen. vers. gusta principaliter dictum Innocentij hic. &c. de maior. & obed.
6 vbi in attentatis † dicit duo esse probanda, vt ibi per eum.

SVMMARIVM.

Mandatum de manutenendo, non datur nisi parte legitimè citata.

DECISIO CCXVII.

COram D. Mohedano, die 16. decembris 1541. fuit resolutum, quod mandatũ de manutenendo in possessione, nõ daretur nisi parte legitimè citata. Et ideo præsentata commissione, & decreta citatione, ante exequutionem citationis, non posset dari mandatum citatis interesse putantibus per audientiam contradictarum.

SVMMARIVM.

Continuatio possessionis, non probatur per testes de publica voce, & fama ad effectum primi extremi.

1 *Possessio ad effectum primi extremi debet plene probari.*

DECISIO CCXVIII.

IN vna Placentina del Losar, coram me die 16. Decembris 1541. in qua probabatur, quod Episcopus Solis apprehẽderat possessionem de mense Martij 1530. per instrumentum: postea de mense Aprilis etiam per instrumentum apprehenderat possessionem Ferdinãdus Diaz. Ad probandam continuationem possessionis adducebãtur duo, vel tres testes de publica voce, & fama: ac etiam ponderabatur vnum instrumentum licentiæ, datæ ipsi Ferdinando, ad deseruiendum parochiali per alium: & duæ litteræ, vna Petri Losado cessionarij Episcopi Solis, & altera ipsius Episcopi. Fuit dubitatum, An ista sufficerent ad probandum primum extremum. Et fuit conclusum, quod, quia præcedebat possessio instrumentalis Episcopi, quod illi testes de publica voce, & fama, non sufficerent ad probandam continuationem possessionis Ferdinandi, ad effectum
1 primi extremi, † quod secundum Rotam debet plene probari, nec alia, videlicet instrumentum licentiæ, & litteræ aliquid faciebant, vt fuit ponderatum.

SVMMARIVM.

Subscriptio præcedens, refertur ad solemnitates etiam postea sequentes.

1 *Testamentum inter liberos, requirit appositionem diei.*
2 *Subscriptio an comprehendat ita sequentia sicuti præcedentia, & quando. n. 4. & 5.*
3 *Subscribere est subtus scribere.*
6 *In actu præsumuntur interuenisse omnia necessaria ad illum.*
7 *Solemnitas requisita in actu, præsumitur quod tempore legitimo interuenerit.*

DECI-

DECISIO CCXIX.

NIcolaus Vrsinus dictauerat epistolam, quam scripsit Petrus de Bibiena eius secretarius, & erat ipsimet Petro scripta, in qua ipse Nicolaus dicebat, quod si ipse decederet volebat, quod Iapinus eius filius, sibi succederet, & filio substituit. & in fine epistolæ subscripsit ita, Nicolaus Vrsinus. & post subscriptionem fuit apposita dies, & locus. Dicebatur quod ex quo in testamē-
1 to inter liberos, requiritur † appositio diei, vt per Ias. in auth. quod sine. in fin. C. de testam. quod illud testamentum esset sine die, & per consequens nullum. quia sub-
2 scriptio, tantum præcedentia, † & non sequētia dicitur approbare. ad not. per Ang. & ibi Ias. in l. si ita stipulatus. §. Crysogo-
3 nus. ff. de verb. oblig. & quia † subscribere est subtus scribere. vt per glos. in l. 2. §. recuperandæ. ff. de interdict. & in l. 1. ff. de in integ. rest. & in l. 1. ff. si cert. pet. Istis tamen non obstantibus, fuit decisum contrarium. quia si fiat scriptura priuata, & esset statim subscripta, & postea tres testes subscripti, sequeretur quod illa subscriptio à
4 principio nō approbaret sequentia, † quod tamen est falsum, vt in l. scripturas. C. qui potior. in pig. hab. Et ideo distinguebatur, quod aut illud quod venit post subscriptionem, non venit ad solennizandum primum actum, sed est quid diuersum, vt si a principio promisi centum, & subscripsi, postea esset alia promissio de quinquaginta, & tunc subscriptio approbaret præcedentia, & non sequentia. Secus autem est, quando
5 actus † venit ad solennizandum præcedentia. quia subscriptio etiam ad sequentia refertur. prout in l. cum antiquitas. C. de test. vbi subscriptio refertur ad testes postea sequentes. & per Bar. in l. patris & filij. ff. de vulgar. & quia præsumptio est, vt quis voluerit facere actum validum, & non
6 inualidum. & quia vbi sunt necessaria † ad actum, præsumitur quod omnia illa interuenerint, secundum Soc. in l. quotiens. ff. de reb. dub. & solemnitas, quæ in actu re-
7 peritur, præsumitur, quod tempore † legitimo interuenerit. vt per Dec. in c. in præsentia. in 10. not. de probat. & per Abb. in c. vidua. de regular.

SVMMARIVM.

Pro titulo colorato, sufficit expectatiua, vel noua prouisio.

DECISIO CCXX.

DIxerūt Domini, quod in beneficialibus, pro restitutione beneficij consequenda, pro titulo colorato sufficit sola noua prouisio. Item sufficit sola expectatiua. Et istud fuit dictum die 19. Decembris 1541. in vna Barchinonen. Beneficij de Sarriano coram me. vbi pro colore tituli, erat producta gratia expectatiua, & noua prouisio, non tamen aderat prouisio exequutoris.

SVMMARIVM.

Quælibet diligentia sufficit ad excusandum à desertione, ob non præsentationem commissionis in tempore.

DECISIO CCXXI.

ITem eadem die dixerunt, quod ad hoc vt causa non dicatur deserta, eo quia commissio nō erat præsentata infra decem dies, sed erat præsentata per duos dies post, quod commissio fuisset in bancho cursoris præsentata infra decem dies, licet non probaretur, quod infra illos decem dies non esset redempta. quia quo ad excusationem à desertione, quælibet causa erat sufficiens, etiam si solum probaretur quod fuisset in manibus signatoris.

SVMMARIVM.

Vt fideicommissarius sit legitimus contradictor quo ad materiam l. fin. C. de edict. Diu. Adr. debet esse legitimus possessor, & incontinenti de suo iure probare.

1 *Fideicommissarius de manu hæredis capere debet hæreditatem.*
2 *Filiæ fœminæ sunt mittendæ in possessionem in feudalibus, iuxta terminos l. fin. C. de edict. d. Adr. toll.*
3 *Exceptio dominij in continenti probandi, admittitur in interdicto adipiscendæ.*

DECISIO CCXXII.

ILlustris Aloysia Palauicina petebat se immitti in possessionem bonorum paternorum, remedio l. fin. C. de edict. Diu. Adr. tollen. Opponebatur per agnatos possessores quod ipsi erant fideicommissarij, & de fideicommisso constabat in actis, & sic quod erant legitimi contradictores. per not. per Barr. & Alex. in l. filiam fratribus. ff. ad Trebell. nā fideicōmissarius possessor, quando incontinenti docet de iure suo, est legitimus contradictor. vt per Dec. in d. l. fin. col. 17. vers. in eadem glos. &c. Tamen ad istud replicabatur, quod erat vitiosus possessor. quia acceperat fideicommissum de manu

1 manu sua, † & non de manu hæredis. prout dicit Alex. in d. l. filiam fratribus. & Dec. in d. l. fin. col. 18. vers. & quod dictum est de possessione, &c. & ibi Sapia. Et ideo cum isti agnati essent vitiosi possessores, non erant legitimi contradictores. & ratio, quare vbi deest possessio in fideicommissario, etiam si incontinenti paratus est de suo iure docere, non fit legitimus contradictor, ponitur per Dec. in d. l. fin. col. 17. in fine illius colum. Aliud quod opponebatur erat, quod eramus in bonis * feudalibus, prout inuestituræ in
2 actis deductæ erant. & licet in † feudalibus filiæ foeminæ sint mittendæ in possessionem, vt per Alex. in d. l. fin. col. pen. & ibi multos concordantes posui; tamen fuit dictum, quod illud non erat verum, vbi agnatus incontinenti paratus erat de iure suo docere, quia cum illud remedium sit adipiscendæ
3 admittitur † exceptio dominij incontinenti probandi, secundum communem opinionē, de qua per DD. in l. 2. & d. l. fin. Et istud in terminis dicit Brun. cons. 18. col. 3. in fine, cum sequenti. Gozad. cons. 50. col. fin. vers. non obstat quartum. Ista resolutio facta fuit die 19. Decembris 1541. coram D. Marsicano in vna Parmensi Castrorum.

* In bonis feudalib. obstat exceptio dominij, incontinēti probanda.

S V M M A R I V M.

An in transactione, in qua quis est deceptus vltra dimidiam, habeat locum remedium l. 2.

DECISIO CCXXIII.

FVit dubitatum in vna Cæsana hæreditatis, inter Episcopum Tudertinū ex vna, & Io. Iacobum ex alia, fratres de Cæsis, coram Reuerendissimo Tranēsi, in qua fuimus adhibiti consultores D. Io. Paulus Tholomæus, & ego. An in transactione, * in qua quis est deceptus vltra dimidiam, habeat lo cum remedium l. 2. Bart. in l. si quis cum aliter. ff. de verb. oblig. vbi ponit quæstionem, tenuit quod vbi quis est deceptus vltra dimidiam æstimationis dubij euentus litis, quod tali casu habet locum dictum remedium. secus dato quod esset deceptus vltra dimidiam rei, prout valet in veritate. Tamen ibi Alex. col. 2. vers. iuxta hoc quærit hic Bart. &c. dicit, quod opinio Dyni contraria, videlicet quod non habeat locum, est tutior, & verior in puncto iuris. Et ibidē Aret. col. 6. vers. extra glos. tangit hic Bart. dicit quod opinio contra Bart. est communis. & ibidem Ias. col. 5. vers. extra glos. &c. etiā attestatur, Cumanum dicere, opinionē contra Bart. communem, & eam dicit magis communem Alexan. cons. 42. col. 5. vers. octauo. quia. &c. vol. 1. eam etiam dicit communem, & secundum eam iudicatum decis. Neapolit. 220. in antiquis. istam etiā opinionem tenet Benedictus Badus, in addit. ad Ias. in d. l. si quis cum aliter. Ias. in l. in summa. col. 2. in quinto not. ff. de condit. indebit. Curt. sen. cons. 66. col. antepen. in fine. Contrariam opinionem, videlicet quod immo habeat locum remedium d. l. 2. in transactione, dicit Fabian. de Monte communem, in suo tract. de empt. quem refert Ias. in d. l. si quis cum aliter. & ibi Claud. Aquen. dicit quod communiter DD. in d. l. si quis cum aliter, tenent cū Bart. licet in alio loco magis cōmuniter teneant contra Bart. Baptista de Sancto Seuerino, in tract. de trāsact. quæst. 12. videtur distinguere, vt opinio Bart. procedat, habito respectu ad æstimationē dubij euētus litis * opinio vero contraria procedat habito respectu ad æstimationē rei. Et in isto articulo videndi sunt etiam alij Doctores quos posui in vna addit. ad Bart. in l. 2. C. de rescin. vend. Dec. etiam cons. 216. * posuit distinctionem ex mente Cornæi, quod aut sumus in enormissima læsione, & tunc procedat opinio Bart. Secus autem est quando non est enormissima læsio. Item aduerte quod Soc. voluit cons. 89. quod talis transactio iuramento firmetur. Tamen aduerte quod posset rescindi non obstante iuramento. per ea quæ dicit Cland. Aquen. in d. l. si qu s cum aliter. col. 2. vers. tertio moueor.

* Vide Grat. cōs. 88. cū decrescentem, col. 1.

* Contra istam distinctionē sentiunt Aret. Alex & Ias. in d. l. si quis cum aliter. Et dum dicunt, quod contra opinionem Bart. est cōis opinio, & tamen Bart. loquitur habito respectu ad æstimationem dubij euentus litis.

* Et cons. 203. col. 3. & cons. 479 col. fin. & 166. col. pen. istā distinctionem Cornæi. & Decij secuta fuit Rota, die 20. Decembris 1541. In vna Parmensi rescissionis transactionis, corā D. Mohedano. volentes etiam, quod in illo casu in quo quis transegerat pro triginta, cum tamen debuisset habere centum, quod erat enormissima læsio.

S V M M A R I V M.

Donatio quæ fit in alio contractu, quando requirat insinuationem.

DECISIO CCXXIV.

ITem in præfata transactione erant talia verba. * Itē vt prætensa per D. Io. Iacobum in totum tollantur, & præsens transactio sit litium finis præfatus D. Io. Iacobus sponte, & ex eius certa scientia, dedit, cessit, refutauit, per pactum de vlterius non petendo, remisit, & donauit Episcopo Tudertino omnia iura. &c. Dicebatur quod ex quo constabat, quod Io. Iacobus plus remiserat, quam ab Episcopo accepisset. Cum tamen Io. Iacobus accepisset mille, & quingentos ducat. remisisset autem secundum eos octo, vel decem mille ducat. quod in illo pluri erat donatio, & cum excederet summam ducentorum ducatorum, quod ex forma statuti talis donatio esset nulla, ex quo non erat insinuata. Et quod si donatio fieret in transatione indigeret etiam insinuatione: allegabatur id, quod dicit Soc. cons. 215.

* Ad istā quæstionē vide Andream Tiraquell. in tract. de vtroq; retract. fol. 340. pag. 2 vers. sed in hac trāsactione & &c.

conf.215. col. 1. & conf. 22. col. 1. vol.4. & quod dicit Bal. in l. illud. col. 2. in 2. quæst. vers. quod verum credo quod si in remissione fit mentio de donatione, requiratur insinuatio. C. de sacrosanct. eccles. Rom. in l.2. in 4. carta. ff. de verb. oblig. Tamē aduerte, quod ista superius allegata, procedunt quando in contractu, puta venditionis, vel alio quocumq; apparet quod contrahentes intendunt donare. Sed quando illa donatio non fit ex mera liberalitate, sed ex causa, vt erat in casu nostro, in quo si Io. Iacobus donat, non donat ex mera liberalitate, sed vt sit litium finis, & ex causa transactionis tunc non procedunt auctoritates allegatæ. & ita declarat Calcan. conf. 25. col. 5. vers. idem videndum est in remissione. Ias. conf. 149. in quæst. mota. col. 3. vers. nec obstat si diceretur. &c. volu. 4.

SVMMARIVM.

Clausula, constito de litteris reseruationis, & instrumento translationis, quómodo intelligitur.

1 *Clausula, sine retardatione solutionis pensionis, quomodo intelligatur in existente in quasi possessione, circa verificationem litterarum.*

DECISIO CCXXV.

FVit resolutum in vna Liciensi pensionis coram me, quod clausula in commissione Marci Antonij Spina posita, in qua dicitur, vt constito de litteris reseruationis, & instrumento translationis Audi-
1 tor in materia pensionis procederet, † eum clausula, sine retardatione pensionis &c. intelligeretur de sola existentia litterarum, non autem, quod teneretur iustificare litteras esse valide expeditas. quia ex quo Marcus Antonius erat in possessione, non erat de facto spoliandus, & dicere iustifica litteras esse valide expeditas.

SVMMARIVM.

Commissio in casu isto non surreptitia.

1 *Non omnis subreptio reddit subreptitium rescriptum, sed quæ.*
2 *Ex quo non retrahatur Papa ad concedendum clausulam sine retardatione solutionis pensionis.*
3 *Clausula, Statum causæ pro expresso habentes, quid importet.*

DECISIO CCXXVI.

IN eadem die 9. Ianuarij 1542. fuit dictum, quod eadem commissio non erat surreptitia, dato quod nō fecisset mentionē de alia commissione præcedenti, in qua committebatur Auditori, vt constito de discrepantia remitteret Bullas ad corrigendum, & etiam quod non fecisset mentionem de
1 præfixione termini. quia dicebatur, † quod non omnis surreptio reddit rescriptum surreptitium, sed tantum illa, quæ reddit difficiliorem Principem ad concedendum. c. super litteris, &, postulasti, de rescrip. Ægid. dec. 4. Cū autē hic ageretur, de possessorio, quo Marcus Antoniu fuerat spoliatus, dato quod narrasset Pōtifici de commissione obtenta super remissione, & præfixione termini, certè talis narratiua non retraxisset
2 Principem † à concedendo rescriptum, eum clausula, sine retardatione, cum spoliatus ante omnia sit restituendus. Item dicebatur, quod in commissione vltima, fiebat mentio de commissione præcedenti: ex quo dicebatur, non obstantibus commissionibus ex aduerso obtētis, per quas exequutio impediri posset &c. Item, erat facta menrio de præfixione termini, ex quo in commis-
3 sione dicebatur, † statum causæ pro expresso habentes. ad decis. 20. alias 204. in fin. in nouis. & Sarnen. in regula de triennali quæst. 14.

SVMMARIVM.

Reo venienti ad causam, non dantur dilationes, quando voluntariè venit.

DECISIO CCXXVII.

DIlationes non dantur ad partes reo venienti ad causam voluntariè. Ita fuit dictum 9. Ianuarij 1542. coram D. Io. Paulo, & etiam coram D. Marsicano.

SVMMARIVM.

Quando in corpore cancellatur clausula, etiam si nullum ius, & in clausulis non, quid potius sit attendendum.

DECISIO CCXXVIII.

IN vna Valentina Pensionis, pro Ferdinando Deuia, contra Martinum Calahorra; in qua, ex causa cessionis factæ per Ferdinandum in fauorem Martini, fuerat reseruata pensio, & in corpore dicebatur, etiam si nullum ius dicto Ferdinando competat, reseruare. &c. & erat per Signaturam,

ram, seu Datarium, cancellata illa dictio; etiam, & illa dictio, nullum, ita ut remaneret; si dicto Ferdinando ius competat. & tamen in clausulis relicta erat illa clausula, annullari non possit, etiam si dicto Ferdinando nullum ius competat. Fuit dubitatum, an Ferdinandus teneretur iustificare ius sibi cōpetere tempore cessionis, attento quod in corpore dicebatur, si dicto Ferdinando ius competat. & sicut erat facta cancellatio in prima parte, ita censeretur esse facta in clausulis, ita vt per inaduertentiam censeretur illa clausula relicta. Fuit conclusum 9. Ianuarij, coram me 1542. quod Ferdinādus non tenebatur iustificare ius cessum. Et quod sufficiebat, quod saltem illa clausula, etiam si nullum ius. &c. esset posita in clausulis. Quia ex eo quod non fuerat cancellata, apparebat quod per errorem & inaduertentiam, fuerat in corpore cancellata. Et dictum fuit, quod licet Cancellaria non expediret litteras cum illa clausula, tamen quod Camera expediret.

SVMMARIVM.

In terminis §. nos igitur. in authen. de testam. in perfect. an sufficiat sumptio cedulæ manu patris.

1 *In testamento inter liberos, an sufficiat sola subscriptio manu patris.*

DECISIO CCXXIX.

Die 9. Ianuarij 1542. Fuit dubitatum, in vna Romana seu Venetiarum, coram D. Aqnense, circa intellectum. §. nos igitur. in auth. de imperfect. testam. dum in eo dicitur, quod testator propria manu debet scribere diem, & nomen hæredis, quod si cedula priuata, in qua reperitur volūtas patris, est scripta manu tertij, in qua, manu illius tertii, est scriptum nomen hæredis, & dies appositus, tamen reperitur subscripta illa cedula manu patris, An sufficiebat talis subscriptio. Et dicebatur quod non. Primū quia text. dicit, quod manu propria debet scribere. ergo non per alium. ad not. per Bart. in l. per hanc. C. de erogat. milit. ann. lib. 12. Item, quia videtur esse datum pro forma; ergo non potest impleri per æquipollens. Contrarium fuit decisum. Et di-
1 ctum † quod sufficiat subscriptio patris. est text. in auth. si modo. C. famil. her. & ita dicit Iacob. de Aren. & Iason. in auth. quod sine. in princ. C. de testam. & idem Iason, qui omnino videndus est, in l. iubemus. in penult. colum. C. de testam. qui ponit quęstionem in terminis.

SVMMARIVM.

An appositio mensis cum decreto, non sequuta acceptatione gratiati, vitiet prouisionem, alteri infra mensem per Papam, factam.

1 *Clausula, quæ duxeris acceptanda, an faciat conditionem, & quomodo intelligatur.*
Clausulæ conditionales quomodo intelligantur in gratia, & num. 2. & 4.
2 *Decretum conditionale quando inducat nullitatem gratiæ.*
3 *Decretum quando irritet etiam prouisiones Apostolicas.*
4 *Conditio vel actus conditionalis, an operetur vt ab initio.*
5 *Impetratio an valeat non facta mentione de mandato præcedenti.*
6 *Prouisio specialis, an deroget generali.*

DECISIO CCXXX.

Fuit dubitatum, coram D. Mohedano in vna Tirasonensi Archipresbyteratus, inter Garziam Cortes ex vna, & Petrum Dueñas ex alia, die 9. Ianuarii 1542. An ex eo, quia præcedebat mandatum de prouidendo Io. de Osana, in quo dabatur mensis ad acceptandum, & sic, quæ duxeris acceptanda infra mensem, cum decreto annullante quascumque prouisiones de prædictis beneficiis, etiam Papales, & Papa prouidebat ex nunc pro vt ex tunc, prouisio Cardinalis Simonetę, non faciens mentionem de dicto mandato, valeret, non tamen sequuta acceptatione dicti habentis mandatum de prouidendo infra mensem. Et dicebatur, quod ex quo Ioannes gratiatus, nō accepta uerat intra mensem, validitas gratię acceptę erat clarissima. Aut enim ponderabatur appositio mensis, & non operatur appositio mensis nullitatem quo ad Papæ prouisiones. Et ideo valet prouisio Apostolica infra mensem datum expectanti ad acceptādum, etiam si superueniat post acceptationem, dummodo ante prouisionem, iuxta decis. licet de more, & stylo Curię 16. de pręben. in nouis. Et habetur per Cassador. decis. 1. de decret. in reseruat. appos. per Felin. in c. cum ex officii. col. antepen. in 9. conclusione de pręscript. Aut enim considerabantur decreta irritantia prouisiones, etiā Apostolicas; & dicebatur quod clausula,
1 quę † duxeris acceptanda, faciebat conditionem. & intelligebatur, si & quatenus gratiatus, beneficia acceptaret. Oldr. cōs. 228. col. 2. glos. & DD. in c. si pro te. in verb. si ad id. de rescript. lib. 6. & in Clemen. 1. in princ. de concess. præben. vbi habetur, de-
2 cretum, † tanquam conditionale, non indu-
cere

cere nullitatem gratiæ, nisi in euentum pu-
rificatæ conditionis, quando mensis non
apponitur, qui cum non operetur nisi quo
ad inferiores à Papa, non obstante mense,
ac decretis tanquam conditionalibus puri-
ficatis, ex quo gratiatus non acceptauit, va-
lida erit gratia Apostolica; non obstante
3 quod † decreta irritent prouisiones, etiam
Apostolicas. nam non operantur nisi secu-
ta acceptatione. prout not. Cassad. decis. 2.
de decret. in reser. appo. Nec aliquid dice-
batur operari clausula, ex nunc prout ex
tunc, cum omnia referentur in tempus se-
cutæ acceptationis. & sic purificata condi-
4 tione † tunc fit retrotractio, & afficiunt vt
ab initio, nihil autem, non secuta accepta-
tione, possunt operari. vt per glos. & DD. in
d. Clem. vnica. in verbo ex nunc. de concess.
præben. Innoc. & alios in c. præterea. de
appell. Et ad materiam, bene facit decis. 3.
D. Cassad. sub rub. de præben. Nec obstat
quod dicebatur, quod quando præcedunt
mandata super vacaturis, & postea sequitur
5 impetratio ꝙ impetratio † nō valet, nisi fa-
ciat mētionem de mandato præcedenti. vt
per Phi. Fran. in c. si post quam. col. 2. vers.
extra glo. &c. de præb. in 6. & Cassad. dec. 5.
de concess. præben. quia dicebatur, quod
illud procedit vbi mandatum præcedens,
est super certo corpore. prout loquitur tex.
in d. c. si postquam. Secus est quando mã-
datum præcedens, non est super certo cor-
pore, sed ad incertum. tunc non est neces-
sarium, quod gratia subsequens, faciat men-
tionem de mandato incerto, & generali.
6 Immo tanquam specialis prouisio † derogat
generali. iuxta tex. in c. dudum, & quamuis.
de præben. in 6. Et ita propter ista funda-
menta, Domini inclinabant in hanc partem.
Sed propter aliud fundamentum remanse-
runt varij, & ancipites. Nam in gratia
Ioannis, erat clausula, in qua Papa irritabat
prouisiones, etiam ante acceptationem fa-
ctas. Ergo erat irrita ista prouisio, dato
quod non fuerit secuta acceptatio. Tamen
fuit repertum, quod illa clausula, erat posita
in parte inhibitoria, videlicet in illis ver-
bis, inhibentes. Quare dicebatur, quod
ligabat Papa manus inferiorum etiam ante
acceptationem, non autem manus suas.
immo quod Papa poterat prouidere, & non
sequuta acceptatione, remanebat prouisio
valida, cum gratia esset conditionalis, vi-
delicet si acceptauerit. Vnde non sequuta
acceptatione, omnes clausulæ, videlicet, ex
nunc prout ex tunc conferimus. &, plenum
ius sit tibi quæsitum, ac, quod possis ex nunc
vti regula de non tollendo iure quæsito &c.
tanquam accessoriæ expirabant. Et ita
fuit conclusum die 16. Ianuarij 1542.

SVMMARIVM.

In solito negociari, quando habeatur
ratio lucri cessantis.

1 *Lucrum cessans in solito negociari an de-*
beatur solum quando sumus in actione
stricti iuris.

DECISIO CCXXXI.

DIe 13. Ianuarij 1542. coram D. Mar-
sicano, in vna Suessana pecuniaria, pro
Petro Sarmento, contra hæredes Ansaldi
de Grimaldis, fuit resolutum quod in so-
lito negociari, tunc demum haberetur ratio
interesse lucri cessãtis, quãdo probaretur ꝙ
solitus negociari, probaret se habuisse mer-
ces paratas ad emendum; & quod ob de-
fectum pecuniarum omisit illas emere, vel
alio modo, quasi certitudo lucri probetur.
per dict. Paul. de Castr. in l. 3. §. fin. ff.
quod cert. loc. & ibi Ias. col. fin. & Alex.
& Ias. in l. nummis. in fin. ff. de in lit. in-
ran. Idem Ias. in l. 1. in 1. lectura. col. 10.
nu. 50. C. de sum. trin. sentit Bar. in l. vni-
ca. col. 7. vers. si vero lucrum. C. de sent.
quæ pro eo quod interest. & ibi Sebastian.
Sapia. Dec. cons. 322. col. vlt. Io. Ant.
Alex. cons. 20. decis. Math. de Afflict. 20.
Pet. Pan. Paris. in c. cum venerabilis. col. 9.
de except. Imo. in l. si insulam. §. vsuras.
ff. solut. mat. Rom. in l. si constante. §. quo-
tiens. eo. tit. Antonin. in trac. de vsur inserto
in 5. vol. tract. fol. 207. col. 3. Aym. Crau.
cons. 89. Nobilis Ant. col. 2. post num. 4.
vers. interesse autem. Ista causa in gradu
appellationis fuit proposita per D. Tho. de
Thanis, Die 27. Ianuarij 1546. & Domi-
ni in eisdem perstiterunt. Et aduerte quod
lucrum cessans, debetur solito negociari
1 quando † sumus in actione stricti iuris. se-
cus quando sumus in actione bonæ fidei.
secundum decis. Neapolitanam Capic. nu-
mer. 19. incipientem. In causa Francisci
post num. 6. Et pro ista decis. faciunt quæ
dicit Tiraquel. in tract. de vtroq; retract.
chart. 360. pag. 1. num. 37. *

* Contra istam decisionem facit quod dicit Alexand. consil. 27. viso themate. colum. 2. circa princip. vers. verum est. secundum Ioan. de Imol. volum 4. Et omnino vide Caccia-lup. in repet. l. 3. colum. 36. vers. interdum petuntur vsuræ. &c. C. de summ. Trinit. Cassan. super Consuetudin. Burgund. in tit. des droits, & appartenances. fol. 193. col. 4. vers. sexto limita. &c. Albert. Brun. in tract. de augmento. char. 30. colum. 4. vers. Item secundo limitatur. &c. Die 22. Iunij 1545. in eadem causa Suessana, coram D. Io. Paulo, idem fuit conclusum, videlicet quod dictum Paul. de Cast. in d. l. 3. esset verum.

SVM-

SVMMARIVM.

Vnio beneficij, quanto tempore probetur.

1 *Status beneficij quanto tempore probetur.*
2 *Vnio quanto tempore probetur.*
3 *Status beneficij an probetur spatio quadraginta annorum, quando non agitur de qualitate, sed de substantia beneficij.*

DECISIO CCXXXII.

DVbitaui ego die 13. Ianuarij 1542. in vna Segobiensi de Aldea Sagna, pro Alphōso Diaz, contra Ioannem Gometium de Auila, An vnio portionis parochiali Ecclesiæ Sancti Andreæ, sufficienter probetur si testes dicant, Alphonsum vltimum possessorem, & eius prædecessores, à quadraginta annis seu quinquaginta citra, possedisse portionem vt vnitam parochiali. Et pro parte affirmatiua dicebatur quod sic. quia
1 status † beneficij tanto tempore probatur. iuxta decis. 2. de præben. in nouis. alias 32. & decis. 22. in tit. de probat. in antiquis. alias num. 487. refert, & sequitur Felin. in c. in nostra. in quadragesimo. & vlt. coroll. vers. quarto nota. de rescript. & DD. in cap. cum de beneficio. de præben. in 6. Et quod
2 vnio † tanto tempore probetur, tenet Cassanæus cons. 10. Tamen contrarium fuit resolutum, per doctrinam Io. Andreæ in c. qui contra. de reg. iur. in 6. Oldrad. cons. 296. Rota decis. 9. & 10. in tit. de reb. Ecclesiæ non alien. in antiquis. alias num. 215. & 375. & in dictis decis. videnda est apostilla quam posui. Non obstat, quod status bene-
3 ficij probetur † spatio quadraginta annorum. quia hic non agitur de statu beneficij, idest qualitate, vtputa quod sit regulare, vel seculare, sed agitur de substantia beneficij, videlicet quod vnum beneficium, quod de se fundatum est pro vno clerico, sit alteri beneficio vnitum. Ad cons. Cassanæi respondetur, quod ex prędictis decisionibus apparet illud non esse verum.

SVMMARIVM.

Condemnatio fructuum, an extendatur ad distributiones quotidianas.

1 *Possessionem canonicatus Capitulo nolente tradere quid agendum.*
2 *Fructuum appellatione an veniant distributiones quotidianæ, & quando, num. sequen.*
3 *Distributiones quotidianæ an computentur in fructibus quando impetratur beneficium.*
4 *Valor beneficij in impetratione an exprimatur contra iuris dispositionem.*

DECISIO CCXXXIII.

SAnctes de Gaules fuerat pronisus de canonicatu, & præbenda Ecclesiæ Foroliuiensis, & litteras intimauit Capitulo vt daretur sibi possessio, quam non potuit consequi. Causa commissa contra Capitu-
1 lum, † Sanctes fuit protestatus procuratori Capituli, vt daretur sibi possessio canonicatus quia intendebat residere, alias protestabatur de omni interesse, & præcipuè de distributionibus quotidianis. Fuit processum, & obtinuit sententiam contra Capitulum. in qua Capitulum fuit condemnatum in expensis & fructibus, quos ipse Sanctus propter impedimenta Capituli, percipere, impeditus fuit. Fuit dubitatum per me die 13. Ianuarij 1542. An appellatione fructuū in ista sententia venirēt distributiones quotidianæ. Et ratio dubitandi, quia hic eramus in sententia. in qua verba strictè erant intelligenda. & cum distributiones quotidianæ, sint alterius generis stipendia, non
2 videbantur venire appellatione † fructuum. pro quo bene faciebat decis. Cassador. 1. de Cleric. non residen. sicut etiam quando im-
3 petratur beneficium, dicimus quod in † fructibus non computantur distributiones quotidianæ. Contrarium tamen decisum fuit. Quia, etsi verba in sententia sint strictè intelligenda, tamen cum sententia referat se ad acta, & Sanctes protestatus fuisset de distributionibus quotidianis, dicendum quod verbum, fructus, largè comprehendi debeat. cum negari non possit quin etiam distributiones dicantur fructus canonicatus; & maxime stantibus verbis sententiæ, Ad fructus quos propter impedimenta percipere non potuit. Non obstat quod dicitur, quod in valore, appellarione fructuum non veniunt distributiones quotidianæ. quia
4 ex † quo valor exprimitur contra iuris dispositionem. ideo in tali materia contraius, appellatio fructuum strictè intelligitur Et idem erat in casu decis. Cassador. videlicet in priuilegio, vt absens percipiat fructus ac si resideret. Istud enim tendit in diminutionem cultus diuini. & ideo stricta fit interpretatio. quod secus est hic, ex eo quia protestatio de deseruiendo præcesserat.

SVMMARIVM.

An beneficia Abbreuiatorum de minori, sint reseruata.

DECISIO CCXXXIV.

DIe 13. Ianuarij 1542. in vna Archipresbyteratus, & beneficiorum, coram D. Mar- * Vide infra decis. 239.

D. Marsicano, fuit resolutum quod beneficia Abbreuiatorum de minori, sint reseruata per extrauagan. Benedicti. ad regimen. innouatam per Paulum. quia in ea dicitur quod reseruat beneficia Abbreuiatorum. Et cum lex generaliter loquatur, generaliter debet intelligi. maxime cum omnes, de maiori, & minori faciant vnum collegium, & non differant nisi in perceptioni portionũ, & plus, & minus non faciunt differre speciē. l. fin. ff. de fundo. instruct. Et dum dicebatur, quod tempore Benedicti non erant adhuc Abbreuiatores de minori, ergo non poterat eorum beneficia reseruare. dicebatur quod de hoc non constabat. & quando constaret, dicebatur quod ex quo Paulus fecerat similes reseruationes, & tempore regulæ iam esset auctus numerus Abbreuiatorum, quod per regulam erant reseruata. Item, quod cum lex semper loquatur. l. Ariani. &c. verba legis, præsentis temporis, extenduntur ad futurum. per Bart. in l. si ita. in princ. 2. col. ff. de au. & arg. legat.

SVMMARIVM.

Quæ clausulæ in gratia positæ, sint insolitæ ad effectum regulæ reuocatoriæ, factæ in Arce Sancti Angeli.

DECISIO CCXXXV.

IN vna Cōchensi parochialis de Alarcon, coram D. Io. Paulo, 13. Ianuarij 1542. fuit resolutum, quod stante regula reuocatoria Clementis, omnium gratiarum factarum in Arce S. Angeli, habentium clausulas insolitas, quod gratia de vacante, in qua erat posita clausula gratificationis contra quoscumque, etiam gratificatos, latissime extendenda, esset exorbitans, dato quod alius impetrans concurreret sub eadē data. quia stante incertitudine, propter concursum, nulli fiebat iniuria si Papa vnum potius quam alium præferre volebat. Bene tamen fuit dictum, quod quia gratia eadem annullabat prouisiones eadem die alteri factas, & quod in ea cēseretur apposita hora, quod talis clausula esset insolita, cum de more & stylo sit apponere clausulam in prouisionibus suis, dum tamen alteri non sit ius quæsitum. per text. in c. si post quam. de præben. in 6.

SVMMARIVM.

Pars quæ est vsa testibus, post publicationem potest dicere de nullitate examinis, ad effectum iterum examinandi. non obstante quod aduersarius velit nullitati renunciare.

DECISIO CCXXXVI.

DEcimasexta Ianuarij 1542. fuit resolutũ * in vna Parmensi Vallium, coram me, quod si testes mei, quibus in iudicio post publicationem sum vsus, sunt nulliter examinati, quod ego, qui vsus sum illis, possum dicere de nullitate, ad effectum habendi remissoriam; vt super eisdem materijs possim de nouo testes examinare; non obstāte quod pars aduersa diceret, quod nolebat ex capite nullitatis examen impugnare. Quia cum DD. in Clem. 2. de testib. & Bart. in authen. at qui semel. col. pen. C. de probat. Hippolyt. in l. 1. §. si quis. num. 51. ff. de quæstion. dicant, quod quando testes sunt nulliter examinati, non obstante publicatione, possunt de nouo super eisdem examinari, præsupponendo publicationem prę supponunt vsum. Et non obstabat quod pars nollet impugnare de nullitate. quia dicebatur, quod ius aduersario quæsitum ex tali renunciatione, non poterat auferre. quoniam poterat dicere, si in primo examine non probaui, probabo in secundo.

* Ad lista decis. videtur facere, quæ dicit Bont fac. in Clemē. 2. col. 2. nu. 91. versic. ex Premissis infero. &c. de testibus, & quæ ponit Roca decis. 358. alias 8. de offic. delegat. in nouis. in fin.

SVMMARIVM.

Per nouam prouisionem probatur acceptatio.

1 *Narratiua an noceat confitenti.*
Acceptatio ex narratiua an probetur.
2 *Acceptatio quid.*
Animi declaratio an per quemcumque actum inducatur.
3 *Acceptatione data an & etiam detur consumptio gratiæ.*

DECISIO CCXXXVII.

EAdem die, in vna Valentina de Pego, pro Martino Calahorra, contra Io. Baptistā Baldassinum, in qua dabatur de consumptione gratiæ expectatiuæ per nouam prouisionē. in qua Hieronymus Dominicus dicebat, quod alias, vacante tali beneficio, illud, vigore suæ gratię expectatiuæ acceptauit, & de illo fecit sibi prouideri. &c. quod per illam nouam prouisionē probabatur acceptatio. Primo quia illa † narratiua, acceptauit, nocebat ipsi cōfitēti. ad not. in l. optimam. C. de contrahen. Item & secundo. quia acceptatio † nil aliud est quā animi declaratio quæ per quēcumq; actum * inducitur. ad not. in l. pro hærede. ff. de acquir. hęred. & hoc stante, quod † induceretur acceptatio, inducebatur consumptio gratiæ. vt per Oldrad. cons. 229. col. 2.

* Facit quod dicit Perusin. in c. ne captandæ. in 6. not. de concess. præb. in 6.

SVM-

SVMMARIVM.

An Regula de verisimili, habeat locum in Ordinario, & an in præsentatione.

1 *Patronus non solet præueniri per Papam.*
2 *Patronus ob præsentationem an possit dici ambitiosus.*
Patronus, non ad vtilitatem propriam, sed pro conseruatione sui iuris, præsentat.
3 *Collator & patronus, an & in quibus æquiparentur.*

DECISIO CCXXXVIII.

IN vna Sancti Andreæ * de Strabon. coram D. Maceratensi, die 16. Iannarii 1542. in qua dubitarunt Domini. An regula de verisimili haberet locum in præsentatione facta Ordinario. In primis inclinarūt in illam partem, quod dicta regula haberet locum in Ordinario. quia hoc dicit glos. in pragmatica. sub tit. de collation. in verbo fa ciendas. fol. 65. in 2. col. circa finem. & alii quos narrat D. Sarnensis super regulis Cancellariæ, super dicta regula de verisimili. in prima quæst. & ibi appostilaui aliquos. licet Glossator antiquus super illa regula dixerit, quod alias Rota inclinauit in contrariam partem. & hoc præsupposito, quod illa regula habeat locum in Ordinario; tunc intrauit dubium an haberet locum in præsentatione. Et dicta die Domini pro maiori parte inclinarunt, quod non haberet locum: quia considerabant quod regula loquebatur in gratia tribuente ius in re. per præsentationem non tribuitur, ergo extendenda non erat. & hoc quia cessabant omnes rationes, quæ mouerāt Papam ad promulgationem illius regulæ. Primò enim cessabat ratio præuentionis, quæ consideratur per DD. maxime Sarnensem super dicta quæstione.
1 cum † patronus non soleat prçueniri per Papam. & à solitis argumentum procedit. Secundo dicebant, quod cessabat ratio ambitionis. quia ex quo non ad vtilitatem patro
2 ni, sed alterius, prçsentatio fiebat, † non poterat dici patronus ambitiosus. Ratio cō sideratur in impetrante. nam ex quo ad vtilitatem propriam impetrat, impetrando ante verisimilem notitiam, videtur ambitiosus. & cum sit ambitiosus, militat in eo ratio peccati. quę ratio cessat in patrono. Et etiam cessat ratio conspirationis in morte, ex quo non ad vtilitatem propriam, sed potius pro conseruatione iuris sui, patronus prçsentat. Nec obstat quod dicit Abb. in c. fin. in vlt. not. de concess. præben. & Decius
3 cons. 541. in princ. vbi videntur † æquiparari collator, & patronus. quia sicut collator nō potest dare ius ad primam vacationem, ita nec etiam potest dare patronus ius præsentandi ad primam vacationem. Quia respōdetur, quod illa æquiparatio sit respectu eius, cui commodum venit acquirendū: in quo, in vtroque casu, militat eadem ratio, videlicet ambitio, & timor conspirationis in mortem alterius. quæ ratio cessat in casu nostro, in quo patronus potest dicere, se facere præsentationem pro conseruatione iuris sui, ex quo illam non facit ad vtilitatem suam. Nil pro illa audientia resolutum fuit. Vide resolutionem infra decis. 246. libro primo.

* Vide infra decis. 246.

SVMMARIVM.

Narratiua Bullæ reseruationis pensionis, an sit verificanda. Item, an habilitates probandæ, stante clausula, sine retardatione. &c.

1 *Narratiua in gratiosis est verificanda.*
2 *Narratiua Papæ de facto proprio standum est.*
3 *Expectatiua inserta in processu fulminato, si non appareat de originali, an sufficiat pro colore tituli.*
4 *Pro exactione pensionis in possessorio an procedatur non probato quod obtinens sit clericus, & iudex transferens esset Canonicus. vel reyciatur ad petitorium.*

DECISIO CCXXXIX.

DIe 18. Ianuarij 1542. coram me, in vna Lieiensi pensionis, in qua ego dubitaui, An stante pacifica possessione Marci Antonii, & clausula, sine retardatione solutionis pensionis, an Marcus Antonius, agēs ad pensionem, teneretur verificare narrata in litteris reseruationis eius qui consenserat translationi. puta quia in ea, Papa narrabat quod alias reseruauerat pensionem quatuorcentum ducatorū super mensa Episcopali Lieiensi, de consensu tunc Episcopi, in fauorem Siluii Cardinalis, cum facultate transferendi. & quod eam, de consensu dicti Cardinalis, extinxerat, & cassabat, transferens eam in Iacobum Antonium. & tamē non constabat de reseruatione in fauorem dicti Cardinalis, nec de extinctione. Et pro parte affirmatiua dicebatur, quod narrati
1 ua † in gratiosis, erat verificanda. adnot. per Abb. & DD. in c. fin. de præsumpt. & in c. cōstitutus. de rescript. Pro negatiua dicebatur, quod erat narratiua Papæ de facto pro
2 prio. † ergo ei standum erat. ad Clem. 1. de probat. Tamen Domini, qui tenuerunt istam partem, dicebant ꝙ illa narratiua nō simpliciter de facto proprio, cum diceretur, de consensu Episcopi reseruatam fore. item de consensu Cardinalis fore extinctam. & istud non esset factum proprium Papæ ideo

argumentum non simpliciter probabat. sed dicebatur quod illa narratiua satis concludebat pro colore tituli in isto iudicio possessorio. sicut dicimus quod expectatiua
3 inserta † in processu fulminato, quamuis non appareat de originali, sufficit pro colore tituli. & tanto magis quia Episcopus longo tempore soluerat. Vnde actum per eum approbatum, non poterat improbare. Et retento eodem tempore, fuit etiam conclusum, quod poterat in isto possesso-
4 rio procedi, † non probato quod Marcus Antonius esset clericus, nec quod iudex transferens esset Canonicus. &cæt. Quia ex quo de contrario non constabat, & eramus in possessorio, erat in primis facienda restitutio. & in petitorio ista erant discutienda.

SVMMARIVM.

An de beneficijs incompatibilibus vnitis, debeat fieri mentio in dispensatione super incompatibili.

1 *Dispensatio secunda, non faciens mentionem de prima, an sit subreptitia.*
Vniones ad vitam, an dispensationibus assimilantur, & num. 6.
Vniones ad vitam, fauorem personæ, non Ecclesiæ respiciunt.
2 *Vniones ad vitam, an dispensationes simulatæ.*
3 *Dispensatio secunda, tacens primam quare nulla.*
4 *Vnio, an reddatur subreptitia ob taciturnitatem beneficij annexi.*
Beneficium vnitum, efficitur prædium eius cui vnitur.
5 *Vnio perpetua, cuius vtilitatem respiciat, & quam temporalis.*
7 *Iudicium idem de toto quo ad totum quod de parte quo ad partem.*
8 *A stylo Curiæ non est recedendum.*
9 *Vnio ad vitam, non faciens mentionem de alijs vnionibus etiam ad vitam, an sit nulla.*

DECISIO CCXL.

FVit dubitatum die 18. Ianuarij 1542. coram D. Sarnensi, in vna Portugallensi septem parochialium. An dispensatio de tertia parochiali ad annum, esset valida non facta mentione de vnione antea obtenta. Ex septem votantibus, secluso ponente, tres tenuerunt quod non valeret, & esset surreptitia, cum in illa non fieret mentio de vnione præcedenti ad vitam, super bene-
1 ficijs incompatibilibus. † prout dicitur de secunda dispensatione non faciente mentionem de prima. in c. 2. de fil. presbyt. lib. 6. & vniones ad vitam dispensationibus assimilantur, cum fauorem personarum obtinentium, & non Ecclesiarum respiciant. secundum Gemin. cons. 38. col. pen. Et quia semper interpretati fuimus vniones ad vitam
2 & commẽdas pro palliatis † dispensationibus, prout testatur Cassador. de vnion. decis. 2. Præterea, licet vniones ad vitam, sint fictæ dispensationes, tamen nihil quo ad effectum, differre videntur. nam ideo dispensatio secunda, tacens primam est nul-
3 la, non quidem † simpliciter propter præcedentiam primę, sed quia interpretamur nõ esse verisimile, Principem super secunda dispensare, si sciret eum iam antea, aliam incompatibilem tenere. Et hæc ratio militat non solum in alia dispensatione præcedenti, sed in omnibus alijs gratijs, & qualitatibus tacitis, quæ, si expressæ fuissẽt, potuissent mouere Principem ad non concedendũ, vel difficilius. Nec obstabat quod dicebatur, quod materia execrabilitatis erat odiosa, & pœnalis. quia dum quæritur, an dispensatio sit nulla ob taciturnitatem præcedentium vnionum ad vitam, non agitur de execrabilitate; sed an concedens dispensationem, intellectis vnionibus, difficilius dispé-
4 sasset. Non obstat vnionem † non reddi surreptitiam, ob taciturnitatem beneficii annexi, vt per Rotam decis. 13. de reb. Ecclesiæ non alien. in antiquis. quia loquitur in vnionibus perpetuis. & tunc, propter suppressionem tituli, cum beneficium fit effectum prædium eius cui vnitur, non debet
5 fieri mentio de eo. † cum vnio perpetua, fiat ad vtilitatem Ecclesiæ, temporalis vero, ad vtilitatem personæ. secundum Dominicum in d. cons. 38. col. pen. Alii vero quatuor Domini fuerunt in contrario voto.
6 quia † vnio non est proprie dispensatio, ergo de ea non erat faciẽda mentio. & maxime quia ad vitam, dicitur perpetua respectu eius qui obtinuit vniri. Vnde, sicut de perpetua, simpliciter non est facienda men-
7 tio, ita etiam de vnita ad vitam. † quia idẽ est iudicium de toto quo ad totum. &cæt. l. quæ de tota. Et etiam dicebatur, quod iste erat stylus vt de vnitis ad vitam non fieret
8 mentio. ergo ab stylo Curiæ non † erat recedendum.

Et die 27. Ianuarii 1542. fuit resolutum coram eodem Sarnensi, quod vnio ad vitã,
9 non faciens mentionem † de aliis vnionibus etiam ad vitam præcedentibus, sit valida. per fundamenta de quibus hic. Item, vnio ad vitam, non faciens mentionem de præcedenti dispensatione, est etiam valida.

SVM-

SVMMARIVM.

An illegitimus, sit restituendus.

1 Execrabilis in spolio, an & quando restituendus.
2 Spurius, sine peccato non tenet beneficium.
Restitutio non fit ad materiam peccati.
3 Mandatum de dispensando, an sufficiat spurio pro restitutione in spolio.

DECISIO CCXLI.

* Ponit aliquid Sarnen. in regula de Annali, q. 38. versic. praeterea, quia illegitimus.

FVit dubitatum, die 18. Ianuarij 1542. in vna Imolensi, Sancti Sabini, coram D. Mohedano. quia constabat in prouisione facta, quod quis erat illegitimus, & dicebat, secum fore dispensatum, & de dispensatione non constabat, An esset restituendus beneficio, quo erat spoliatus. Et pro parte negatiua, fuit dictũ, quod sicut quan-
1 do constat † ex actis, de execrabilitate, execrabilis non est restituendus nisi doceat de dispensatione, vt superius fuit annotatum; ita & isto casu. & etiam quia spurius
2 non potest † tenere beneficium sine peccato. cap. fin. de fil. presbyt. ergo ad materiam peccati non debebat fieri restitutio. Item allegabatur, quod hoc tenebant Innoc. Io. Andr. & Abb. in cap. constitutus. de fil. presbyt. Imol. in Clem. vnica. colum. pen. versic. aduerte tamen. & nota bene de caus. possess. & propriet. Die 27. Ianuarij 1542. fuit resolutum per superius dicta, quod non esset restituendus. Tamen volue-
3 runt quod mandatum † de dispensando, sufficeret. vt infra decis. 249.

SVMMARIVM.

Quis praeferatur ex collitigantibus, subrogato, & prouiso Apostolico, quando sub eadem data sunt prouisi.

1 Expectans qui acceptauit, quando praeferendus prouiso Papae. & num. 2.
2 Acceptatio, & prouisio exequutoris, an censeantur praecedere reseruationem Papae.
Ius praeambulum quando attendendum.
3 Collitigans respectu litis, an innitatur iure communi pro obtinenda subrogatione.
Prouisus in concursu subrogati, an dicatur venire contra ius. & num. 4.
4 Collitiganti non est dandus nouus collitigans, quomodo intelligatur.
Concurrentibus pluribus in data quando sit locus gratificationi.

DECISIO CCXLII.

IN vna Salamantina Parochialis de Azeron, inter Georgium Quignones ex vna, & Andream Lopez ex alia. in qua Georgius tamquam collitigans, erat subrogatus cuidam Io. Roderico eius collitiganti, sub data obitus. Et sub eadem data de eodem beneficio, cum derogatione regulae de non subrogando, ac regulae de idiomate, fuerat prouisum Melchiori de Valerijs familiari Cardinalis Farnesij, quis istorum esset praeferendus. Et pro parte Georgij collitigantis dicebatur, quod ipse erat praeferendus. quia
1 sicut dicimus † in expectante qui acceptauit, & sibi fuit prouisum eodem die, quo fuit alteri prouisum per Papam, quod expectans est praeferendus. vt per Felin. in c. causam quae. ver. & pro praedicta differentia. & in cap. capitulum. vers. de duabus collationibus. &c. de rescript. propter praeambulũ ius quod habebat; ita etiam esset dicendum in casu isto, vt Georgius praeferretur propter ius praeambulum quod habebat à prin-
2 cipio litis. Sicut quando eadem die † emanant acceptatio expectantis, & collatio exequutoris & reseruatio Papae. quod acceptatio, & collatio exequutoris, censeantur praecedere reseruationem Papae propter ius praeambulum. vt per Aegidium decis. 215. & 235. & Rotam decis. 356. in antiquis. * ita & hic. Sed dicebatur ad istud fundamentũ, quod illud ius praeambulum, in casibus supradictis, erat quoddam ius connexum cum sequenti. & quod omnino illud inferebat. Sed in casu nostro, ius illud preambulum Georgij, non inferebat illud ius subrogationis, nec aliquo modo ei connexum. & ideo quod istud argumentum non concludebat. Secundo, pro ista parte dicebatur,
3 quod Georgius respectu litis † nitebatur iure communi subrogationis. argumento c. si ij contra quos. & regula de subrogandis, aduersarius vero venit per priuilegium, derogando regulae contra ius commune, & contra regulam. facilius ergo succumbere debet. ad vulgatam l. eius militis. Et in hanc partem inclinarunt tres ex Dominis. Aliam vero partem tenuerunt quatuor, respondentes ad hoc fundamentum. quia verum est, quod text. in cap. si ij contra quos.
4 vult, † quod nouus collitigans non est dandus. sed text. non dicit, quod collitigans sit subrogandus. Et idem est in regula. quia non dicit quod collitigans sit subrogandus. Si ergo collitigans venit ex gratia Papae, sicut etiam venit non collitigans, ex quo erant pares in data, dicebatur quod tunc erat attendenda clausula gratificationis, ex quo in gratia erat facta mentio de lite, & liti erat derogatum.

* Vide infra decis. 247. lib. 2.

* Alias 29. de rescript.

Et qa clausula gratificationis, erat fortior in gratia Melchioris; quia dicebatur in ea, quod preferretur contra quoscumque, & sic comprehendebat personas qualitercumque & sic modo gratificatos, quod Melchior esset præferendus. Verum est, quod quartus Auditor mansit postea dubius, & sic nihil fuit conclusum. Resolutionem vide infra decis. 247. lib. 1.

SVMMARIVM.

Gratia vbi dirigitur exequutoribus, requiritur factum exequutorum, à quo omnia decreta gratiæ dependent.

1 *Gratia Papæ quando dirigitur exequutori, quando sit conditionalis.*
2 *Decreta omnia posita in gratia expectatiua pendent à clausula acceptandi.*

DECISIO CCXLIII.

Fverat concessa gratia bo. me. D. Raynaldo de Petrueijs, directa quibusdam exequutoribus. in qua dicebatur, quod volentes prouidere dicto Raynaldo, constituebat eos, & quemlibet eorum, procuratores, ad capiendam possessionem quorumcumque beneficiorum, in Dominio Florentino, per cessum, vel decessum. &c. vsque ad summam mille ducatorum; & volentes facere gratiã specialem ipsi Raynaldo, motuproprio. &c. dabat facultatem dictis exequutoribus, conferendi, & prouidendi de dictis beneficijs dicto Raynaldo. & erat postea clausula, dictaque beneficia ad dictum Raynaldum ex nunc prout ex tunc, & e contra, de iure spectare, & plenum ius, vere & non ficte, penitus, & omnino acquisitum fore, & solum fructuum perceptionem, & actualem possessionem expectare. ac regulis de non tollendo iure quæsito, & de triennali possessore gaudere, & quascumque acceptationes, & prouisiones, & Commendas huiusmodi per nos seu alterum faciendas, nullius roboris. ac decernentes irritum, & inane. &c. Fuit conclusum in vna Lucana, canonicatus & præbendæ, coram D. Mohedano, die 23. Ianuarij 1542. quod quia in nulla parte gratiæ
1 Papa † prouidebat, sed dabatur facultas prouidendi exequutoribus, & sic gratia erat directa exequutoribus, quod erat necessaria prouisio dictorum exequutorum. & ex quo in illo casu non constabat de prouisione; & gratia erat conditionalis † in euen-
2 tum in quem fuisset facta prouisio exequutorum, quod non sequuta prouisione, quod decreta, in illa gratia apposita, deficiebant, cum omnia talia decreta censerentur pendere à prouisione exequutorum, sicut fuerat conclusum in illa Tirasonensi. In qua voluerunt Domini, quod omnia decreta penderent à clausula acceptandi.

SVMMARIVM.

Vide casum, in quo sufficienter dicatur paritum in possessorio.

1 *Exceptio criminis, an obstet in remedio recuperandæ.*

DECISIO CCXLIV.

IN vna Ouetensi Canonicatus, & Præbendæ in qua Ferdinandus de Villa vitiose spolianerat Andream de Cogalludo. & volens Ferdinandus parere restitutioni quo ad possessionem, existens in partibus, comparuit in Capitulo, & dicit quod dimittebat possessionem Canonicatus, & contentabatur quod possessio daretur Andreæ, seu eius procuratori, etiam in dicto Capitulo præsenti. Et statim præsentatis exequutorialibus Capitulo, per procuratorẽ Andreæ fuit petita possessio. Capitulum respondendo dixit, quod quia eis constabat quod Andreas fuerat priuatus per Ordinarium propter demerita eius, & stante inhabilitate, non poterat possidere Canonicatum, quod cõstito eis quod Andreas esset habilitatus, quod darent ei possessionem. Dicebatur pro parte Andreæ, quod Ferdinandus, stante dicta responsione Capituli, non paruerat, & ideo contra eũ procedi debebat ad reliquas
1 censuras, eo quia † exceptio criminis non obstat in remedio recuperandæ. Abb. in c. item cum quis. de restit. spoliat. & Felin. in c. si constiterit. col. 2. circa finem. de accusat. Item, quia non constabat de aliqua sententia priuatoria, & assertioni Capituli nõ erat standum, & quatenus constaret, quod illa erat nulla vel iniqua. Domini tamen die 27. Ianuarij 1542. me proponente, dixerunt quod Ferdinandus, non constito de aliqua collusione inter eum & Capitulum, sufficiẽter diceretur paruisse, ex quo fecerat quicquid in eo erat. & non culpa sui, sed Capituli, Andreas possessionem non habebat. Et contra Capitulum militat id quod supra fuit dictum. videlicet, quod non obstat exceptio criminis in iudicio restitutorio, contra quod Andreas agere debebat.

SVMMARIVM.

In spolio commisso absque dolo, fuit admissus ad beneficium cessionis bonorum ad effectum vt ageret in petitorio.

1 *Cedens bonis, an, & quando sit liberatus.*
2 *Cessio bonorũ quãdo habeat vim solutionis.*

Cessio

Cessio bonorum, an prosit solum ad euitandum carceres.
3 *Cessio bonorum quomodo debeat fieri, vt prosit.*

DECISIO CCXLV.

IN vna Parochialis de la Strella * inter Episcopũ Solis ex vna, & Martinum de Corduba ex alia, coram D. Io. Paulo, die 27. Ianuarij 1542. in qua agebatur spolio, & Martinus reportauerat tres sententias contra. Tamen præsupponebatur quod spolium, quo ad Martinum, fuerat commissum absque dolo. & vsque ad primam sententiã fuerat in bona fide. Fuit dubitatum, an Martinus, pro fructibus vsque ad primam sentẽtiam perceptis, esset admittendus ad beneficium cessionis bonorum, ad effectum vt ageret in petitorio. Et fuit per maiorem partem conclusum, quod sic. quia decisio 83. alias 22. de restit. spoliat. in antiquis. considerabat quod spolium esset dolo commissum. & sic à contrario, vbi non esset, quod admitteretur. Pro quo videbatur decis. 554. etiam in antiquis. 30. de sent. & re iudicat. & viua ratio. Nam Domini dicebant, quod ex quo non erat dolosus, erat admittendus ad beneficium cessionis. & cum per cessio-
1 nem esset liberatus, † licet non ipso iure saltem ope exceptionis, vt dicit glos. in l. 1. C. qui bon. ced. poss. & est communis opinio secundum Salic. ibi. & sic actio esset inefficax, in quamdam consequentiam sequebatur, quod esset audiendus in petitorio
2 ex quo cessio habebat vim solutionis saltem in effectu. Non obstat quod cessio tantum prodest ad euitandum carceres. vt dicit tex. in d. l. 1. quæ lex licet loquatur per dictionem taxatiuam, &, per glos. extendatur ad tres casus, tamen nec glos. nec DD. extendebant illam legem vt haberet locũ vt posset agere petitorio. Quia fuit responsum, quod extensio non erat necessaria, sed statim quod glo. & DD. volebant quod cessio haberet vim solutionis, volebant in quamdam consequentiam vt admitteretur in petitorio. Dixerunt tamen Domini, quod ces-
3 sio debebat † esse realis, & non verbalis. puta, quod Martinus indicaret bona, & daretur congruum tempus Episcopo. Et fuit dictum quatuor mensium, ad effectum vt Episcopus posset facere diligentias suas in partibus, in consequendo possessionem bonorum cessorum.

Vide sup. decis. 214. lib. 1.

SVMMARIVM.

Regula de verisimili, non habet locum in præsentatione.

1 *Regula Cancellariæ, non debet extendi à ratione ignorata, & non expressa.*
Regulæ Cancellariæ, stricte intelligendæ.
Ratio Regulæ de verisimili, quæ.
Rationes plures vbi coniunctim concurrunt in lege, vna deficiente, an militet vel cesset dispositio.
2 *Regula de verisimili, an habeat locum in gratia concessa motu proprio.*
Gratiæ præuentiuæ passim conceduntur.
3 *Extensio non inducitur ex ratione incerta.*

DECISIO CCXLVI.

IN dubio, An regula * de verisimili habeat locũ in præsentatione, de quo feci mẽtionem supra dec. 238. fuit resolutũ coram Maceratẽsi, die 27. Ianuarij 1542. quod dicta regula non haberet locum in præsentatione. Ratio, quia regula expresse loquebatur in prouisione Apostolica. & quia non
1 erat in ea ratio expressa, † non debebamus à ratione ignorata, & non expressa, extendere eam, cum regulæ strictè sint intelligendæ. Bart. in l. constitutionibus. ff. ad municip. Quia, aut omnes illæ tres rationes, quæ assignantur per DD. videlicet, præuentionis, ambitionis, & peccati, erant finales coniũctim, & cum isto casu ratio præuentionis nõ militet, sequitur quod non militabit dispositio. aut vnica istarum, & si est ratio præuẽtionis, cessat isto casu. ergo cessabit regula. aut dices quod ratio regulę fuit ratio ambitionis & peccati, & ista ratio non potest considerari. quia secundum D. Sarnen-
2 sẽ, super dicta regula de verisimili, illa † habet etiã locum in gratia concessa motu proprio, & tamen ibi cessat ratio ambitionis. Et quod ista ratio non sit causa finalis illius regulę, sed potius ratio præuentionis, patet ex gratijs præuentiuis quas passim concedit Pontifex. Vnde non est dicendum, quod illa ratio sit causa finalis. Et ex quo ratio
3 ignoratur, non debet sumi extensio † ex ratione incerta. argumento eius quod dicit Bart. in l. in ambiguo. ff. de reb. dubijs.

Vide sup. decis. 238.

SVMMARIVM.

Quod quis sit de Regno, non dat qualitatem vt propterea sit præferendus.

1 *Clausula gratificationis, an operetur vt quis pari in data præferatur.*
2 *Hispanus Italo an sit præferendus in beneficijs Hispaniæ.*

DECISIO CCXLVII.

MOrtuo Io. Roderici * collitigãte, Georgius obtinuit se subrogari in ius illius

Ad iss decis. vide supra de-

cis.242.h.1 & vide quę dicit Petr. Rebuff. in tract. de pacif. poss. pag.18. versic. vigesimosecūdo enterus, &c.

lius sub data obitus, & sub eadē data Melchior de Valerijs, facta mentione de lite, & cum derogatione regulæ de subrogādo, & regulæ de idiomate, obtinuit sibi prouideri. Fuit dubitatum quis istorum præferretur. Et argumenta posui supra decis. 242. Tamdem die 30. Februarij 1542. fuit conclusum per maiorem partē, quod Melchior
1 propter † clausulam gratificationis, quæ gratificabat eum contra quoscumque qualitercumque gratificatos, esset præferendus. Quia ex quo omnes veniebant ex gratia Principis, postquam Princeps, intellecta lite, derogauerat regulę de subrogādo, quod esset præferendus ex illa. Et prima Februarij coram eodem Aquen. in eadem fuit dubitatum, ex quo Georgius erat Hispanus, & Melchior Italus, an propter illam qualitatem
2 cum beneficiū esset in Hispania, † esset præferendus. Et fuit conclusum quod non. per text. in c. ad decorem. de instit. Et quæ dicuntur in c. si proponente. de rescript. in c. fin. de cler. peregr. in c. hortamur. 71. dist. habent locum in diœcesano, non autem in eo qui est eiusdem prouinciæ seu regni, aut sub codē rege, vt erat in illo casu. in quo Georgius erat de regno Legionis, & beneficium erat in ciuitate Salamantina de regno Castellæ.

SVMMARIVM.

Regula Clementis reuocatoria gratiarum concessarum in arce sancti Angeli, quomodo intelligatur.

1 *Subreptio, quando est causa concessionis gratiæ quid vitiet.*
2 *Gratia reuocata, an omnes clausulæ accessoriæ corruant.*

DECISIO CCXLVIII.

IN vna Conchensi parochialis, maior pars inclinauit coram D. Io. Paulo, quod regula reuocatoria Clementis, quam edidit in ciuitate Vrbenetana post liberationem suam, de omnibus gratijs quas concesserat in arce Sancti Angeli, cum clausulis insolitis, non solum reuocaret illas quo ad clausulas insolitas, sed etiam in totum. Fundamentum principale, quia Papa dicebat quod eas, quadam ambitione, & quasi
1 coactus concesserat. quo casu, † quando subreptio est causa concessionis gratiæ, vitiat in totum gratiam. c. ceterum, & super litteris. vbi Abbas de rescript. Tamen, quia fuit producta quædam declaratoria * eiusdem Clementis ad demonstrandum quod Clemens tantū intendebat reuocare quo ad clausulas insolitas, fuit dictum quod super ea informaretur. Vnus etiam ex Dominis dicebat, quod dicta regula reuocatoria, reuocaret gratiam in casu de quo agebatur. quia erat prouisio, & ad effectum illius prouisionis erant concessæ clausulæ insolitæ: puta, quod omnibus præferretur, annullando collationes alteri factas. &c. Nam cum illæ clausulæ venirēt ad corroborationem gratiæ cōcessæ, & essent accessoriæ, † tunc reuocata gratia, reuocarentur. omnes clausulæ, & sic propter connexitatem. Secus dicebat esse quando essent diuersa capitula in eadem gratia non connexa. vt puta si contineret collationē, & dispensationem. quia tunc tantum annullaretur illa pars gratiæ, quæ cōtineret clausulas insolitas. Nil tamen fuit resolutum ex causa de qua supra.

* Die x. Febr. 1542. fuit resolutum quod illa declaratoria, non faciebat ad rem. quia cum esset facta in eodem Consistorio, in quo erat facta reuocatoria generalis, & in illa de vacatoris tantum reuocaret quo ad clausulas insolitas: dabatur intelligi quod in alia reuocatoria generali, in totum gratias reuocauit. quia vbi Papa voluit limitate loqui, illud expressit. vulgat. c. ad audientiam cum alijs. Et ita fuit resolutum per maiorem partē quod gratia generalis reuocatoria, reuocaret quo ab omnia. non obstante dicta declaratoria producta.

SVMMARIVM.

Mandatum de dispensando, habet vim dispensationis in spolio.

1 *Dispensatio an differat à mandato de dispensando.*
2 *Dispensatio illegitimi cum clausula, si vita. & c. an sit conditionalis.*

DECISIO CCXLIX.

VOluerunt Domini in * vna Imolen. parochialis, de Mazincola, die 1. Februarij 1542. coram D. Mohedano, quod mandatum de dispensando super illegitimitate, haberet vim dispēsationis quo ad hoc, vt illegitimus spoliatus beneficio restitueretur. per ea quæ dicit Io. Andreas in c. litteras. de rest. spoliat. Cardinalis Alex. in c. quia circa. de consang. & aff. col. 2. versic. quæro numquid. & Aegid. cons. 28. col. 4. vers. sed oppones. Domin. cons. 106. in fine.
1 Solus ego contradixi. quia † aliud est dispensatio, & aliud mandatum de dispensando. per ea quæ ponit Iason in l. bonæ fidei. ff. quod cert. loc. notata per Io. Andream in c. litteras. & per Card. in c. quia circa. non faciunt, quia loquuntur in mandato Papæ, non autem in mandato de dispensando. Id autem quod dicit Aegid. cons. 28. procedit quando Papa, intellecto defectu, mandauit dispensari. itaque non est mirum si habet vim dispensationis. In casu autem nostro,

* Vide sup. decis. 240. & vide ad materiā quæ dicit Fel. in c. fin. col. 8. vers. tertia conclusio. de præsumpt.

non

non simpliciter fuit mãdata dispensatio, sed si eum vitæ laudabilis, & quod paternæ incontinentiæ non sit imitator. Et licet ista
2 non † faciant conditionem, sed quandam instructionem, prout dicit Rota decis. 846. in antiquis * tamen ante illam instructionem, non dicitur dispensatio. Ita quod quocumque modo verificanda sunt illa, antequam dicatur dispensatum. Et pro ista parte, quod mandatum de dispensando non habeat vim dispensationis, vide Paris. cons. 57. stante priori. &c. col. pen. vers. ad illud, an ordinarius, nu. 47. vol. 4. cum seq. col.

* Alias † de fil. presbyt.

SVMMARIVM.

Cui incumbat onus probandi, beneficium cadere sub gratia.

1 *Acceptans, ex acceptatione an habeat intentionem fundatam, quod beneficium acceptatum cadat sub gratia.*
2 *Acceptatio, an præsumatur infra tempus. An præsumatur valida.*
3 *Possessor, per præsumptiones, non est eijciendus à sua possessione.*

DECISIO CCL.

PRoposui ego in vna Valentina de Pego, inter Martinum Calahora ex vna, & Io. Baptistam Baldassinum ex alia. in qua Martinus actor dabat de quadam consumptione gratiæ expectatiuæ Hieronymi Dominici, qui cesserat in fauorem ipsius Io. Baptistæ, dictam parochialem, pro eo quod docebatur, quod Hieronymus prius fecerat vnam nouam prouisionem, in qua aliud beneficium acceptauerat. Dicebatur pro parte Io. Baptistæ, quod licet probaretur acceptatio; tamen non sequebatur consumptio gratiæ. quia non probabatur quod beneficium caderet sub gratia. nam poterat esse quod acceptasset, & tamen non caderet sub gratia. vt puta, quia reseruatum, vel in mense Ordinarij. Et ideo dubitaui ego, cui incumberet onus probandi, beneficium cadere sub gratia. Et causa posita die 27. Ianuarij 1542. maior pars fuit, quod Io. Baptista, qui excipiebat beneficium non cadere sub gratia, teneretur probare; cum alius
1 ex acceptatione haberet † intentionem fundatam. per ea quæ dicit Gemin. cons. 103. Io. Andr. & alij in c. cũ in multis. de rescrip. in 6. Rota decis. 8. de caus. possess. & propriet. Duo vero Domini tenuerunt contrarium. per decis. 528. Aegid. vbi voluit,
2 quod acceptatio † non præsumitur infra tempus, quando datur per viam obiectus. Tamen dicebatur quod Aegidius contrariũ dixerat decis. 349. & 373. cum seq. Postea iterum causa posita die 1. Februarij eiusdem anni, vota fuerunt paria. videlicet quatuor, & quatuor * Et fundamentum maximum
3 fuit, quod licet † acceptatio præsumatur valida, illud est præsumptiue. & per præsũptiones possessor nõ erat à beneficio eijciẽdus. Iterum causa posita die 6. Februarij, fuerunt quatuor vota pro Martino, & tria pro Io. Bapeista. tamen defecit D. Marcus Antonius, qui in alia audientia fuerat pro Io. Baptista; & sic reducebatur res ad paritatem. Et pro Martino, quod Io. Baptistæ dicenti beneficium non cadere sub gratia, incumberet onus probandi, allegabatur Lapus alleg. 120. de concess. præben. Fulcinius clericus col. 2. vers. sufficit enim quod doceat. &c. Io. de Selua in tract. de beneficio in 3. par. q. 15. col. pen.

* Pro Io. Bapt. Mohedan. Aquen. Marescot. & Io. Pau. Pro Martino Sarn. Macerat. Marsican. & Thom. secunda vice non interuenit Marescot.

SVMMARIVM.

Commisso examine testium, videntur commissa iuramenta.

2 *Examine testium concesso, an videantur concessa omnia, sine quo examen non valeret.*
3 *Notarius, an sit capax receptionis iuramenti, & examinis testium. & num. 4.*

DECISIO CCLI.

DIe 6. Februarij 1542. fuit coram me resolutum in vna Parmensi Vallium, quod ex quo Senator Mediolanensis commiserat existens Mediolani, notario examen faciendum in ciuitate Parmæ, quod per cõ-
1 sequens † videretur etiã commisisse iuramenta testium. id est quod notarius posset recipere iuramenta testium. per id quod dicit Bart. relatus per Felin. in c. 2. in princ. 3. col. vers. quarto declara. de testib. & quia
2 concesso examine, † videntur omnia cõcessa sine quo examen non valeret. ad not. in l. 2. ff. de iurisdict. om. iud. Nõ obstat. quod istud est verum, nisi illud antecedẽs sit maius expresso, prout Bart. in d. l. 2. & sequitur Ias. ibidem in 5. fallentia. & est communis opinio. prout ibi dicit Curt. Iunior. Tamen respondebatur, quod multi illam opinionẽ reprehendebant, vt per Alexand. Aquen. & Curtium iuniorem ibidem. Et quando illa opinio Bart. esset vera, placuit Dominis distinctio Aquensis, quam ibi ponit, vt non procedat in antecedenti maiori, inseparabili ab actu & necessario. Secus quando est antecedens cõtingens, vt ibi per Aquensem. Et cum iuramentum sit antecedens necessarium ad examen, ergo videbatur esse commissum. Non obstat quod dicebatur quod
3 notarius nõ † erat capax receptionis iuramenti,

menti, & tunc etiam limitatur dicta regula l. 2. vt non procedat in persona incapace, vt per Iason. in d.l.2. in 4. limitatione. Quia respondebatur. quod immo Notarius de iure ciuili, quod in casu nostro attendebatur cum ageretur de causa agitata in foro Mediolani, ex causa erat capax. & Notario, receptio iuramentorum & examinis
4 testium, † ex causa committi poterat. & iusta causa dicebatur absentia. vt per Alex. in l. hac consultissima. §. siquis autem. C. de testam. & Felin. in c. cum causam. col. pen. de testib.

SVMMARIVM.

Citatio pro singulis diebus, & horis, nulla.

DECISIO CCLII.

FVit etiam in eadem resolutum, quod citatio siue monitio pro singulis diebus & horis, tamquam vaga, & inducens speciē ser uitutis, esset nulla. vt per Bal. in cons. 268. factum tale est. &c. vol. 1. & per Aret. & Alex. in l. qui ante Kalendas. ff. de verb. oblig. Bart. in extrauagan. ad reprimendū. in verbo, & per edictum. Facit quod dicit Rota dec. 17. de re iudic. in nouis. Roman. cons. 369. circa princ. col. 3. vers. illam autem citationem. Phil. Franc. in c. cum parati, col. 4. vers. secundo quæritur. de appellat. & ibi Præposit. col. 4. vers. verum cum scriptum sit. &c.

SVMMARIVM.

In annua promissione, an sufficiat vna præscriptio.

1 *Præscriptiones, quot requirantur in annuis præstationibus.*
2 *Stipulationes, an sint tot, quot anni.*
3 *In stipulationibus annuis, an à principio possit agi, pro omnibus annis, & num. 5. & quid in vsuris. ibid. & num. 7.*
4 *In legato annuo, an possit agi à principio vt quis condemnetur ad præstandum in futurum. & num. 6.*
6 *Actio non est nata ante conditionem.*

DECISIO CCLIII.

IN vna Romana dotis, inter fratres de Cappocinis ex vna, & Io. Baptistam de Thebolis & fratres ex alia. fuit dubitatum. An in annua præstatione essent necessariæ
1 tot † præscriptiones, quot essent anni. de qua quæstione ponit glos. in l. cū notissimi. §. in ijs. C. de præscript. 30. vel 40. Et dictū fuit quod communis opinio fuit Vltramontanorum, quod requirerentur tot præscriptiones, quot erant anni. pro vt eam attestabatur communem Paul. de Castr. in l. si plures. col. fin. C. de fide instrum. Guid. Papæ decis. 406. in fine. Capella Tholosana decis. 342. vbi additio. Tamen opinio communis fuit Citramontanorum, quod sufficeret vna præscriptio pro omnibus annis. pro vt eam dicit communem opinionem citramontanorum additio ad dictam decis. Capellæ 342. Balbus in tract. præscript. in 4. parte 4. partis princ. quæst. 4. & Parisius in c. auditis. circa finem. de præscript. Socin. cons. 81. circa finem. Et in hanc partem inclinarunt Domini, amplectentes opinionem Citramontanorum ex quo eramus citra mōtes. Verum quia in dicto casu dos erat promissa infra annum, & deinde ad beneplacitum, & voluntatem mariti, & donec dos solueretur erant promissa septem cum dimidio pro centenario, iuxta formam statutorum; dicebatur, quod ex quo promissio interesse, erat promissio conditionalis, si debitor es-
2 set in mora, quod tunc, † essent tot stipulationes quot anni. & ideo plures præscriptiones essent necessariæ. vt per Ias. in l. vbi autem non apparet. §. qui sortem. ff. de verb. obligat. Tamen pro parte contraria repli-
3 cabatur, quod pro vsuris debitis † per stipulationem, vt erat in isto casu, poterat agi à principio. videlicet agendo ad sortem, & vsuras, vt in futurum sibi præstarentur donec sors sibi solueretur. vt per DD. & in specie Ias. in d. §. qui sortem. Ergo si à principio ad vsuras poterat agi, ergo vna præscriptio currere debebat. nam ideo in an-
4 nua præstatione, vnica præscriptio † sufficit; quia à principio pro omnibus annis agi potest. secundum Bart. & DD. in l. Stichum. §. stipulatio. ff. de verb. oblig. & Bart. & alios, in l. cum notissimi. §. in ijs. C. de præscript. xxx. &c. Sed contra istud replicabatur, quod attenta ista ratione, idem dicendum esset in annuo legato, cum in eo à principio posset agi vt quis condēnetur ad præstandum in futurum. prout istam dicunt cōmunem opinionem Curn. & Ias. in l. 1. C. de fideicommiss. Quare pro resolutione fuit consideratum id, quod dicit Bart. in l. de pupillo. §. si in pluribus. ff. de nou. oper. nunc.
5 vbi dicit † quod in stipulationibus, à principio potest agi pro omnibus annis, & vere competit actio, & petitio, licet exactio differatur. in annuis legatis verum est quod
6 potest fieri † condemnatio vt in futurū præstetur. iuxta not. in l. 1. C. de fideic. tamen vere non competit actio. quia legatum pro sequentibus annis, est conditionale, & ideo non est nata actio ante conditionem. l. cedere diem. & per consequens nec præscriptio.
7 Ita & esset hic, vt stipulatio † vsurarū, pro primo anno esset pura, pro sequentibus cōditio-

ditionalis si fors non solueretur. prout ita dicunt DD. saluando glos. ibi de mēte Bart. in l. vbi autem non apparet. §. qui fortem. & ibi expressè Iason. ff. de verb. obligat. Et ita resolutum fuit die 13. Febr. 1542.

SVMMARIVM.

An gratia sit generalis vel specialis.

3 *Genus, quando pro specie.*
4 *Clausula quæ duxeris acceptanda in expectatiua quid operetur.*
Gratia an consumatur ob negligentiam expectantis.

DECISIO CCLIV.

* vide afr. decis. 423 lib. 1. & vide Dominic. cons. 107. super primo dubio per totū.

HAbebat D. Raynaldus in Dominio Florētino, gratiā * ad tot beneficia, quæ ascēderent ad valorē mille ducat. etiā si canonicatus, parochiales, dignitates seculares, vel regulares. &c. sine tamen clausula, quæ duxeris acceptanda. Dubitatum fuit, An illa gratia esset generalis, vel specialis. Et ꝙ esset generalis, considerabatur ꝙ gratia erat in Dominio Florētino. itē quod diuersa beneficia capiebat. Tamen contrarium fuit resolutum, coram D. Mohedano 6. Februarij 1542. in vna Lucana canonicatus, & præben. Quia licet ex verbis, gra-
1 tia videretur generalis, † tamen quia erat verificanda in primis beneficijs vacaturis, iuxta text. & glos. in c. mandato de præb. in 6. & regulam. l. boues. §. hoc sermone. ff. de verb. signif. & sic gratia erat verificanda in certis speciebus, gratia dicebatur specialis, & non generalis. per not. per text. glos. & Abb. in c. ex parte. 1. circa finem. de offic. deleg. & in c. pastoralis. §. quoniam. col. 1. & ibi Felin. de rescript. Bart. in l. si domino. ff. de legat. 1. & ibi Innoc. in vlt. not. tex. in c. fin. cum glos. in verbo, in eadem. & ibi Domin. in 1. quæst. de renunc. in 6. Facit quod dicit Card. in Clem. si plures. colum. 1. in 2. oppo. de præben. glos. in c. 1. §. ex parte. in verbo, certam. cum glos. sequen. de concess. præben. in 6. Nec obstat quod Abb. in d. c. ex parte. diceret, quod
2 tunc est specialis, quando † in vno gratia est verificanda. quia idem est etsi in duobus & pluribus speciebus. & sic cum gratia esset restricta ad primo vacatura, erat restricta ad certas species. Ergo erat specialis.
3 quia genus † quod nō potest verificari. &c. prout in l. 2. ff. de lib. & posthum. Et ad idē fuit allegatus Decius in cap. 1. de rescript. Nec obstat quod resolutum fuisset in ista causa, quod ex quo gratia erat directa exequutoribus, quod requirebat factum eorū, & sic tacitam conditionem haberet, & sic
4 æquipararetur conditioni quæ duxeris † acceptanda quæ facit gratiam generalem. vt per glos. in d. c. mandato. de præben. in 6. Quia respondebatur, quod exequutores tenebantur de primis prouidere ad voluntatem Raynaldi, & eo negligente gratia consumebatur. per text. in c. si clericus, & in d. c. mandato. de præben. in 6.

SVMMARIVM.

Regula de triennali, non habet locum in Hospitali.

1 *Regula de Triennali strictè intelligenda.*
2 *Hospitale, non dicitur beneficium ecclesiasticum.*

DECISIO CCLV.

DIe 10. Februarij 1542. Fuit resolutum coram D. Mohedano, quod regula de triennali non haberet locum in Hospitali; nisi probaretur quod esset beneficium Eccle-
1 siasticum. quia regula † strictè est intelligēda. Bart. in l. constitutionibus. ff. ad municip. & loquitur in beneficio ecclesiastico.
2 & Hospitale † non dicitur beneficium ecclesiasticum. Clemen. per litteras. de præben. Felin. in c. de quarta. de præscript. Vide Sarnen, in regula de triennali quæst. 71.

SVMMARIVM.

An testes, præsumantur in loco deputato examinati.

1 *Locus loci an exprimi debeat in actis iudiciarijs.*
2 *Solemnitas extrinseca in iudicialibus, an præsumatur.*
3 *Præsumptio pro validitate actus; quando non habeat locum.*

DECISIO CCLVI.

SEnator Mediolanensis commiserat examen testium Notario, vt examinaret in Ciuitate Parmæ, & monuerat partes pro singulis diebus & horis in Ciuitate Parmæ in Curia Prætoris. Notarius examinauit testes, tamen non apposuit locum. Dubitaui ego in vna Parmensi Vallium, die 10. Februarij 1542. An testes præsumerentur in loco deputato examinati. Et pro parte affirmatiua dicebatur quod sic. quia ex quo reperiebantur examinati, præsumebantur in loco, & iuxta formam mandati. Contra-
1 rium fuit resolutū. quia etiā in actis † iudiciarijs, requiritur ꝙ exprimatur locus loci,

vbi

vbi actus vniformiter in omni loco non potest fieri, secundum doctrinam Bart. & aliorum, in l. de pupillo. §. qui nunciat. ff. de nou. oper. nun. Felin. in c. 1. col. 4. de fid. instr.
2 & quia etiam in iudicialibus † solemnitas intrinseca non præsumitur. vt per Aret. in l. sciendum, col. 7. vers. tertio limitatur, &c. de verb. obligat. Non obstat, quod in dubio præsumendū erat pro validitate actus. quia
3 talis † præsumptio non habet locum, quando illud quod venit præsumendū, nullo modo est expressum, sed ex toto præsumi deberet. vt per Ias. in l. quotiēs. in 4. limitat. ff. de verb. oblig. per Soc. in l. quotiēs. 2. ff. de reb. dub. Et similiter, regula prædicta habet locum, quando omnia requisita pro validitate actus, interuenerunt. vt per eundē Soc. in d. l. quotiēs. in fin. Et cum expressio loci, in terminis nostris nullo modo reperiatur facta, etiam & illa requiratur, non potest pro validitate actus aliquo modo præsumi.

SVMMARIVM.

Beneficia Abbreuiatorum de minori, reseruata.

DECISIO CCLVII.

* Vid. supra decis. 34.

Decima Februarij 1542. fuit * resolutū in vna Cæsaraugustana Archipresbyteratus, & aliorum beneficiorum, coram D. Marsicano, quod beneficia Abbreuiatorū de minori, essent reseruata per extrauagātem, ad regimen. innīta regula innouatoria. Et fuit dictum quod Bulla Pij, in qua dicebatur, quod tempore Benedicti erant viginti quatuor Abbreuiatores, non probabat quod Benedictus instituisset tantum Abbreuiatores de maiori.

SVMMARIVM.

Ex quibus coniecturis præsumpta scientia.

1 *Procurator, quando præsumatur dominum suum ausisse.*
2 *Possessionis ciuilis amissio, an inducatur ex scientia vbi datur negligentia.*
3 *In vrbe vnusquisq. consequitur quod suum est.*

DECISIO CCLVIII.

Proposui ego die 13. Februarij 2542. in causa Romana viginti millium, pro Illustriss. Domina, contra creditores, posito quod probetur possessio Cardinalis, An ex exactione septē mensiū, & c. probetur scientia Ducis. Et quia erat vnus testis de auditu à Duce de possessione Cardinalis, item quia Episcopus Aesinus dicebat in sua depositione, quod post mortem Clementis, Cardinalis intrauerat possessionem Montis, licet ignoraret an percepisset aliquos fructus. item quia præsupponebatur pro parte Illustrissimæ, quod idem Episcopus haberet mādatum ad exigendum dictos fructus Montis, & per ingressū possessionis Cardinalis, fuisset impeditus in exactione, † quod præsumebatur dominum suum auuisasse. per cons. 1
Rom. 480. Concurrebat etiam ista multiplicitas actuum, & satis notabilis pecunia exacta. per ea quæ Innoc. not. in c. bonæ. il 2. col. 1. de postul. prælat. Abb. in c. cum Ecclesia Sutrina. col. 5. de caus. possess. & in c. sæpe. de rest. spol. Et ideo concludebant Domini, quod ex ijs præsumebatur scientia. vel saltem, ad eam plene probandam, non non poterat negari remissoria. Item & secundo, fuit propositū, si præsumebatur scien-
2 tia, an ex ea induceretur † amissio possessionis ciuilis quam Dux habebat. Et * fuit resolutum, quod si ex illa scientia, inducebatur negligentia in Duce in ea recuperanda, quod induceretur amissio ciuilis. per ea quæ dicit Bart. in l. 1. §. huius autem interdicti. vers. sed pone. innīto vers. seq. ff. vti possid. Et Domini, pro maiori parte, inclinarunt in illam opinionem, quod attento quod non agebatur de fortilitio, sed de ipso
3 Monte, & in vrbe in qua † vnusquisq. quod suum est consequi potest, maxime cum non constaret quod Dux, etiam post mortem Cardinalis, possessionem ipsius Montis recuperare quæsiuisset, quod diceretur esse in negligentia. & per consequens possessionem ciuilem amisisset. Posita causa iterum 3. Martij 1542. Domini etiam fuerunt pro amissione ciuilis.

* Sic scientia, vbi datur negligentia, inducitur amissio possessionis ciuilis.

SVMMARIVM.

Qui tenetur, quamprimum decimum quartum annum compleuerit profiteri, quando teneatur.

1 *Verba illa, quamprimum decimum quartū annum compleuerit quomodo intellecta.*
Verba, quamprimum, mox, & similia, quomodo intelligantur.
Verba quantumuis precisa, intelligenda cū temperamento.
2 *Tempus requisitum an arbitrarium iudicis secundum subiectam materiam.*
3 *Soluere debens quamprimum, an nihilominus habeat aliquod tempus.*
4 *Interpellatio hominis, an constituat statim in mora.*

5 Quid

5 *Quid quando adest certa dies constituta.*
6 *Moræ purgatio, quando non admittenda.*
7 *Conditio potestatiua, an statim adimpleri debeat, alias an constituatur in mora.*
8 *Arbitrium iudicis in interpretatione verborum, quando cesset.*

DECISIO CCLIX.

FVerat commendata Præceptoria sancti Antonij, minori quatuordecim annorum. & dicebatur, quod quamprimum decimum quartum annum compleuerit, teneretur omnino emittere professionem, alioquin præceptoria vacate censeretur eo ipso. constabat quod post dies triginta quinque, Matthæus, cui erat præceptoria commendata, postquam decimum quartum annum impleuerat, Præceptoriam resignauerat, & sibi regressum reseruauerat. Dubitabatur de validitate regressus. ex quo resignauerat per triginta quinque dies post decimum quartũ annum ante professionem emissam. & sic cũ nihil haberet, nihil poterat resignare. fuit dubitatum in vna Astensi præceptoriæ sancti Antonij, coram D. Io. Paulo, inter Io. Iacobum Bucca ex vna, & Antonium de Du-
1 cibus ex alia, An illa verba, † quam primũ decimum quartum annum compleuerit, importarent vt si statim professionem nõ emisisset, præceptoria censeretur vacare. Et pro parte negatiua dicebatur, quod licet ista verba, quamprimum, mox, & similia, habeant varias interpretationes. vt per Ias. in l. fructus. ff. solut. matr. tamen erant intelligenda cum aliquo temperamento. iuxta text. in l. quod dicimus. ff. de solutionib. & in l. ratum. eod. tit. in l. quo minus. ff. rem rat. hab. & secundum subiectam materiam,
2 † arbitrariũ erat iudici, quod tempus deberet ipse taxare. Vnde eum essemus hic in materia professionis, quæ non poterat fieri intra annum decimum quartum; & post decimum quartum, dabatur annus probationis ad deliberandum; debebat iudex in tali materia, tempus duorum mensiũ, vel aliud tempus, nõ minus triginta quinque diebus, arbitrari ad deliberandum an vellet profiteri. Et pro hoc allegabatur text. in l. 2. §. frumentariæ. ff. de reb. ad ciuitat. pertinent. iuncta glos. quæ allegat. text. in l. in fraudẽ. §. fiscalibus. ff. de iure fisci. vbi, licet quam-
3 primum teneatur soluere, † nihilominus habet ad minus duos menses. Pro parte tamẽ contraria dicebatur, quod hic erat adiecta certa dies, videlicet annum decimum quartum completum. Vnde, licet interpellatio
4 hominis nõ constituat statim in mora, † sed requiratur aliquod interuallum temporis. vt in d. l. quod dicimus. ff. de solut. & in tacita die. vt in d. l. ratum de solut. & in l. quo minus. ff. rem. rat. hab. tamen vbi est expressa dies, aduentus illius diei statim con-
5 stituit † in mora absq. aliquo interuallo tẽporis. vt per Ias. in l. si ex legati causa. col. 4. ff. de verb. oblig. Et cum statim sit in mo-
6 ra, non admittebatur † purgatio eius, cum adesset dies, & pœna. ad not. in l. si insulam. ff. de verb. oblig. Item, quia hic fiebat exequutio ipso iure, & tunc nõ admittitur purgatio moræ. vt in c. licet canon. in gloss. in verbo. priuatus. de elect. in 6. & in d. l. si insulam. Item dicebatur, quod ista erat con-
7 ditio † potestatiua. & quamprimum poterat, tenebatur implere, alias erat in mora. vt in l. hæc conditio, si in Capitolium. &c. ff. de condit. & demonstr. Non obstat, quod dicebatur, quod verba intelligenda erant secundum subiectam materiam. quia verum erat vbi fuissemus in dubio, in quo iudex potest arbitrari. sed hic eramus in casu ex-
8 presso, vbi cessat † arbitrium iudicis. Item, quia eramus in casu, in quo professio statim, completo decimo quarto anno, poterat fieri. vt in c. 1. de regul. in 6. & ita superior voluerat. Nil fuit resolutum, quia vota fuerunt paria. scilicet quatuor, & quatuor.

SVMMARIVM.

An statutum Ecclesiæ Hispalensis, inhabilitans descendentes ex hæreticis, &c. comprehendat regressus.

1 *Beneficium obtinere prohibitus, an prohibeatur habere regressum, per quod ad beneficium peruenitur.*
Regressus ad benef. an habeat oculos retro.
2 *Statutum nouum quando comprehendat casum, habentem originẽ à præterito, & n. 7.*
3 *Statutũ prohibens descendentes ab hæreticis obtinere beneficia, an exorbitans à iure communi.*
4 *Statutum per quod odio alterius quis grauatur, an odiosum.*
5 *Regressum habens, an dicatur ius suum cõtinuare.*
6 *Verba de cetero, quid importent.*
7 *Regressus ad beneficium, an concedatur ex causa onerosa.*
8 *Statutum annullans donationes, non comprehendit donationes ob causam.*

DECISIO CCLX.

IN vna Hispalẽsi portionis, * inter Episcopum Scalensem ex vna, & Io. de Morillos ex alia, fuit dubitatũ coram D. Marsicano, de mense Febr. 1542. An statutum Ecclesiæ Hispalensis, quo cauebatur, quod filij, & descendentes per lineam paternã, vel maternam, vsq. ad secũdum gradum, ex hæreticis, seu

* Vide an ad ea quæ dicũtur hic, possit adaptari dec. 3. Cassad. de preb.

seu reconciliatis, non possent de cætero ob-
tinere canonicatus, & præbendas. &c. aut
assequi, vel ius aliquod in eis acquirere,
comprehenderet regressum quem post præ-
dictum statutum, Episcopus ex causa resi-
gnationis de dicta portione factæ, obtinue-
rat sibi reseruari. Et pro parte affirmatiua
dicebatur, quod si tales erant prohibiti ob-
tinere beneficia. &c. ergo erant prohibiti
1 obtinere † id per quod peruenitur ad illud.
l. oratio. ff. de sponsal. l. 2. & ibi Bart. ff. de
iurisd. omn. iud. c. cum quid. de reg. iur. in
6. per regressum peruenitur ad beneficium.
ergo. Et licet regressus haberet oculos re-
tro, & esset concessus ex causa de præterito;
tamen quia causa de futuro, erat separata
2 à causa de prætetito; † ideo statutum, de-
bebat illud comprehendere. vt per Felin. in
c. fin. col. 12. vers. sed declaratio huius fal-
lentiæ est. &c. de constitut. Tamen istis non
obstantibus fuit determinatum contrarium
per maiorem partem. Quia licet tale statu-
tum, sit in fauorem fidei, & vt Ecclesia Hi-
spalensis purgaretur uiris suspectis, & infe-
ctis huiusmodi labe; tamen inquantum com
prehendebat descendentes ex linea mater-
3 na, vsque ad secundum gradum, † erat exor-
bitans à iure; vt patet in c. statutum. de hę-
ret. in 6. Item, inquantū alter alterius odio
4 prægrauatur, erat odiosum. † prout dicit
Bart. in l. 1. col. 2. circa princ. ff. de verb. si-
gnif. quod l. quisquis. C. ad l. Iuliam maiest.
est odiosa odio irrationabili. Cum ergo cō-
stitutio esset exorbitans, & odiosa, & loque-
retur in acquirentibus ius in beneficio, non
debebat extendi ad continuantes ius suum.
5 nam habēs regressum dicebatur † quodāmo
do ius suum continuare. argumento l. qui
sic. ff. de solut. Et non videbatur eadem ra-
tio in vtroque casu, cum statutum non inha
bilitaret quo ad ius quęsitum. de præterito,
6 vt patet ex illa dictione, de † cætero. secun-
dum Felin. in c. fin. versic. hanc fallentiam
limita. &c. de constitut. Et si constitutio
non inhabilitabat quo ad ius de præterito,
facilius erat Episcopum tolerare in suo re-
gressu, quam quod actualiter in iure quæsi-
to perseuerasset. Item, quia regressus habet
causam de præterito, & ideo ad illud ius de-
pendens ex causa de præterito, non videtur
7 constitutio † extendenda. argumento eorum
quæ dicit Castador. decis. 1. de pact. Item
quia regressus conceditur ob causam, & ex
causa onerosa resignationis. Vnde sicut sta-
8 tutū annullans † donationes, non cōprehē-
dit donationes ob causam. vt not. in l. 1. de
don. ita & statutū istud. Et ita resolutū fuit.

S V M M A R I V M.

An dimissa secunda acceptatione, possit
quis ad primam redire.

2 *Ignorantia, an & quando in dubio præ-*
sumatur.
3 *Scientia, an & quando in dubio præsu-*
menda.
Per secundam acceptationem quando prima
censeatur renunciatum.
4 *Pro actore contra reum, quando ex præ-*
sumptionibus iudicari possit.
5 *Acceptatio quando præsumatur in tempore*
facta.

DECISIO CCLXI.

DVbitauiego in vna * Valētina, de Pego
die 15. Febr. 1542. An stante accepta
tione secundo loco facta per nouam proui-
sionem de beneficio S. Luciæ, potuisset Hie-
ronymus expectans, ad primam acceptatio-
nem redire quæ erat generalis. Et quinque
1 ex Dominis, tribus contradicentibus, † di-
xerunt quod non. per ea quæ dicit Domin.
post Lap. in c. cum in multis. col. fin. versic.
quærit hic Lapus. & ibi Perus. col. fin. de re-
script. in 6. & idem Domin. cons. 78. in pri-
mo dubio. Non obstat quod Domin. in d. c.
cum in multis, pro decisione remittat se ad
Io. Andream, in cap. mandatum. de rescript.
vbi videtur voluisse, ꝙ istud procedit, vbi
quis sciens nullum ius competere sibi, ex
secundo illud acceptauit. quia videtur tunc
2 primum renunciasse, † & cum in dubio igno
rantia præsumatur. l. verius, &c. dicenti il-
lum scienter fecisse, incumbit onus probare.
Quia respondebatur, quod dicta regula,
non procedit vbi sumus in actu, in quo quis
3 tenetur indagare. quia † tunc præsumitur
scientia nisi error probetur. argumento tex.
in l. cætera. §. fin. ff. de legat. 1. per Rotam
decis. 108. in antiquis. 1. de rer. permut. &
in nouis 203. Item non obstat, quod ibidem
dicit Io. Andr. quod tunc per secundam ac-
ceptationē, videtur renunciare primæ, quan
do est assequutus possessionem, vel per eum
steterit quominus assequutus fuerit. quia di
cebant illi quinque Domini, quod non stete
rit per eum in assequenda possessione, debe-
bat per ipsum acceptantem probari. Non
obstat, quod tenendo istam opinionem, iu-
4 dicabamus pro † actore contra reum, ex prę
sumptionibus. Quia respondebatur quod
istud non inconuenit. cum producendo ex-
pectatiuam, & acceptationem, etiam agen-
do contra reum possessorem, semper præsu-
5 mitur † acceptatio in tempore facta. Et sic
iudicamus ex præsumptionib. cōtra reum.

* Iterū causa posita 3. Martij 1542. fuerunt quinq; pro Martino, & tres pro Io. Baptista, vt & prima vice fuerūt.

S V M M A R I V M.

Resignans bis, & iurans quod in resigna-
tione non interuenit fraus, an
sit periurus.

DECISIO CCLXII.

IN vna Brixiensi fructuum, inter Hospitale Brixiense ex vna, & Franciscum Pisauro, Patriarcham Constantinopolitanum, coram D. Sarnensi, die 27. Februarij 1542. Fuit tentum quod resignans bis idem beneficium, & iurans quod in huiusmodi resignatione non interuenit fraus, dolus. &c. non dicitur periurus. quia secundo resignans, dicitur resignare ius quod habet, non autem affirmat habere ius. & illud iuramentum quod quis præstat quod nō interuenit in resignatione huiusmodi, fraus, dolus, &c. respicit ipsum actū resignationis. Ita quod verū est dicere, ꝙ in resignatione, nulla est fraus, aut dolus, cum ille actus resignationis vere fiat. Et maximè dicebatur in casu illo, in quo Patriarcha resignauerat primo de anno 1515. & secundo loco resignauerat de anno 1530. Itaque ex distantia tempor.s, poterat præsumi obliuio primæ resignationis in Patriarcha. Et quælibet causa excusat. &c. Item quia ex tanto tempore, præsumebatur ius de nouo quæsitum in persona Patriarchæ.

SVMMARIVM.

Si in resignatione non exprimitur verus valor, non abdicatur ius à resignante quādo est facta in fauorē certæ personæ.

DECISIO CCLXIII.

IN vna Conchensi Parochialis de Azebrō, coram D. Thoma, fuit cōclusum die 27. Februarij 1542. quod si resignatio fuit facta in manibus Papæ, in fauorem certę personæ, & resignatarius expressit malum valorem, quod ex quo gratia à principio est nulla, propter regulam de exprimendo vero valore in litteris; & sic à principio nullum ius fuit resignatario quæsitum, quod per consequens, non fuit à resignante abdicatum. per text. in l. nec vtilem. ff. ex qui caus. maior. ex quo erat facta in fauorem certæ personæ. Quod intelligebant Domini, nisi in supplicatione resignationis, esset expressus verus valor. quia, ex quo poterat expedire secundum verum valorem, foret à principio ius quæsitum. & postea expediendo litteras, non expresso vero valore, ius vacaret ex persona ipsius. Et ideo fuit dictum, quod videretur, an in supplicatione esset expressus verus valor, vel talis qui cum augmento quod solet dari, ascenderet ad verum valorem, & probaretur quod litteræ ex interuallo essent expeditæ.

SVMMARIVM.

Abbatissæ eiectæ, debentur alimenta, sed non expensæ litis.

1 *Moniali litiganti quæ à principio fuit alterius Monasterij, à quo Monasterio debeantur alimenta.*

2 *Expensæ litis, quando Monacho, seu Moniali litiganti, nō debeātur à Monasterio.*

DECISIO CCLXIV.

PHilippa Deca Abbatissa monasterij de Val de Moros, fuit electa per moniales monasterij de lo Ruan Columbriēsis. in quo stetit per aliquod tempus Abbatissa; & fuit de eo spoliata per aliam. Pendente causa super spolio, petijt dicta Philippa, vt sibi decernerentur alimenta, & expensæ litis. Dubitaui ego die 27. Febr. 1542. in dicta causa Colūbriensi Monasterij de lo Ruan, An dictæ Philippæ essent decernenda alimenta, & expensæ litis. Et ꝙ non essent decernēda alimenta, dicebatur quod, ex quo à principio
1 erat monialis alterius monasterij, † secundū monasterium non tenebatur nisi suis ministrare alimenta. ad glos. fin. in c. fin. de reg. & quod ibi notat Abb. Contrarium fuit resolutum. per expressam decis. Aegidij 88. circa expensas. Fuit dictum quod, ex quo ipsa persequebatur causam propriam suæ ele-
2 ctionis, † quod monasterium nō tenebatur. per id ꝙ dicit Abb. & Felin. in c. ex parte. de accusat. & ibi Innoc. in final. verbis. Et quod ipsa Philippa supplicaret Papæ. pro vt dicit Felin. in c. cum dilecta. col. 20. vers. & not. quod Abb. &c. de rescript.

SVMMARIVM.

Procurator ad certam litem & causam constitutus, potest appellare, sed non appellationem prosequi.

DECISIO CCLXV.

IN vna Bononiensi S. Christophori, pro Angelo Catelano, contra Reuerendissimum Gābaram, fuit cōclusum corā D. Marco Antonio, die 27. Febr. 1542. Quod procurator cōstitutus in causa & causis motis cō tra Reuerēdiss. Gambarā, tantum habuisset mandatū in prima instantia, ita vt appellare potuisset, non autem appellationē prosequi, etiā si voluisset. Secus si fuisset procurator cōstitutus generaliter ad omnes causas, motas & mouēdas. prout ita distinguit Bar. in l. innitus. & ibi Salic. qui dicit istā communē. & Alex. col. fin. C. de procurat. Imol. in c. non iniuste. in fine. de procurat. est decis. Rotæ 21. in nouis. & 2. Bisig. sub tit. de procurat. Nec obstat ꝙ dicit Bart. in d. l. inuitus. in 2. col. quod procurator rei poterat defendere & prosequi causā appellationis. quia intelligitur vt defensor, non autem vt procurator. prout ita intelligunt DD. & maxime Imol. in d. c. non iniuste. circa finem. & oportebit quod de nouo det cautionem de iudicato soluendo. secundum Cinum in l. si actor. C. de appellat.

SVMMARIVM.

Expectatiuæ capiunt beneficia vacantia per resignationem.

1 *Modo vacandi non expresso, venit omnis modus, etiam per resignationem.*

DECISIO CCLXVI.

* Limita istā decis. ex ijs quæ dicit Cassad. decis. vnic. de rer. per mutat.

FVit dubitatum * in vna Columbriensi canonicatus, & præbendæ, pro Eduardo de Millo, contra Franciscum Lopez, coram D. Marsicano, die 27. Februarij 1542. An expectatiuæ possent capere beneficia vacantia per resignationem factam in manibus Ordinarii. Et conclusum quod sic. quia Papa reseruat collationi Apostolicæ, beneficia si quæ vacant, aut cum successiue vacauerint. Et ideo, cum non sit certus modus
1 vacandi expressus, venit † omnis modus, etiam per resignationem. prout not. Phil. Franc. in c. susceptum. vers. secundo tene mēti singulariter. de rescript. in 6. pro quo facit text. in c. 1. de rerum permut. in 6. Et videtur decidere Collectarius in c. pro illorum. col. 1. vers. sed quid Papa mandat. de præbendis. & idem Collectarius in c. 1. colum. 8. in fine. vers. sed quid de quæstione alia facti. &c. de reg. iur. Aeneas de Falconib. in tract. reseruat. in 3. quæst. princip. pag. pen. circa finem. vers. beneficia vacantia ex causa resignationis. &c. Et facit decis. 196. incipiens, habens gratiam. in addit. in nouis. aliàs 11. de præben.

SVMMARIVM.

Priuilegium parafrenarijs concessum, quod durante absentia Papæ non teneantur ad diligentias, quomodo intelligatur.

1 *Verba, quæ non possunt verificari in pluribus actibus, an & quando referantur ad primum tantum.*
2 *Dispositio an intelligatur in primo actu in priuilegijs.*
3 *Priuilegium quando declaretur à consuetudine patris familias.*
Priuilegium concessum ex vna causa an extendatur ad similem causam.
4 *Priuilegium cessat, cessante verisimilimente concedentis.*

DECISIO CCLXVII.

SAnctissimus Dominus noster, volens recedere ab Vrbe ad Ciuitatem Niceæ, dedit priuilegium Parafrenariis suis, vt de cætero, durante absentia Papæ, non tenerētur ad diligentias. Fuit dubitatum in vna Burgiensi, canonicatus & præbendæ, inter Claudium Morandi ex vna, & Claudiū Saldone ex alia, An illud priuilegium intelligeretur tantum pro illa absentia, an vero pro omnibus futuris. & an pro omnibus absentiis, etiam quando recedit in locis circumuicinis, an vero vbi est absentia longinqua. Et die 3. Martii 1542. corā D. Aquensi fuit resolutum, quod intelligeretur non solum de illa absentia, & sic non solum in prima, sed etiam in omnibus aliis. per dictum Bal. in l. inuitus. C. de procurat. & in l. fideicommissa. §. siquis decem. ff. de legat. 3. de quo per Decium cons. 512. dum dicit, quod ser-
1 mo qui † potest verificari in pluribus actibus, non refertur ad primum tantū, quando intentio concedentis, in illo non verificatur. Sed priuilegium erat concessum propter seruitia Papæ, Parafrenarii non poterant vacare in faciendis diligentiis. ergo. &c. Item quia dicebatur, de cætero. & sic in futurum. Tertio quia dicebatur, quod erat priuilegiū.
2 & † quia decet esse mansurū, dispositio l. bo nes. §. hoc sermone. non habet locum. vt per Felin. in c. innouamus. col. fin. vers. septimo fallit. de treug. & pace. Fuit etiam resolutū quod intelligeretur de simili * absen-
3 tia longinqua à consuetudine † patrisfamilias. Nam certum est quod Papa, ante recessum eius ad ciuitatē Niceæ, solitus erat ad loca vicina Vrbi diuertere, non tamen simile priuilegium concessit Parafrenariis; sed quando longe abesse voluit. ergo de simili absentia debet intelligi. & cum acceptatio semel in mense debeat fieri, & non soleat, nisi per octo, vel decē dies, Papa ab-
4 esse, † nō est verisimile quod ratione breuis tēporis, voluerit eos à diligentiis liberare.

* Quod intelligatur de absentia longinqua facit quod dicit Paul. de Castr. in l. 3. §. cōditio in 2. notab. ff. de instit.

SVMMARIVM.

Pendente causa criminali coram vno iudice, non potest per eumdem coram alio intentari ciuilis.

DECISIO CCLXVIII.

IN vna Segobiensi iurisdictionis, coram D. Marescoto, inter Capitulum Segobiēse ex vna, & Episcopum ex alia, die 3. Martii 2542. fuit resolutum, quod si damnum passus, agat coram Capitulo, vt poterat in illo casu, criminaliter, ꝙ idem nō posset agere ciuiliter ad rem corā Episcopo. quia ciuilis, & criminalis non possunt cumulari, cum sententia ferenda in causa criminali præiudicet in ciuili. vtputa, si feratur sententia, ꝙ non cōmisit delictum. secundū Bar. in l. 2. §. 1. col. 2. ff. de vi bo. rapt. & eumdē Bart. in l. pen. ff. de calumn. Itē obstat ratio maioritatis. quia criminalis præiudicat ciuili.

Et

Et facit, quod interim in ea ſuperſedeatur. l.fin. C.de ord.iudic. l.vnica, C.quando ciuilis actio criminali præiudicet.

SVMMARIVM.

Poſſeſſio ciuilis Montis, ex quibus actibus in Duce fuerit amiſſa.

1 *Poſſeſſio in incorporalibus ex quot actibus quæratur.*
2 *Poſſeſſio acquiſita, per quot actus amittatur.*
3 *Quaſi poſſeſſio in incorporalibus quid ſit.*
4 *Poſſeſſio ciuilis non perditur, niſi poſſeſſor veniens, fuerit repulſus, vel ſuſpicatus fuerit ſe poſſe repelli. ſuſpicio iſta quomodo intelligatur, num. 5. 7. & 8.*
5 *Poſſeſſio ciuilis, an amittatur quando potēs ſcit debiliorem occupare naturalem, ſi incontinenti non recuperet.*
6 *In Vrbe non conſideratur potentia perſonarum quia non via facti agitur. neque rixa & ſcandala, & quare num. 9.*

DECISIO CCLXIX.

Tertia Martij 1541. dato dubio in cauſa Romana vigintimilliũ, An per exactionem ſeptem menſium, factam à Cardinali, & poſt eius obitum, taciturnitatē Ducis, arguatur negligentia Ducis potēs ad amiſſionem ciuilis poſſeſſionis. Concluſerūt Domini, exceptis duobus, ꝙ eſſet amiſſa. Quia
1 ſicut ex vno, † vel duobus actibus, in iſtis incorporalibus, quæritur poſſeſſio. Bart. in l. 1. §. hoc interdicto. in princ. 1. colum. ff. de itin. actuq; priuat. Innoc. & alij in c. bona. 2. de poſtul. prælat. Abb. in cap. cum Eccleſia Sutrina. colum. 4. de cauſ. poſſeſſ. & proprier. & in ſemeſtralibus, vel menſtruis reſponſionibus, tradit expreſſe poſt alios, Iacob. Aluarot. Martinus Lauden. in c. ſi vero vaſſallus. quid ſit inueſtitura. in vſib. feud. Angel. in l. ſi certis annis. ante finem. C. de
2 pact. ita etiã ex vno vel duobus † actibus, amittitur poſſeſſio. quia oēs res per quaſcumque cauſas. &c. Et ita, in materia poſſeſſionis, dicit Iaſon in l. non quemadmodum. ff. de acqnir. poſſeſſ. Si ergo ex vno vel duobus, à fortiori ex ſeptem. cum in iſtis incor
3 poralibus non ſit aliud † quaſi poſſeſſio, quã quidam vſus cum ſcientia, & patientia aduerſarij. vt l. quotiens. ff. de ſeruitut. & in l. 2. C. eodem tit. & tradit expreſſe Bart. in l. 1. §. huius autem interdicti. ff. vti poſſidetis.
4 Et licet † poſſeſſio ciuilis non perdatur niſi poſſeſſor veniens, fuerit repulſus, vel ſuſpicatus fuerit ſe poſſe repelli, vt ſcribitur in l. ſi id quod. §. fin. ff. de acquir. poſſeſſ. & in l. clam poſſidere. §. fin. eod. tit. dicebatur quod ex quo Dux fuerat in negligentia recuperandi poſſeſſionem naturalem, ex tali negligentia videbatur ſuſpicari ſe poſſe repelli, & per conſequens amiſſione. vt per Bart. in l. 1. §. huius autem interdicti. in 2. col. ff. vti poſſidet. Nec etiam obſtabat quod dicebatur, quod quando potens ſcit debiliorem occupare naturalem, quod licet incon-
5 tinenti † non recuperet, non per hoc dicitur ciuilem amittere. vt per Alex. in l. ſi de eo. §. ſi forte. col. 2. ff. de acquir. poſſeſſ. verſ. itē aduerte. Felin. in c. vigilanti. col. 4. de præſcript. Et cum Dux eſſet potentior Cardinali, non videbatur veriſimiliter ſuſpicari, ſe poſſe per Cardinalem repelli. Quia dicebãt, quod non erat verum quod Dux in Vrbe potentior eſſet Cardinali. immo contra. Item
6 quod in Vrbe non † erat conſideranda potētia. quia non via facti in ea erat intentanda, ſed ſolum conſiderabatur negligentia Ducis. Item non obſtabat, quod ad excludēdum veriſimilem præſumptionem ſuſpicionis, DD. conſiderent nedum potentiam habentis ciuilem, ſed etiã vbi adeſt alia probabilis conſideratio, quod poſſeſſor ciuilis diſtulit ex alia cauſa, quam ꝙ ſuſpicetur ſe poſſe repelli. vtputa quia potens, & ciuiliter poſſidens, eſſet homo qui propter boni-
7 tatem † timeret rixam & ſcandala. prone dicit Aret. in d. §. ſi forte. col. 5. & quia oportebat tunc maioribus negocijs incum-
8 bere. Et ideo videbatur animus Ducis à † negligentia excuſandus. vt per Felin. in c. ſignificaſti. col. 5. de homicid. verſ. aduerte tamē. dum limitat recuperationem incontinenti non conſiderabilem, quando aliquis inuitus trahitur ad actus extraneos, grauiori fortuna iactatus. Quia ad iſta reſpondebant Domini, quod Dux ceſſaſſet propter timorem
9 rixæ & ſcandali, † non erat in conſideratione in Vrbe, in qua quis tunc poteſt ſuum petere. Item quod licet Dux alijs curis premeretur, poterat ſaltem proteſtari. & iſtud facile erat.

SVMMARIVM.

Vide in quo caſu fuit præſumptum, ſeu probatum mandatum Cardinalis de Medicis.

1 *Scriptura priuata ad commodum ſcribentis non probat.*
Teſtis idoneus non eſt ad cõmodum proprium.
2 *Depoſitarius non ſoluit ſine mandato.*
3 *Depoſitarius non poteſt opponere exceptionem compenſationis.*

DECISIO CCLXX.

Sexta Martij 1542. In cauſa Rom. vigintimill. propoſui ego an probaretur ſcientia, ſeu ratificatio exactionis per Strozzios, nomine Cardinalis factę, & de quo tempore.

Et fuit resolutum per maiorem partem, im mo omnes, q si non probabatur Strozzios creditores Cardinalis, q per articulum pro parte Illustrissimæ datum, in quo articulabat, quod depositarij non solent soluere fine mandato Domini principalis, quod probabatur mandatum Cardinalis datum Strozzijs, ad recipiendum solutiones de quibus in libris eorum. Non obstat quod illę partitæ essent scriptę in fauorem eorumdẽ Strozziorum, cum dicerent, Noi Strozzi per li heredi di Cosimo de Medici per il Reuerendissimo Cardinale de Medici. & ideo talis scriptura de receptione, tanquam emana-
1 uerit † in fauorem eorumdem non probaret, iuxta notata, in cap. 2. de fid. instrum. & in l. quędam, §. nummularios. ff. de eden. & quia nullus ad commodum proprii est idoneus testis. l. nullus. ff. de testib. & l. omnibus. C. eodem tit. Quia respondebatur quod illæ partitæ, non erant in fauorem Strozziorum, ex quo non probabatur Strozzios fore creditores Cardinalis, sed potius erant in fauorem Cardinalis, seu eius hæredum.

Decima Martij 1542. fuit iterum causa posita, & præsuppositum quod Strozzij essent creditores. & nihilominus resolutum, quod per dictum articulū Illustrissimæ Dominæ probabatur mandatum Cardinalis. & non erat verum, quod esset descriptio partitarum in fauorem Strozziorum. quia immo dicebatur, quod essent in fauorem Cardinalis, ex quo pro Cardinale pecunię recipiebantur. & si fuisset anterior creditor Strozzijs, potuisset illos fructus à Strozzijs vindicare. Item non obstabat quod articulus non loquebatur vbi agebatur de spolio alterius, & sic vbi erat alius in possessione quia dicebatur quod articulus concernebat
2 depositarium, † qui non soluit sine mandato. & ideo respectu eius non consideratur quod alius spolietur; sed tantum consideratur quod ipse non soluisset, nisi de mandato Cardinalis. Itẽ non obstabat quod Strozzij soluerent sibi ipsi. quia dicebatur quod in hoc ipsi repręsentabant personam duorū.
3 Et ideo tanquam depositarij † non poterāt opponere exceptionem compensationis, Cardinali siue eius heredibus, prout dicit Bal. & Salicet. in l. eius, C. de compens. Socin. cons. 149. colum. 2. vers. circa tertium, volum. 1.

SVMMARIVM.

Vide ex quibus clausulis non possit exprimi defectus natalium.

1 *Natalium defectum patiens est incapax beneficij curati, & prouisio facta tacito tali defectu est nulla.*
2 *Clausula, quod orator obstantia sibi exprimere possit, quæ respiciat.*
3 *Dispensatur difficilime cum patiente defectum natalium.*
4 *Natalium defectus in generali derogatione obstantiarum non intelligitur sublatus.*
5 *Successor, an possit declarare mentem prædecessoris, & num. 8.*
6 *Actum faciens quando sit verisimile, quod facere voluerit omni meliori modo, & num. 7.*

DECISIO CCLXXI.

Patiens defectum natalium, obtinuerat nouam prouisionem, non faciendo mẽtionem expresse de defectu nataliū. & ideo
1 dicebatur noua prouisio subreptitia, † ex quo super beneficio curato. iuxta text. in cap. 1. de fil. presbyt. in 6. Tamen ex aduerso dicebatur quod virtualiter erat facta mẽtio. ex quo in clausulis dicebatur. & quod obstantiæ oratoris, ac ius & titulus oratoris, ac aliorum quorumcumque habeantur pro expressis seu exprimi possint. & inferius dicebatur, liceatque oratori si videbitur, infectum titulum suum, ac causas infectionis exprimere. Et sic per istas clausulas dicebatur quod talis defectus, virtualiter erat expressus. Fuit resolutum contrarium in vna Paduana parochialis de Aggere magno, coram D. Thoma de Thanis. 6. Martij 1542.
2 Quia illa verba, † obstantiæ oratoris, respiciunt tantū obstantias beneficiales. Non autem per hoc potest exprimi obstantia, quæ prouenit ex defectu natalium. Et quod sit verum probatur. quia possunt esse obstātiæ prouenientes ex crimine; & prouenien-
3 tes ex origine. & sic ex defectu † natalium. cum primis facilius dispensatur quam cum secundis. vt per glos. communiter ibi approbatam. in c. 1. in verbo sedis Apostolicæ. de fil. presbyt. in 6. Et ideo eum in vna facilius dispensetur quam in alia, in illa gene-
4 rali mentione † obstantiarum, non veniet ista obstantia proueniens ex defectu natalium. & quia in eadem noua prouisione, ille impetrauerat eum oportuna dispensatione ad duo, seu, si melius oratori videbitur, de vnione. Et quia dispensatio non valebat, attento quod, vt superius dictum est, non fiebat mentio de defectu natalium, dicebat successor, quod ipse poterat declarare quod prædecessor tenuerat beneficiū vt vnitum. quia præsupponebatur, quod in vnione non erat necessaria mentio defectus natalium. & dicebatur quod licet successor
5 non † posset declarare mentem prædecessoris. ad glos. in l. Idem Pomponius scribit. si frumentum. ff. de rei vendic. tamen illud nō est verum vbi ex verisimilibus coniecturis declaratur. secundum Bart. in l. inter stipulantem.

lantem, §. si Stichum.colnm.fin. circa finẽ. ff. de verb.obligat. & ibi Iason. col.pen. Verisimilis autem mens erat, quod quis volue
6 rit facere actum, † meliori modo quo valere posset. iuxta text. in l. 3. ff. de milit. testamen. Et quia actus non valebat in vim dispensationis, ergo debebamus interpretari, quod ab initio impetrans, valere voluit in vim vnionis. secundum quem modum præsupponebatur non esse necessariam mentionem defectus natalium. Tamen contrarium fuit resolutum. & dictum quod illud procedit, vbi quis facit actum purum, prout procedit text. allegatus per Bart. in d. §. si Stichum. nam tunc verum est, quod tunc licet
7 sumere † declarationem ex verisimili coniectura. Sed hic actus erat conditionalis. videlicet, seu si melius videbitur de vnione, &c. & conditio nil ponit in esse. l. si quis sub cõditione dandorũ decẽ. ff. si quis omiss. cau. &c. Et ideo cum actus esset factus conditionaliter, & nil poneret in esse, successor qui volebat declarare mentem defuncti, tractabat de declaratione, quæ consistebat in
8 mera † voluntate. quæ, vt fatetur ibi Bart. & Iason, per successorem fieri non potest.

SVMMARIVM.

Quando in commissione dicitur, prout iurare paratus est si opus fuerit, & in signatura non sit extensio recepto iuramento.

1 *Iuramentum perhorrescentiæ quando præstari debeat. & non præstitum reddat sententiam nullam.*
Iuramentum perhorrescentiæ, an possit præstari in quacumque parte iudicij.

DECISIO CCLXXII.

IN vna Florentina pecuniaria, coram D. Marsicano, die 6. Martij 1542. in qua Petrus Paulus Arditius, nomine vxoris, attento quod vxor erat Notarij Cameræ, & quia agebatur de summa mille ducatorum, & per hoc restabat litigare in Ciuitate Florentina, in qua non sperabat consequi iustitiæ complementũ, prout parata erat si opus fuerit. & obtinuerat committi causam in Curia Auditori Cameræ contra clericum Florentinum, & iuramentum perhorrescentiæ non fuerat præstitum ab initio, sed in fine ante sententiam. Fuit dubitatum An ex hoc, sententia esset nulla. Et conclusum
1 quod † de iure communi erat nulla. per tex. in c. statutum, §. cum vero. de rescript. in 6. Nec obstabat, quod istud iuramentum, poterat præstari in quacumque parte iudicij, prout dicit Cassador. decis. 1. de iureiuran. quia istud est vigore Innocentianæ, quę non habet locum extra Rotam, & sic coram Auditore Cameræ. Tamen fuit dictum, quod ex quo in commissione fuit dictum, si opus fuerit, & in extensione non fuerat extẽsum, recepto dicto iuramento, & sic signatura non existimauerat iuramentum necessariũ, nec etiam iudex existimauit in principio fore necessarium, ideo potuit præstari quandocumque. quia existimabatur quod iudex putauerit fore necessarium. & idem fuisset per istam rationem si non fuisset pręstitum. quia fuisset dictum, quod non erat opus.

SVMMARIVM.

Excommunicatus non facit fructus suos.

DECISIO CCLXXIII.

SExta Martij 1542. coram D. Sarnensi in vna Brixiensi fructuum, inter Patriarcham Constantinopolitanum ex vna, & magnum Hospitale Brixiæ ex alia. fuit conclusum, excommunicatum, percipiendo fructus, non facere suos. per decis. 8. de senten. excom. in antiquis. & text. in c. pastoralis. §. verum. vbi Abb. col. 4. & sequen. & communiter DD. de appellat. Felin. in cap. Apostolicæ, colum. 5. de exception. Ripam in c. 1. col. 12. vers. octauo nota. &c. de iudic. Io. Copum in tract. de fructibus. pag. 261. sub rub. quod excommunicati, fructibus suorum benefic. priuentur.

SVMMARIVM.

Extrauagantis non publicatæ probabilis ignorantia.

1 *Extrauagantis non notæ probabilis ignorantia.*
2 *Decretum an afficiat ignorantes, & quãdo.*
3 *Extrauagantem, seu statutum, non esse vsu receptum, quis probare debeat.*

DECISIO CCLXXIV.

DEcimatertia Martij 1542. in vna Brixiensi donationis fructuum, coram D. Sarnensi fuit resolutum quod ignorantia extrauagantis, Iulij de annatis soluendis, licet haberet decretum irritans quod afficit ignorantes, tamen ex quo non constabat de eius publicatione, non afficeret Patriarchã Constantinopolitanum quo ad pœnas censurarum, & priuationis beneficiorum. quia
1 extrauagantis † non notæ probabilis est ignorantia. vt per Felin. in c. 1. col. 5. versic. limita quarto. &c. cum sequen. col. versic. secundus casus est. de re iudic. Ias. in l. cum prolatis. col. 2. ff. de re iudic. & licet decre-

2 decretum † afficiat ignorantes . c. tibi qui.
de rescript. lib.6.non tamen afficit ante pu
blicationem, vel ante conditionis euentum.
secundum Felin. in c.cæterum.col.23. ver-
sic.collationis gratia . de rescript. Et licet
decretum afficiat ignorantes quo ad annul-
lationem actus, non tamen quo ad pęnam.
glos.in c nolentes. in verbo, ex nunc.de hæ-
ret.in 6.Felin.in d.c.cæterum.col.21. in ver
sic. prima restrictio. &c. Et quis teneretur
3 probare,† extrauagantē * esse vsu receptā,
vel non, vide quæ dicit Gozad. cons.16. In
hac causa. &c. col.pen. versic.sexto & vlti-
mo dico. &cæt. Dec. cons. 534. proceden-
do. colum.pen. versic. non obstat quod di-
ctum. &cæt. vol. 3. & 649. col.2. Bertran.
cons. 195. pro breuiori. colum.pen. versic.
ad tertium quæsitum. &c. vol. 1. nouorum
consiliorum.

* Extrauagātem, seu statutū, nō esse vsu receptū, quis teneatur probare.

SVMMARIVM.

Testis qui dicit, quod locatiò macellorum fuit facta vniuersitati Hebręorum quia vidit non pròbat.

1 *Testis deponens super his quæ percipiuntur iudicio intellectus, & non corporis, quomodo deponere debeat.*

DECISIO CCLXXV.

FVit conclusum, die 13.Martij 1542. in
vna Romana Macelli,coram D.Io.Pau
lo, quod testis qui dicit locationem macel-
lorum factam fore vniuersitati Hebræorū
quia vidit, non probare. quia cum deponat
1 super ijs † quæ percipiuntur iudicio intelle
ctus, & non corporis,nisi deponendo,etiam
non interrogatus, reddat rationem ex qua
inferatur ad ius, non probat. vt per Felin.
in c.cum causam. 1. col. 2. de testib.

SVMMARIVM.

Consuetudo interpretatiua in modo procedendi, Regularium quanto tempore præscribatur.

1 *Contra Regulares de iure proceditur iuris ordine non seruato.*
Consuetudo vt ita procedatur, an interpretatiua.

2 *Consuetudo interpretatiua, an requirat præscriptionem, vel sufficiat obseruantia.*

DECISIO CCLXXVI.

VOluerūt Domini die 17.Martij 1542.
in vna Spolij habitus inter Fratres
S.Saluatoris ex vna, & Don Georgium ex
alia,agētem ad restitutionem habitus,quod
ex quo fratres habebant constitutionem,
in qua eorum arbitrio poterant fratres eij
cere, & consuetudo, seu obseruantia eorum
quæ probabatur per 38. annos obseruata
quod in eiectione eorum procedebatur sine
scriptis comburendo processus,ne delicta fie
rent manifesta,quod ex quo talis consuetu-
do erat interpretatiua, seu declaratiua, &
non contra ius, cum de iure per text. in c.
qualiter, & quando. in fine. de accusation.
1 contra regulares procedatur † iuris ordine
non seruato. & illam non obseruantiam iu-
ris, consuetudo erat interpretata vt sine
scriptis,& comburendo processus, quod ta-
le tempus sufficeret. Immo dicebatur,quod
etiam quod non probaretur tanta præscri-
ptio temporis,ex quo eramus in cōsuetudi-
2 ni interpretatiua,† sufficeret probare obser
uantiam absque præscriptione. per ea quæ
dicit Alex. cons. 107. col.pen. volum. 2. So-
cin. cons.111.col. pen. & Rochus de Curte
in rub. de consuetud. in 4. quæst.

SVMMARIVM.

Statutum Vrbis excludens sorores propter fratres quomodo intelligitur.

1 *Statutum excludens fœminam dotatam, an solum intelligatur excludere ab hæreditate dotantis.*

2 *Statuti Vrbis. cap.24. de success. ab intest. intellectus.*

DECISIO CCLXXVII.

LIcet Bal. dicat in l.1. C.de legit.hæred.
1 quod statutum excludens fęminā † do-
tatam, intelligitur à bonis dotantis; tamen
vt Bal. ibi dicit,intelligitur nisi statutum
vlterius procedat. & ideo dixerunt Domini
die 17.Martij 1542. in vna Romana bono-
rū, pro Francisco Flores, contra Brigidam,
2 quod Statutum Vrbis in nouis † reforma-
tionibus c. 24. sub rub. de success. ab inte-
stato, quod incipit, defuncto. &c. proce-
deret etiam in bonis fratris non dotantis.
quia statutum vltra processit, specificando
personas à quibus voluit statutum exclude
re. prout ita voluit Alex. cons.29. col.pen.
vol.1. Iason in l. vt liberis. col.2. C.de col-
lat. & vide late de isto articulo per Bru-
num in tract. de statutis excludentibus fę-
minas propter masculos.in 8.articulo quæ-
stio.16. & facit quia Statutum dicit, dum-
modo fratres sint parati dotare. ergo non
potest intelligi in bonis fratris dotantis.

SVMMARIVM.

Verba, speretque agricultores, inibi habitare, quomodo intelligantur.

1 *Gratia an reddatur subreptitia, si species narrata in impetratione euanescat.*
2 *Gratia an corruat si corruat causa ob quam Papa motus fuit ad concedendum.*

DECISIO CCLXXVIII.

DVbitaui ego 17. Martij 1542. præsupposito quod testes probent locum esse inhabitabilem, An littere sacræ Pænitentiariæ dum in eis dicitur, speretq. postmodum agricultores & alios in futurum inibi habitare.&c.essent subreptitiæ. Pro parte negatiua dicebatur, quod affirmatiue non dicebatur, quod ibi posset habitari, sed tantum
1 † quod sperabat. licet ergo illa spes postea euanescat, tamen per hoc non censebantur litteræ subreptitiæ. Tamen contrarium fuit resolutum. nam cum ex litteris colligatur, quod ex nulla alia causa fit Papa motus ad concedendum decimas pro illa tertia parte Alphonso; nisi quia ibi sperabat facere domos habitabiles, & sic parochiam facere, si illa causa deficit propter quam causam Papa primæ parochiæ in decimis præiudi-
2 cabat, sequebatur † quod causa existente falsa, gratia corruerit. per Abb. in c. quia circa. de consang. & affin. Card. cons. 96.

SVMMARIVM.

Fratres Prædicatores capaces bonorum vt vendant.

DECISIO CCLXXIX.

DIe 17. Martij 1542. In vna Abulensi bonorum, coram D. Thoma, fuit resolutum, quod fratres Prædicatores essent capaces bonorum, vt venderent, non vt retinerent; secundum gloss. communiter approbatam in c. 1. §. confirmatos. in verb. domum. de religios. domib. in 6. & ibi Domin. & Franc. Felin. in c. in præsentia. col. 23. vers. secunda cõclusio, & ibidẽ Dec. col. 37. num. 78. vers. secunda cõclusio. &c. de probation. Dec. cons. 559. vbi dicit, quod ista conclusio est vera, de iure & de consuetudine. & ibi loquitur in fratre succedente.

Tutor ante confectionem inuentarij potest actorem deputare.

1 *Tutor, licet vt suspectus remoueri possit, ante confectionem inuentarij, an interim tutor sit, & administrare possit.*
3 *Actor deputatus à tutore qui remoueri poterat, an causam appellationis prosequi possit.*
4 *Decretum iudicis in causa priuati, an respicere possit futuras lites.*
Quid in causa Vniuersitatum.

DECISIO CCLXXX.

IN vna Bononiensi coram D. Aquensi die 17. Martij 1542. fuit resolutum, quod tutor ante confectionem inuentarij, potest
1 deputare actorem † ad litem, & illa deputatio valida est. per dictum Bar. in l. tutor qui repertorium. col. 2. ff. de administ. tutor. vbi si tutor administret ante confectionem in-
2 uẽtarij, † licet possit remoueri vt suspectus, tamen interim tutor est, & sic administrare poterit. & ponit late Dec. in c. ex par. 2. col. 2. de appellat. Item fuit dictum quod si tutor deputasset actorem ad lites etiam futu-
3 ras, * quod actor causam † appellationis prosequi potuisset. per dictum Salicet. post Iac. Butr. in l. si actor. C. de appellation. & quod decretum in causa † priuati potest re-
4 spicere futuras lites, secus in causa Vniuersitatum. secundum Bart. & Ang. in l. item eorum. §. sed si. ff. quod cuiuscunq. vniuersit. nomine.

* Actor datus, etiã ad futuras lites, potest causã appellationis prosequi.

SVMMARIVM.

Vide an in isto casu probetur mandatum.

1 *Testi deponenti in causa propria, vel ad sui exonerationem, non est credendum.*
2 *Commissionem habuisse dicenti, vel de commissione fecisse, an credendum.*
Notario qui dicit se habuisse commissionem de aliquo, an credatur.

DECISIO CCLXXXI.

DIe 20. Martij 1542. in causa Romana viginti millium, fuit per me positum dubium in Rota, posito quod Leonardus esset familiaris Episcopi Aesini, An ex eo quod dicit exigisse de mandato Episcopi, & Episcopus dicit, Ducem fructus exigisse vsque ad obitum Clementis, probetur mandatum Episcopi in personam Leonardi. Et fuit resolutum quod non. principale fundamentum quia Episcopus Aesinus deponendo dicebat se exigisse de anno 1531. aliquot mẽses; & ex partitis productis pro parte Illustrissimæ apparebat quod de dicto anno Episcopus per se exegerat per tria bimestria. & post dicebat Episcopus, quod exegerat Episcopus de Gambara, & tertio loco Baro

de

de Burgo. & sic Episcopus nullam mentionem faciebat, quod Leonardus, de mandato suo exegisset. Et ideo dicto Leonardi, dicentis se exegisse de mandato Episcopi, non
1 erat † standum. tum quia deponebat in causa propria, tum quia ad sui exonerationem. & dicenti se habuisse commissionem aliquid
2 faciendi, non creditur. † vt patet in Notario qui dicit se habuisse commissioné de aliquo. vt per DD. in l. 2. C. de eden. tum quia per depositionem Episcopi, excludebatur mandatum in personam ipsius regulariter.

SVMMARIVM.

Canonici vbi habent curam animarum, cura manet penes Collegium, non autem penes singulos.

DECISIO CCLXXXII.

Die 20. Martij 1542. fuit * resolutũ coram Sarnensi in vna Vrgellensi canonicatus, & præbendæ, quod cura animarũ, quæ pertinet ad Canonicos Collegiatæ Ecclesiæ, dicitur pertinere ad Collegium, non autem vnicuique Canonico de per se, itaut Canonicatus dicatur curatus. & fuit allegatum cons. Oldrad. 67. de quo meminit Felin. in c. in nostra. colum. 12. in fin. verbis. de rescript.

* Vide ad istã decis. Cassador. decis. 11. de præbẽ. Stafil. in tract. de liter. grat &c. fol. 47. pagin. 1. vers. Sic. requiritur & tertium.

SVMMARIVM.

Festiuitas diei, non facit delictum esse atrocius.

1 *Capitulum si potest cognoscere de leuibus criminibus, an prohibeatur cognoscere crimen leue perpetratum die festiuo.*
2 *Iniuria ratione temporis, & loci, an efficiatur atrox.*

DECISIO CCLXXXIII.

In vna Segobiensi iurisdictionis, die 20. Martij 1542. fuit resolutũ corã D. Marco Antonio * quod festiuitas diei, non faceret quod delictum, ex hoc solum quod in die festo esset commissum, esset atrocius, itaut
1 si prius Capitulum † posset cognoscere de leuibus criminibus, non ideo delictum diceretur esse atrox ideo, quia in die festo esset commissum. nam licet text. in l. prætor ait. §. atrocem. ff. de iniu. & in §. atrox. inst. de
2 iniur. dicant, atrocem † esse iniuriam ratione temporis, tamen text. exemplificat, vtputa si in theatro, & in præsentia Magistratus. ita quod considerat multitudinem adstantium. & ideo non concurrit sola qualitas temporis, sed etiam alia.

* Vide tamen Abbat. in capit. 4. in 2. notab. qui cleric. vel vouent. & ibi in addit. ad eũ.

SVMMARIVM.

Vide quando à principio est canonizata præsentatio, si postea apparet nulla, & debeat canonizari noua prouisio, an debeat esse prima, vel tertia instantia.

1 *Sententia canonizans nouam prouisionem, an debeat esse prima, vel tertia, & nu. 3.*
2 *Sententia an possit confirmari in secunda instantia ex noua causa, & quomodo.*
3 *Ius quod apparet nullum, non potest canonizari.*
4 *Sententia tertia, quando dicatur in eadem causa proferri.*
5 *Expectatiua quando canonizari possit cum inde sequutis.*
6 *In beneficialibus quis videtur deducere etiã ius quod competere potest. nec videtur se restringere ad certam causam.*

DECISIO CCLXXXIV.

In vna Abulen. Cappellaniæ corã D. Io. Paulo, erat canonizata præsentatio per duas sententias. & quia in tertia instantia erat productus processus de partibus, licet in duabus instantijs esset præfixus terminus ad docendum de illo, ex quo processu apparebat quod illa præsentatio erat nulla, ideo habens præsentationem produxit nouã prouisionem, ex qua apparebat de bono iure ipsius. ideo petebat duas sententias confirma
1 ri. Fuit dubitatũ An sententia † canonizans nouam prouisionem, deberet esse prima, an tertia. & videbatur quod tertia. quia sententia potest confirmari in secunda instantia
2 ex † noua causa. l. fin. vbi Bart. ff. quod cum eo. Tamen ad istud respondebatur, quod illud procedebat quando illa noua causa, esset implicita in primo processu. per id quod not. Alex. in l. si is ad quem col. pen. num. 16. vers. item in quantum Bart. & alij. ff. de acquir. hæred. Fuit resolutum, quod sententia
3 debebat esse prima. † nam cum præsentatio cum inde sequutis, foret canonizata in duabus instantiis, & sic certum ius esset canonizarum, modo quod apparebat illud ius esse nullum non poterat amplius canonizari. sed canonizanda erat noua prouisio. & sic cum esset diuersum ius debebat esse prima sentẽ
4 tia, non autem tertia. † quia tunc diceretur tertia, quando super eodem iure non autem diuerso esset data. arguméto glos. in Cle. 1. in verbo, tres. & in verbo, alicuius. de re iudic. Et licet præsentatio esset canonizata cum inde sequutis, tamen dicebatur quod illa veniebant accessorie, nunc autem noua prouisio principaliter canonizabatur. & li
5 cet expectatiua † canonizetur cum inde sequutis, & illa, in tertia instantia possit confirmari

firmari ex alio iure; dicebant Domini quod illud erat, quia & gratia expectatiua, & acceptatio erant bonæ; non autem quando ap
6 pareret de nullitate earum. Item licet, † in beneficialibus quis videatur deducere, etiã ius quod competere potest, & quis non videtur se restringere ad certam causam, vt per Aegid. decis. 662. tamen illud est verum quando certum ius non est à principio canonizatum, prout erat hic.

SVMMARIVM.

In reseruatione regressus ob non solutionem, non requiritur consensus.

DECISIO CCLXXXV.

IN vna Comensi coram D. Io. Paulo 20. Martij 1542. fuit resolutum quod regressus, ob non solutionem potest, reseruari dato quod non constet de aliquo consensu. quia dicitur apponi in pœnam, & accessorie. Item, & secundo. quia regressus ob non solutionem, datur eo tempore, quo quis est beneficio priuatus, & quo tempore iam sua non interest. ideo non requiritur eius consensus.

SVMMARIVM.

Clausula maior, & verior, facit quod loco simplicis beneficij, possit exprimi curatum.

DECISIO CCLXXXVI.

* Idem fuit resolutum, corã me in vna Salmantina pro Io. Solano contra Petrũ Martini die 3. Martij 1544. in qua Sebastianus Moreno, resignauerat beneficiũ simplex seruitorium, in parochiali Ecclesia de Palatios, cum clausula, maior, & verior, nuncupat qualitatea, &c. Et fuit dictum quod poterat expediri Bulla, quod beneficium esset curatum.

FVit dictum in vna * Paduana Parochialis de Aggere Magno, corã D. Thoma 20. Martij 1542. Quod vigore clausulæ, ꝙ maior & verior specificatio qualitatum, &c. quod si in noua prouisione erat dictum de Cappellania poterat expediri Bulla de parochiali, & quod ita dicebat Commentator regularum super regula quod qualitates essent exprimendæ in impetrationibus super regula 63.

SVMMARIVM.

Vide ex quibus non fuit probatum mandatum in personam Episcopi Aesini.

1 *Partita ex libris extracta parte non citata non probant.*
2 *De mãdato alterius fecisse dicẽti, nõ creditur. Notario asserenti se fecisse de commissione, non creditur.*

DECISIO CCLXXXVII.

PRoposui ego dubium in causa Romana vigintimillium die 24. Martij 1542. An ex partitis * per Episcopũ exactis, vna cum dictis testium, probetur mandatum in personam Episcopi. Et primo fuit dictum
1 quod † partitæ non erant in forma probanti, quia extractæ ex libro per Leonardum Regulum parte non citata, & sic non probabant Item, & secundo Leonardus dicebat, quod credebat se extraxisse ex originalibus, & sic non expresse affirmabat. Tertio, quia dicebat quod non integraliter extraxerat, sed annotando diem, mensem, & quantitatem. Et tamen propter præcedentes partitas in quibus dicebatur de mandato Datarij, & Ducis, ex quibus apparebat quod Duci quod non erat quæsita possessio intererat multum, quod integraliter partitas extraxisset. quia si illæ quæ cantabant in personam Episcopi, etiam erant de mandato Ducis, & Datarij, sequebatur quod non constituebant Ducem solum in possessione exigendi. Secundo dicebatur quod dictum Episco-
2 pi dum dicebat † se de mandato Ducis exegisse, non probabat mandatum. & dicenti se fecisse de commissione alterius nõ creditur. prout in Notario dicenti se fecisse de commissione. vt per Io. And. in regula, cũ quid. in Mercurialibus in 6. Bal. in l. Iudices ad finem. C. de fide instrum. & modernos in l. is apud quem C. de eden. Item contra Episcopum, dabantur & aliæ exceptiones. de quibus in informationibus.

* Postea productis partitis in forma probanti, & causa iterum posita. An ex partitis, & dictis testium, & attento quod probabatur Episcopũ esse agetẽ Ducis, fuit resolutũ, quod probabatur mandatũ, in personam Episcopi.

SVMMARIVM.

Quot personæ faciant multitudinem, vt delictum in multitudine paratum dicatur atrox.

1 *Delictum leue, efficitur graue ratione loci, & multitudinis populi.*
Multitudo populi, quomodo accipiatur ad istum effectum.
2 *Delictum leue, propter notorietatem an efficiatur graue.*

DECISIO CCLXXXVIII.

PRoposuit D. Marescotus 24. Martij 1542. supposito quod delictum * leue
1 efficiatur † graue, ex eo quod committatur in loco vbi est multitudo populi, quot personæ multitudinem dicerentur facere. & inclinarunt Domini, quod licet multitudo varijs modis accipiatur, & post plures declarationes, hoc tamen arbitrio iudicis remittatur vt per glos. & DD. in c. latores. de cleric. excommun. & ibi Henric. Boi. Io. de Anan. in c.

* Facit quod dicit tex. in c. vnic. in fin. cũ glo. fin. 10. q. 3

in c. tuam col. 3. de simon. Alex. in l. licet Imperator. de leg. 1. Card. Alex. in c. vidua.
2 34. dist. tamen in casu isto, ex quo † propter notorietatem, delictum leue efficiebatur graue. vt per Abb. in cap. cum illorum. col. pen. vers. in fine glos. de senten. excom. & deli-
3 ctum † quod in præsentia decem personarũ committitur, dicitur esse notorium. vt est glos. in c. de manifestat. 2. quæst. 1. cum qua Archid. Gemin. & Moder. ibi transeunt. & Moder. in c. cum oporteat. col. 9. vers. Item adde Bal. &c. de accusat. Ergo delictum factum coram decem personis, dicetur coram multitudine factum.

SVMMARIVM.

Nobilitas ad effectum regulæ prærogatiuatum, quomodo probetur.

1 *Nobilitas ex antiquo quomodo probanda.*
2 *Quomodo, quando agitur de simplici.*

DECISIO. CCLXXXIX.

Vigesimaquarta Martij 1542. in vna Abulensi, beneficij del Barco, coram D. Thoma de Thanis, fuit resolutũ, ꝙ quo ad effectum regulæ præferentis nobiles. &cæt. sufficiebat quod nobilitas probaretur secundum communem, & vulgarem modum loquendi. videlicet ex stirpe. & non requiritur ex stirpe multum magna. vt per Staphil. in tract. de lit. grat. & instit. fol. 121. pag. 1.
1 Et licet quãdo agitur † de nobilitate ex antiquo, oporteat probare non solum de patre auo, & maioribus. vt per Pet. Rebuff. in tract. nominat. pag. 75. in 12. quæst. princ. col. 1. vers. septimo quæro. &c. Tamen secus est quando agitur de simplici nobilitate
2 vt † per eumdem Rebuff. in dicto loco, in sequenti pag. col. 1. vers. nec obstat quod deponant de patre. &c. & vide Felin. in c. super eo. 2. col. 2. vers. secunda qualitas est nobilitas. &c. de testib.

SVMMARIVM.

Possessio præsentandi, an præseruetur per alium compatronum præsentantem, & an iuspatronatus.

1 *Compatronus præsentans. An non solum acquirat sibi possessionem, sed etiam alteri compatrono.*

DECISIO CCXC.

* Et 5. Martij 1544. in vna Mediolanen. pro D. Bernardino de la Cruce, fuit coram me resolutum, quod per collationes capituli factas ab anno 1472. vsque ad annum 1518. nõ esset præseruata quasi possessio conferendi Archiepiscopi Mediolanensis, de qua non cõstabat quia licet de iure Archiepiscopus habeat intentionẽ fundatam quo ad ius conferendi. & sic quoad proprietatẽ, non tamen quo ad possessionem. secundum Abbat. in cap. olim. el 1. col. 2. circa princ. de restit. spoliat.

Fvit resolutum * in vna S. Andreæ, Canonicatus & Præben. coram D. Maceratense, die 24. Martij 1542. Quod vbi sunt duo compatroni per præsentationem factã
1 ab † vno, si alter compatronus non est in possessione præsentandi, non potest dici, quod eius possessio præseruetur. per ea quæ dicit Dec. consil. 129. colum. pen. vers. non obstat. quod electio facta. & quia quod nõ est præseruari non potest. Sed po-
2 tius esset quærẽdum An vnus † cõpatronus præsentans non solum quæ rat sibi possessionem, sed etiam alteri compatrono. & istud videtur dependere ab ijs, quæ dicit Bart. & alij in l. qui iure familiaritatis. & Paul. de Castr. in l. sequen. quæ incipit cõmunis seruus. ff. de acquir. possess. Bene tamẽ fuit dictum, quod si duo erãt patroni, quod vnus
3 eorum præsentando præseruabat ius † præsentandi alteri compatrono. per ea quæ dicit Federic. consil. 112. circa finem. Abb. consil. 54. col. 2. vers. per hoc etiam facti. &c. vol. 1. Calder. consil. 15. de iur. patr. Roch. de Cur re in tract. iurispatr. in verbo competens. quæst. 17. & quod dicit quæst. 20.

SVMMARIVM.

Inhibitio emanata vigore commissionis restitutoriæ, prout de iure, facit vt exequutio postea facta sit attentata.

DECISIO CCXCI.

Voluerunt Domini in vna Salamantina Parochialis de Mosueco, coram me, vltima Martij 1542. in qua erat lata vna sententia, quæ transiuerat in rem iudicatam. contra quam reus petierat se restitui, attẽto quod fuerat indefensus dolo procuratoris actoris, & signatura dabat, prout de iure. vigore cuius cõmissionis fuerat inhibitum. & non obstante inhibitione, index à quo, processerat ad exequtionem. quod illa exequutio veniret reuocanda per viam attẽtati; quia ex quo ex causa petebat restitui dato quod signatura daret, prout de iure interim quod disputabatur an erat sufficiẽs causa restituendi, vel non, pendebat lis, & ideo lite pendente nihil erat innouandum. licet contra videatur dicere decis. Rotæ 446. aliàs 62. de appellat. in nouis. quæ si bene videatur non obstabit. Secus dicebant Domini si non ex causa petijsset restitutionem, sed tantum ex priuilegio causæ beneficialis. cum in eis sententia non transeat in rem iudicatam. quia tunc sentiebant quod penderet à futuro cuentu.

SVM-

SVMMARIVM.

An narrans ætatem in prouisione debeat eam probare.

1 *In gratia expressa, impetrans tenetur iustificare.*
2 *Electionem impugnanti ex defectu ætatis, incumbit onus probandi.*

DECISIO CCXCII.

FVit dubitatum per me, eadem die vltima Martij 1542. in vna resignatione facta in fauorem Vincentij. in qua, Papa dicebat, tibi asserenti te constitutum fore in 14. anno. &c. An ipsi resignatario incumberet onus probandi, qui instabat pro absolutoria; an vero agenti, qui veniebat ex alio iure, & petebat ius suum canonizari, & opponebat contra resignatarium quod rempore resignationis non erat in illa ætate, & quod probaret. Domini respondentes dicebant, quod aut ambo veniebant ex eadem vacatione puta, vnus ex resignatione, & alius ex eadem vacatione alio titulo. & tunc resignatarius, dato quod instaret pro
1 absolutoria teneretur probare ætaté † narratam. quia tenebatur expressa iustificare. vt per Io. Andr. in c. 1. de lit. contest. in 6. & Felin. in cap. constitutus. in princ. de rescript. Aut vero ambo non veniebant ex eadem vacatione, sed secundus impetrauerat certo modo, & prætendebat quod beneficium vacaret, ex quo non expresserat certam ætatem. & tunc teneretur probare, illum non fuisse in illa ætate. per ea quæ Felin. in c. in præsentia. col. 12. vers. glos. in verbo. &c. de probat. vbi dicit, quod im-
2 pugnanti † electionem ex defectu ætatis, incumbit onus probandi. Alexan. conf. 149. colum. fin. vol. 5.

SVMMARIVM.

Collatio facta de Ecclesia, non comprehendit Ecclesiam curatam.

1 *Collatio non tenet, non facta mentione curæ. Etiam si collatio fiat motu proprio.*
2 *Collatio facta ab Ordinario an semper censeatur facta motu proprio, & quando.*
3 *Parochialis, an Ecclesia appellatione veniat in collatione.*
4 *In collatione beneficij an falsa demonstratio vitiet.*

DECISIO CCXCIII.

DIe 17. Aprilis 1542. in vna Paduana Parochialis de Aggere Magno, fuit conclusum corá D. Thoma de Thanis, quod collatio de Capellania, seu Ecclesia B. Mariæ de Aggere Magno, facta etiam ab Ordinario nó intelligeretur facta de Ecclesia cu
1 rata, quia nó fuit expressa † illa qualitas curæ. per text. in c. cum in illis. in princ. de præben. in 6. etsi collatio esset facta motu proprio. per id quod dicit Abb. in c. ad aures. col. 3. versic. si vero motu proprio. de rescript. & decis. Rotæ 111. in nouis 6. de præben. Et dictum fuit, quod non omnis
2 collatio facta ab Ordinario, † cēsebatur facta motu proprio, sed tantum ea, quæ erat facta ab Ordinario naturali & originario. puta Episcopo, Archiepiscopo. &c. per ea quæ dicit Cardinalis in Clem. 2. col. penult. versic. & per hoc habes singulariter notare. &c. de officio ordin. Non obstat quod collatio esset facta de Ecclesia Beatæ Ma-
3 riæ, & appellatione Ecclesiæ venit † etiam Ecclesia parochialis. c. licet canon. de electión. in 6. quia verum est cum adinncto, dicendo, Ecclesia parochialis. secus si simpliciter dicatur, Ecclesia. per text. in d. c. cum in illis. in princ. Non obstat quod ibi constaret de corpore: nam constabat quod Parochialis illa vacauerat per obitum Antonij Agallo, per cuius obitum fuerat prouisum per Capitulú de dicta Ecclesia. & ideo
4 falsa demonstratio, † non habebat vitiare. per ea quæ dicit Abb. in c. significante. circa finem, de rescript. quia respondebatur quod in isto casu, falsa demonstratio vitiabat ex defectu intentionis conferentis. quia licet intentio eorum, esset conferre Ecclesiam non curatam, non sequebatur quod vellent conferre curatam. & isto casu non procedit argumentum á maiori ad minus; sed bene e contra. & ita loquitur Abb. in d. cap. significante.

SVMMARIVM.

Vbi duæ subrogationes procedunt à Papa non est locus iudicio summario, sed ordinario.

Collatio an sit nulla si constet de corpore beneficij, non expresso quod esset curata.
1 *Tituli paritas vbi concurrit, littera Apostolicæ an habeant exequutionem paratam.*
2 *Subrogatus quando summaria sit immittendus in possessionem.*

DECISIO CCXCIV.

FRanciscus de Miranda, per obitum Ioánis de Anguiano, obtinuit sibi prouideri de Archidiaconatu Calaguritano, cum subrogatione etiam quo ad possessionem, Martinus Ximenes, qui litigabat cum Ioanne de Anguiano, obtinuit infra mensem gratiá si neutri, cum subrogatione etiá quo ad

 posses-

possessionem. & eam apprehenderat. Obtinuit Franciscus de Miranda commissionem, vt super possessione procederetur exequutiue contra Martinum. quæ cómissio per Martinum fuit reducta, prout de iure. & nouissime Franciscus obtinuit commissionem, in qua dicebatur, vt procederetur in possessione huiusmodi, prout iuris fuerit, & secundũ stylum Rotæ. & petebatur vt procederetur exequutiue. Fuit resolutum, quod, ex quo ambo veniebant ex eodem iure, scilicet ex pro
1 uisione Papæ, quod cessabat summaria † cognitio. & via ordinaria erat cognoscendum quis esset potior in iure. per doctrinã Bart. communiter approbatam. in l. fin. §. sin autẽ col. 6. vers. aut compareat aliquis. &c. C. de edict. Diui Adrian. tollen. Illud autem quod dicebatur, quod in istis proceditur exequutiue, erat si possessor, dato quod litigaret, cederet in fauorem alterius, cum subrogatione, etiam quo ad possessionem. Tunc sub-
2 rogatus † summarie erat immittendus: quia in tali casu non essent duo qui venirent ex eodem iure. Et ita fuit resolutum 21. Aprilis 1542.

SVMMARIVM.

Atrox iniuria dicitur, coram persona iurisdictionem habente commissa, secus coram quacumque persona dignitatem habente.

2 *Multitudo personarum, an præsumatur semper adesse coram persona iurisdictionem habente.*
3 *Ex iniuria illata coram persona in dignitate constituta, an dicatur inferri & ipsi iniuria.*
Socius itineris, an agat actione iniuriarum pro iniuria illata socio.
4 *Iniuria an dicatur atrox ratione personæ, quia illata per minorem maiori, & num. 5.*
6 *Iniuria commissa coram Archidiacono, seu Decano, an atrox.*
7 *Archidiaconus an habeat iurisdictionem.*

DECISIO CCXCV.

FVit conclusum in vna Segobiensi iurisdictionis, 21. Aprilis 1542. quod iniu-
1 ria facta coram persona † habente iurisdictionem diceretur atrox. per §. atrox. instit. de iniur. & l. Prætor ait. §. atrocem. ff. de iniur. Et hoc siue propter multitudinẽ, quæ
2 præsumitur adesse circa † tales personas iuxta not. in l. omnium, C. de test. quæ etiã ad iudicem extenditur. vt per Paul. de Castr. in d. l. omnium. & Iason in l. certum, col. 5. C. vnde legit. siue propter reuerentiam quam Magistratibus debemus. vt per Bart. & glos. in l. vt vim, ff. de iust. & iur. Tamen fuit dictum, quod si dicta iniuria fieret coram quacumque alia persona in quacumque dignitate constituta, dum tamen nõ haberet iurisdictionem contentiosam, puta coram Episcopo, vel Archiepiscopo alterius diœcesis, vel alia quacumque persona in dignitate constituta, quod per hoc iniuria nõ diceretur atrox, respectu personæ principaliter iniuriatæ. quia hoc non reperiebatur in iure. nam licet, quando infertur iniuria alicui in præsentia personæ in dignitate cõ-
3 stitutæ, dicatur etiam † iniuria inferri illi personæ in dignitate constitutæ. argumẽto eius quod dicit Alex. in l. itẽ apud Labeonẽ. §. pen. ff. de iniur. puta de iniuria illata socio itineris, vt socius possit agere actione iniuriarum, si eam ad animum reuocat. & ita isto casu, persona in dignitate constituta, possit agere si eam ad animum reuocat.
4 & illa iniuria dicatur † atrox ex qualitate personæ, puta quia illata per minorem maiori. vt per Paul. de Castr. in l. sed si hac §. Prætor ait. ff. de in ius vocan. & est tex. in l. sed est quæstionis. in verbo persona atrocitatem delicti faciente. ff. de iniur. & per Bal. in auth. habita. col. 4. C. ne filius pro patre, dum dicit, quod iniuria per minorem
5 maiori † illata, grauius est punienda. iunctis ijs quæ dicit Alex. cons. 203. vol. 2. Tamen fuit conclusum, quod respectu principaliter iniuriati, iniuria, ex eo quod esset commissa coram persona in quacumque dignitate constituta non habente iurisdictionem non esset atrox. coram D. Marescoto.

Et die 24. Aprilis 1542. in eadem Segobien. fuit resolutum, quod iniuria commis-
6 sa, † coram Archidiacono, seu Decano, seu quocumque alio actu, iurisdictionem habente, de iure vel consuetudine, esset atrox. per ea quæ supradicta sunt. & quod Archi-
7 diaconus † haberet iurisdictionem, est text. cum glos. in cap. 1. & in cap. ad hæc. de offic. Archid.

SVMMARIVM.

Bulla Archiuij annullans instrumenta rogata in Vrbe per Notarium non matriculatum, quo casu non fuerit vsu recepta.

DECISIO CCXCVI.

DIe 21. Aprilis 1542. circa Bullam quæ habet, quod instrumenta rogata per Notariũ non matriculatũ, non faciant fidẽ. & quando instrumenta non sunt transportata ad Archiuium, quod non faciunt fidem, sed quod Notarius vt falsarius sit puniendus, &c. Fuit resolutũ per testes examinatos

in vna

in vna Romana domus, inter Illustrem Claudiam de Sabellis ex vna, & Episcopum Soderinum Sanctonensem ex alia, coram D. Mohedano, fore probatum, illam Bullam non esse vsu receptam, quando constaret de legalitate Notarij, & de veritate rei. videlicet, rem esse factam, licet non constaret de tenore rei factæ, prout erat in illo casu. in quo Petrus Soderinus fecerat testamentum, de quo fuit rogatus quidam Henricus, qui non erat matriculatus in Archiuio, & sic dabatur de Bulla Archiuistarum, quod tale testamentum non faciebat fidem. Fuit dictum, quod ex quo testes deponebant de legalitate Notarii, & quod fuisset factum testamentum, licet eius tenorem non probarent, quod testes probarent, Bullam isto casu non fuisse vsu receptam.

SVMMARIVM.

Sequestrum appositum pro vno in causa petitorij contra intrusum, non debet relaxari in fauorem alterius, obtinentis in possessorio.

1 *Sententia lata in possessorio, non præiudicat ei qui egit in petitorio.*
2 *Sequestrum an possit apponi, lata vna sententia in petitorio, licet lata fuerint tres super possessorio.*
3 *Exequutio sententiæ an possit fieri contra alium absque nouo iudicio.*
4 *Exequutionem rei iudicatæ, super spolio, an impediat tertius, qui non spoliauit, sed mouit causam in petitorio.*

DECISIO CCXCVII.

* Vide sup. decis. 103.

Lite pendente in prima instantia * inter Io. de Porras, Alphonsum Diaz, & quosdam intrusos super quodam beneficio Carthaginiensi de Villena. Alphonsus Diaz suspendit petitorium. quæ suspensio petitorij, quo ad Io. Porras, fuit reuocata per præfixionem termini. & tandem Io. Porras contra intrusum procedendo, obtinuit vnã sententiam contra intrusum super petitorio, & obtinuit sequestrum apponi, iuxta Clementinam, ad compescendas. Postea Alphonsus Diaz contra intrusum procedẽdo super possessorio, obtinuit tres sententias, & petebat vigore illarum, sequestrum pro parte Io. de Porras appositum in eius fauorem relaxari. dicens, quod cum obtinuisset super spolio, erat penitus reintegrandus & restituendus, & sic sequestrum in eius fauorem relaxandum. Tamen prædicto fundamento non obstante in vna Carthaginien. beneficii de Villena inter prædictos, die 21. Apr. 1542. coram D. Marsicano, fuit resolutum, sequestrum non fore relaxandum. quia † sententiæ latę super possessorio non præiudicabãt Ioãni de Porras non citato. eũ diuersa esset causa possessorii à causa petitorii. & sicut si † latis tribus sententiis super possessorio si ferretur sententia super petitorio posset sequestrum apponi, vt per Cassador. decis. 2. de sequest. possess. & propriet. à fortiori, appositum non debebat reuocari. & quia exequutio † sententiæ cõtra alium, fieri non poterat absque nouo iudicio, & noua re iudicata. ad decis. fin. de re iudic. in nou. Felin. in cap. cum super. colum. fin. versic. item nota in illis verbis tamen tempore meo. de re iudic. Aegid. decis. 713. Et quia si Io. de Porras poterat impedire exequutionem † rei iudicatæ super spolio, vt per Rotã decis. 438. alias 20. de restit. spoliat. in nouis. & per Felin. in cap. veniens 2. col. 4. vers. quarta conclusio. de testib. Io. Anton. Alexandrin. cons. fin. à fortiori poterat impedire ne sequestrum relaxaretur.

SVMMARIVM.

Cap. fin. de electión. in 6. habet locum in præsentatione, nisi consuetudo sit in contrarium. quam qui allegat debet probare.

1 *Consuetudinem allegans contra communem opinionem, an illam probare debeat.*

DECISIO CCXCVIII.

* Item fuit resolutum & iterum posita 14. Ap. 1542.

Die 21. Aprilis 1542. in vna * S. Andreæ, Canonicatus de Strabr. coram D. Maceratensi, fuit conclusum, quod quia communis opinio est, quod cap. fin. de electión. in 6. habet etiam locum in præsentatione, quod istud esset verum, nisi consuetudo esset in contrarium. & quod allegans illam † consuetudinem, ex quo erat contra communem opinionem deberet illam probare. quicquid senserit Aegid. decis. 610. & D. Marsicanus retulit, quod ita alias fuit decisum, proponente bon. me. Nicolao de Aragonia.

SVMMARIVM.

Collatio, de Ecclesia, facta, non intelligitur de Curata.

1 *Ecclesia appellatione, an veniat parochialis.*

DECISIO CCXCIX.

Decimaseptima Aprilis 1542. fuit conclusum in vna Parochialis de Aggere Magno, quod collatio facta de Ecclesia ab Ordinario, non intelligeretur facta de Ecclesia curata. per text. in c. cum in illis. in prin. de præben. in 6. etiam si facta foret motu proprio. vt per Abb. in c. ad aures. col. 3. de rescript. & per decis. Rot. 111 alias 6. de præben in nouis. Non obstat quod appellatione Ecclesiæ † venit parochialis. vt per tex. in c. licet canon. de elect. in 6. quia procedit vbi dictum fuit, Ecclesia parochialis. secus si simpliciter dicatur Ecclesia. vt per text. in d. c. cum in illis. in princ.

SVMMARIVM.

Verbum qualitatum, in noua prouisione, quid operetur.

1 *Noua prouisio an suffragetur in prouisione, nulla ex defectu intentionis prouidentis.*
2 *Noua prouisio est quædam confirmatio. ideo non extendit confirmatum.*
Noua prouisio non suffragatur in prouisione facta de simplici beneficio si erat curatum & num. 3.
3 *Noua prouisio an suffragetur quando sunt diuersa corpora beneficij.*

DECISIO CCC.

Et 24. Aprilis 1542. fuit resolutum quod data nullitate prouisionis factæ de Cappellania, seu Ecclesia B. Mariæ de
1 Aggere Magno, ex defectu intentionis † Canonicorum prouidentium de Ecclesia ex quo cessabat eorum intentio prouidendi de Ecclesia parochiali, quod non posset in noua prouisione à Papa impetrata; propter clausulam, & quod præmissorum omnium, & singulorum, maior & verior specificatio nominum, cognominum & qualitatum, & cæt. exprimi quod dicta Ecclesia esset parochia-
2 lis curata. quia cum noua prouisio † sit quædam confirmatio de natura confirmationis est non extendere confirmatum. vt per Decium in rubrica de confirm. vti. col. 1. confirmatum loquitur in beneficio simplici. ergo ad illud noua prouisio se extendebat. Et istud tanto magis fuit dictum, quia in noua prouisione in nulla sui parte poterat deprehendi, quod fieret mentio de Ecclesia parochiali, sed semper dicebatur quod fuerat prouisum de Cappella. Et ideo dicebatur quod
3 verbum, qualitatum † non debebat alterare corpus. nam cum aliud sit corpus beneficij simplicis à corpore beneficij curati, licet quis narrando de beneficio simplici possit alterare qualitates quo ad beneficium simplex; non tamen propter illud verbum, poterat de beneficio simplici, transire ad curatum, cum ista sint diuersa corpora.

SVMMARIVM.

Statutum Ecclesiæ Placentinæ, quod certo generi personarum conferatur, intelligitur quando ab Episcopo fit collatio. secus si à Papa.

1 *Collatio beneficij si ex forma statuti est facienda certis personis, non valet non concurrentibus qualitatibus.*
2 *Quid si fiat collatio à Papa.*
3 *Decretum irritans accessorium, an intelligatur iuxta terminos principalis dispositionis.*

DECISIO CCCI.

Est statutum in Ciuitate Placentina huiusmodi sub tenore. cum autem ad locum vacantium portionum aliqui fuerint assumendi, de seruitoribus Chnri benemeritis de Ciuitate vel Diœcesi oriundi, in quos Episcopus, vel Capitulum, vel maior, vel sanior pars consenserit, assumantur. nec ad hoc alij admittantur, dum ibidem idonei poterint reperiri, ad Canonias etiam vacantes, de prædictis portionarijs benemeritis, & non alij per Episcopum & Capitulum assumantur. Fuit dubitatum in vna Placentina Canonicatus, & præbendæ, inter Io. Solano, ex vna, & Garsiam de Caruaial ex alia, An gratia expectatiua Francisci de Tamaio, caperet Canonicatum, & Præbendam, stante dicto statuto Ecclesiæ Placentinæ. Et die 21. Aprilis 1542. fuit resolutum, * coram D. Thoma de Thanis, quod tale statutum non obstaret quia tantum respiciebat collationem faciendam per Episcopum & Capitulum. & isto
1 casu dicebatur quod requirebatur, † quod persona, cui collatio facienda erat, debebat esse qualificata, prout in statuto dicitur. Secus vbi collatio fiebat per Pontificem, prout in gratia expectatiua. dato quod illud statutum esset conditum à Cardinali de mandato Papæ, & sic diceretur statutum Aposto-
2 licum. quia † in omni dispositione semper intelligitur excepta auctoritas superioris. Nec obstabat decretum irritans in confirmatione Pontificis appositum. quia diceba-
3 tur quod erat accessorium, † & intelligebatur ad terminos principalis dispositionis. Si ergo principalis dispositio statuti, intelligebatur quando collatio fiebat per Episcopum & Capitulum, ita & etiam intelligebatur decretum.

* Et facit quod dicit Ioã. Andr. in Mercurialibus in regula contra eum. col. pen. cum seq.

SVM-

SVMMARIVM.

Contractus cum Ecclesia factus ex defectu solemnitatis, contra Ecclesiam non potest allegari nullus.

DECISIO CCCII.

VBi quis contrahit cum Ecclesia, & ille contractus est nullus ex defectu solennitatis, non potest ille contractus allegari nullus ex defectu illius solennitatis contra Ecclesiam; si Ecclesia illi contractui vult stare. Ita resolutum fuit in vna Burgensi administrationis seruitij pro Abbatissa, & Monialibus de Villamaior, contra Communitatem, & Homines dicti loci, coram D. Aquensi 24. Aprilis 1542. per ea quæ dicit Ias. in l.cum ij. §.eam autem transactionē. ff. de transaction. & idem in l.1.in notabilibus. C.de iure emphyt. Decius in c. quæ in Ecclesiarum. in 5.not.de constitut.

SVMMARIVM.

Sequestrum in quo casu non fuit relaxatum etiam data cautione.

1 *Cautioni quando non sit locus.*

DECISIO CCCIII.

IN causa Carthaginiē. * inter Alphōsum Diaz ex vna, & Io. de Porras ex alia, de qua feci supra mentionem, decis. 297. dum dixi, quod erat resolutum sequestrum non fore relaxandum. Fuit dubitatum postea die 24. Aprilis 1542. An saltem tale sequestrum esset relaxandum data cautione. Et maior pars Dominorum, inclinauit quod non. tum quia tres sententiæ latæ in possessorio contra intrusum non nocebant, Io. de Porras, qui primam sententiam in petitorio habebat, & ideo sententia super sequestro in fauorem eius apposito, exequutioni mandari non debebat, etiam data cautione. cum per hoc posset eius conditio deteriorari: quia si possessio relaxaretur data cautione, si Alphonsus moreretur posset in alium transferri. Et pro ista parte bene faciunt quæ dicit Felin. in cap. veniens. 2. colum. 3. in 3. quæst. de testibus. dum vult, quod quando possessio est vacua, † non est locus cautioni, quia deterioratur conditio. Item & secundo, fuit dictum, quod non est locus cautioni, quando sententia fuit lata inter competitores. vt per Felin. in c. cum super. colum. 4. in 3. limit. de re iudic.

* Vid.s. decis. 297

SVMMARIVM.

Statutum Vrbis, quod viri, soluto matrimonio, fructus ex pignore percipientes, non imputent in sortem, quomodo intelligitur.

1 *In statutis in materia odiosa, stricta fit interpretatio.*

3 *Statuti Vrbis circa taxationem fructuum dotis, intellectus.*

DECISIO CCCIV.

STatutum Vrbis, * quod taxat septē cum dimidio, pro centenario in illis verbis; Et similiter mariti soluto matrimonio cum liberis, percipientes ex pignore dotali non imputent fructus in sortem, sed sint ipsorum pro alendis communibus liberis. &c. Fuit interpretatum * die 24. Aprilis 1542. quod haberet locum in pignore, siue hypotheca tradita. quia cū essemus † in materia odiosa, & in materia statuti debebat fieri stricta interpretatio de eo qui percipit ex pignore tradito. Nec obstat cons. Alex. 31. in 6. vol. quia † fuit dictum, quod haberet locum stantibus oneribus matrimonij. puta viuente vxore. quod non erat in casu nostro, in quo vxor erat præmortua. Item & secundo loquebatur in fructibus. qui diuino iudicio subiacebāt. prout loquitur doctrina Io. Andreæ. quod non erat in casu de quo agebatur. quia fructus erant taxati † ad septem cum dimidio iuxta formam statuti. & debebantur siue essent fructus, siue non.

* Vide inf. decis. 116.

* Nota quod Rota sensit hic quod statutum loquēs in pignore, prout loquitur statutū Vrbis, haberet etiā locum in hypotheca. facit q̄ dicit Felin. in c.cū ab quib. col. 2. de re iudic. Sed certe illa interpretatio facta fuit; quia in casu statuti Vrbis ex statuto manifestè colligitur q̄ pignus ibi stat pro re immobili.

SVMMARIVM.

Beneficia omnium Prothonotariorum sunt reseruata. tamen non omnes Prothonotarij sunt comprehensi sub Regula Pauli, faciente omnes officiales continuos commensales.

1 *Papa conferens pluries, aliqua beneficia, vt reseruata, an dicatur declarare mentem suam, vt similia beneficiā semper sint reseruata.*

2 *Prothonotarij an continui commensales Papæ.*

3 *Regula Cancellariæ faciens continuum commensalem illum qui non est, an exorbitans. & quomodo intelligatur.*

4 *Beneficia militum Sancti Petri an reseruata.*

DECISIO CCCV.

DIe 28. Aprilis 1542. coram D. Sarnensi in vna Adriensi Villæ Arriani, pro Marcello de Coleitre, contra D. Iulium de Grandis, fuit dictum, quod beneficia Prothonotariorum etiam non participantium
1 sunt reseruata. † & quod ita pluries iudicauerat Rota. quia Papa faciendo multotiens collationem de beneficijs vacātibus per obitum aliorum Prothonotariorum contulerat ea vt reseruata. & sic declarauerat quod volebat esse reseruata. prout sentit Aeneas de Falcon. in tract. reseruat. in 1. par. in 4. q. princ. in 6. effectu. pag. 5. vbi dicit, quod æquum est, quod tantum septem Prothonotariorum de participantibus, beneficia sint reseruata. tamen quod Curia facilius seruabit, quod omnium Prothonotariorum sint reseruata, & ibi allegat quamdam extrauagantem. sub rubrica de treug. & pac. Tamen in illo casu, videlicet inter dictum Marcellum, & Iulium quærebatur, an essent reseruata. quia Cardinalis Tranensis habebat facultatem conferendi beneficia reseruata. sed difficultas erat an per regulā Pauli, tales Prothonotarij, vltra participantes, comprehenderentur sub regula Pauli. in qua officiales, & inter eos Prothonotarij
2 declarabantur † continui commensales. Et Domini causa posita, dicta die inclinarunt, quod ex quo regula erat exorbitans: quia faciebat illum continuum commensalem
3 qui † vere non erat, iuxta text. in c. fin. de verb. signif. quod regula stricte esset intelligenda in officialibus qui panem ex Palatio, aut custodiam, seu in Palatio deseruirent, pro vt verba regulæ istud denotabant. Et si exaduerso prætendebatur, quod aliqui ex officialibus essent enumerati, qui nec panē, nec custodiam, nec in Palatio deseruirent, & tamen beneficia eorum essent reseruata,
4 vt prætendebatur † de militibus S. Petri. Fuit dictum quod istud probaretur. quia aliqui ex Auditoribus dicebant, quod immo ex forma erectionis dicti officij, tales milites tenebantur ad aliqua seruitia.

SVMMARIVM.

Regressus per cessum, intelligitur vbi cessio fit in manibus superioris pure, & non in fauorem alicuius.

1 *Cessio beneficij conditionalis, non adimpleta conditione, an sit nulla.*
Et an sit locus regressui.
2 *Regressui an sit solum locus volente, illud habente.*
Cessio quando dicatur conditionalis, & quando pura.
3 *Regressus propter quid detur.*
4 *Protestatio, saluo iure dominij, quando non releuet.*

DECISIO CCCVI.

IN vna Cæsenatensi Parochialis S. Demetrii, pro D. Blasio de Cæsena, contra Bartholomeum de Trufaninis fuit * resolutum coram D. Sarnensi die 28. Aprilis 1542. quod Bartholomeus qui habebat regressum per cessum Blasii, & quia Blasius resignauerat in fauorem alterius, reseruatis sibi fructibus, quod, quia stante tali regressu resignatio Blasii non tenebat in fauorē illius, nō esset locus regressui. & regressus per cessum intelligeretur quando cessio * fieret pure, & simpliciter in manibus superioris, nō autem quando sub conditione, quæ conditio propter regressum effectuari non poterat. Nam dicebatur, quod quando D. Blasius cedebat in fauorē tertij reseruatis fru-
1 ctibus, quod talis cessio † erat conditionalis, si illi parochialis quæreretur, & fructus sibi reseruarentur. iuxt. dict. Abb. in c. cum pridem. in fine. de pact. si cōditio non adimplebatur, cessio erat nulla. ergo locus non erat regressui. quia verum est dicere, quod D. Blasius non resignauit nisi resignatario acquireretur parochialis, & sibi reseruarentur fructus. sed propter regressum parochialis, nō potest resignatario quæri, nec fructus reseruari, ergo cessio non valet. Nec obstat quod dicebatur, quod cessio non erat conditionalis, sed erat pura. & eo qui habebat regressum volente locum esse regressui cessio veniebat resoluenda, per ea quæ dicit Cassad. decis. 1. de pension. dum dicit, tunc
2 demum locum † esse regressui, quādo is qui habet regressum, vult & declarat locum esse regressui. Quia dicebatur quod immo dispositio, seu cessio erat conditionalis, seu euentualis, dependens à voluntate eius qui regressum habebat. quia eo volente locum fore regressui, declarabatur vsque ab initio cessionem esse nullam. Non obstat quod re-
3 gressus etiam daretur † per quamcumque amissionem, & in casu illo deuentū esset ad traditionem possessionis. iuxta ea, quæ dicū tur de alienante saluo iure domini, si deuenit ad traditionem, quod talis protestatio
4 non † releuet. quia dicebatur, quod ex quo talis amissio non durabat stante regressu, quod non esset locus regressui.

* Facit decis. Cassad. 10. de cōcess. præben. pag. penult. in fin. cum sequent.

* Quādo cessio fieret pure, &c. vide ad propositū Cassad. decis. 3. de renunc.

SVMMARIVM.

Regula reseruans beneficia Collectorum, & subcollectorum intelligitur de ijs qui officia exercent.

DECISIO CCCVII.

LIcet Rota decis. 207. alias 12. de præb. in nouis, & 700. alias 15. eodem tit. in an-

in antiquis. Aeneas de Falc. in tract. reseruat. in 3. q. princ. post praeludia in 13. pag. circa fin. vers. quid autem si Papa creat aliquos. &c. Cassador. decis. vnica. nu. 3. de verbor. signific. dicant, quod beneficia collectorum, & subcollectorum, sint reseruata, licet non probetur, quod officium eorum exercuerint. Tamen in vna Regiensi praebendae, coram D. de Thanis, pro Thadeo Rugerio, contra Thadeum Casolũ, die 31. Maij 1542. fuit resolutum * contrarium, eo quia verba regulae repugnabant, dum dicunt. eorum qui pro tempore officia exercuerint. nec fuit admissa consideratio commeutatoris super dicta regula, dum facit differentiam inter collectores, & subcollectores. Non obstat, quod dictae decisiones contrarium dicant. quia fuit respõsum, quod in dictis decisionibus non apparebat quod regulae Cancellariae haberent illa verba. dum tamen eorum officia exercuerint. Et D. Marsicanus testatus fuit, quod ita alias fuit resolutum causa proposita, propter repugnantiam verborum regulae, dum dicit. exercuerint. Et ita Domini, visa attestatione D. Marsicani propter verba regulae, sequuti fuerunt decisionem alias factam.

* Et die 16. Iunij 1546. in vna Calagurritana Scholastria de lo Orogno, coram D. Io. Paulo, in subcollectore deputato a collectore in partibus, fuit resolutum, quod beneficia subcollectoris non essent reseruata dato quod probaretur, quod ille fuisset deputatus subcollector, & pro tali reputatus. eo quo non probabatur, quod officiũ subcollectoris exercuisset. per verba regulae quae inficiari nõ poterunt, quod referrentur ad subcollectores. quicquid dixerit Felin. in c. in nostra. col. 14. in 21. corollario in 25. col. vers. & tunc. & c. dum verba dicunt, qui officia exercuerint. & etiam per dictã decis. 307. dum facit differentiam inter collectores deputatos a Papa, & subcollectores deputatos ab inferiori a Papa.

SVMMARIVM.

Stantibus duabus subrogationibus etiam quo ad possessionem, non solum discutiendum est de dictis subrogationibus; sed etiam de iure tertij, in vnum ex dictis subrogatis cesso.

1 *Exceptio, dolo facis, an obstet in possessorio adipiscenda, & nu. 2.*
3 *Exceptio dominij incontinenti probandi, an obstet in remedio adipiscendae.*
4 *In subrogatione quomodo agatur via ordinaria, & cognitio sit summaria.*
Ius tertij, an in summarijs deduci possit, & quando.

DECISIO CCCVIII.

PEr obitum Io. de Anguiano, fuit subrogatus in ius quod praedicto Anguiano in Archidiaconatu Ecclesiae Calaguritanae eidem Anguiano competebat, Franciscus de Miranda, sub die obitus ex quo vacauerat in Curia, & etiam ad possessionem Martinus Ximenes collitigans cum eodem Anguiano, quia expresse nõ potuit habere subrogationem in quadã gratia si neutri, de die sequenti obitus etiam subrogati non solum in ius, sed etiam ad possessionem. & obtenta subrogatione praedicta, Martinus ingressus fuit possessionem. & cum postea Franciscus vellet immitti in possessionem vigore suae subrogationis, quia ambo veniebant ex eodem titulo, fuit decisum quod esset agendum iudicio ordinario. prout notaui supra decis. 294. Stante ergo huiusmodi resolutione fuit dubitatum coram eodem D. Thoma de Thanis die 2. Iunij 1542. An in isto iudicio ordinario, tamen requirente summariam cognitionem, vt infra dicam, posset Martinus dare, & discutere nõ solum de subrogatione vtriusq. sed etiam de alio iure, dum tamẽ illud ius esset cessum in persona Martini. Et fuit conclusum quod sic. quia hic
1 † agebatur possessorio adipiscendae. & in tali remedio obstat exceptio, dolo facis. vt per Alexand. in l. fin. col. 8. & ibi Dec. in vlt. notab. Nec obstat quod dicebatur, quod talis regula non habet locum, quando resti-
2 tutio, alteri quã mihi est facienda. † prout dicit Alex. in d. loco. Quia respondebatur quod ex quo ius tertij erat cessum in personam Martini, quod illo tempore restitutio ex illo iure cesso, erat sibi facienda, & non alteri. Secundo pro Martino fuit dictũ, quod
3 in remedio adipiscendae obstat † exceptio dominij incontinenti probãdi. prout dicit Bar. in d. l. fin. secundum intelligentiã DD. ibi. & ibi Decius in vlt. notab. & col. 14. Si ergo Martinus opponebat de bono iure erat audiendus; ne aduersario daretur vitiosus ingressus. Nec obstat quod dicebatur, quod licet in isto iudicio procederetur
4 via ordinaria prout erat cõclusum, † sed tamen quod cognitio erat summaria. vt dicit Decius in d. l. fin. col. 13. circa fin. cum princ. sequentis. & vbi sumus in summa-
5 rijs, nõ poterat dari de iure tertij. † vt dicit Alex. in d. l. fin. col. 8. Quia respondebatur, quod illud erat verum, quando dabatur de iure tertij existenti in persona tertij. sed erat secus. nam dabatur de iure tertij existenti in persona Martini. & sic dabatur de iure proprio. Quare discutiendum erat illud ius.

SVMMARIVM.

Attestatio Papae quod aliquis est familiaris continuus commensalis suus, lite pendente facta, an tollat ius quaesitum.

1 *Ius quaesitum, quando dicatur tolli per attestationem Papae.*
2 *Ius quaesitum, an tollatur per attestationem Papae lite pendente factam. & quid in facta motu proprio, nu. 3.*

DECISIO CCCIX.

DE Anno 1534 Claudius de Charanzonai obtinuerat vt in omnibus impetrationibus per eum faciendis, non teneretur facere mentionem de defectu natalium quem patiebatur. & in expeditione illius gratiæ, narrauerat se familiarem cōtinuum commensalem, fuit ex aduerso datum de regula de fictis familiaribus. & ipse Claudius, lite sic pendēte, produxit attestationē Papæ de anno 1540. in qua Papa attestabatur Claudium de anno 1534. & tempore expeditionis, seu verius datæ illarum litterarum, erat familiaris continuus commensalis. Pro parte vero cōtraria fuit facta reformatio, vt quatenus ex dicta attestatione, ius quæsitū Iacobo de Sabaudia, tolleretur, quod reduceretur ad viam iuris. Fuit dubitatum per me, die 2. Iunij 1542. An familiaritas continua commensalitas Claudij probaretur per declaratoriam Papæ, stante cōmissione reductiua ad viam iuris. Et fuit per omnes conclusum quod non. ex quo dicebatur, quod tollebat Iacobo ius quæsitum non probando aliunde continuam commensalitatem, quam ex illa attestatione. Nam ex quo Papa declarabat super eo, quod erat
1 facti, † & non iuris, dicebatur tollere ius quæsitum. ad not. per Aegid. decis. 468. in fine. & Caccialup. in tract. de pension. q. 7. alias 17. ad finem. versic. putarem pendere. &c. & Papa, in regula de nō tollendo ius quæsitum, declarat quod per suas attestationes, lite pendente factas, nō intendit alicui
2 tollere ius quæsitum. † Et ideo non obstabat, quod in supplicatione attestatiua diceretur, quod sic per quoscumque Iudices etiā in causis nunc pendentib. iudicaretur, & sic quod per talia verba diceretur fieri mentio de lite. quia vltra mentionem litis, debebat derogari regulæ de non tollendo ius quæsitum, Et licet D. Sarnensis in regula de impetrat. benefic. vacan. per obit. famil. q. 13. pag. 2. in fine. dicat, ꝙ Rota alias stetit tali declarationi Papæ; tamen dicebat ipse ꝙ
3 illa attestatio de qua in illa quęstione, † erat facta motu proprio, quod secus erat in casu nostro. Item attestatio illa non erat facta lite pendente, ꝙ secus erat in casu nostro. Et quod ista attestatio tollat ius quæsitum, colliges ex ijs quę ponit idē Sarnensis super regula de non tollendo iure quæsito. q. 13. pag. 2. & ibi posui in apostilla ad eum. Præterea, in casu nostro aderat commissio reductiua ad viam iuris.

SVMMARIVM.

Tutor ante confectionem inuentarij potest administrare, licet ex hoc possit, vt suspectus, remoueri.

DECISIO CCCX.

QVinta Iunij 1542. in vna Romana, seu Perusina releuationis indemnitatis, coram D. Io. Paulo fuit tentum * quod tutur, ante confectionē inuentarij possit administrare, & procuratorem ad causas constituere. licet ex hoc possit vt suspectus remoueri, per doctrinam Bart. in l. tutor qui repertorium, col. 2. ff. de adminis. tut. de qua per Decium in c. ex parte 2. num. 5. de appellat. Et hoc fuit tentum per maiorem partem. vide ad propositum Capycium in decis. Neapolitana 50. incipiente. In causa Iacobi. &c.

* Vide ad materiā Corn. cons. 207. videtur prima facie, col 2 vers. Itē pec cat dicta venditio. &c. vol. 1. & melius cons. 164. videtur in hac consultatione. vol. 4. decis. Cappell. Thol. 188. & ibi addit. Et idem, quod hic, quod mater tutrix posset administrare ante confectionem inuentarij ita vt processus cū ea agitatus foret validus, fuit decisum coram me in vna Messanen. Baroniæ die 2. Aprilis 1546.

SVMMARIVM.

Regula reseruatoria octo mensium, & reuocatoria indultorum, an reuocet quoad beneficia quæ sunt de iurepatronatus laicorum.

1 *Reseruatio generalis, an comprehendat beneficia iurispatronatus.*

DECISIO CCCXI.

EAdem die in vna S. Andreæ, canonicatus, & præbendę, coram D. Maceratēsi fuit resolutum, quod regula reseruatoria octo mensium per Clementem edita, & eius innouatio inquantum reuocat priuilegia, & indulta de conferendo, concessa personis quibuscumque. &c. non censeretur reuocare indulta concessa quo ad beneficia, quæ sunt de iurepatronatus laicorum ex fundatione. Primo, per procemium illius regulæ, dum Papa intendēs prouidere de beneficijs pauperib. clericis, &c. Sed regulariter de beneficijs iurispatronatus laicorum prouidere non pōt ergo, &c. Secundo, dum dicit reseruat. & cer
1 tum est † quod in generali reseruatione, nō venit beneficium quod est de iurepatronatus. vt per glos. communiter approbatam in c. 2. de præben. in 6. Et ideo fuit dictum quod postquam Papa in dicta regula, reseruat sibi beneficia vacantia in octo mensibus reuocat postea priuilegia, & indulta de dictis beneficijs, & sic reseruatis. Ita ꝙ fuit dictum quod regula illa non inducit simplicem reuocationem, sed reuocationem limitatam de beneficijs reseruatis. & cum beneficia iurispatr. non veniant in generali reseruatione, ergo de talibus beneficijs non intelligitur regula reseruatoria octo mensium.

SVM-

SVMMARIVM.

Clausula, Et deuolutio detur dispositiue, restringit omnem alium modum vacādi.

1 *Impetratio facta per deuolutionem, comprahendit solum illum modum, nec substinetur etiam probata execrabilitate.*
2 *Clausulæ appositæ in impetratione per deuolutionem, an dicantur stare accessoriè.*

DECISIO CCCXII.

EAdem die 5. Iunij 1542. fuit resolutum in vna Valentina Parochialium, coram D. Maceratensi quod, quādo quis impetrat certo modo, & dicit beneficia tanto tempore vacasse, quod eius collatio est deuoluta &c. si in supplicatione est dictum, & detur deuolutio dispositiue quod licet litteræ essent expeditæ cum narratiue deuolutionis, & cum clausula, quouis modo vacet, aut etiam per extrauagan. execrabilis &c. tamē quod non daretur alius modus vacandi quā per deuolutionem. & quod si deuolutio non
1 probetur † etiam quod probaretur execrabilitas, non daretur ille modus vaccandi. per decis. 5. Cassad. de præben. Et dictum fuit, quod omnes aliæ clausulæ, etiam si vacaueritiuxta cōstitutionē Ioannis xxij. &c.
2 stabant accessoriè. † videlicet, probata deuolutione, ad quam probandam dicebāt Domini, quod se arctauerat. ex quo certo modo impetrauerat, dicendo copulatiue, & quod tanto tempore vacauit, quod eius collatio sit deuoluta, & per Signaturam fuerat additum, & deuolutio detur dispositiue.

SVMMARIVM.

Quando duo testamenta producuntur, quorum vnum habet horam, alterum non, quod ex eis præferatur.

DECISIO CCCXIII.

FVit dubitatum in vna Fulginatensi, corā Marco Antonio, die 12. Iunij 1542. quando producūtur duo testamenta eodem die confecta, quorum vnum habeat horam, & alterum non, quod ex eis præferri deberet. & dicebatur per tres ex Dominis, quod testamentum habens horam. quia ita in duobus testamentis eadem die confectis dicebant, Sebastianus Sapia, in l. fin. col. pen. num. 111. C. de edict. diu. Adr. tollen. & ibi Curt. Iun. col. antepen. n. 79. & sentit Guliel. Benedict. in repet. c. Rainutius. in verbo, testamentum. 2. col. 12. in princ. vers. & præmissa sunt vera. &c. de testam. Quod tamen alij quatuor Domini dicebant verū fore, nisi actum fuisset contra alterum ex institutis in vno ex dictis testamentis, existentem in possessione: per ea quę dicit Dec. in c. pastoralis. de rescript. col. 3. vers. secundo infertur. & idem Dec. in l. in ambiguis. ff. de reg. iur. Petr. Rebuf. in tract. de pacif. possess. pag. 60. col. 2. vers. nono fallit. &c. Iterum, & secundo, causa posita, maior pars fuit pro possessore, contra instrumentum habens horam.

SVMMARIVM.

In generali reuocatione facultatum nominandi facta per regulam, non venit facultas nominandi, quæ competit ex priuilegio.

1 *Iuspatronatus cōpetēs ex cōsuetudine vel præscriptione, an veniat ī generali reuocatione.*
Iuspatronatus competens ex consuetudine vel præscriptione, an dicatur competere ex quadam vsurpatione.

DECISIO CCCXIV.

FElicis recordationis Clemens VII. de anno 1530. concesserat Marchioni Astoricensi ius nominandi, & præsentandi personas idoneas, ad canonicatus, & præbendas Ecclesię Astoricensis, & ad alia beneficia tūc expressa. & quod personæ præsentatæ, instituerentur per Priorem, & Archidiaconum; & quod iuspatronatus, seu præsentandi, & nominandi personas huiusmodi, ac si ex fundatione, aut dotatione eidem Marchioni competeret. & quod non posset derogari. prout in breui. Fuit dubitatū in vna Astoricensi canonicatus, & præbendæ, corā D. Io. Paulo, inter Alphonsum Osorio ex vna, & Alphonsum Diaz ex alia. An dictum ius præsentandi concessum Marchioni, esset reuocatum per regulā Pauli, publicatam. 22. Augusti 1536. in qua reuocantur facultates nominandi. Et dic 12. Iunij 1542. fuit dictum quod aliàs fuerat resolutum corā bo. me. Raynaldo de Petrucijs, quod reuocatio regulæ, nō comprahenderet beneficia de iurepatronatus ex priuilegio. licet enim in
1 generali reuocatione † veniat patronatus competens ex cōsuetudine, vel præscriptione, quia talia competunt ex quadam vsurpatione, prout dicit Eclin. in tract. quando litteræ Apostolicæ; tamen quando iuspatronatus, quod competit ex priuilegio, non venit ex vsurpatione, sed potius ex meritis, & quadam remuneratione, & ideo in generali reuocatione non venit tale iuspatron. iux. decis. 4. Cassad. de iurepatr. & si videātur verba dictæ regulæ reuocatorię in fauorem

rem expectantium, reuocat ibi facultates no minandi datas Ordinarijs. de datis vero laicis, nulla fit ibi mentio, ne videantur decepti. ex quo in concessione priuilegiorum, interuenit expressa propter compositionem. Et ita fuit tunc decisum.

S V M M A R I V M.

Sententia quæ non valet in sexcentis, an saltem valeat in quingentis.

1 *Sententia quando continet vnam summam, si non valet in totum, an possit valere pro parte.*
Summa maior continet minorem, non procedit in sententijs.
2 *Sententia, de sui natura, an sit indiuisibilis.*
3 *Sententia an debeat in totum valere. vel in totum sit nulla.*
4 *Summæ ex pluribus causis debitæ, vna tamen actione comprehensæ, an reputentur pro vna, & num. 5. & num. 6.*
5 *Indiuiduum an efficiatur diuiduum ex disponentis voluntate.*

DECISIO CCCXV.

AD instantiam Archiepiscopi Turritani, monitus fuerat per A. C. Petrus Sillanos, ad soluendum quingentos ducatos & vltra, in quibus sibi dictus Petrus tenebatur. & postea, constito Auditori quod Petrus tenebatur iu sexcentis, cõdemnauit Petrum in sexcentis. Dubitaui ego, in vna Turritana tertiariæ, die 18. Iunij 1542. An, ex quo illa sententia non valebat in sexcentis cum esset monitus ad soluendum quingentos in quibus sibi tenebatur, & vltra, an saltem sententia valeret in quingentis. Et eadem die fuit resolutum quod non valeret, & senten-
1 tia esset nulla. quia quando † sententia continet vnam summam, si nõ valet in totum, non valet in parte. quia in sententijs, in ma-
2 iori summa non inest minor. quia † est sui natura indiuisibilis. glos. in l. fin. ff. de iurisdict. omn. iudic. vbi Bart. & alij. Ias. in l. 1. §. si stipulanti. col. 4. ff. de verb. obligat. Et quando vnica petitione, & vnica senten-
3 tia, omnis summa continetur, † sententia aut debet in totum valere, aut in totum nulla. secus esset, quando petitio & sententia haberet capitula separata. vt declarat glos. in l. etiam. §. 1. in verbo audiendus. ff. de minor. Ias. in l. si seruus plurium. §. 1. ff. de
4 legat. 1. Immo plures summæ † ex pluribus causis debitæ, vna actione comprehensæ, debent cumulari, & pro vna reputari, & non pro pluribus. vt probat text. in l. si ij qui separatim. §. si quis cum ita. & ibi Bart. qui hoc ponit, ff. de appellat. Præterea, tunc iu
5 dicantur vt plura, eaque deducuntur † in stipulatione in terminis. l. scire debemus. quando sunt deducta plura separata æque principaliter. sed quando vnum tantum, non possunt videri plura petita. vt per Ias. in l. petens. col. 6. C. de pact. & in sententia hoc ponit Ias. consi. 187. col. 7. vers. septimo. volum. 2. Sed quando deducuntur plura, vni
6 ca verborum conceptione, † non plures stipulationes, sed vna tantum intelligitur. ita probat text. in d. l. scire debemus. in princ. de verb. obligat. Felin. in c. pastoralis. §. quoniam. col. fin. de rescript. Nam licet summa sit diuisibilis, tamen propter vnicam petitionem, & vnam sententiam, videtur indi-
7 niduum ex voluntate disponentis. † nam diuiduum, efficitur indiuiduum ex disponentis voluntate. Bart. in l. Græca. §. illud. ff. de fideiussoribus.

S V M M A R I V M.

Statutum, quod percipiens fructus ex pignore dotali, non computet in sortem quomodo intelligitur.

1 *Vsuraria an sit conuentio, in qua promittitur aliquid durante dilatione ad soluendum.*

DECISIO CCCXVI.

FVit resolutum in vna * Romana dotis, coram D. Marsicano, inter Illustres Dominum Octauium Vrsinum ex vna, & Maherbalem, & Vicinum etiam Vrsinum, fratres, ex alia, die 24. Aprilis 1541. quod statutum Vrbis, volens quod fructus percepti ex pignore dotali, non computentur in sortem non haberet locum, nisi quando esset pignus traditum, & quis ex pignore tradito percepisset fructus. ex quo illi subiacent iudicio Dei, & consil. Alex. 31. in 6. vol. habet locum stantibus oneribus matrimonij, id est vxore viua. & etiam loquitur in fructibus qui diuino iudicio subiacent. puta in pensionibus domorum. vt Socin. cons. 179. col. 3. dicit quod communis opinio est Ca-
1 nonistarum, quod conuentio, † in qua promittitur aliquid durante dilatione ad soluendum, non valet.

* Vide sup. decis. 304.

S V M M A R I V M.

Datio fideiussorum ad tollendum sequestrum appositum per iustitiam Regni Aragonum, non facit vt quis desinat esse pacificus possessor.

1 *Triennalis pacificus, ad hoc vt quis dicatur, quæ requirantur.*

DECI-

DECISIO CCCXVII.

Vigesima octaua Iunij 1542. In vna Oseensi canonicatus, & præbendæ, in-
ter Petrum Gomes ex vna, & Antonium Calasans ex alia, fuit resolutum, quod da-
tio fideiussorum præstita per Petrũ Gomes ad tollendum sequestrum appositum per in-
stitiam regni Aragonum, non faciebat quin Petrus Gomes, qui ab illo tempore citra,
1 possederat † per triennium, non diceretur
triennalis pacificus possessor. quoniam ad hoc vt quis non dicatur pacificus possessor, oportet quod turbetur de iure vel de facto in perceptione fructuum. quæ turbatio non adest in isto casu. Et faciunt quæ dicit Sarnen. in reg. de annali quæst. 45. vbi decidit casum. & melius decis. 46.

SVMMARIVM.

Possidere pro hærede, quomodo intellectum.

DECISIO CCCXVIII.

Voluit maior pars Dominorum 23. Iunij 1542. quod partitæ Montis, in quibus dicebatur, quod Alexander, seu Agentes eius exegerant pro hæredibus Cosmi de Medices, intelligerẽtur quod Alexander exegisset vt procurator, seu negociorum gestor, hæredũ Cosmi de Medices. & sic quod ex illis exactionibus, nulla esset quęsita quasi possessio exigendi ipsi Alexandro. itaquod non diceretur fecisse pro hęredibus Cosmi, idest tamquam hæres Cosmi, sed potius diceretur fecisse vt procurator, seu vt negociorum gestor Cosmi de Medices. & sic quod quasi possessio, esset quæsita heredibus Cosmi. Et hoc fuit resolutum, facto præsupposito in dubio quod constaret de illegitimitate Alexandri Ducis. & etiam præsupposito, quod probaretur Alexandrum Ducem possedisse in ciuitate Florentina bona spectantia ad illos de Medices, & etiam præsupposito, quod non constaret quis esset hęres Cosmi de Medices. Et hoc fuit resolutum in causa Romana viginti millium, contra Illustrissimam Dominam Margaritam de Austria, pro creditoribus.

SVMMARIVM.

Regula Clementis, de expediendis litteris super retentione beneficiorum, quando quis promouetur ad Episcopatum, quomodo interpretata.

DECISIO CCCXIX.

Motus proprius Clementis, siue regula eiusdem, qua cauetur, quod quando quis promouetur ad Episcopatum, quod de retentione beneficiorum debent expediri literæ; fuit interpretatum per Rotam, de mense Iunij 1542. non habere locum in permutationibus Episcopatuũ. vt vbi quis ex causa permutationis, obtinet alium Episcopatum, & datur retentio beneficiorum sibi, quod non expediens literas super tali retentione, nõ cadit in pœnam motus proprij, seu illius regulæ per cons. Federic. 73. & in tract. de re permut. quæst. 18. quem sequitur Milis in repertorio suo, in verbo gratiam beneficij impetrans ex causa permutationis. Fuit resolutum in vna Brixiensi fructuũ, pro Patriarcha Constantinopolitano, contra Hospitale Brixiæ, coram D. Sarnensi.

SVMMARIVM.

Cedulæ Cardinalis non creditur, sed contracedulæ Vicecancellarij.

2 *Vicecancellarij liber an scriptura matrix.*
3 *Vicecancellarij attestationi, de ijs qua Papa concedit, an standum.*

DECISIO CCCXX.

Coram eodem Sarnensi in eadem Brixiensi fructuũ, inter eosdem. fuit re-
solutum 9. Iunij 1542. quod cedulæ Cardi-
nalis non staretur, sed contracedulæ. quia
1 cõtracedula dabatur † à Vicecancellario of-
ficiali deputato. & quod liber Vicecancella-
2 rij † erat scriptura matrix. quia licet pro-
ponentes, multa attestarentur in eorum ce-
dula propositionis, tamen standum erat
3 cõtracedulæ Vicecancellarij, † qui vt officia-
lis attestabatur de ijs quæ Papa cõcedebat.

SVMMARIVM.

Ius accrescendi, iunctum cum pupillari, excludit matrem.

DECISIO CCCXXI.

In vna Romana domus, coram eodem Sarnensi, inter Bernardinũ de Quartaronibus ex vna, & Iacominum de Cumo ex alia, fuit resolutum 9. Iunij 1542. quod quando ius accrescendi, est iunctum cum pupillari, excluderetur mater. per tex. in l. qui patrl. ff. de acquir. hered. vbi Ang. in fin. & Alex. col. pen. ponunt quæstionem.

SVM-

SVMMARIVM.

Titulum auctoris non tenetur quis iustificare, quando possedit auctor pacifice, vsque ad obitum, seu resignationem.

1 *Allegatio Lapi, vt quis non teneatur iustificare titulum sui auctoris, quomodo intelligatur.*

DECISIO CCCXXII.

IN vna Salamantina Parochialis S. Michaelis, fuit resolutum coram me 28. Aprilis 1542. quod allegatio † Lapi, vt quis non teneatur iustificare titulum sui auctoris, intelligitur quando quis possedit, videlicet auctor possedit pacifice vsque ad eius obitum, seu vsque ad eius resignationem. Secus est quando non fuit pacificus possessor. vt erat in casu illo, in quo, tempore resignationis, resignans non erat pacificus possessor.

SVMMARIVM.

Constitutio requirens sacerdotium in eo cui confertur, an habeat locum vbi confertur ex causa permutationis.

1 *Collatio quae fit ex causa permutationis, an dicatur voluntaria, vel necessaria.*
2 *Permutationis in causa, an inferior collator conferat, vel ordinarius.*
3 *Statutum loquens in donatione, an habeat locum in donatione ob causam.*
4 *Aetas certa quo casu requiratur in beneficijs.*
5 *Qualitas requisita in obtinere debente beneficium, an requiratur in causa permutationis.*
6 *Praebenda si est conferenda Theologo ex constitutione an procedat in permutatione.*

DECISIO CCCXXIII.

COnstitutione Gerundensi cauetur, * vt diuinus cultus augeatur, quod obtinentes beneficium del Cocho, tenerentur ad sacerdotium promoueri, & ter in septimana missam celebrare. Item, quod quotiens huiusmodi beneficium vacat, conferat ille Praepositus, in cuius mense beneficium vacabat. Fuit dubitatum per me, An constitutio requirens sacerdotium in eo cui confertur, habeat etiam locum, vbi confertur ex causa permutationis. Et pro parte negatiua dicebatur, quod constitutio esset intelligenda de collatione voluntaria, non autem ex

* Vide ad praeposs. tum decis. 108 alias 1. de Rer. permut. in antiq.

1 causa † permutationis, quae dicitur necessaria argumento text. in c. vnico. de re. permut. in 6. Et ratio diuersitatis etiam erat quoniam collatio voluntaria, erat facienda per Praepositum in cuius mense beneficium vacabat, prout dictabat constitutio. sed
2 quando vacat ex causa permutationis, † inferior collator Ordinario, non confert; sed Ordinarius de consensu tamē inferioris collatoris secundum glos. in Clemen. vnica. de rer. permut. & Rota decis. 6. de renunc. in nou. Vnde cum verba constitutionis non verificarentur, nec ipsa constitutio. Item & tertio dicebatur, quod constitutio simpliciter disponebat. & ideo non debebat comprehendere dispositionem ob causam, prout est permutatio. prout dicunt Doctor. in l. t. & in l. filiusfam. ff. de donat. quod statutum
3 loquens † in donatione, non habet locum in donatione ob causam.

Pro parte autem affirmatiua dicebatur, quod si ista opinio esset vera quod non veniret collatio quae fit ex causa permutatio-
4 nis sequeretur quod iura quae requirunt † certam aetatem in beneficio sacerdotali, pro ve est text. in c. ei cui prouideri mandatur. & in c. pro clericis pauperibus. in fine de praeben. in 6. limitarentur vbi beneficium conferretur ex causa permutationis. quae tamen limitatio nō reperitur tradita per Doctores. Item, ponderabatur quod constitutio dicit, obtinentes beneficium ita dicitur ob-
5 tinere † ex causa simplicis resignationis, sicut ex causa permutationis. vnde omni casu requirebatur sacerdotium. Item, quia ratio finalis constitutionis, vt diuinus cultus augeretur, ita militabat in casu permutationis, sicut in casu simplicis collationis, ergo & dispositio. Tandem 9. Octobris 1542. in vna Gerunden. beneficij del Cocho, pro Geraldo Arrusat, contra Hieronymum des Verns, coram me, fuit resolutum per omnes constitutionem etiam locum habere in casu permutationis. Et pro ista parte fuit allegatum quod dicit Petrus Rebuff. in tract. de collation. pag. 38. in verbo alteri. vbi dicit
6 quod † si praebenda est conferenda Theologo, erit etiam conferenda ex causa permutationis; quia onus infixum est rei. & si aliter fieret, esset nulla.

SVMMARIVM.

Vbi quis est subrogatus quo ad prosequutionem exequutorialium iam intimatarū, vt procedatur ad declaratoriam, an requiratur noua intimatio earumdem.

1 *Censurae an relaxentur, absque citatione personali, & num. 3.*
2 *Exequutorialium noua intimatio, quando non requiratur.*

4 Decla-

4 *Declaratoria incursus censurarum, an ferri possit absque citatione.*

DECISIO CCCXXIV.

AD instantiam Ioannis de Pas fuerant intimatæ exequutoriales personaliter Antonio Guzman aduersario. & Io. defuncto, de portione super qua litigabatur inter Ioannem & Antonium super paritione, ex quo Antonius fuerat intrusus lite penden. fuit prouisus Marcus de Parada.cum decreto, quod ad prosequutionem dictarum litterarum exequutorialium, admitteretur ac si pro eo decretæ, & sententię pro eo latę fuissent.cum commissione speciali, quod admitteretur in eisdem statu, & terminis, in quibus reperiebatur.narratis litteris exequutorialibus, & earum intimatione, fuit dubitatum in vna Salamantina portionis, coram D.Aquensi, inter Marcum de Parada ex vna & Antonium Guzman ex alia. 9. Octobris 1542. An posset procedi ad instantiam dicti Marci, ad declaratoriam censurarum, nō facta de nouo intimatione exequutorialiū pro parte Marci contra Antonium. Et pro parte negatiua, dicebatur quod non quia
1 hic agebatur de incursu † censurarum. quo casu absque personali apprehensione, non poterat procedi.secundum Innoc.in c.si aduersarius. de eo qui mit.in pos.cau.rei ser. per Rot.decis.271.in nou. Item fuit allegatus Staphil.in tract. de lit.gratiæ. & iustit. fol.152.pag.1.in fine. Istis non obstantibus eadem die fuit decisum, quod non require-
2 batur noua † intimatio exequutorialium, sed bene requirebatur intimatio subrogationis. & quod si erat procurator in causa, quod sufficiebat ipsi procuratori intimare. iuxta decis.11. vt lit.penden. in nouis. Sed quo ad exequutoriales, nō erat noua intimatio facienda. nec erat verum quod censuræ
3 ferrentur † absque intimatione personali, ex quo semel iam intimatæ fuerant, ad cuius prosequutionem Marcus fuerat subrogatus. Item dicebatur, quod facta prima intimatione ad instantiā Ioannis defuncti, lapso termino dato ad parendū, Antonius inciderat in censuras, vnde hodie non tractabatur de incursu censurarum, sed tan-
4 tum de declaratoria ipsarum, † quæ ferri potest absque citatione. secundum Romanum. conf.481. col.2. versic. quo ad secundum. Et ita alias fuit iudicatum coram D.Io.Paulo, prout attestatur D. Sarnensis in Compendio vtriusque signaturæ. fol.86. pag.1. vers. & secundum hoc esset dicendum. &cæt.

*

SVMMARIVM.

Extrauagans, iniunctæ, an habeat locum in Monasterio commendato.

1 *Possessio beneficij commendati, an possit capi vigore supplicationis absque expeditione litterarum.*
2 *Dictio, ceteri, an implicatiua similium qualitatum.*
3 *Commenda, an comprehendatur sub dispositione penali & exorbitanti disponente de titulari.*

DECISIO CCCXXV.

DIe 9. Octobris 1542. in vna * Mutinensi Monasterij, pro Archiepiscopo S. Seuerinæ, contra R. D. Archintum Vicarium Vrbis inclinarunt D. fere omnes, quod extrauagans, iniunctæ, prout erat in illo casu, in quo præsupponebatur quod erat capta possessio vnius Monasterij, absque expeditione litterarum, sed solum vigore supplicatio-
1 nis, non haberet locum † in beneficijs commendatis, dato quod essemus in Commenda perpetua, & hodierni temporis. quia Monasterium erat commendatum iuxta formam hodiernam.per cons. Oldrad. 179. quod refert Paunus in tract. de offic. & potest. Capituli Sede vacante.inserto in 3.vol. tract. in vlt. prælud. col.pen.vers.& dicitur etiam. & in 3.quæst.2.partis.col.4.vers.& adde Cassad. decis.32.Paschasius de Rota.pag.2.vers.tertio de hoc est.&c. & D.Sarnen.super regula de infir.resig.quæst.13.nu.6. Non obstat quod text. dicat, Abbates, Priores, cęteriq; Monasteriorum regimina exercentes, quocumque nomine vocentur.quia intelligebāt Domini de alijs titularibus, & Prælatis pro-
2 pter dictionem, † cæteri, quæ est implicatiua similium qualitatum. & quia in materia pęnali & exorbitanti, dispositio loquens
3 de titulari, non habet locum † in Commenda. & ideo Commenda non inducit execrabilitatem.

* Die 11. Octobris 1542.causa fuit iterum posita, & conclusum per omnes quod non haberet locum in Monasterijs commendatis perpetuo, non solū temporaliter & etiā in commendis nostri temporis propter authoritatem Oldrad.& quia Rota semper tenuit, quod in reseruationibus, & vacationib. commendę temporales, & perpetuæ æquiparentur.

SVMMARIVM.

Exequutoriales decretæ, vigore sententiæ insertæ in exequutorialibus.

1 *Sententia inserta in exequutorialibus, an faciat fidem.*
2 *Exemplum instrumenti, an faciat fidem contra producentem.*
3 *Sententia originalis lata in Rota, si non reperiatur, & agatur de illius exequutione, qua diligentia facienda.*

N DECI-

SVMMARIVM.

Titulum auctoris non tenetur quis iustificare, quando possedit auctor pacifice, vsque ad obitum, seu resignationem.

1 *Allegatio Lapi, vt quis non teneatur iustificare titulum sui auctoris, quomodo intelligatur.*

DECISIO CCCXXII.

IN vna Salamantina Parochialis S. Mi-
chaelis, fuit resolutum coram me 28.
1 Aprilis 1542. quod allegatio † Lapi, vt
quis non teneatur iustificare titulum sui au
ctoris, intelligitur quando quis possedit, vi
delicet auctor possedit pacifice vsque ad
eius obitum, seu vsque ad eius resignatio-
nem. Secus est quando non fuit pacificus
possessor. vt erat in casu illo, in quo, tempo
re resignationis, resignans non erat pacifi-
cus possessor.

SVMMARIVM.

Constitutio requirens sacerdotium in eo cui confertur, an habeat locum vbi confertur ex causa permutationis.

1 *Collatio quæ fit ex causa permutationis, an dicatur voluntaria, vel necessaria.*
2 *Permutationis in causa, an inferior collator conferat, vel ordinarius.*
3 *Statutum loquens in donatione, an habeat locum in donatione ob causam.*
4 *Aetas certa quo casu requiratur in beneficijs.*
5 *Qualitas requisita in obtinere debente beneficium, an requiratur in causa permutationis.*
6 *Præbenda si est conferenda Theologo ex constitutione an procedat in permutatione.*

DECISIO CCCXXIII.

COnstitutione Gerundensi cauetur, * vt
diuinus cultus augeatur, quod obtinē-
tes beneficium del Cocho, tenerentur ad sa
cerdotium promoueri, & ter in septimana
missam celebrare. Item, quod quotiens hu-
iusmodi beneficium vacat, conferat ille Prę
positus, in cuius mense beneficium vacabat.
Fuit dubitatum per me, An constitutio re-
quirens sacerdotium in eo cui confertur,
habeat etiam locum, vbi confertur ex cau-
sa permutationis. Et pro parte negatiua
dicebatur, quod constitutio esset intelligen-
da de collatione voluntaria, non autem ex
1 causa † permutationis, quæ dicitur neces-
saria argumento text. in c. vnico. de re. per-
mut. in 6. Et ratio diuersitatis etiam erat
quoniam collatio voluntaria, erat facienda
per Præpositum in cuius mense beneficium
vacabat, prout dictabat constitutio. sed
2 quando vacat ex causa permutationis, † in-
ferior collator Ordinario, non confert; sed
Ordinarius de consensu tamē inferioris col
latoris secundum glos. in Clemen. vnica. de
rer. permut. & Rota decis. 6. de renunc. in
nou. Vnde cum verba constitutionis non ve
rificarentur, nec ipsa constitutio. Item &
tertio dicebatur, quod constitutio simplici-
ter disponebat. & ideo non debebat cōpre-
hendere dispositionem ob causam, prout est
permutatio. prout dicunt Doctor. in l. 1. &
in l. filiusfam. ff. de donat. quod statutum
3 loquens † in donatione, non habet locum in
donatione ob causam.

* Vide ad propositum decis. 108 alias 1. de Rer. permut. in antiq.

Pro parte autem affirmatiua dicebatur,
quod si ista opinio esset vera quod non ve-
niret collatio quæ fit ex causa permutatio-
4 nis sequeretur q̄ iura quæ requirunt † cer-
tam ætatem in beneficio sacerdotali, pro vt
est text. in c. ei cui prouideri mandatur. &
in c. si pro clericis pauperibus. in fine de
præben. in 6. limitarentur vbi beneficium
conferretur ex causa permutationis. quæ ta
men limitatio nō reperitur tradita per Do-
ctores. Item, ponderabatur quod constitutio
dicit, obtinentes beneficium ita dicitur ob-
5 tinere † ex causa simplicis resignationis,
sicut ex causa permutationis. vnde omni ca
su requirebatur sacerdotium. Item, quia ra-
tio finalis constitutionis, vt diuinus cultus
augeretur, ita militabat in casu permutatio
nis, sicut in casu simplicis collationis, ergo
& dispositio. Tandem 9. Octobris 1542.
in vna Gerunden. beneficij del Cocho, pro
Geraldo Arrusat, contra Hieronymum des
Verns, coram me, fuit resolutum per omnes
constitutionem etiam locum habere in casu
permutationis. Et pro ista parte fuit allega-
tum quod dicit Petrus Rebuff. in tract. de
collation. pag. 38. in verbo alteri. vbi dicit
6 quod † si præbenda est conferenda Theolo-
go, erit etiam conferenda ex causa permuta
tionis; quia onus infixum est rei. & si aliter
fieret, esset nulla.

SVMMARIVM.

Vbi quis est subrogatus quo ad prosequutionem exequutorialium iam intimatarū, vt procedatur ad declaratoriam, an requiratur noua intimatio earumdem.

1 *Censuræ an relaxentur, absque citatione personali, & num. 3.*
2 *Exequutorialium noua intimatio, quando non requiratur.*

4 *Decla-*

4 *Declaratoria incursus censurarum, an ferri possit absque citatione.*

DECISIO CCCXXIV.

AD instantiam Ioannis de Pas fuerant intimatæ exequutoriales personaliter Antonio Guzman aduersario. & Io. defuncto, de portione super qua litigabatur inter Ioannem & Antonium super paritione, ex quo Antonius fuerat intrusus lite penden. fuit prouisus Marcus de Parada cum decreto, quod ad prosequutionem dictarum litterarum exequutorialium, admitteretur ac si pro eo decretæ, & sententię pro eo latę fuissent. cum commissione speciali, quod admitteretur in eisdem statu, & terminis, in quibus reperiebatur. narratis litteris exequutorialibus, & earum intimatione, fuit dubitatum in vna Salamantina portionis, coram D. Aquensi, inter Marcum de Parada ex vna & Antoninm Guzman ex alia. 9. Octobris 1542. An posset procedi ad instantiam dicti Marci, ad declaratoriam censurarum, nõ facta de nouo intimatione exequutorialiũ pro parte Marci contra Antonium. Et pro parte negatiua, dicebatur quod non quia
1 hic agebatur de incursu † censurarum. quo casu absque personali apprehensione, non poterat procedi. secundum Innoc. in c. si aduersarius. de eo qui mit. in pos. cau. rei ser. per Rot. decis. 271. in nou. Item fuit allegatus Staphil. in tract. de lit. gratiæ. & iustit. fol. 152. pag. 1. in fine. Istis non obstantibus eadem die fuit decisum, quod non require-
2 batur noua † intimatio exequutorialium, sed bene requirebatur intimatio subrogationis. & quod si erat procurator in causa, quod sufficiebat ipsi procuratori intimare. iuxta decis. 11. vt lit. penden. in nouis. Sed quo ad exequutoriales, nõ erat noua intimatio facienda. nec erat verum quod censuræ
3 ferrentur † absque intimatione personali, ex quo semel iam intimatæ fuerant, ad cuius prosequutionem Marcus fuerat subrogatus. Item dicebatur, quod facta prima intimatione ad instantiã Ioannis defuncti, lapso termino dato ad parendũ, Antonius inciderat in censuras, vnde hodie non tractabatur de incursu censurarum, sed tan-
4 tum de declaratoria ipsarum, † quæ ferri potest absque citatione. secundum Romanum. conf. 481. col. 2. versic. quo ad secundum. Et ita alias fuit iudicatum coram D. Io. Paulo, prout attestatur D. Sarnensis in Compendio vtriusque signaturæ. fol. 86. pag. 1. vers. & secundum hoc esset dicendum. &cæt.

*

SVMMARIVM.

Extrauagans, iniunctæ, an habeat locum in Monasterio commendato.

1 *Possessio beneficij commendati, an possit capi vigore supplicationis absque expeditione litterarum.*
2 *Dictio, cæteri, an implicatiua similium qualitatum.*
3 *Commenda, an comprehendatur sub dispositione penali & exorbitanti disponente de titulari.*

DECISIO CCCXXV.

DIe 9. Octobris 1542. in vna * Mutinensi Monasterij, pro Archiepiscopo S. Seuerinæ, contra R. D. Architum Vicarium Vrbis inclinarunt D. fere omnes, quod extrauagans, iniunctæ, prout erat in illo casu, in quo præsupponebatur quod erat capta possessio vnius Monasterij, absque expeditione litterarum, sed solum vigore supplicatio-
1 nis, non haberet locum † in beneficijs commendatis, dato quod essemus in Commenda perpetua, & hodierni temporis. quia Monasterium erat commendatum iuxta formam hodiernam. per cons. Oldrad. 179. quod refert Panunus in tract. de offic. & potest. Capituli Sede vacante. inserto in 3. vol. tract. in vlt. prælud. col. pen. vers. & dicitur etiam. & in 3. quæst. 2. partis. col. 4. vers. & adde Cassad. decis. 32. Paschasius de Rota. pag. 2. vers. tertio de hoc est. &c. & D. Sarnen. super regula de infir. resig. quæst. 13. nu. 6. Non obstat quod text. dicat, Abbates, Priores, cęteriq; Monasteriorum regimina exercentes, quocumque nomine vocentur. quia intelligebãt Domini de alijs titularibus, & Prælatis pro-
2 pter dictionem, † cæteri, quæ est implicatiua similium qualitatum. & quia in materia penali & exorbitanti, dispositio loquens
3 de titulari, non habet locum † in Commenda. & ideo Commenda non inducit execrabilitatem.

* Die 11. Octobris 1542. causa fuit iterum posita. & conclusum per omnes quod non haberet locum in Monasterijs commendatis perpetuo, non solũ teporaliter. & etiã in commendis nostri temporis propter authoritatem Oldrad. & quia Rota semper tenuit, quod in reseruationibus, & vnionib. commendę temporales, & perpetuæ æquiparentur.

SVMMARIVM.

Exequutoriales decretæ, vigore sententiæ insertæ in exequutorialibus.

1 *Sententia inserta in exequutorialibus, an faciat fidem.*
2 *Exemplum instrumenti, an faciat fidem contra producentem.*
3 *Sententia originalis lata in Rota, si non reperiatur, & agatur de illius exequutione, quæ diligentia facienda.*

N DECI-

DECISIO CCCXXVI.

IN vna Segobiensi, inter Episcopum Segobiensem, & Capitulum. 9. Octobris 1542. quia Capitulum produxerat exequutoriales, in quibus erat inserta sententia communis, tam Episcopo quam Capitulo,
1 vltra quod sententia † inserta, facit fidem quando est inserta in exequutorialibus, iuxta decis. 732. alias 57. de rescript. in antiquis. tamen quia erat producta pro parte Capituli, & sic contra illud faciebat fidem licet non constaret de originali. per ea quæ dicit Ias. in auth. si quis in aliquo dũ vult
2 quod exemplum † instrumenti, facit fidem contra producentẽ. voluit maior pars, quod facta diligentia de reperiendo acta hic in Curia,
3 † cum fuisset sententia lata per Rotã, & præfixo termino parti ad docendum de appellatione, & eius prosequutione, & quia eramus in antiquis, puta tempore sexaginta annorum, quod virtute illius sententiæ, in partibus faciendæ, pro Episcopo decernerentur exequutoriales. *

* Die vndecima Octobris 1542. fuit idem dictum, quod decernerentur non obstan. quod essent producta per compulsum. & quia erat instrumentum proprium Capituli, quo casu sententia in ipsis exequutorialibus narratæ stabatur contra Capitulum. per decis. 289. in nouis. non obstabat etiam dum dicebatur, quod virtus exequutio[n]is euanescit anno per c. quarenti, & quod ibi Abb. col. 1. in fin. & Felin. col. fin. in fin. de offic. deleg. quia illud est verum, quando exequutoriales semel erant effectuatæ, & effectus earum durauerat anno. hic autem non poterat dari effectuatio. quia Capitulũ tenebatur ad præstandã patientiam non solum de præterito, sed etiam de futuro. & quia licet pro præterito tempore habuisset patientiam, tamen quia in futurum poterat contradicere, ideo non erat verum quod fuissent effectuatæ.

SVMMARIVM.

Immobilia non possidens, in terminis l. is à quo, tenetur cauere tamquam suspectus, cum fideiussoribus.

DECISIO CCCXXVII.

IN vna Carthaginiensi beneficiorum, pro Io. de Porras, contra Alphonsum Diaz, die 9. Octobris 1542. coram D. Fabio, fuit resolutum quod Alphonsus Diaz, qui petebat relaxari sequestrum, & qui tenebatur cauere Ioanni tamquam tertio venienti ad causam, iuxta formam l. is à quo. ff. de rei vendic. ex quo non possidebat immobilia, & sic dicebatur persona suspecta, teneretur cauere, cum fideiussoribus, vel alio modo cautum reddendo suum aduersarium. iuxta glos. in d. l. is à quo. per text. in l. si fideiussor. §. fin. ff. qui satisdar. cogan. Non obstante opinione Bal. in d. §. fin. quam ibi videtur sequi Ias. quia pro contraria opinione stat glos. Bart. & alij quos ibi refert Alex.

*

SVMMARIVM.

Consuetudo an valeat, quod locus in instrumento omittatur. & an, quod locus loci.

DECISIO CCCXXVIII.

COnsuetudo an valeat quod locus omittatur in instrumento. Rot. decis. 6. de cõsuetud. alias 440. in antiquis, tenet quod non, quia est de substantia. sed illam decis. reprobat Alexan. in l. de pupillo. §. qui nunciat. ff. de nou. oper. nun. Et Barb. per Dec. relatus inc. 1. col. 3. vers. quarto requiritur. de fid. instrum. licet ibidẽ Dec. conetur defendere decis. quia vt dicunt Alex. & Barbat. locus non est de substantia, sed de solennitate eadem, tamen Rota decis. 739. alias 5. de fid. instr. in antiq. circa locum loci, dicit quod standum est consuetudini. & istam partem sequuta est Rota, coram D. Thoma in vna Hispalensi matrimonij. die 11. Octobris 1542.

Item die 30. Aprilis 1543. coram D. Ranellensi, in vna Romana pecuniaria, fuit iterum tentum, quod locus loci debet poni in instrumento, alias corruat. nisi consuetudo sit in contrarium. per doctrinam Alexan. in d. §. qui nunciat.

SVMMARIVM.

Regula Adriani reuocans vniones suppressiones. &c. quomodo interpretata.

DECISIO CCCXXIX.

IN vna Conchen. Præstimonij de Baraxas, coram D. Io. Paulo, pro Constantino de Castillo, contra Alphonsum de Fonseca, die 11. Octobris 1542. Domini pro maiori parte inclinarunt in eam partem, quod regula reuocatoria Adriani vnionum, annexionum. &c. non comprehenderet vnionem quæ fieret Ecclesiæ, pro dote necessaria ipsius Ecclesiæ. vtputa quando beneficiũ erat erectum, & pro dote illius, vniretur aliud beneficium, & sic erat dos necessaria. quia beneficium, sine dote stare non poterat. ideo dicebant Domini, quod regula reuocatoria, non comprehendebat istum casum. quia non est verisimile, quod Papa voluerit, ꝙ beneficium sine dote staret, & si fuisset interrogatus ita statuisset, ad glos. in l. tale pactum. in fin. ff. de pactis. Ad regulam respondebant, dum reuocat vniones, de beneficijs alijs Ecclesijs Monasterijs & pijs locis, factas; ꝙ illa regula intelligebatur de vnione quæ fit pro dote argumentatiua, nõ autẽ pro dote necessaria. quę est quãdo beneficium

ficium erectum alias remaneret sine dote. Et postea eadem die, feci verbum cum Reuerendissimo Crescentio quid Rota alias in huiusmodi dubio fuisset sequuta. & dixit mihi quod in vna Amalacitana ita Rota alias intellexerat, & regulam interpretata fuerat.

SVMMARIVM.

Collatio facta contra constitutionem non habentem clausulam annullatiuam, an sit nulla.

1 *Actus factus contra legem non habentem clausulam annullatiuam, quando valeat, & num. 6.*
2 *Collatio præbendæ sacerdotalis, facta non habenti ætatem, an valeat.*
3 *Prouisio facta impuberi de Cappellania requirente celebrationem missarum, an valeat.*
4 *Collator, an terminos fundationis alterare possit, & an collatio sit nulla.*
5 *Collatio, an sit nulla si fiat non Baccalaureo constitutione ita requirente.*
6 *Forma constitutionis non seruata, actus quando sit nullus.*
7 *Actus si mandetur fieri certo modo, an eo non seruato, sit nullus, & num. 8.*

DECISIO CCCXXX.

CONstitutio Gerundensis volebat, quod Præpositus illius mensis in quo vacabat beneficium del Cocho, conferret illud. & quod teneretur ille cui conferretur, se promoueri ad sacerdotium. & ter in hebdomada celebraret. quia superius fuit conclusum quod constitutio haberet etiam locum, vbi collatio fieret ex causa permutationis. Et quia in casu contingenti ex causa permutationis, collatio fuerat facta puero quindecim, vel sexdecim annorum; dubitaui ego An talis collatio esset nulla. Et pro parte negatiua, adducebatur quod dicit Bart. in L. vniuersos. C. de decur. lib. 10. vbi actus
1 factus † contra legem non habentem clausulam annullatiuam, valet. & quæ late ponit Dec. cons. 17. Pro parte autem affirmatiua, adducebatur quod dicit Domin. in c. ei cui, col. 3. in fin. versic. quid si exequutor. de pre
2 ben. in 6. vbi si exequutor † conferat præbendam sacerdotalem, non habenti ætatem, non valet. & quod dicit Barb. cons. 33. scripsit psalmista, col. 3. vers. & ex istis infer-
3 tur corollarium. vol. 2. vbi voluit, † prouisionem factam impuberi de cappellania requirente celebrationem trium missarum, factam minori esse nullã. & quia ordinarius
4 collator † non potest fundationis terminos alterare, & si aliter fiat collatio est nulla. vt dicit Felin. in c. cum accessissent. col. 7. de constit. & istud etiam dicebatur quod tenebat Pet. Rebuff. in tract. de collat. pag. 38.
5 vbi loquitur de collatione quę fit nõ † Baccalario, quod est nulla quando constitutio requirit quod fiat Baccalario. Non obstat quod constitutio non haberet clausulam annullatiuam. quia absque decreto annullati-
6 uo, actus est nullus non seruata † forma cõstitutionis, quando datur potestas non habenti cum certa qualitate, præsertim in habentibus causam perpetuam prohibitionis, ad not. per glos. communiter approbatam in Clem. 1. in verbo, inhibentes. de iurepat. & per Felin. in c. ex parte, col. 4. vers. secundo limita. & col. pen. vers. quartus casus est. de constit. & Alex. in l. 1. col. 2. versic. istis etiam vnum adde. &c. de liber. & posthum. sicut in casu nostro. Præposito mensis alias non habenti collationem ipsam, datur potestas conferendi, aut consentiendi. quia eramus in permutatione, cum qualitate quod prouisus statim deberet promoueri, & ter celebrare in hebdomada, & perpetua est causa Sacerdotij propter perpetuam celebrationem missarum, & istud idem sentit Abb. in c. quia in insulis. de regularibus. & quod actus factus contra legem, seu constitutionem non habentem clausulam annullatiuam, sit nullus, declarat Dec. consil. 494. quod supra. col. fin. vers. sed tamen ijs non obstantibus. & 499. in causa. colum. 3. versic. sed tamen prædictis non obstantibus, volum. 3. Non obstat si diceretur, quod prædicta procedunt vbi actus fieret contra legem prohibentem, quod tunc actus sit nullus, sed in casu nostro, cum cõstitutio dicat quod conferat ille Præpositus, in cuius mense vacat conferre, & subijcit, & teneatur ille ad sacerdotium statim promoueri, & ter in hebdomada celebrare. &c. Hic non videtur lex prohibitiue loqui, sed magis man-
7 dat aliquid fieri † certo modo. & tunc si ille modus non seruatur, actus non est nullus, pront ita voluit Alexan. cons. 24. inspecto. col. 2. versic. sed ad hoc respondeo. &c. volum. 4. Tamen ad istud respondeas, quod illud dictum Alex. in d. cons. 24. reprobatur,
8 vt † per eumdem Alex. in l. 1. col. 2. vers. & pro ista opinione Angelus. &c. ff. de liber. & posthum. per Dec. in c. 2. col. 2. vers. secundo limitatur. &cæt. de testibus, & per eumdem cons. 532. col. 1. vers. & videtur statutum prædictum. &c. vol. 3. Et ista pars fuit tenta, & vnus ex Dominis allegauit pro ista parte, quod collatio esset nulla Aegid. decis. 754. & Ancharan. cons. 20. Quæ tamen parum faciunt.

SVMMARIVM.

An regula quod Canonicatus in Cathedrali non conferantur minori quatuordecim annorum habeat locum in Ordinario.

1 *Regula vt dicatur generalis, vel localis quid attendendum.*
2 *Minor 14. annorum de iure an sit habilis ad obtinendum beneficia.*
3 *Ordinarius, omnium subditorum notitia habere præsumitur.*
4 *Minor licet possit esse canonicus, an tamen habeat validum suffragium.*
5 *Electio, non habet vim prouisionis, sed an concessio, vel mandatum de prouidendo.*
6 *Interpretatio stricta, an fiat in materia fauorabili.*

DECISIO CCCXXXI.

Dvbitaui ego in vna Mediolanensi canonicatus, & præben. An regula Cãcellariæ, quod minores quatuordecim annorum non prouideantur de canonicatu, & præben. in Ecclesijs cathedralibus, habeat locum in Ordinario prouidente. pro vt erat in illo casu in Capitulo Mediolanẽsi, quod ad dictum canonicatum elegerat minorem quatuordecim annorum. Et pro parte negatiua dicebatur, ad hoc vt regula
1 dicatur † generalis, vel localis. attenditur ratio regulæ, pro vt dicit Cassad. decis. 31. post princ. super regulis Cancellariæ. Aut ergo volumus dicere, ꝙ ratio regulæ fuerit imbecillitas ætatis. & ista ratio non potest
2 considerari. quia de iure † cõmuni minor quatuordecim annorum est habilis. glos. & Doctor. in c. ex eo. de elect. in 6. Aut ratio fuit propter ignorantiam Papæ circa prouisionem personarum, in quibus de faceili potest decipi. & ista ratio non militat in
3 Ordinario, † qui omnium notitiam habere præsumitur. ad Clem. fin. de offic. ordin. Sed ista ratio in primo membro retorquebatur quia, dato quod de iure cõmuni minor pos-
4 sit † esse canonicus, tamen non habet validum suffragium, prout dicit text. in d. c. ex eo. & ideo Papa, in hoc, correxit ius cõmune, ne haberet canonicum inutilem. & ista ratio ita militat in Papa, sicut in Ordinario. Et ideo si Papa ligauit sibi manus propter dictam rationem, à fortiori voluit ligare manus Ordinarij. Secundo dicebatur, quod verba regulæ non conueniebant. quia loquitur de prouisionibus. & certum est ꝙ
5 electio † non est prouisio, iuxta glos. in c. vt circa electiones. in verbo, electiones. de election. in 6. nec concessio, nec mandatum de prouidendo. Respondebatur, quod poterat comprehendi electio sub verbo, conces-
6 sio, & in materia † fauorabili. de stricta significatione ex identitate rationis ad largam fit extensio, iuxta glos. in auth. vt ij qui obligat. prohibent. &c. Pro parte affirmatiua fuit allegatus Commentator Regularum super dicta Regula 17. qui ita determinat, & quod dicit D. Sarnensi in commento Regularum. in 2. quæst. prohemij. Et ita pro ista parte, quod habet locum in Ordinario, fuit decisum. die 16. Octob. 1542.

SVMMARIVM.

Quando non possit recedi à transactione non in totum impleta, sed sit agendum pro complemento.

1 *Fidem frangenti quando non seruanda.*
2 *Concordia quando videatur stare, agens ad implementum.*
3 *Transactio, an sit nulla, nisi volente eo, qui pro parte impleuit.*
A concordia in beneficialibus, quando possit recedi.

DECISIO CCCXXXII.

Fverat concordatum inter Petrum Valero ex vna, & procuratorem Antonij ex alia, quod Antonius teneretur infra quatuor menses à die prima Octobris computandos cedere liti, aut mittere mandatũ ad cedendum. & infra octo dies teneretur dimittere possessionem beneficij, à die requisitionis faciendæ per patrem Petri. Antonius infra quatuor menses non cessit, nec mandatum misit. Post autem quatuor mẽses pater, seu Petrus interpellauit Antoniũ, & Antonius dimisit possessionem. Post longum vero tempus, quia Antonius non cessaret liti, volebat Petrus à concordia recedere. Fuit dubitatum An posset recedere attẽto quod in totum non adimpleuerat, an vero teneretur, seu deberet, agere pro complemento. Et videbatur quod liceret disce-
1 dere attento, quod frangenti † fidem, etiã in minimo, fides potest ei frangi. secundum Dec. in l. cum proponas 2. col. 2. vers. quarto ampliatur, C. de pact. quod Domini concedebant, nisi Petrus post tempus quatuor
2 mensium elapsum, egisset pro parte † ad implementum concordiæ. quia tunc videtur voluisse ei stare, & eam approbasse, & nullitati renunciasse. per text. in l. de lege commissoria. §. final. cum l. sequent. ff. de leg. commissoria. Et quia tran-
3 sactio † non est nulla, nisi volente eo qui pro parte impleuit. secundum Barbat. in additione ad Bartol. in dicta lege

cum

cum proponas. C. de pact. Vnde cum Petrus non declarauerit velle concordiam esse nullam, immo potius contrarium demonstrauerit, ergo ab ea non potuit recedere, sed pro complemento agere. Et ita fuit decisum 16. Octobris 1542. in vna Cęsaraugustana concordię, coram D. Mohedano.

SVMMARIVM.

Ob nõ solutionẽ per prædecessorẽ non factam, non potest agi ad regressum contra successorem.

1 *Titulum suum quando quis iustificare teneatur.*

Pensione reseruata cum clausula ne nimium dispendium patiaris, quando debeat constare de cessione iuris.

2 *Clausula ad successores in pensionibus, quando non detur.*

3 *Pensionarius cui reseruata fuit pensio ob cessionem iuris, an teneatur illud iustificare.*

DECISIO CCCXXXIII.

Die 16. Octob. 1542. in vna Tarraconensi parochialis, pro Francisco Reboster, contra Fratrem Felicem, coram D. Aquen. fuit resolutum, quod Frater Felix, qui non egerat ad regressum propter pensionem nõ solutam per Iacobum Patarge eius prædecessorem, quod ex tali solutione non facta, non poterat agi ad regressum contra Franciscum Reboster eius successorem. per decis. Cassador. 4. de locat.

Eadem die, fuit propositum in eadem, An pensio assignata eidem Fratri Felici super parochiali de Riudecagnas, ex cessione cuiusdam beneficij, de quo dicebat Frater Felix esse sibi prouisum, & ex tali cessione Antonius tertius consenserat pensioni duodecim librarum super fructibus dictæ parochialis, in qua postea successit Frãciscus Reboster, qui attento quod in supplicatione reseruationis dicebatur, * ne nimium dispendium patiaris ex cessione. Fuit dubitatum, an Frater Felix teneretur † iustificare * titulũ suum.

1 Et in hoc Domini fuerunt diuisi. nã quatuor dicebant quod sufficiebat quod Antonius prædecessor, consensisset reseruationi pensionis, & quod hodie cõstaret de cessione. quatuor vero alij dixerunt, quod ex quo in

2 pensionibus † non datur clausula ad successores sine causa, & causa fit ne Frater Felix ex cessione nimiũ dispendium pateretur, quod saltem Frater Felix tenebatur de aliquo iure docere non autem, quod tenere-

3 tur † illud ius iustificare maxime quod illud ius narrasset in supplicatione alias facile esset grauare beneficia pensionibus contra successores. Nec obstabat ꝙ Antonius prædecessor consensisset: quia illud suffecisset si contra eum ageret; nam tũc sufficiebat quod ius acceptasset, sed quia agebatur contra successorẽ oportebat docere de aliquo iure cesso, non autẽ illud iustificare propter fraudes amouendas. Nec obstabat causa Hispalensis de Carmona alias decisa, quia ibi constabat de cessione iuris licet quod esset nullum constaret, & ita dicebatur in casu nostro, quod deberet constare de aliquo iure.

* Quando in reseruatione pensionis dicitur, ne nimium dispendium patiaris ex cessione, & agitur cõtra successorem, an debeat constare de cessione iuris.

* Similis casus fuit propositus per D. Fabium die 9. Decemb. 1545. quia Cardinalis Sanctorũ Quatuor asserens sibi quoddã beneficiũ simplex fore commendatum, illud resignauit in fauorem cuiusdam. & ne ex cessione Cardinalis nimium dispendium pateretur, erat reseruata pensio in fauorẽ tertij super beneficio alterius tertij. postea successor beneficij obligatus, dicebat quod doceretur de iure cesso per Cardinalem, fuit causa proposita. & ex septem votantib. quatuor tenuerunt, ꝙ non deberet docere de aliquo iure. & D. Hieronymus de Castello, qui pro ista parte informabat, allegabat plures causas, in quib. dicebatur per Auditores antiquos ita fuisse terminatum. & nouissime dicebat ita iudicasse D. Mohedanum contra eum in vna Nouarien. & ratio secundum eũ erat, quod nisi fuisset verum ius cedẽtis, non acceptasset cessionarius illud, nec consensisset pensionarius si illud ius, non fuisset validum. tres vero ex Dominis tenuerunt, quod ex quo erant vani successore, vt verba illa ne nimium dispendium patiaris, &cæt. verificarentur, quod saltem debebat docere de aliquo iure Cardinali cõpetente licet non deberet illud iustificare 9 Apr. causa de qua supra intitulata, Cęsaraugustana pensionis fuit iterum proposita 1546. & vota fuerunt paria, videlicet quatuor, & quatuor. ponens erat idem D. Fabius.

SVMMARIVM.

Ex breuitate temporis sententia nulla.

DECISIO CCCXXXIV.

IN vna Salamantina Cappellaniæ coram me, die 16. Octobris 1542. fuit resolutũ quod sententia * esset nulla ex breuitate tẽporis. ex quo eadem die quo causa fuit commissa, fuit etiam pronunciatum. & de processu non constabat. & ex breuitate temporis non poterat interuenisse debita causæ cognitio secundum Bart. in l. prolatam. C. de senten. Et breuitas temporis arguitur ex termino vndecim dierum. secũdum Calder. cons. fin. de re iudic. Et ad materiam, vide Parisium consil. 79. quamplures. &cæt. volum. 1.

* Vide Frãcum in c. dilecto, colum. 48. vers. limita tamen, cum seq. colum. de Appellat. Dec. in c. Ecclesiaco lum. 10. versic. 3. quæstio in fin. de Constitut.

SVMMARIVM.

Substitutus in causa huiusmodi, an possit appellare, & appellationem prosequi.

1 *Procurator constitutus in vna instantia, an possit appellationem prosequi.*

2 *Procurator per verba generalia an possit appellationem prosequi.*

3 *Iudex subrogatus, an dicatur simpliciter alius iudex.*

DECISIO CCCXXXV.

* Die 27. Octobris 1542. fuit iteru causa posita, & resolutum iterum, quod posset.

Die 20. Octobris 1542. fuit resolutum in vna * Toletana matrimonij, coram D. Fabio pro Comite de Pugnorostro, contra Beatricem de Sacado, quod procurator qui habet mandatum ad causas, motas & mouendas, cum facultate appellandi, & appellationem prosequendi; substituendo aliũ licet in substitutione, pro vt ex formularijs constat, dicatur, quod procurator talis substituit talem in causa huiusmodi ad faciendum, & gerendum quicquid ipse procurator potuisset, & ad comparendum corã dicto Auditore, ac alijs iudicibus, & Auditoribus quibuscumque, transferens omnimodiam potestatem quam ipse procurator habebat, quod talis substitutus, si sententia cõtra eius principalem ferretur, posset appellare, & appellationem prosequi. Nec obstabat, quod illa, verba in causa huiusmodi, intelligebantur in illa instantia quæ tunc vertebatur. Et erat resolutum in vna Bononiẽsi S. Christophori, corã D. Marescoto, quod
1 procurator constitutus † in vna instantia, poterat tantum appellare, non autem appellationem prosequi. per not. per Bart. & Alexan. in l. inuitus. C. de procurat. & alios quos in dicta decis. annotaui. maxime, prout dicit Bart. in d. l. inuitus. quod per ver-
2 ba generalia, procurator † non potest appellationem prosequi, nisi specialiter habeatur quod possit prosequi, vel habeat ad causas futuras. Et ideo dicebant tres Domini ex octo, quod omnia illa verba, videlicet, transferens omnimodam potestatem, &, coram alijs Iudicibus, debebant intelligi in illa instantia. Quinque autem ex octo, dicebant, quod dato quod illa verba, deberent intelligi de illa instantia in qua fiebat substitutio, tamen, quia in illa transferebat omnimodã potestatem, ꝙ sicut procurator substituens si in illa instãtia succubuisset, potuisset appellare, ita & etiam eius substitutus in quem omnimoda potestas erat translata. Vel melius dicitur, quod procurator substituebat in illa causa quæ pendebat in illa instantia. Et sicut in tali causa in illa instantia pendente poterat procurator principalis appellare, ita & eius substitutus. & quia dicebatur, coram alijs iudicibus quibuscumque,
3 Et certum † est quod iudex subrogatus, non dicitur simpliciter, alius iudex, sed cum adiuncto, subrogatus. Item addebatur stylus Curiæ, qui ita, taliter hactenus fuerat huiusmodi substitutiones interpretatus. alias oporteret annullare mille causas, in quibus erat pronunciatum.

*

SVMMARIVM.

Quando est commissa causa contra aliquem, omnesque alios, si alius venit vigore commissionis ad causam pro suo interesse, dicitur reus.

1 *Actor vel reus, quis sit in iudicio, & ex quibus cognoscatur, & num. 2.*

3 *Reus, vel actor quis dicatur.*

DECISIO CCCXXXVI.

Ioannes de Valdes commiserat causam contra intrusos, omnesq; alios. vigore cuius fuerat decreta citatio. postea cessit in fauorem Alphonsi Diaz. Ioannes de Porras qui non fuerat citatus, obtinuit commissionem in qua petebat se admitti ad causam pro suo interesse in eisdem statu, & terminis &c. cum clausula, necnon quam, & quas. & vigore istius commissionis, citato Alphonso, petijt se admitti pro suo interesse, & in causa processit. Fuit dubitatum in vna Carthaginiensi beneficiorum, coram D. Aquensi die 20. Octobris 1542. An Alphonsus esset actor, vel reus. & fuit resolutum quod Alphonsus esset actor, & Io. de Porras reus.
1 quia † ex modo procedẽdi cognoscitur quo modo quis procedere velit. Certũ est enim quod Ioãnes poterat venire per clausulam, nec non quam, & quas. & tunc fuisset actor cum à nemine fuerit prouocatus. sed quia non venit vigore dictæ clausulæ. sed tantum petijt se admitti pro suo interesse in eisdem terminis, in quibus causa erat, certe demonstrauit animum suum, quod venit ad cau-
2 sam † vt prouocatus, quo casu dicitur reus. l. in tribus, ff. de iudic. Alex. cons. 103. in 5. vol. facit quod dicit Roman. cons. 217.
3 res ista. Quis dicatur † reus, quis actor, vide Decium cons. 487. in quæst. proposita. col. 3. num. 10. vol. 3. & cons. 43. & pro tenui. in princ. in 1. vol.

SVMMARIVM.

Ius defuncti ex sola supplicatione iustificatur.

1 *Gratia apostolica, an solum probetur per litteras.*

DECISIO CCCXXXVII.

In vna Mediolanensi Canonicatus, & Prębendæ, pro Io. Baptista de Puteo, contra Scipionem de Barcello, coram me. die 20. Octobris 1542. fuit resolutum quod subrogatus ad ius defuncti, poterat, siue sufficienter docebat de iure defuncti, ex sola supplicatione. quia decis. Aegidij 609. & 644. non tenentur in practica. vt per Cassad. decis. 8.

de

de rest. spoliat. Sarnen. quæst. 1. num. 7. de
non indican. iuxta formam supplicationis.
Et quia hic non agebatur de canonizando
ius defuncti, sed tantum de canonizatio-
ne subrogationis, & ideo non ita exactè
erat probandum ius defuncti. Et non ob-
1 stat quod gratia † Apostolica non probatur
nisi per litteras. quia verum est ad effectum
canonizationis.

SVMMARIVM.

Vnus Auditor potest subscribere sententiam Auditoris defuncti ex generali commissione. Item potest absq; citatione partis.

1 *Citatio an requiratur, quando vnus Auditor pro alio sententiam subscribit. Quid quando pronunciatur, prout in cedula. num. 3.*

Auditor Rotæ non profert sententiam nisi de consilio aliorum Auditorum, & dicuntur omnes proferre.

2 *Citatio ad sententiam an requiratur quando iudex, citata parte delegat alium iudicem ad sententiam.*

DECISIO CCCXXXVIII.

FVit dictum in vna Astoricensi Canoni-
catus, & Præbendæ, pro Petro Ferdi-
nandi, contra Ioannem Muniz, die 20. Octo-
bris 1542. coram D. Maceratensi, quod
vnus Auditor potest subscribere sententiam
alterius Auditoris defuncti, propter cõmis-
sionem generalem. quæ dat formam, vt de-
functo vno Auditore, alij possint subscribe-
re sententias per defunctum latas nondum
subscriptas. Item quod in tali subscriptio-
1 ne non requiritur † citatio partis. Primo
quia vnus Auditor non profert sententias
nisi de consilio aliorum, & in fauorem cer-
tæ personæ. Et ideo cum omnes dicantur
proferre, nimirum si Auditor subscribens,
tanquam nudus minister, non tenetur aliquẽ
citare, ex quo citatio nihil esset profutura.
Et pro ista parte facit quod dicit Paul. de
Cast. & Iacobin. de Sancto Georg. in l. edi-
ctum. ff. de iud. in illa quæstione quãdo iu-
2 dex † citata parte coram Iudice ad senten-
tiam, si Iudex delegat alteri Iudici prolatio-
nem sententiæ, an requiratur de nouo cita-
tio. Quod Domini dicebant secus fore di-
3 cendum in alijs tribunalibus, † in quibus
pronunciant, prout in cedula, & non in fa-
uorem certæ personæ. prout alias fuerat re-
solutum in vna Florentina, coram D. Io. Pau
lo, in vna sententia quam tulerat D. Ar-
chintus Gubernator. quam postea subscrip-
serat Episcopus Aesinus eius successor. quia
illa sententia non fuerat lata à princi-
pio in fauorem certæ personæ; quia fuerat
subscripta parte non citata, fuit resolutum
quod esset nulla.

SVMMARIVM.

Publicatio debet esse populosa.

DECISIO CCCXXXIX.

FVit dictum in vna Casalensi, coram D. Mohedano, die 20. Octobris 1542. quod non dicitur satisfecisse regulæ de publicandis, qui cepit possessionem coram notario, & tribus, vel quatuor testibus in Ecclesia; quia publicatio debet esse populosa. prout dicit Domin. cons. 75. & Abb. cons. 99. in 1. vol. & in hoc bene dicit Domin. in d. cons. 75 Sed in quantũ Domin. ibi vult, quod per continuationem dictę possessionis per vnum vel duos menses non dicatur satisfactum, dictæ regulæ; in hoc reprehenditur à Rota. prout dicit Cassad. decis. 26. super regulis Cancellariæ D. Sarnen. super regula de publican. quæst. 11.

SVMMARIVM.

Expressio falsa etiam quod Papa esset aliàs concessurus, in gratiosis reddit gratiam subreptitiam.

DECISIO CCCXL.

DIE 20. Octobris 1542. In vna Hispalensi portionis, pro Ioanne de Morillos contra Ioannem Martinez, coram D. Thoma de Thauis, fuit iudicata dispensatio bo. me. Episcopi Scalensis, subreptitia, super habilitate ad beneficia obtinenda, non obstante quod pater eius fuisset combustus vt hæreticus, ex eo, quia in dispensatione expresserat, tempore sententiæ latæ in patrem, se fuisse constitutum in quinto ætatis suæ anno, & tamen erat in duodecimo. quia expressio falsa in gratiosis, etiam quod aliàs Princeps sit concessurus reddit gratiam subreptitiam. per dictum Innoc. in c. super litteris. in princ. de rescrip. & per Collect. in c. Ecclesiævestra. col. 4. de sortileg. Et cum pater Episcopi fuisset Hæresiarcha, non sine dolo expresserat se fore in quinto anno cõstitutum tempore sententiæ. quia si sciuisset Papa fuisse talis ætatis, vt potuisset malis moribus imbui, difficilius dispensasset. & ideo gratia fuit resoluta subreptitia. Quinq; ex octo, tribus discrepantibus ita voluerunt. *

* Contrarium videtur dicere Cassador. decis. 7. de concess. præben. & decis. 10. vt valida fuerit &c. de præben. Vide omnino ad veritatem istius decis. Rot. decis. 4. de rescrip. in antiquis alias 528. vbi notabiliter distinguit, & vide quæ dixi infra decis. 401. & Cassador. decis. 22. pag. fin. in fine de præben. vbi contra hanc decis. sentit.

SVM-

SVMMARIVM.

Statutum excludens fœminas propter masculos, an comprehendat bona extra territorium posita.

1 *Statutum excludens fœminas propter masculos, an fauorabile, & extendendum.*

DECISIO CCCXLI.

DVbitaui ego die 20. Octobris 1542. in vna Parmensi pecuniaria, pro Michaele de Casalibus, contra D. Liuiam Palauicinam posito quod Io. Franciscus, de cuius hęreditate agebatur, fuisset sub iurisdictione Parmæ, An statutum Parmense excludēs fœminas propter masculos, extenderetur ad bona extra territorium Parmæ existentia. Et fuit resolutum. quod non, per doctrinam Bart. in l. 1. quæst. 7. de decedēte in Anglia, C. de summ. Trinit. Alexand. cons. 128. lib. 1. Paul. de Castr. cons. 224. circa primum. in veteri impressione. Cardin. cons. 2. Brun. in tract. de statur. excluden. fęm. propter mascul. artic. 8. quæst. 25. Dec. cons. 314. in fine. Ias. cons. 163. col. 1. 2. & 3. vol. 2. Curt. Iun. cons. 108. colum. 7. vers. præterea, & secundo. Io. Anton. Alexandrin. cons. 71. in vltimo dubio: & cons. 136. col. 1. Felin. in c. postulasti. col. 2. vers. item dum inferunt prędicti. &c. de foro cōpeten. Corn. cons. 115. In hac consultatione. col. 1. vol. 2. Georg. Natta in repet. c. quamuis. col. 61. vers. nono quarto. &c. de pact. in 6. Gozadin. consil. 49. circa primum maxime. in 2. colum. versic. quibus non obstantibus. vbi dicit ꝙ communis est, quod siue statutum loquatur in rem, siue in personam, non trahitur ad bona sita extra territorium. Nō obstat distinctio Campegij in tract. de dote. in vltima parte. quæst. 69. quia ex prædictis apparet, quod est contra * communem. Non obstat quod Brun. dicat in d. tract. de statut. excluden. fœmin. propter masculos. art. 4. col. 3. quod magis cōmunis, & verior opinio est,
1 quod † statutum excludens fœminas propter masculos, sit fauorabile, ergo erit extendendum. vt per Bart. in d. l. 1. quæst. 6. C. de sum. Trinit. Quia respondebatur, quod communis opinio, quæ tenet opinionem Bart. ꝙ tale statutum nō extendatur extra territorium; non ideo tenet opinionem Bart. quia negat tale statutum non esse fauorabile, sed ideo tenet opinionem Bart. quia statuentes non possunt extra territorium statuere. & ita dicit Ias. cons. 80. visa facti. &c. colum. 2. vers. restat videre. &c. vol. 3.

* Quod sit contra cōmunem testatur Gozadin. cōs. 49. circa primū. &c. col. 2. vers. septimo facit. &cæt. lúcta, col. pen. versic. ad septimū & vltimū. &c.

SVMMARIVM.

Prorogatio termini reprobatorij concessa.

DECISIO CCCXLII.

DIe 23. Octobris 1542. coram D. Io. Paulo, pro Archiepiscopo Corcyrensi, fuit concessa prorogatio termini reprobatorij, non obstante quod ille qui habuerat remissoriam, ante tempus expediuisset probationes suas, & reliquo termino renunciasset.

SVMMARIVM.

In beneficialibus licitum est, ante confirmationem Papæ, pęnitere. etiam altera parte contradicente.

1 *Matrimonium contrahens in gradu prohibito, cum conditione, si Papa consenserit, an causet obligationem.*
An in eo requiratur nouus consensus.
2 *In beneficialibus pacta sine authoritate Superioris, an reprobata. & num. 4.*
3 *Concordia non confirmata, an sit locus pœnitentiæ in beneficialibus.*
5 *A concordia recedere volens, an totum quod habuit, restituere teneatur.*
6 *Clausula in concordia, attento quod ambæ partes supplicant, quomodo intellecta.*
Consensus primus an dicatur durare, ad hoc vt vtraque pars dicatur supplicare in concordia.

DECISIO CCCXLIII.

IN vna Cæsaraugustana concordiæ, pro Petro Valero, contra Antonium Bernum coram D. Mohedano 23. Octobris 1542. fuit resolutum, quod in beneficialibus, vna pars, altera inuita poterat recedere à concordia facta saluo beneplacito sedis Apostolicæ, ante confirmationem Papæ, etiam quod ab vna parte fuisset inchoata pro parte obseruari. per ea quæ dicit Abb. & Card. in c. super eo. de condict. apposit. de eo qui
1 contrahit † matrimonium in gradu prohibito, si Papa consenserit. ꝙ ex quo ille contractus. est à iure reprobatus, ex eo nulla nascitur obligatio. Et ideo ante dispensationem pars altera potest recedere. Immo eueniente dispensatione, requiritur nouus consensus, vt per Abb. ibidem. Et cum pactiones
2 absque auctoritate † superioris in istis beneficialibus sint illicitæ. cap. nisi essent viri prouidi. de præben. c. de cætero. de transact. sequitur quod vna pars potest, altera inuita recede-

recedere. Non obstat, quod in casu nostro, quod post moram illius qui volebat stare concordiæ, altera pars, quæ volebat peni-
3 tere, pro parte obtinuisset † concordiam adimpleri, & ideo videretur renunciasse iuri dicendi de nullitate, & teneretur agere ad implementum pro reliquo. iuxta tex. in l. si fundus. §. 1. & in l. post legem §. fin. cum l. sequenti. ff. de leg. commiss. quia dicebatur, quod id habebat locum in propha
4 nis. secus est in † beneficialibus, super quibus partes non possunt pacisci. & ita dicebatur, aliàs fuisse decisum in vna Calaguritana, pro Roderico Argomanez, contra Didacum Pateruina. Fuit tamen dictum, quod Petrus, qui obtinuerat pro parte concordiã
5 adimplere, † debebat totum id quod receperat, restituere, & postea à concordia recedere. Et dixit D. Mohedanus, quod si in supplicatione confirmationis cõcordiæ, di-
6 catur, † attento * quod ambæ partes supplicant, quod Rota intelligit de consensu illo præstito in concordia. quia videtur semper durare, nisi ante confirmationem pœniteat. & quod illa verba ad supplicationem vtriusq; partis, intelliguntur distributiuè. ita vt vtraq; pars possit de per se supplicare, non autem collectiuè, Et ita etiã fuit dictum in vna Salamantina, coram D. Thoma. die 16. Aprilis 1543.

* Cõsensus primus dicitur durare quoad hoc, vt vtraque pars dicatur supplicare.

SVMMARIVM.

Cedens, an post cessionem possit deducere acceptationem genericam, ad speciem.

DECISIO CCCXLIV.

Die 23. Octobris 1542. fuit dubitatum An cedens, post cessionem posset extra here acceptationem genericam, & deducere ad speciem. Aliqui dicebant, quod non. quia cedens, post cessionem habetur pro mortuo. Alij vero dicebant, quod immo poterat. quia, licet habeatur pro mortuo, quo ad actus futuros; nõ autem quo ad præteritos. attento quod declaratio retrotrahebatur. Fuit dictũ, quod aliàs de hoc fuerat dubitatum, & nil fuerat decisum, sed quod informaretur.

SVMMARIVM.

Solennitas ex temporis diuturnitate præsumpta.

1 *Obseruantia cum diuturnitate temporis, quid operetur in transactione.*
2 *Solennitas non enunciata, quando operetur.*

DECISIO CCCXLV.

In vna Portugalensi Præceptoriæ de Leca, pro Episcopo & Capitulo Portugalensi, contra Reuerendiss. Magnum Magistrum Rhodi fuit resolutum 23. Octobris 1542. quod transactio inter quosdã Religiosos dictæ Religionis S. Ioannis, ex vna, & dictum Episcopum & Capitulum, ex alia, diuturnitate temporis immemorabilis, puta quia per ducentos annos & vltra, præsumeretur solennis & approbata, auctoritate vel consensu superioris. quia solennitas extrinseca, diuturnitate temporis præsumitur. per Cur. Sen. cons. 66. vers. sed præmissis. &c. & Cassad. decis. 3. de procurat. vt patet ex notat. per Alex. in l. sciendum. col. 4. & per Ias. ibi in 4. limitatione. ff. de verb. oblig. per Felin. in c. sicut. col. 17. de re iudic. prout in terminis erat cons. Pet. de Anchar. 136. Dec. cons. 474. col. 2. Maximè quod isto casu, cum temporis diu-
1 turnitate † concurrebat obseruantia transactionis * per quam tollebatur omne vitium. vt per eundem Pet. de Anchar. in prçallegato cons. 136. & Dec. in d. cons. 474. Nõ obstat quod solennitas non reperiretur enuncia-
2 ta. quia prædicta procedunt † absq; earum enunciatione. vt per Felin. in c. Albericus, col. fin. de testib. Dec. cons. 341. col. 7. vers. non obstat. per Ias. in d. l. sciendum, in 4. limit.

* Obseruantia &c. Idem dicit Alex. cons. 79. nu. 10. & 11. vol. 1. Felin. in c. sicut. col. 19. ibi non est verisimile, quod actus fuisset tolleratus de re iudic. & Cassador. d. decis. 3. dum dicit, quod præsumitur propter diuturnitatem, & tollerantiam.

SVMMARIVM.

Allegatio Lapi octuagesimanona, tuetur illegitimum.

1 *Successor an teneatur docere de titulo prædecessoris.*
2 *Titulus nouus, & melior an præsumatur in beneficialibus, dato titulo infecto.*

DECISIO CCCXLVI.

Eadem die 23. Octobris 1542. fuit resolutũ in vna Conchensi Præstimonij de Baraias, quod allegatio Lapi 89. tuebatur illegitimum, qui possederat per 30. annos, prout erat in casu illo. in quo illegitimus triginta annis possederat, & postea
1 resignauerat. dicebatur quod † successor nõ tenebatur docere de titulo sui prædecessoris, seu illum iustificare. per cons. Anchar. 117. Et etiam dicebatur, quod non obstaret, quod in illo casu constaret de infecto ti-
2 tulo. † quia semper, dato vno titulo, præsumebatur alius melior. vt per Sarnen. in regula de triennali. quæst. 10. in fin.

SVM-

SVMMARIVM.

Resignatio facta in fauorem certæ personæ cum suspensione vnionum, &c. dato quod præcedat vnio, non dicitur tollere ius quæsitum.

1 *Verba, per cessum vel decessum in vnione quomodo intellecta, & num. 3.*
2 *Principis mens, an ex quotidiano vsu colligatur.*
3 *Resignatio facta in fauorem certæ personæ, an comprehendatur in regressu per cessum vel decessum.*
4 *Resignatio in fauorem certæ personæ, non fit, nisi in manibus Papæ.*
5 *Vnionis suspensio facta per Papam, non facit præiudicium considerabile.*
6 *Vniones ex stylo passim suspenduntur à Papa.*
7 *Ex vnione, quod ius quæratur. & nu. 8.*
9 *De vnione præcedenti, quando sit facienda mentio.*
10 *Vnio quando causet tale ius, vt requiratur derogatio regulæ de non tollendo.*

DECISIO CCCXLVII.

FVit etiam in eadem decisum, quod resignatio quæ suspendebat vniones, prout erat in illo casu, in quo præcedebat vnio quatuor præstimoniorum vni beneficio seruitorio, per cessum vel decessum illa obtinentium, & in resignatione, Clemens suspendebat etiam vnionem per Innocentium etiam ob diuinum cultum factam, &c. etiã quod non haberet derogationem regulæ de non tollendo ius quæsitum, esset valida. Et considerabatur, quod illa vnio de qua in casu illo, etiam quod haberet de vacanti per cessum, vel decessum; tamen non comprehendebat vacationem per resignationem in fauorem certæ personæ, prout erat illa resignatio de qua disputabatur. Sed prædicta
1 verba † per cessum, vel decessum, intelligebantur de resignatione simplici, prout dicit Cassador. decis. 3. de renunc. vbi Papa confirmauerat creationẽ in Canonicum. prouidendo ex nunc, prout ex tunc quamprimum vacaret per cessum, vel decessum, &c. Et cõclusum fuit, non intelligi per cessum in fauorem certæ personæ. arguendo ab vsu patrisfam. qui numquam consueuit similes resignationes impedire, & alijs prouidere quã
2 resignatarijs, & ex longissimo, † & quotidiano vsu Principis, colligitur eius mens argumento, l. vel vniuersorũ, ff. de pign. action. Felin in c. in nostra Coroll. 5. de rescript. Ex quo infertur. Primo ad exclusionem Regulæ iuris quæsiti, quod suspendendo nullum fit præiudicium. nam dicta vacatio non comprehendebatur, sicut etiam tenuimus in
3 regressu per cessum vel decessum, † vt non comprehendat resignationem factam in fauorem certæ personæ. Secundo, infertur responsio, quod quando Papa dat similes vniones, & suppressiones, ex quo etiam consueuit easdem materias in resignationibus suspendere, à principio; videtur etiam concessisse sub ista tacita conditione, vt locum non habeant in euentum cessionis in fauorem certæ personæ. Item, cum resignans non inten-
4 dat resignare, † nisi in fauorem certæ personæ, quod non potest fieri nisi in manibus Papæ c. ex parte. de offic. deleg. Papa suspen
5 dendo non dicitur facere præiudicium † cõsiderabile vnioni quia potest esse, quod resignatarius præmoriatur resignanti, & tunc vnio suum consequitur effectum, nimirum si non dicitur, ius quæsitum tollere. Et cum Papa similes gratias ex stylo passim suspen-
6 dat, † constat, arguendo ab vsu patrisfamil. etiam non habere pro iure quæsito similes gratias, quas sine difficultate suspendere solet, prout etiam videmus in iure expectan. etiam post vacationem, & acceptationem vt decis. 16. licet de more, de præben. in nouis. quod etiamsi procedat ex obseruatione Palatij scientis & approbantis, vt per Aegidium decis. 167. hoc firmat decisionẽ nostram. nam hic non disputatur de alijs, nisi de mente Pontificis, à quo gratiæ, & regulæ emanarunt. Siquidem ipse non habuit pro iure considerabili, ius quod non est formaliter & iure acquisitum, sed passim illud tollere consueuit. Non obstat cons. Oldrad. 257. factum tale est. colum. 6. num. 19. vbi
7 vult quod ex † vnione quæratur ius in re. & quod gratia sequens, non facta mentione de vnione præcedenti sit subreptitia. quia in casu Oldradi forsan posset concedi, quod per vnionem quæratur ius in re, cum in illo
8 casu, fuisset vigore † vnionis capta possessio à principio. sed quod per vnionem quæratur ius in re est falsum. sed potius ius ad rẽ. Item, fateor quod ex quo secunda gratia nõ faciebat mentionem de vnione præcedenti,
9 quod esset subreptitia. † quod non erat in casu nostro. prout etiam dicit Felin. in cap. in nostra. coroll. 27. de rescript. sed quod
10 sit necessarium † derogare regulæ de non tollendo ius quæsitum, non dicit Oldrad. prout idem videtur dicere Oldrad. consil. 223.

SVMMARIVM.

Mandatum ad totam causam ex quibus præsumptum.

1 *Mandatum, an præsumatur ex sola scientia principalis.*

2 *Man-*

2 *Mandatum, an præsumatur ex productione iurium.*
3 *Mandatum, an ex patientia præsumatur.*
4 *Mandatum an præsumatur propter excessum.*
5 *Et an propter impensam.*

DECISIO CCCXLVIII.

IN causa Placentina Castri Sarmati, pro Comite Vlderico, cōtra Comitem Gasparem. die 23. Octobris 1542. fuit resolutum coram D. Io. Paulo, quod licet ex
1 sola † scientia principalis, scientis causam agitari non inducatur mandatum, & ideo reprobetur. Innoc. in c. ex parte Decani. de rescrip. Tamen, quia vltra scientiam principalis, in casu illo concurrebat productio centum & quinque instrumentorum per Christoforum, qui pretendebatur habuisse mandatum à Comite Bartholomeo. & pro-
2 ductio † iuriū facit dubium de mandato. vt per Felin. in c. coram. col. 4. de offic. deleg. Ideo quia concurrebat scientia cum dubio
3 de mandato, tunc ex patientia † præsumebatur mandatum ad totam causam. vt per Felin. in c. ex parte Decani. col. 3. vers. item vltra decem saluationes. de rescrip. Et istud fuit principale fundamentum. Item, & prop-
4 ter excessum mandati, † etiam præsumitur mandatum ad totam causam. vt per Alex. in l. sæpe. col. 30. vers. ex iis vltimo loco dictis &c. de re iudic. Item, & propter im-
5 pensam. quia † tunc etiā præsumitur mandatum. vt decis. 2. de caus. possess. & proprietat. in antiquis. Multæ aliæ coniecturę considerabantur, sed istæ potissimæ fuerunt. ex quibus resolutum fuit, quod præsumebatur mandatum ad totam causam.

SVMMARIVM.

Clericatus in illegitimo non probatur per famam.

1 *Licentia Episcopi, in ordinante in aliena diœcesi, quando præsumatur. & nu. 2.*
2 *Sigillum, an præsumatur appositum de voluntate Domini.*

DECISIO CCCXLIX.

IN causa Calaguritana de lo Grogno die 23. Octobris 1542. fuit resolutum coram D. Thoma de Thanis, quod Rota seruat, quod clericatus in illegitimo, non probatur per communem famam, & reputationem. per cons. Gemin. 91. Item, quod Episcopus de Garay, qui in Episcopatu Calaguritano promouerat Martinum ad clericatum, & in litteris dicebat, quod hoc
1 fecerat de licentia † Episcopi Calaguritani. quod probat * licentiam, & mandatum. per not. per Abb. & Felin. in c. Albericus de testib. per Felin. expresse in c. sicut. col. 12. vers. fallit primo. de re iudic. Maximè quia agebatur de modico pręiudicio, & ordinans erat bonæ famæ, prout erat probatum in illo casu. vt per Felin. in c. Albericus. col. fin. & in c. sicut. col. 18. vers. quarto dicta regula. &c. Itē, aderat appositio sigilli Episcopi Calaguritani. & in in dubio, de eius
2 voluntate † appositum censetur. vt per Felin. & Dec. in c. tertio loco. de probat. & per Dec. in c. post cessionem. col. 6. de probat. & Felin. & Dec. in c. 2. de fid. instrumen.

* Episcopus, qui dicit, quod de licentia alterius promouit alium, probat. Vide idem resolutum in 2. lib. annot. mearum decis. 397. Probat licentiam, &cæt. vide Philipp. Prob. in c. 3. in fin. coment. de tempor. ordinat. in 6. Cassan. cons. 2u. num. 9.

SVMMARIVM.

Allegatio Lapi quomodo intellecta, videlicet. 89.

1 *Titulo infecto dato, quando præsumatur alius bonus in beneficialibus.*
2 *Allegatio Lapi, vt locum habeat, quid requiratur.*
3 *Reputatio communis quando attendatur.*
4 *Possessio, an probetur per instrumentum.*
5 *Possessio, animo & corpore quæsita, an possit absq; animo amitti.*
6 *Possessionis causam, quando quis sibi mutare possit.*
7 *Cappellanos deputare, an inter onera computetur.*

DECISIO CCCL.

LEO Decimus vniuit aliās Monasteriū S. Mariæ de Balneo, nullius diœcesis Ordini Camaldulensium, cum primum vacaret, per cessum vel decessum tunc obtinētis. Et postea per obitum obtinentis, facto loco vnioni, Laurentius de Balneo illud impetrauit. sed quia dictæ impetrationi obstabat supradicta vnio, idem Laurentius illud resignauit in fauorem dictæ Congregationis, reseruatis sibi fructibus, etiam propria auctoritate percipiendis. Congregatio, habens notitiam de dicta resignatione, illam acceptauit, & Abbatem deputauit. qui Abbas, possessionem Monasterij nomine Congregationis accepit. tamen illa possessio fuerat instrumentalis, quia non probabatur aliqua continuatio. immo probabatur, quod Laurentius, per triennium & vltra, possederat Monasterium vt titularis, prout per sex testes probatum fuerat. & ideo per mortē eius, D. Archintus, Vicarius Vrbis, qui beneficium siue Monasterium impe-

impetrauerat, prætendebat, Monast. nullũ ius ex sua vnione prætendere posse. eũ, attento ꝙ Laurentius longo tempore possederat vt titularis, præsumebatur retrocessio. & nõ tenebatur ipse titulum sui auctoris iustifica re. per allegationem Lapi 89. Et quia * licet in terminis allegationis Lapi, doceretur
1 de aliquo titulo † infecto tamen præsumebatur alius, & alius titulus bonus. vt per Cassad. decis. 3. col. 2. de caus. possess. & pro priet. & decis. 4. Tamen in isto casu fuit dictum, quod dicta allegatio Lapi non obsta-
2 bat. tum quia, † vt allegatio Lapi locum habeat, est necessarium vt quis possideat vt titularis, & hoc est ex parte putatini titularis; ex parte autem veri titularis, requiritur negligentia eius. prout dicit Cassad. decis. 3. de caus. possess. & propriet. Et si ista duo non concurrunt, allegatio Lapi non habet locum. At in casu nostro neutrũ concurrit. quia, vt iste possedisset vt titularis dici non potest, ex quo docebatur de titulo ipsius Laurentij, puta de reseruatione fructuum, & vigore illius tituli præambuli præsumebatur possidere. ad l. quædam mulier. ff. de rei vendic. Et ideo cum doceretur de causa possessionis non debebat attendi communis reputatio, quod communiter reputaretur possidere vt titularis. cum talis
3 communis reputatio, † tunc debeat attendi, quando de nulla causa possidendi apparet. quia quando apparet, vigore illius præsumitur quis possidere. ad d. l. quædam mulier. Et ideo, cũ ab initio capta fuisset possessio Monasterij per Abbatem licet instrumentalis; quia per instrumentum factum
4 super ipso actu apprehẽsæ possessionis, † probatur & quæritur possessio, præsertim quan do in ipsa re præsenti, vel in eius conspectu instrumentum celebratum fuit. ad l. prædia. vbi Bart. & late Alexan. in 1. col. ff. de acquir. possess. Et ideo, cum illa possessio fuis-
5 set animo † & corpore quæsita, non poterat absque animo amitti. l. 3. §. in amittenda. ff. de acquiren. possess. Et ideo, licet testes diterent, quod Laurentius possederit; vt titularis, tamen, quia non probabatur patientia & scientia, Fratrum & Congregationis, non poterat dici amissa prima possessio per eos capta. nec Laurentius, nulla
6 causa extrinsecus † accedente, poterat sibi mutare causam possessionis. l. cum nemo. C. de acquiren. possess. nec possessionẽ Congregationis, ea nesciente, interuertere. Nec obstat quod probaretur, quod Laurentius
7 ibi Cappellanos deputaret. quia † depntatio Cappellanorum inter onera computatur. vt per Cassad. decis. 19. de præben. Maxime in isto casu dicebatur, in quo per duos testes Congregationis, probabatur quod Cõgregatio singulo anno solebat Abbatem deputare. & licet ille Abbas ad Monasterium non accederet, tamẽ ex hoc arguebatur animus Congregationis, quod non posset præsumi aliqua retrocessio. Et ideo, quia aliqua negligentia non dabatur. vt per Cassador. d. decis. 3. de caus. possess. & propriet. eramus extra allegationem Lapi. Et in isto casu, per duos testes pro parte Congregationis, probabatur quod Laurentius vt fructuarius possederat. Tamen attentis prẽmissis, non fuit curatum de istis duobus testibus. & ita fuit resolutũ in vna Nullius, Monasterij S. Mariæ de Balneo, pro Congregatione Camaldulensi, contra D. Archintum Vicarium Vrbis. 27. Octobris 1542. coram D. Io. Paulo.

* Aduerte quia licet in terminis allegationis Lapi, quando docetur de titulo infecto semper præsumitur alius titulus, & ita loquitur Lapus, tamen quãdo docetur de titulo valido, ex illo præsumitur quod fuerit sequuta possessio, & ita hic.

SVMMARIVM.

An iudex Laicus, sit iudex competens in causa possessorij rei spiritualis.

1 *Causa possessorij spiritualis, est spiritualis & non laicalis. & num. 2.*

2 *Iudices laici sunt incapaces in remedio adipiscendæ in spiritualibus.*

3 *Iudex laicus, nec principaliter, nec inciden ter, de spiritualibus cognoscere potest. & num. 9.*

4 *Iudices laici, incompetentes super legitimatione, quando agitur, an matrimonium teneat.*

5 *Possessorium recuperandæ, an detur, quando possessio continuatur in successorem, absque apprehensione. & num. 6.*

7 *Filius vt mittatur in possessionem ex Carboniano edicto, quid requiratur.*

DECISIO CCCLI.

FVit dubitatum die 30. Octobris 1542. in vna * Toletana matrimonij, pro Comite de Pugnorostro. contra D. Beatricem de Vaena, & Ioannem Ariam eius filium, An Iudices laici, possint cognoscere de possessorio causæ spiritualis, seu in quo incidit articulus causæ spiritualis discutiendus. Super quo fuit dictum, quod Doctores in attestatione communis opinionis, videntur variare. nam decisio Cappellæ Tolosanæ 470. & ibi additio, dicit quod communis opinio
1 est, quod causa possessorii rei † spiritualis, sit spiritualis. & idem sentit decis. Regni 24. in princ. in antiquis. Sed Franciscus Ripa in rub. de iudic. colum. 19. vers. circa etiam quæstionem, dicit quod cõmunis est, quod causa possessorii rei spiritualis, dicatur temporalis. & subiungit quod istud seruant Parlamenta Franciæ in omni possessorio, excepto possessorio adipiscendæ. & allegat Guidonem Papę istud dicentem decisione 1. & alias decis. ipsius Guidonis de quibus ibi per eum. Multa etiam ponit Stephan.

* Vide Sarnen. in regula de Annali, q. 46.

phan. Aufrerij.in tract.de potest. secul. su-
per Eccles.person.inserto in nono vol.tract.
fol.101. col.3. vers. vigesimoquarto in pos-
sessorijs.&c. Et ideo,in casu de quo dubita-
batur, videlicet, An pendente iudicio nata-
liū Ioãnis Ariæ in Rota, iudices laici in par
tibus in iudicio possessorio inter ipsum Ioã-
nem ea vna,& Gundisaluum possessorem Co
mitatus ex alia contradicentem Ioanni, pe-
tenti se immitti in possessionem comitatus
iuxta leges Hispaniæ,& tenorem maiorica-
tus. Dicebatur,quod siue teneremus primã
opinionem quæ indistinctè tenet, quod iudi
2 cium † possessorium rei spiritualis sit spiri-
tuale, siue quod tantum sit spirituale, quan
dọ agitur remedio adipiscendæ,quod in om
nem casum, iudices laici non essent iudices
competentes, cum hic ageretur de iudicio
adipiscendæ, vt statim demonstrabitur. In
quo iudicio incidebat articulus spiritualis
scilicet legitimitatis, quod iudices laici in
partibus, non essent iudices competentes
Quæ opinio tãto magis procedebat,ex quo
ex forma maioricatus succedere habebat fi
lius legitimus, & de legitimo matrimonio.
& ideo cum istud possessorium haberet mix-
tam causam proprietatis, & iudea laicus,
3 nec † principaliter, nec incidenter de spiri-
tuali cognoscere potest.cap.tuam.de ordin.
cognit. c. lator qui filij sint legit. Alex. in l.
Titia, ff. solut.matr. Dec. in c.2. col.15.de
iudic. Et quia non articulus facti hic discu-
tiendus erat, quoniam de facto plene
constabat: cum coram multis matrimoniū
contractum fuerat.sed articulus iuris vide-
licet, an matrimonium teneret, vel non, &
4 per consequens filius † esset legitimus, quo
casu iudices laici non sunt competentes,
vt per Alex. & Dec. in dictis locis. Et quæ
exaduerso considerabantur, non conclude-
bãt. Et primo dum dicebatur, quod ex quo
ea forma legum Hispaniç possessio defuncti
continuabatur in filium, seu successorem
absq; aliqua apprehensione,quod ex tali le-
5 ge producebatur † remedium recuperandæ,
vt per Io.Fab. in §.fin. instit. de hær. qua-
lit. & differen. Guid. Pap. quæst.552.& per
Phil.Prob. in c.si tibi absenti, num. 25. de
præben. in 6.Dec. cons. 64. col.2. & in tali
iudicio recuperandæ,iudex laicus de articu
lo spirituali incidenti cognoscere potest.
prout dicit Guid.Pap.quæst.85. quod iudex
laicus cognoscens de possessorio beneficij
cognoscere poterit incidẽter de titulo bene
ficii. Ad istud respondebatur, quod assum-
ptū est falsum, immo dictum fuit quod talis
6 possessio † à lege data, quæ dicitur ciuilissi-
ma, non producit istum effectum recuperan
dæ, vt per Alex. & Ias. in l.si forori, col.2.
C. de iur.deliber. & hanc dicit communem
Ripa in rub.de caus.possess. & propr. col.6.
vers. ciuilissima vero, &c. & idem Ripa in
primo respons. sub rub. de legib. & cõsuet.
in positione casus licet ibi consulendo con-
tra communem tenere nitatur. Item diceba
tur,quod illa opinio Guidon. non erat à Ro
ta recepta, vt infra dicetur. Secundo oppo-
nebatur de l.2. & notat. ibi per Doct. C.de
7 Carb. ędict. nã vt filius mittatur † in pos-
sessionem ea illo edicto oportet, quod sit fi-
lius legitimus & naturalis,& tamen quia in
illo casu, ex quo sumus in remedio posseso
rio,sufficiunt probationes summariç,& semi
plenæ, possunt illæ fieri coram iudice laico;
Et idem dicunt Doctor. in l. 3. §. summa-
tim, ff. de Carbon. edict. & voluit Bal. in l.
filium diffinimus, ff. de ijs qui sunt sui, vel
alien.iur. Ias. in l. quotiens in 10.limit. C.
de iudic.Hippol.singul.70.Idẽ ergo videtur
dicendum in casu nostro vt summarie, & se-
miplene, corã iudice laico ad effectum mis-
sionis in possessionem possint de filiatione,
& legitimitate fieri. Sed ad istud responde-
batur quod Dec. in d.l.2. dicens,quod corã
iudice laico non potest cognosci de articu-
lo spirituali ad veritatem eorum quæ dicũt
ibi Doctores remittit se ad not. per eum in
c.2. de iudic. vbi Dec.col.16. in 3. limitat.
dicit quod opinio Doctor.in d.l.2. propter
alias auctoritates DD. contrarias, non
erat tuta, & ante eum idem dixit Felin. in
c.cum sit generale, col.3. vers.tertia decla-
ratio de for.compet. Immo dicebatur quod
contra notata, in d.l. 2. de Carbon. ædict.
obstabat communis opinio,de qua per glos.
& Doctor.in l. 2. C.de ędict. D.Adr. tollen.
dum dicitur, quod quantumcumque simus
8 in † Iudicio summario tamen habilitas per-
sonæ semper plene probanda est; nisi concor
dando ista dixerimus, quod not. in l.2. de
Carbon. ędict. procedant parte non oppo-
nente, & not.in l.2. C.de adict. Diu. Adr.
tollen. procedant parte opponente, prout
dicit Iason.ibi in fine. Vel secundo dicamus,
quod not. in l.2.C.de carbon.ędict. proce-
dant in illo casu in quo non tractatur, nisi
de præiudicio temporali, secus in casu no-
stro,in quo præiudicium potest esse perpe-
tuum. Vel tertio illa possent procedere in
possessorio, quod est præparatorium alte-
rius possessorii; Secus est vbi non est præ-
paratorium, sed potius diffinitiuum, pront
hoc sentit Alexand. in l. Titia. in 5. fal-
lentia, ff. solut. matrimon. & decis. Re-
gni. 55. in nouis. tamen prima responsio
melior est, vt illa opinio non sit tuta: Ex
9 quo Iudex † laicus, nec principaliter, nec
incidenter de articulo spirituali cognosce-
re potest. Tertio opponebatur, quod ea
quo Ioan. Arias erat in possess. legitimi-
tatis, & eramus in iudicio possessorio,
quod iudex laicus incidenter de legitimi-
tate eius cognoscere poterat,per dictum
Bal. in auth. ei qui, C. de bon.auct. indic.

O possi-

possidend. fuit responsum quod dictum Bald. reprobatur per Alexand. in dicta l. Titia in 8. Fallen. ad text. in cap. causam 2. qui fil. sint legit. fuit responsum, quod ille text. loquitur in mero possessorio, & in quo articulus spiritualis non incidit. Et tandem nemine discrepante pro ista parte, quod iudices laici non essent iudices cōpetentes in isto casu, resolutum fuit. Et Dominus meus Sarnensis secundus responsalis testatus fuit, quod Rota in alijs causis generalius concluserat, quod in iudicio possessorio rei spiritualis iudices laici, non essent iudices competentes, quod & alij Domini confirmarunt.

S V M M A R I V M.

Compulsoriales generales pendente dilatione decerni possunt.

1 *Dilatio, cur detur.*
2 *Dilationes an dentur tempore feriarum.*

DECISIO CCCLII.

Coram D. de Thanis 30. Octob. 1542. in vna Gerundensi fuit resolutum, quod compulsoriales generales potuerint decerni, & exequi non obstantibus dilationibus sibi ad partes concessis, etiam quod pars, & ante decretum, & post protestata fuisset, quod non decernerentur: attento, quod dilatio erat concessa, quia dicebatur
1 quod ex quo † dilatio datur ad deliberandum, an velit cedere, vel contendere, vt per Cassador. decis. 1. de dilation. quod isto casu nil faciebat contra dilationem, sed magis ad expeditionem, prout dicit Paul. de Castr. in l. siue pars. C. de dilation. Bart. in l. 2. in fine. ff. de re iudic. & Bal. in d. l. siue pars. Abb. in cap. significante, col. fin. & ibi Franc. colum. 5. in 10. limit. de appellat. Socin. in Reg. 93. nam ex iuribus, vigore compulsorialium extrahendis, melius
2 deliberare poterit, & quia † quotidie etiam tempore feriarum, quo tempore iudicis officium conquiescit, eas decernimus.

S V M M A R I V M.

Statutum non ligat Statuentem.

1 *Statuta condere, an sit iurisdictionis.*
Iurisdictionem in seipsum nemo exercere potest.

DECISIO CCCLIII.

Trigesima Octobris 1542. in vna Parmensi bonorum pro Michaele Casalio contra D. Liuiam resolutum fuit, coram me: quod statutum Palauicinorum excludēs lineam maternam à successione filij, non comprehenderet statuentem Bart. in l. Lucius Titius specie, ff. de fideicommiss. liber. Alexan. & Ias. in l. 1. in princ. ff. quod quisque iur. Felin. in cap. 1. colum. 7. versic. amplia quarto, num. 24. de constit. & ra-
1 tio est quia † cum condere statuta sit iurisdictionis, secundum Bart. & omnes in l. omnes populi in 1. quæst. ff. de iust. & iur. Sed nemo potest in se ipsum iurisdictionē exercere l. pen. ff. de arbit. ergo &c.

S V M M A R I V M.

Decretum Iudicis in quacumque parte actus potest interponi:
Item de consuetudine in interpositione non requiritur causæ cognitio.

DECISIO CCCLIV.

In vna Perusina hæreditatis, coram D. Io. Paulo, die 6. Nouembris 1542. fuit resolutum non referre an decretum Iudicis interponatur, siue in principio, siue medio, siue fine, per ea quæ dicit Ias. in l. si quis mihi bona, §. iussum, colum. fin. ff. de acquir. hæredit. Item quod licet decretum Iudicis non valeat interpositum, absque causæ cognitione, per ea quæ dicit Iason. in l. nequicquam, §. vbi decretum, col. 12. ff. de offic. Procons. & in l. 2. C. de eden. tamen de consuetudine contrarium seruatur, prout dicit Alberic. & Paul. de Castr. in l. actus, C. de Fer. Paul. de Cast. consil. 38. super eo, quod quæritur in final. verbis vol. 2. in vlt. impressione, prout erat in illo casu, in quo erat probata consuetudo. *

* Quomodo debeat probari ista consuetudo. vid. Curt. Iun. cons. 29. habita diligenti, &c. col. 5 vers. ex præmissis clarissime, &c. cum seq. col.

S V M M A R I V M.

An possessio immemorabilis faciat, quod Iudices laici sint Iudices competentes in causa possessorij in quo incidit articulus spiritualis.

1 *Iudex laicus etiam ex consuetudine non habet iurisdictionem in spiritualibus.*
Consuetudo ista esset contra ius Dictionum.
2 *Personarum habilitas plene probanda.*
3 *Iudex laicus etiam de articulo incidenti non cognoscit in spiritualibus.*
4 *Immemorabilis an habeat vim priuilegij, vbi non sumus in persona habili.*

DECISIO CCCLV.

In causa Toletana matrimonij, corā D. Fabio 6. Nouemb. 1542. fuit dubitatum, An iu-

An iudices laici haberent iurisdictionem in illo possessorio, in quo incidebat articulus spiritualis, probato exercitio ab immemorabili tempore citra. quod si vna cum tanto tempore concurrebat fama priuilegij, q tunc intrabāt, not. per Felin. in c. causā quæ col. 2. de præscript. Et tunc non ex tempore, sed potius ex priuilegio, vigore cuius laici possunt cognoscere de causis spiritualibus. secundum Dec. in c. 2. in 6. col. vers. in eadem glos. de iudic. Et fama, ex quo sumus in antiquis, isto casu bene probaret priuilegium. secundum Bal. in auth. quas actiones, C. de Sacros. Eccles. Si autem fama priuile-
1 gij non probaretur, tunc ex quo ista † consuetudo est contra ius diuinum, etiam non valeret. vt per Rot. decis. 3. de iur. patron. & 12. de consuetudine in antiquis. secunda de consuetud. in antiquioribus. quæ decisiones loquuntur in consuetudine tanti temporis, cuius initij. &c. prout ita eas intelligit Curt. in c. fin. col. 67. in fine. de consuetud. vbi Curtij dicta ibi in 5. limitatione bene videntur firmare istam partem. Non obstat, quod dato conflictu opinionum, prout in ista materia possessorij, an dicatur spiritualis, vel temporalis, quod tunc standum est consuetudini. secundum Curtium. in d. c. fin. col. 68. vers. sexto limita. &c. quia respondebatur, quod ex quo hic agebatur iu dicio possessorio adipiscendæ, & negabatur
2 habilitas personæ, † quo casu plene erat probanda. vt per Doctor. in l. 2. C. de ædict. diui Adr. tollen. nemo isto casu discrepabat,
3 quod iudices laici, † etiam de articulo incidenti, in quo plenariæ requiruntur probationes, non est index competens. vt per Decium in c. 2. col. 15. de iudic. Et notata, in l. 2. C. de Carbon. edict. habent locum in iudicio possessorio, in quo requiruntur semiplenæ probationes. Et quod possessio im-
4 memorabilis non habeat vim † priuilegij, vbi non sumus in persona habili, fuit allegatus Cardin. cons. 57. & consil. 89. Socin. cons. 260. col. fin. & Felin. in cap. dilecto de testibus.

SVMMARIVM.

Ius tertij quo casu fuit admissum.

1 *Narrata in gratia probanda.*
2 *Ius tertij, vt de eo possit dari, quale esse debeat, & num. 5.*
3 *Ius tertij deducens, an dicatur venire per viam obiectus.*
Obiectus debet plene probari.
4 *Iudex cum ad exequutionem procedit, an præsumantur omnia iuridice processisse.*
Actus cum reperitur factus, præsumuntur omnia fuisse iustificata.
6 *Possessor an possit dare de iure tertij ex sola supplicatione, litteris non expeditis.*
7 *Supplicatio an dicatur gratia informis.*
8 *Reus an possit se pluribus exceptionibus, etiam contrarijs iuuare.*

DECISIO CCCLVI.

FRater Hieronymus de Torgio Generalis Humiliatorum vigore gratię suę, acceptauerat Præposituram S. Laurentij de Pinerolio, vacantem per obitum Hieronymi de Maximis de anno 1539. & agebat contra Ioannem de Solaris intrusum. Hieronymus, reus & possessor dedit de resignatione facta per Hieronymum de anno 1526. in fauorem Georgij. In qua Papa, narrato, quod Georgius asserebat se esse in duodecimo suę ætatis anno, mandabat certis iudicibus, vt dicto Georgio commendarent dictam Præposituram, vsque ad ætatem legitimam, & deinde eidem conferretur, litteris in partibus, vni ex iudicibus præsentatis per dictum Georgium, fuit eidem commenda facta iuxta formam litterarum, & inductus in possessionem. Dubitaui ego in vna Taurinen. Præpositurę de Pinerolio, die 6. Nouemb. 1542. An istud ius tertij, de quo Georgius dabat, excluderet Generalem agentem. Et pro parte negatiua dicebatur, quod ex quo non probabatur, quod Georgius esset Clericus, itē quod esset in ætate duodecim an-
1 norum narrata, † nec valor, & alia incumbentia, prout probari debent, iuxta not. per Felin. in c. constitutus. in princ. de rescrip. & non solum ista, sed etiam non solum de resignatione, sed etiam quod esset spontanee facta, docendum erat. vt not. glos. in c. in præsentia. in glos. 1. ad finem. de renunc.
2 Et cum dans † de iure tertij, debeat dare de iure claro, & liquido. vt per Dominum Sarnen. in reg. de non iudic. iuxta formam supplicationis, q. 1. num. 4. videbatur istud ius non esse alias clarum; nisi istis iustificatis.
3 cum qui dat de iure † tertij, videatur venire per modum obiectus. & ille qui obijcit debet plene intentionem suam fundare. vt per Aegid. decis. 561. & 528. Innoc. in cap. super ijs. & ibi Felin. col. 7. & sequen. de accusat. Tamen istis non obstantibus, fuit resolutum contrarium. quia ex quo commenda erat in forma rigorosa, & iudex processerat ad exequutionem præsumebatur, ex
4 quo actus reperiebatur factus, † quod esset legitime factus, & quod omnia iustificanda, fuissent iustificata. vt per Abb. in cap. vidua. de regular. Imol. & ibi Felin. in c. in præsentia, n. 11. & ibi Dec. in 10. not. de probat. & Abb. in c. vnico, in 7. not. vt eccles. benef. Et cum iste habe-

O 2 ret

ret præsumptionem pro se dicens contrariũ debebat probare. maxime cum Io. dans de
5 iure tertij † non ageret pro canonizatoria, sed tantum pro absolutoria. & licet dans de iure tertij, debeat dare de iure claro, non tamen est necessaria ita exacta demonstratio & probatio, prout si ageret pro canonizatoria. Hinc videmus, quod Rota tenet,
6 quod † possessor potest dare de iure tertij per supplicationem. quod tamen ius non
7 ita exacte clarum. cũ † supplicatio dicatur gratia informis. vt per Sarnen. in d. Regula de non iudic. iuxta formã supplicationis. in 4. quæst. Non etiam obstabat, quod idem Ioannes possessor, impetrasset beneficium siue præposituram per obitum eiusdem Hieronymi; quasi fateretur ex eiusdem obitu vacare, & sic sua confessio ei noceret. quia
8 fuit dictum, quod, ex quo † erat reus, poterat se pluribus exceptionibus, etiam contrariis, defendere. vt sunt iura aperta.

SVMMARIVM.

An gratia Pauli de qua hic, sit reualidatoria gratiarum parafrenariorum.

1 *Clausulæ exequutiuæ verba an augeant dispositionem.*

DECISIO CCCLVII.

Decimatertia Nouembris 1542. in vna Oxomensi, beneficii de Bos, pro Bernardo de Quiros, contra Remigium, parafrenarium. in qua dubitabatur coram Domino Marescoto, An gratia concessa parafrenariis per Paulum sub data 11. Kalend. Aprilis. 1538. anno quinto, esset reualidatoria gratiarum dictorum parafrenariorum. Et fuit conclusum per maiorem partem, quod non esset reualidatoria. quia principale intentum illius gratiæ erat priuilegia re parafrenariis, vt non tenerentur ad diligentias, durante absentia Pontificis, vigore quarumcumque gratiarum concessarum, & in posterum concedendarum. & subiungebatur. decernẽtes vos propterea. quæ est dictio restrictiua, & erant verba quæ declarabant præcedentia. Et ideo, licet in eadẽ parte diceretur, quibuscumque regulis reuocatoriis emanatis non obstantibus. tamen per hoc, verba dispositiua non erant am-
1 plianda, cum verba † in clausulis exequutiuis posita, non augeant dispositionem. ad Clement. 1. de præbend. Et illa verba debebant intelligi, si quæ regulæ reuocatoriæ erant, quod illis non obstan. non tenerentur ad diligentias.

SVMMARIVM.

Processus factus per Iudicem recusatum, an sit nullus.

DECISIO CCCLVIII.

Fuit conclusum in vna Placentina Castri Sarmati. * coram D. Io. Paulo. dic 13. Nouembris 1542. quod processus factus per Iudicem recusatum post recusationem est nullus de iure Ciuili, vt per Alex. & Claudium Aquen. qui ponit communem opinionem in l. quia poterat. ff. ad Trebell. & communem etiam attestatur Steph. Bertan. consil. 53. col. 1. vol. 1. Tamen tenuerunt Domini quod secus esset de iure Canonico, sequendo opinionem Innoc. quam dicit communem Philip. Franc. in cap. cum speciali. in princ. in 8. colum. vers. vltimo quæritur, quid si. &c. & ibi Dec. col. fin. & ibi Præposit. col. 12. vers. septima, & vltima. &c. de appellat.

* Idem fuit dictum in vna Cæsaraugustana Præceptoriæ de Villel, coram D. Io. Paulo. nisi causa suspicionis esset notorie friuola, vt erat in illo casu. prout tenet Philip. Franc. in c. cum speciali. col. 5. vers. quarto quæritur de appellat. & in cap. legitima, num. 3. de appellat. in 6. Abb. in c. cum speciali in princ. colum fin. num. 15. vers. dicunt tamen DD. de appell. Est verum, quod dicti Doctor. dicit, quod debet Iudex in reiectione, exprimere quod eam reiicit vt notorie friuolã. plus dicit Alexan. consil. 67. volum. 6. quod sententia lata per Iudicem recusatum, debet confirmari, si habet fundamentum ex actis, ante recusationem factis.

SVMMARIVM.

Regula Adriani ex causa resignationis cessionis, vel alterius dimissionis, quomodo intellecta.

DECISIO CCCLIX.

Archiepiscopus S. Seuerinæ tempore Iulii habebat Monasterium de Fraxinouo Mutinen. & vacãte Monasterio Nonantulę, Iulius Papa decreuit illud de Fraxinouo vacare, & eidem Archiepiscopo contulit Monasterium Nonantulæ, tamen reseruato regressu eidem Archiepiscopo ad dictum Monasterium de Fraxinouo. Fuit dubitatum coram D. Sarnensi. die 13. Nouembris 1542. An talis regressus esset reuocatus per regulam Adriani; nam dicebatur ꝙ Adrianus reuocabat omnes regressus sine consensu. excipiebat tamen regressus ex causa resignationis vel cessionis, vel alterius dimissionis. Hic autem non erat resignatio, nec cessio, nec dimissio. cum propter dictionem alterius, quæ denotabat similitudinem ad glos. in l. si fugitiui, C. de seru. fugit. oportebat, quod sicut resignatio, & cessio erant ex voluntate partis, ita etiam & similiter debebat esse dimissio. scilicet ex voluntate partis, non autem ex voluntate Papæ, prout erat hic. Sed hoc non obstante, fuit per omnes

omnes resolutum, quod essemus in casu dictæ exceptionis. nam, cum beneficium non conferatur in inuitū acceptando beneficiū collatum per Papam, satis dicitur primum voluntarie dimittere.

SVMMARIVM.

Decis. 7. de procuratoribus in nouis, etiam intellecta in actis extraiudicialibus.

1 *Procurator ante receptionem mandati quādo valide contrahat.*
2 *Concordiæ Rota semper fauere solet.*

DECISIO CCCLX.

Voluerunt Domini in vna Ciuitatensi concordiæ, coram D. Thoma de Thanis. die 13. Nouembris 1542. quod procurator, qui contrahit † ante receptionem
1 mandati, dum tamen re uera illo tempore contractus, staret mandatum, quod valide contraheret. & quod decis. 7. de procurat. in nouis haberet etiam locum in extraiudicialibus. Sed in illo casu concurrebant duo. primum, quia procurator cōtraxerat vt assertus procurator. & promiserat de rato sub pœna mille. & ideo, quia asseruerat se procuratorem, dicebant Domini quod præsumptio erat, quod notitiam habuisset. maxime quia non promisisset de rato sub tanta pœna. Secundo concurrebat, quia erat ma
2 teria concordiæ, † cui Rota semper fauet.

SVMMARIVM.

Clerici simplices beneficiati, agentes ad decimas, debent de titulo docere. & non sufficit decennalis possessio.

1 *Decimæ, ad Rectores spectant.*
2 *Spoliatus, quando resistit ius commune, an restituendus.*
3 *Clerici Ecclesiæ seruientes, an de fructibus illius viuere debeant.*
4 *Clerici, an debeant assistere Rectori.*
An de manu illius debeant percipere decimas.
5 *Episcopi, quo tempore perciperent omnes redditus suæ diœcesis.*
6 *Possessio, quando ex cursu decennij iustificetur.*

DECISIO CCCLXI.

In vna Veronensi decimarum de Rōcho, coram me. in qua præsupponebatur, q in plebe de Roncho erat Archipresbyter, ad quem spectabat cura Ecclesiæ, & qui ministrabat ecclesiastica sacramenta parochianis. & in eadem erant multi clerici habentes simplicia beneficia, non tamen circa curam Ecclesiæ, aliquo modo, se intromittebant. Isti clerici, fuerant in possessione percipiendi tres quartas partes decimarum per annos terdecim, iam erant elapsi anni centum, & vltra, & postea fuerant per dictum tempus in possessione percipiēdi duas quartas, & Archipresbyter duas alias quartas. Agebant clerici ad restitutionem possessionis antiquæ trium quartarum. Dubitaui Ego die 17. Nouembris 1542. An isti clerici, agentes ad possessionem dictarum trium quartarum, deberēt docere de aliquo titulo. Et si tenebantur. An possessio decennalis sufficeret. Causa bis posita, semper per maiorem partem fuit tentum, puta per quinque ex Dominis, tribus contradicentibus, quod requirebatur titulus. & quod eramus in terminis c. ad decimas. de restit.
1 spoliat. in 6. Nam de iure † decimæ ad Rectorem pertinent. c. ad audientiam. il primo de Eccles. ædific. c. cum contingat. de decim. & vbique Abb. Et ideo, cum spoliato resiste-
2 ret † ius commune. & spoliatori assisteret, non erat restituendus spoliatus, nisi possessionem iustificaret. vt dicit text. Non obstat quod text. in d. c. ad decimas, loquatur in canonicis, qui in aliena diœcesi decimas percipiunt. nos autem sumus in clericis eiusdem Ecclesiæ. & cū deseruiant ei-
3 dem Ecclesiæ, non † inconuenit vt de fructibus Ecclesiæ viuant. c. cum secundū Apostolum. de præben. & iuxta text. in c. antiquos. 10. quæst. 1. Quia dicebatur, quod tex. in c. ad decimas. ponebat contingentiam facti, nam ita resistebat ius commune clericis, qui non habebant curam Ecclesiæ, licet essent eiusdem Ecclesiæ; sicut resistebat ibi canonicis, qui in aliena diœcesi volebant
4 percipere. Et licet Clerici † debeant assistere Rectori iuxta text. in c. vt vnusquisque. de vita, & honest. Cleric. tamen debent habere de manu Rectoris, non autē ipsi possunt ex hoc decimas percipere. Ad text. in c. antiquis, fuit dictum, quod non loquitur in decimis, sed in oblationibus. Item, loquebatur de iure antiquo, antequam essent di-
5 stinctæ diœceses, & dotata beneficia. † secundum quæ tempora, Episcopus capiebat omnia, & communicabat clericis. iuxta text. in cap. 1. 16. quæst. 7. secundum Abb. in cap. cum contingat, colum. 2. versic. secundo casu principali. de decim. Ad secundum etiam dicebatur, & ita fuit resolutum quod licet Franc. in d. cap. ad decimas. colum. 3. in 4. limitat. teneat quod possessio
6 decēnalis, † in illo casu iustificet * illam possessionem percipiendi. iuxta vnum intellectum, cap. cum Ecclesia Sutrina. de caus. possess. & propriet. cum etiam ex decennali possessione titulus præsumatur per not. in cap. illud de præsumption. Tamen contrarium fuit resolutū, quia licet Perus. fundet se super c. cū Ecclesia. tamen fuit dictum, q in illo tex. tria concurrebant, prout ibi ponit Abb. col. pen. vers. ego dico q hic cōcurrebant

* An possessio decēnalis sufficiat. vide ad propositū, quæ dicit Abb. in c. cum sint. col. fin. versic. 1 glos. 3. de decim.

rebant tria,&c. quæ in casu nostro non con currebant. quia non actus positiuus, sed po tius erat mera negligentia. Item, non erat modicitas præiudicij. prout declarat ibi in d.c.cum Ecclesia Imol.col.pen. vers.sed ista solutio. &c. per totam illam. col. & quod sola possessio decennalis, in terminis c. ad decimas. non sufficiat,dicit Alex.consil.70. in causa vertente. colum. 1. versic. & per hoc patet. &c. vol. 3.

SVMMARIVM.

Testamentum tempore pestis, an cum minori numero septem testium possit confici.

DECISIO CCCLXII.

Licet videatur communis opinio, quod testamentum factum tépore pestis ab infecto (prout erat in illo casu,in quodam testamento confecto in Vrbe tempore depredationis Vrbis,quo tempore vigebat pestis, & in qua Vrbe ex forma statutorum, ius Ciuile est seruandum) non valeat cum minori numero septem testium. vt per Alexan. & Ias.in l.fin.vbi per Corne. & Riminal. C. de testam. & communem attestetur Alexan.cons.177.& 70.volum.2. & Ripa in tract.de peste.fol.37. vers. venio ad secundum. Afflict.decis.25. Socin.cons.85. vol.4. Tamen Rota in vna Romana hæreditatis de Palonibus,coram D. Thoma de Thanis, die 17. Nouembris 1542. fuit sequuta opinionem quã ponit Ias.in d.l. fin. quod quãdo pestis est ita ingens, quod verisimiliter testes inueniri non potuerunt, quod tunc cum minori numero septem, valeat. Et istã distinctionem ponit Ripa in d.loco. Dec.in l. ferniarios. C. de test. milit. Angel. de Aret. in tract. de testam. in verbo suum condidit testamentum. in fine. Ponit etiam Dec.cons. 284. & Io.Antun.Alex.cons.165. Berttand. cons. 179. in princ. & cons.223. in 2. vol. Et ista distinctio summam habet æquitatem, & dicit Rip. in d.tract. fol.29. versic. tertiodecimo. &c. quod dicens non potuisse plures testes inueniri, habet intentionem fundatam. & ita dicit Bart.in l.con ficiuntur. §.codicilli. ff. de iur. codicill.

SVMMARIVM.

Citatio in materia priuationis, non potest incipere à procuratore.

DECISIO CCCLXIII.

Rota die 17.Nouembris 1542. in vna Burgensi nullitatis pensionis pro Petro Villaruell contra Didacũ Rubin de Celis, fuit sequuta opinio Rotæ 771. & 750. * quod quando agitur de priuatione,prima citatio non potest incipere à procuratore. Item quod quando agitur ad pęnam priuationis, quod si quis consensit regressui per procuratorẽ,* requiritur intimatio litterarum. vt per Cassad. decis.2. de pension. & 12. de rescript.

* aliàs 21. & 20. de dol. & contum. in antiq.

* Procurator, vbi consensit regressui litteræ intimandæ.

SVMMARIVM.

Regressus an dicatur ex causa onerosa, vel lucratiua.

1 *Tituli beneficiales, an recipiant æstimationem.*
2 *Tituli beneficiales, an lucratiui.*
3 *Feudum, an sit titulus lucratiuus,vel onerosus.*
4 *Contractus permutationis, vel venditionis an sit, quando venditur res pro centum, & equo.*

DECISIO CCCLXIV.

IN vna Mutinensi Monasterij, pro Vicario Vrbis contra Archiepiscopum S.Seuerinæ. in qua Archiepiscopus dimiserat vnum Monasteriũ valoris quadraginta, grauatum pensione annua viginti, quod Iulius decreuerat vacare.& eidem Archiepiscopo contulerat aliud Monasterium valoris quadringentorum.& postea Iulius ad idem primum Monasterium, eidem Archiepiscopo dederat regressũ,per cessum vel decessum eius cui contulerat. Dubitabatur coram D.Sarnen. 20. Nouembris 1542. An talis regressus esset ex causa onerosa, vel lucratiua, ita vt non comprehenderetur sub regula Leonis,reuocantis omnes regressus pręterquam ex causa onerosa. & præsupponebatur quod regula Leonis loqueretur in regressibus. Maior pars Dominorum tenuit quod licet pro magis pingui, fuisset dimissum beneficium minus pingue;nihilominus regressus diceretur ex causa onerosa haben-
1 do respectum ad titulum. † qui tituli non recipiunt æstimationem. & sic respectu eorum non poterat dici vnum magis pingue altero. Et isti Domini dicebant, quod non debebat haberi respectus ad fructus, respectu quorum cadebat ista pinguedo. Tres vero ex Dominis tenebant contrarium. inter quos ego vnus eram, & considerabam quod
2 tituli † beneficiales, erant tituli lucratiui vt dicit Abb.in c.ex parte col.4. in medio. & colum.5. post princ. de restitut. spoliat. Et ideo, cum titulus non posset dici onerosus, debebat haberi respectus ad causam. & tunc dicebam, quod licet respectu eius cessionis, seu dimissionis, in casu nostro

posset

possset dici onus ; tamen respectu eius, quia pinguis beneficium acceptabat, poterat dici lucrum. & vbi concurrunt lucrũ, & onus, attenditur quod præponderat. per id quod dicit Bald. in præludio feudorum,
3 quando quærit, an feudum † sit titulus lucratiuus, vel onerosus, vult quod attendatur id quod præpõderat. & idem dicit Bal. in l. qui se patris. col. pen. C. vnde legit. & ibi multos concordantes allegaui. Facit ꝗ dicit Bart. in l. Aristo. ff. de donat. quando
4 quis vendit rem pro centum † & equo, an dicatur contractus venditionis, vel permutationis, vt attendatur id quod præponderat. ita vt cum hic fieret dimissio beneficij. & fructuum, & consequeretur aliud beneficium, & fructus pinguiores, diceretur ex causa lucratiua consequi regressum. & non poterat haberi respectus ad titulum, cum fructus semper veniant consequutiue ad illum. cum non possit esse beneficium absq; fructibus.

SVMMARIVM.

Sententia contra vnum lata, an noceat tertio citato, tamen contra eum non fuit pronunciatum

DECISIO CCCLXV.

IOannes de Porras, litigabat contra intrusum super beneficio de Villena. & eis litigantibus, venit Alphonsus pro suo interesse, & protestatus fuit nil fieri nisi eo citato. & dixit de interesse suo constare in tali regesto. postea fuit citatus ad sententiam. tamen sententia non fuit contra eum lata, sed contra intrusum. quæ transiuit in rem iudicatam. fuit dubitatum in vna Carthaginiensi beneficiorum coram D. Aquensi. die 20. Nouembris 1542. An talis sententia noceret Alphonso. Et fuit dictum, quod, quia erat ius diuersum Alphonsi ab alio iure intrusi, & quia Alphonsus eum prohibere non poterat, quod non noceret. per tex. in l. sæpe. in fin. ff. de re iudic. & quod dicit ibi Alex. col. 3. vers. ex quibus habes.

Habens mandatum in causa, an habeat in exequutione illius.

1 *Procurator ad causam, an agat actione iudicati.*
2 *Procuratori nulla actio quæritur in matrimoniali.*
3 *Procurator ad agendum, an sit procurator ad defendendum.*
4 *Lis an per sententiam extinguatur.*
5 *Iudex delegatus, quod tempus habeat ad exequendum.*
6 *Commissiones exequutoriales, quare in Curia fiant.*
7 *Mandatum habens ad vnum, an censeatur habere ad dependentia, & connexa.*

DECISIO CCCLXVI.

IN vna Toletana matrimonij, coram D. Fabio, die 20. Nouembris 1542. fuit dictum, quod licet Bart. dicat in l. si
1 procurator. ff. de procurat. quod † procurator ad causam, non potest agere actione iudicati. quod confirmabatur ratione. quia causa per rem iudicatam firmatur, cũ res iudicata finem controuersiæ imponat. l. 1. ff. de re iudic. & ideo non potest actione iudicati agere, quia noua lis est. Tamen dicebatur, quod poterat agere, si non opponebatur. prout dicit Bart. & reliqui sequuntur, in l. hoc iure. ff. de solut. Tamen illud vltimum dicebatur esse verum in illis causis, quibus directę actiones procuratori quærebãtur. prout declarat Paul. de Cast. in d. l. hoc iure. Sed cum nos essemus
2 in causa matrimoniali, † in qua procuratori nulla actio acquiritur. vt dicit Bal. in l. 1. col. 3. C. de senten. & glos. & Doctor. & specialiter Salicet. in l. nihil. C. de procur. dicebatur, quod procurator non poterat agere. Tamen, quia fuit inuentum, quod mandatũ procuratoris habebat ad extorquendum expensas, damna, & interesse, fuit conclusum, quod contra talem procuratorẽ potuissent decerni exequutoriales, seu ve-
3 rius eo citato. quia procurator † ad agendum, erat etiam procurator ad defendendũ. l. seruum publice. §. prætor ait. & l. mutum. ff. de procur. Aliqui etiam ex Dominis dicebant, quod per sententiam non extingue-
4 batur † lis, donec esset mandata exequutioni. per dictum Io. Fab. in l. 2. C. de litigios. quod dictum sequitur Rota. Et ideo vide-
5 mus, quod Iudex delegatus † habet annum ad exequendum sententiam. vt c. quærenti. de off. delegati & licet in curia fiat cõ-
6 missio † exequutorialis, est ad cautelam. Et aliqui considerabant, quod si procurator vellet agere principaliter actione iudicati coram alio Iudice, iuxta tex. in l. à diuo Pio. §. sententiã Romæ. ff. de re iudic. quod tunc diceretur noua lis, & necessarium esset nouum mandatum. Secus est quando quis exequutionem peteret, coram eodem Iudice. nam illa exequutio diceretur de ap-
7 pendicijs. & habens † mandatum ad vnum, habet mandatum in dependentibus, & connexis. Curt. Iun. latè in l. diligenter. ff. mandat.

SVM-

SVMMARIVM.

Statutum prohibens donationem, an videatur prohibere donationem iuratam.

Hæc decisio in originali erat cancellata: sed quia in margine manu Putei erant notæ pro decisione cancellata, quas typographus superioribus annis pro decisione impresserat, nec intelligebatur articulus, de quo fuerat actum in decisione cancellata, ideo impressa fuit, & sicut erat in originali repræsentata communis.

DECISIO CCCLXVII.

STatuto Ciuitatis Vrbeuetanæ cauetur, quod nulla mulier habens filios, possit donare, relinquere. &c. nisi filijs pro æquali portione. Quædam mulier donauerat vni ex filiabus, & iurauerat. Quærebatur * in vna Vrbeuetana bonorum, coram D. Aquensi die 20. Nouembris 1542. An talis donatio esset nulla. Fuit conclusum quod non, quia statutum non comprehendebat donationem iuratam, per not. late per Felin. in cap. constitutus de rescript. eo quia statuentes. nullam potestatem super iuramento habebant. & ideo, cum iuramentum obliget iurantem. iuxta text. in c. quamuis. de pact. in 6. non poterant statuentes super tali casu disponere. Non obstat quod dicebatur, quod iuramentũ * non confirmat actum nullum in fauorem tertij. prout dicit Abbas in disputatione sua incipiente stante statuto condito in Italia colum. 3. vers. hæc sunt vera quando agitur. &c. & Paul. de Castr. in l. & hæredi §. filiusfamil. ff. de pact. vbi allegat c. quamuis. de pact. in 6. & auth. quod obtinet. C. de probat. Quia respondebatur, quod tempore statuti, nulli præiudicium fiebat, cum ante statutum donatio mulieri non prohiberetur, Et ideo statutum prohibens donationem nõ referebatur quãdo mulier donabat, & iuraret. quia iuramentum etiam obligabat, à quo statutum eam absoluere non poterat.

* Iste idem articulus, fuit positus 27. Nouembris 1542. Et fuit contrarium eius, quod hic annotaui obtentum per quinque ex Dominis, me cõtradicente, & duob. alijs. quoꝫ rationes non annotaui, quia non placent. sed cancellabitur decisio hic annotata. Pro decisione cãcellata facit qđ dicit Gozadinus, cons. 32. prima facie, &c. & Dec. consil. 352. viso puncto. &c. col. fin. in princ. versic. & ex ijs etiã respõderi potest. &c. Stephan. Bertrandi, cons. 306. quædam sunt, & cons. 331. viso cõsultationis. &c. vol. 3. antiquorũ consiliorum, & cons. 113. viso instrumento. &c. in fin. vol. 2. antiquor. consilior. & cons. 374. viso cõsultationis. &c. vol. 1. antiquorũ cons. & cõs. 174. ex progressu. n. 6. & cons. 234. viso consultationis. &c. num. 4. & cons. 255. viso consultationis, nu. 6. & consil. 385. ponitur in facto. num. 6. vol. 2. antiquorum consil. & cons. 9. multa sunt, num. 8. & cons. 19. ponitur in facto num. 6. & cons. 230. statutum, & cons. 279. circa casum num. 4. vol. 3. antiquor. consil.

Pro decis. cancellata vide Stephan. Bertrand. cons. 308. ex themate mihi exhibito. col. 1. num. 3. & cons. 316. viso instrumento. num. 3. & cons. 132. quilibet est. &c. num. 4. vol. 3. consiliorum nouissime impr. & consil. 155. circa ca. in princ. & cons. 85. viso instrumento. num. 3. & cons. 163. ex casu mihi exhibito. num. 3. & cons. 167. visis instrumentis. nu. 2. vol. 2. consilior. nouiss. impress. & cons. 66. viso consultationis. num. 3. vol. 3. consiliorum nouissimè impressorum.

* Iuramentum non confirmat actum, qui annullatur fauore alicuius personæ. Andr. Tiraq. in repetit. l. si vnquam pag. 39. vers. quia quando contractus infirmatur. &c. C. de reuocand. donat. In contrarium facit, quod dicit Bart. in l. Modestinus. col. 2. versic. quæro an illis legibus. &c. ff. de donat. Et tamen constat, quod iuramentum suppler defectum insinuationis. secundum Ias. cons. 51. tota dubitatio. colum. fin. volum. 1.

SVMMARIVM.

Statutum Ecclesiæ Palentinæ, quomodo intellectum.

1 *Statuto, quod mandat beneficia conferri certis personis, quando non censeatur derogatum.*

DECISIO CCCLXVIII.

STatutum Ecclesiæ Palentinæ, quod Canonicatus conferatur Portionario, &
portio dimidio Portionario, fuit resolutum
in vna Palentina Canonicatus, corã D. Rauellẽsi. 24. Nouembris 1542. quod esset reale. & stante consuetudine, prout præsupponebatur, quod tale statutum fuisset obserua
1 tũ per quadraginta annos, quod esset † debitum illis personis, itaut per generales derogationes, per quas derogatur facultatibus collatorum, non censeatur derogatum illis quibus debetur. per tex. in cap. fin. de consuet. in 6. & per glos. in c. cum Ecclesia. in glos. magna. in fine de præben. in 6. Non obstat quod dicebatur, quod illa iura loquebantur, quando certæ personæ erant debita, hic autem debebantur incertis de certis. vnde ab vno casu ad alium non erat arguendum. quia maior pars Dominorum, etiam voluit quod isto casu haberet locum glos. in d. c. cum Ecclesia. pro quo videtur text. in cap. si postquam. & cap. quia sæpè. de præben. in 6.

SVMMARIVM.

An Ecclesia non conficiens inuentarium, teneatur vltra vires hæreditarias.

DECISIO CCCLXIX.

VIgesimaquarta Nouembris 1542. in vna Brixiensi excessiuitatis legati, coram D. Sarnensi, fuit tenta doctrina Alex. in l. fin. §. fin. C. de iure deliber. quam ibi sequitur Iacobin. & ibidẽ Corn. videlicet, quod Ecclesia non conficiens inuentarium, teneatur vltra vires hæreditarias Creditoribus,

ribus, secus est in legatarijs, prout erat in illo casu in fratribus S. Dominici Ciuitatis Brixiæ, qui inconsulte adiuerant hæreditatem cuiusdam. nam voluit Rota, quod non teneretur legatarijs vltra vires hæreditarias. Et ad dictam distinctionem, facit quod dicit Angel. Aret. in §. extraneis. inst. de hæred. qualit. & differ. & Io. de Anania, in c. in litteris. de rapt.

SVMMARIVM.

Protestatio contraria facto, in iudicialibus quando vitietur.

1 *Iudicis recusati processus, an per comparitionem validetur.*

2 *Protestationi, an per factum contrarium censeatur renunciatum.*

3 *Protestatio, quando teneat, etiam si videatur fieri actus contrarius.*

4 *Iudex recusatus de iure ciuili, an ad vlteriora procedere possit.*

DECISIO CCCLXX.

IN vna Placentina Castri Sarmati, pro Comite Vlderico, contra Comitem Gasparem, omnes de Scotis, die 24. Nouembris 1542 coram D. Io. Paulo, tenuit maior pars, quod in iudicialibus, vbi est protestatio contraria facto, & iudex non repulit protestantem, sed factum fuit sortitum effectum suum, quod tunc vitietur protestatio, & factum maneat. pront istam opinionem tenent Abb. Imol. & Ant. de But. quos refert Dec. qui eos sequitur, in c. solicitudinem. col. pen. circa finem. de appellat. Istam opinionem dicit magis communem Alex. in l. non solum. §. morte. col. 5. vers. vnde dici potest. de nou. oper. nunc. eam ibi sequitur Claud. col. 7. vers. sexto limita, & Felin. in c. cum M. col. 27. vers. fallit secundo. de constitut. prout erat in illo casu. nã Christophorus comparuit coram iudice recusato, citra consensum in iurisdictionem. Tamen non obstante protestatione, obtinuit intrare testes, examen corũ, & multos alios actus fecerat. semper cum illa protestatione. Dicebatur, quod ex quo iudex non repulerat eum quod vitiaretur protestatio, &
1 per comparitionem, processus † iudicis recusati teneret. prout per comparitionem factam corã iudice recusato, validatur processus, vt dicit Alexan. in l. quia poterat.
2 & quia videtur renũciasse recusationi † per illud factum contrarium protestationi, vt sentit Dec. in c. solicitudinem, col. fin. Nec obstat dictum Innoc. in c. Cumana. de electio. quod dictum communiter sequuntur
3 DD. quod vbi quis comparet † protestando quod non intendit consentire, quod tũc tenet protestatio, & factum vitiatur. itaquod protestatio dicitur amouere cõsensum à facto. Quia respondebatur, quod in dicto Innocentij adest sola cõparitio. & per illam pro testationem, apparet quod abest consensus à comparitione. Sed secus est in casu nostro, vbi vltra comparitionem, factum sortitur effectum suum. quo casu videtur protestationi renunciare. quod confirmabatur, quia post quam, iudex per Christophorum
4 fuerat recusatus, de iure ciuili † secundum legistas iudex ad vlteriora procedere non poterat. Cum ergo postea Christophorus cõparuerit, licet cum protestatione, & institerit, dicitur voluntarie institisse, & sic recusationi renunciasse. Die 11. Decembris 1542. fuit iterum causa posita. & etiam maior pars tenuit quod supra dixi.

SVMMARIVM.

Confessio de qua hic, non probauit quem simoniacum.

1 *Delictum vt euitetur sumitur interpretatio in concursu causa bona, & mala.*

2 *Enunciatiua non necessaria, an probet.*

DECISIO CCCLXXI.

IN vna Hispalensi canonicatus, & præbendæ, in qua die 24. Nouemb. 1542. dubitaui ego. An confessio Christophori, de qua in mandato, probaret eum Simoniacũ. Fuit resolutum quod non, quia in proœmio duplex causa finalis assignabatur. & prima erat non immemor liberalitatis; secunda erat, & etiam non immemor concordiæ initæ. & ideo, cum concurreret causa bona,
1 & † mala, vt euitaremus delictum, sumenda erat illa, ex qua delictum euitabatur. Et quod illa prima esset finalis, apparebat ex conclusione, de qua in mandato. dum in eo dicebatur, siue ex mera liberalitate, siue ex alia qualibet causa. &c. Et illa verba, de concordia inita. poterant intelligi de cõcordia quo ad tractatũ, non autem de perfecta. Et multa tractantur quæ non perficiuntur: Et quod istud esset verum, apparet dum in superiori parte dicitur. quod Rodericus libere resignauerat. Nam stante concordia, finita fuisset iam libera resignatio. Item di-
2 cebatur, quod ex quo illa † enunciatiua nõ erat necessaria ad actum, cum ex alijs causis resignatio sustineretur, quod non probaret. iuxta noe. in l. optimam. de contrahen. stipulat. & tanto magis vbi principaliter de enunciatis disputabatur, iuxta nor. per Anton. & alios. in c. illud. de præsumpt.

SVM-

SVMMARIVM.

Testamentum coram quinque testibus tempore pestis factum, an valeat. & an Notarius connumeretur in numero testium.

DECISIO CCCLXXII.

FVit resolutum in vna Romana hæreditatis de Palonibus, coram D. Thoma 24. Nouembris 1542. quod testamentum factum tempore pestis, non valeret cũ minori numero quinque testium. & ideo quatuor, cum Notario non sufficiebant. per tex. in l. fin. C. de testamen. & quod ibi dicunt DD. Et licet Alex. in l. scriniarios. C. de testamen. milit. dicat sufficere duos, tamen ibi Dec. reprehendit. & contrarium videtur sensisse Alex. in l. fin. & alij DD. quos allegaui superius, in illa decis. An testamentum cõditum tempore pestis valeat cum minori numero septem testium. Notarius etiam non poterat connumerari, ex quo probatio non fiebat per testes, sed per scripturam. iux. not. in l. Domitius. per DD. ff. de testam. & glos. in l. hac consultissima. C. qui test. fac. poss. vbi DD. Alex. cons. 153. circa finem vol. 2.

SVMMARIVM.

Condemnatio in fructibus, qui percipi potuerunt, quo casu fieri potest.

1 *Fructus qui percipi potuerunt, an veniant in Can. reintegranda.*
2 *Possessor male fidei, ad quos fructus condemnetur.*
3 *Eiectus violenter quis dicatur.*
4 *Violentia quando dicatur fieri.*
5 *Distributionum quotidianarum condemnatio, quando fiat à Rota.*

DECISIO CCCLXXIII.

CApitulum Cæsaraugustanum eiecerat à choro D. Matthæum Pasqual. qui Matthæus postea egit spolio, & obtinuit, Capitulum condemnari ad fructus perceptos, & qui percipi potuerant, ac ad distributiones quotidianas. In secunda instantia, pro parte Capituli dicebatur, quod Capitulum male fuerat condemnatum ad fructus qui percipi potuerant. quia talis condemnatio nõ fit nisi vbi adest violentia circa personam. decis. 10. de restit. spoliat. in nouis. Et in canone, reintegranda, non ve-
1 nire fructus † qui percipi potuerunt, notat Rota decis. 10. de rest. spoliat. in antiquis, & Bisig. 11. eodem tit. Tamen contrarium fuit tentum in vna Cæsaraugustana, pro Matthæo Pasqual, cõtra Capitulum. die 27. Nouembris 1542. coram D. Sarnensi. Tum
2 quia malefidei possessor † sine titulo condemnatur ad fructus, qui percipi potuerunt, secundum Abb. in c. grauis. col. 3. vers. nunc venio ad secundum. & col. 5. vers. secundo quæritur. de restit. spoliat. & Ias. in l. apud Iulianum. §. fructus. ff. de leg. 1. quod etiam Rota videtur sequi, quando spolians non habet iustam causam quare spoliauit. iuxta decis. fin. de restit. spoliat. in antiquis. & 10. eodem tit. in antiquis, Et tãto magis in violento spoliatore. iuxta decis. 10. de restit. spoliat. in antiquis. & 34. de re iudic. in antiquis. & 11. de restit. spoliat. in antiquior. Et ex quo Mat-
3 thæus veniens non fuerat † admissus, dicebatur violenter eiectus. ad l. clam. possidere. §. qui ad nundinas. cum l. sequenti. ff. de acquir. possess. Et non solum dicitur vio-
4 lentia † fieri cum armis, sed etiam sine armis, vt teneatur interdicto vnde vi. ad l. 1. §. hoc interdictum. il 2. & in vers. ad solã autem. & ibi glos. in verbo atrocem. ff. de vi. & vi. armat. Et licet Rota non soleat
5 condemnare, † quo ad distributiones quotidianas, nisi vbi præcedit protestatio. tamen quia dicebatur, quod istæ distributiones, ipsi Capitulo accrescebant; ne ex facto, seu culpa, & dolo eorum, locupletiores fierent, ideo Rota in vtroque capite sustinuit sententiam D. Maceratensis.

SVMMARIVM.

Resignationem esse factam in manibus Ordinarij, an probetur per litteras Ordinarij.

DECISIO CCCLXXIV.

VIgesimaseptima Nouembris 1542. in vna Toletana de Alpedresse, coram D. Thoma de Thanis. fuit dictum, quod quando, vno & eodem contextu, Ordinarius in suis litteris facit mentionem de resignatione, admissione, & prouisione; quod probaretur resignatio, licet aliter de consensu resignantis, per Notarium rogatum non constaret. Secus si Ordinarius referret resignationem factam de preterito. vt per decis. Rotæ 22. * in nouis, & 397. * in antiquis. Tamen in illo casu, licet Ordinarius attestaretur de præterito, fuit creditum, quia constabat quod resignans viuebat, & non contradicebat, immo approbauerat.

* alias 1. de prob.
* alias 16. de prob.

SVM-

SVMMARIVM.

Actio spolij non venit in subrogatione, nisi saltem fiat mentio de spolio in narratiua.

DECISIO CCCLXXV.

DIE prima Decembris 1542. in vna Caurienſi Parochialis, de las Maiadas, coram D. Aquensi. fuit dictum, quod subrogatus in omni iure, & ad omne ius, quod alteri competebat, non censeretur esse subrogatus quo ad actionem spolij, seu ad interdictum, vnde vi. nisi saltem in narratiua fieret mentio de spolio. per decis. Aegidij 551. Et dictum fuit, quod ita alias tentum fuerat coram Marsicano, pro Alphonso Diaz.

SVMMARIVM.

Tertius potest venire pro suo interesse coram delegato, licet non sit in commissione nominatus.

DECISIO CCCLXXVI.

IN vna Valentina de Pego, die 4. Decembris 1542. fuit coram me resolutum, quod tertius potest venire pro interesse suo, coram delegato, & sententiam pro se reportare, licet causa non esset commissa contra eum. vt per Abb. in c. veniens. 2. col. 4. vers. sed nunquid iste tertius. &c. & ibi Felin. col. 5. circa fin. vers. vltimo in hac materia. &c. de testib. Item dicebatur, quod licet in parte dispositiua tantum, causa esset commissa contra intrusum, & intrudendos; tamen, quia in parte potestatiua dicebatur, eum potestate citandi omnesq; alios, sua, communiter vel diuisim interesse putantes, quod sicut poterat Io. Baptista citare Martinum, quod ita etiam Martinus potuisset venire ad causam, ne ad imparia iudicarentur.

SVMMARIVM.

Gratia expectatiua subreptitia, quia dixit se familiarem Papæ, & nominatum à Conclauista, & non erat.

1 *Clausulæ motus proprij, an excludat subreptionem.*
Et an præiudicium tertij.

DECISIO CCCLXXVII.

EAdem die, in vna Calciatensi dimidiæ portionis. pro Didaeo Marin, contra Io. de Vergara, coram me, in qua Io. de Vergara obtinuerat gratiam expectatiuam de prima expeditione, in qua narrabat se, familiarem Papæ, continuum commensalem, cum tamen non esset. fuit dictum, tum quia, gratiæ de prima expeditione non dantur, nisi personis qualificatis, & ideo se talem nominauerat; tum quia gratis expediuerat, quod gratia esset subreptitia. per consf. Gemin. 128. Item erat alia subreptio. quia dixit se nominatum à Conclauista, & tamen fuit nominatus per quatuor menses post concessionem gratiæ. Non obstat quod gratia expectatiua, esset expedi-
1 ta * motuproprio. † quia motus proprius, per regulam Cancellariæ, tantum excludit subreptionem, sed non excludit præiudicium tertij, prout erat hic, quia tractabatur de præiudicio alterius expectantis, qui in sua gratia impediebatur propter expectatiuam dicti Ioannis.

* Die 22. Decembris 1542. causa iterum posita fuit dictum, quod motus proprius per regulā excludit subreptionem, non autem præiudiciū tertij. vt puta si propter illam nominationem familiaritatis, propter priuilegia, quæ dantur familiaribus, ipse vinceret alium expectantem, tunc motus proprius, in præiudicium alterius, non operaretur. Sed tantum operaretur, si opponeretur de expeditione facta gratis, propter narratam familiaritatem. Et si dicatur, quod etiam illo casu tractatur de præiudicio officialium, respondetur, quod istud præiudicium, officiales examinant tempore expeditionis. qui non expediuissent, nisi rotulum vidissent. & ideo textus non potest hodie dare de illo præiudicio.

SVMMARIVM.

Statutum, quod non possit dici de nullitate, nisi infra certum tempus, habet etiam locum, vbi est nullitas euidens.

DECISIO CCCLXXVIII.

STatutum Vrbis, quod infra annum dicatur de nullitate, alias non audiatur, habet locum etiam si nullitas sit euidens ex actis. & etiam ex defectu citationis. iuxta ea quæ dicit Soc. consf. 121. in causa reclamationis. col. 1. vol. 3. Alex. consf. 125. ponderatis ijs. in 3. col. num. 17. vol. 6. Iaf. consf. 200. vol. 2. Et alias decisiones posui super dicto Statuto Vrbis, & ita fuit resolutum in vna Romana dotis, die 4. Decembris 1542. coram D. Vortio: In contrarium tamen facit, quod dicit Abb. consil. 55. in causa. &cæt. in 2. dubio. in 2. vol. Anchar. consf. 211. de iure communi.

SVM-

SVMMARIVM.

Pensionis iustificatio, ad obtinendum super pęna regressus, fuit necessaria.

DECISIO CCCLXXIX.

FRatri Felici, ex cessione cuiusdam Vicariæ, facta in fauorem cuiusdam Benedicti, fuerat reseruata pensio vndecim librarum, super parochiali de Riudecagnas, de consensu Antonij Geltru possessoris, per se & successores suos. & hoc ne ex cessione huiusmodi, nimium dispendium pateretur. & asserendo Papæ, quod dicta Vicaria eidē Fratri Felici fuerat commendata per obitum cuiusdam Pastor. &c. idem Frater Felix agebat postea, contra Franciscum Rebolter, successorem Antonij mediatum, ad regressum, ob non solutionem pensionis. Voluerunt Domini, die 4. Decembris 1542. quod, quia agebatur ad regressum beneficij, super quo tertius consenserat, quod Frater Felix iustificaret aliquod ius sibi in Vicaria cessa competijsset, & quod non sufficeret, quod ipse produxisset quandam reseruam, & acceptationem, sed erat etiam necessariū, quod ipse doceret de obitu illius Ioānis Pastor. & quod per eius obitum, Vicaria vacasset ex quo ipse asseruerat, quod Vicaria fuerat sibi commendata per obitum illius, & ne ex cessione nimium dispendium pateretur, & vltra. Et hoc dicebant omnes verificandum: videlicet quod ille Benedictus in cuius fauorem erat facta cessio, & cuius causa Antonius consenserat, acceptasset illud ius: alias quod Antonius, nec eius successores non tenebantur. Et Domini, volentes inniti cuidam concordiæ, dixerunt, quod attento quod omnia ista non verificabantur pro parte Fratris Felicis, quod Franciscus quoad regressum, excusaretur, sed quod solueret pensionem. Causa erat intitulata Tarraconensis pensionis.

SVMMARIVM.

Verbum hæres in inuestitura quomodo intellectum.

1 *Feudum acceptum pro se, filijs, & hæredibus, an requirat quod sint filij, & hæredes.*

DECISIO CCCLXXX.

1 QVando feudum est acceptum pro se, filijs, & hæredibus, † licet requiratur, quod sint filij & hæredes. prout dicit Bart. in l. vt iurisiurandi, §. si liberi, ff. de oper. libertor. tamen sufficit, quod non stet per filios, quin sint hæredes. prout dicit Dec. cons. 208. colum. fin. Decis. Neapolitana 64. in nouis. & 199. & Afflictus, in capit. 1. an agnat. vel fil. colum. 2. vers. & hoc verum. & Zasius in tract. feud. in 8. parte de feud. success. in 3. charta. in 2. & 3. fallen. alias char. 87. Et ita fuit resolutum, in vna Paduana feudi, coram D. Marescoto, die 4. Nouembris 1542. Non obstante, quod contrarium dicat Brun. consil. 40. colum. 2. & Curt. Iun. consil. 138. colum. 5. & sequen. & cons. 155. colum. 2. & sequen.

SVMMARIVM.

Verba illa, vnus vestrum alium non expectet, in compulsorialibus posita, quomodo intelligantur.

DECISIO CCCLXXXI.

IN vna Portugalensi, coram D. Sarnensi fuit resolutum, quod compulsoriales quæ diriguntur vniuersis, & singulis, & in quibus dicitur, ita quod vnus vestrum aliū non expectet, possunt exequi per diuersos iudices. ita quod processu inchoato per vnū, potest idem processus finiri per alium, attentis illis verbis, ita quod vnus vestrum aliū non expectet. Non obst. text. in cap. cum plures. de offic. delegat. in 6. Quia in illo text. non sunt apposita verba suprascripta. Et ita resolutum fuit, die 11. Decembris 1542. quia illa verba, ante præsentationem, non possunt verificari. oportet ergo quod verificentur post præsentationem.

SVMMARIVM.

Præceptoriæ Sancti Ioannis Hierosolymitani, an sint beneficia ad nutum amouibilia.

1 *Fratres Hierosolymitani, quæ vota emittant.*
2 *An dicantur personæ religiosæ.*
3 *Amouibiles ad nutum, an dicantur illi, qui sunt sub obedientia superiorum.*
4 *Fratres Hierosolymitani de foro ecclesiastico.*
5 *Religio Fratrum Hierosolymitanorum, ad quid fundata.*
7 *Magnus Magister Hierosolymitanus, an possit per conuentum amoueri.*

DECI-

DECISIO CCCLXXXII.

Coram D.Marco Antonio, die 11. Decembris 1542. fuit dubitatũ, An Præceptoriæ S.Ioannis Hierosolymitani, sint beneficia * ad nutum Magni Magistri, & (õuentus amouibilia. Et pro parte affirmati-
1 ua dicebatur,† quod isti fratres Hierosolymitani,emittunt tria vota.iux. cap.cum ad monasterium. §. tales. & c.2. & vtrobique per Abb.& alios de stat. monach. Nam pri-
2 mo † dicuntur personæ religiosæ, quæ non possunt matrimonium contrahere, & promittunt obedientiam superiori, nec possunt ab illo statu recedere. secundum Abb. in rub. de regul. cul. fin. vers. & intellige de Hospitalarijs. Et si sunt sub obedientia su-
3 perioris quam promittunt,necessario † dicuntur amouibiles ad nutum superioris. ad not. per Abb.in cap. 2. colum. fin. in fine. versic. sed ego reddo aliam rationem. &c. de stat.monach.prout id expresse dixit Abbas post Innoc. & Ant.in c. cum deputati. in princ. in 1.notab. & in 2. col. vers.quæro secundo.ibi,& possunt huiusmodi Præceptores remoueri quandocumque. & vers.& puto qood comparentur. de iudic. Et tales
4 non est dubium † esse de foro Ecclesiastico. ad not. per Felin. in cap.2.col.2. versic.ita subduut moderni.de for.compet.Et Religio
5 istorum, dicitur ad hospitalitatem † fundata.secundum Lap. in tract. de hospitalitate in 2.quæst. vers.sed quæro an possit ordinari. in 4.volum.tract. Et quod sint ad nutum amouibiles,facit text.in c.cum ad monasterium.§. tales. & ibi Abb. in 2. principali quæst. vbi vult quod procedat,etiam si supe
6 tior † concederet in perpetuam administrationem. quod declarat Dec. in c.ad nostrã. de confir.vtil.vel inutil.Facit cons. Oldrad. 128. vbi voluit quod Magnus Magister
7 possit † per Conuentum amoueri. sed Oldrad. loquitur ibi ex causa.

* Et q sint beneficia ad nutum amouibilia, ponit Card. Iacobat.in Tractat.de Cõcilio pag. 322. col.2. vers. sicut dudũ, quærebatur in Rota.

SVMMARIVM.

Prouisio Papæ ante acceptationem gratiati tenet.

1 *Clausula, ex nunc prout ex tunc, quando non operetur.*

DECISIO CCCLXXXIII.

Episcopus Solis habebat gratiã ad vnũ vacaturum, quod duceret acceptandum. & in gratia non erat mensis,nec decretum irritans Papæ,q̃ esset in parte dispositiua, sed tantum in parte exequutiua. videlicet in illis verbis,sublata aliter interpretandi, irritum decernen. &c. Fuit dubitatum, An prouisio Papæ superueniens,ante acceptationem esset valida. & die lunæ 11. Decembris 1542. coram D. Maceratensi, in vna Hispalensi Archidiaconatus de Carmona, fuit resolutum, quod gratia esset conditionalis. vt per Cassad. decis. 3. de præben. & ideo prouisio Papæ ante purificationem conditionis esset valida, per text.in Clem. 1.de concess.præben. vbi Imo. Cardin. & Petr.de Anchar. Vbi etiam post
1 glos. considerant † clausulam illam,ex nunc prout ex tunc,ante conditionis euentum nil operari. & in cap. si pro te. de rescript. in 6. & Cassador. decis. 25. super Regul. Cancell.

SVMMARIVM.

Dolosus quo in casu quis iudicatus fuerit, ad finem vt excluderetur à beneficio C. peruenit.

DECISIO CCCLXXXIV.

Petrus Velasco commiserat causam super cap. peruenit. & existens carceratus, datis fideiussoribus de repræsentando, fuerat relaxatus. & post relaxationem,obtinuit pronunciari per Locumtenentem,prout in cedula. ante autem aperturam cedulæ.iudice insalutato recessit. postea aperta cedula, iudex pronunciauit eum fore admittendum ad beneficium cap. peruenit, constituto prius Oeconomo etiam ad voluntatem creditorum.agebatur contra fideiussores.qui post decem menses produxerunt mãdatũ ipsius Petri ad constituendum Oeconomum ad voluntatem creditorum. Dicebatur quod Petrus erat dolosus, & quod amplius non erat admittendus ad dictum beneficium, quia dolosis similia beneficia non dantur vt per Abb. in cap. Odoardus. de solutionibus. Quod esset dolosus,probabatur per dictum Abb. post Innoc. in cap. si aduersarius. colum. penult. & sequen. de eo qui mitt. in possess. rei.seruan. caus. vbi ille, qui tenetur stare in loco vt aliquid faciat & non facit, dicitur esse dolosus. & tanto magis quando post litem cõtestatam recedit,iste tenebatur stare vt fructus consignaret in euentum admissionis,ergo dicebatur dolusus. Item, quia recesserat illicentiatus,dicebatur contumax.ad cap.1. de iudic. & sic non poterat dicere dolo carere. l.non potest dolo carere.cum glos. ff. de regul. iur. Et ita fuit resolutum 11, Decembris 1542. coram D. de Thanis,in vna Romana pecuniaria ,pro Alexandro Deti,contra Antonium de Barros.

P SVM-

SVMMARIVM.

Prorogatio à fine fatalis facta, intelligitur à fine biennij, non autem anni.

DECISIO CCCLXXXV.

VNdecima Decembris 1542. in vna Abulensi receptionis in hospitem, coram me fuit resolutum, quod prorogatio facta infra annum à die lapsi fatalis, censeretur facta à fine biennij, non autem à fine anni. quia, ex quo biennium passim in curia datur, non est dicendum, quod inducta ad vnum finem, scilicet vt quis sit diligentior, ne propter lapsum biennij fatale expiret, operetur contrarium effectum.

SVMMARIVM.

Decretum in indulto appositum, inficit prouisionem Apostolicam, dato quod Cardinalis, infra sex menses non conferat.

DECISIO CCCLXXXVI.

IN vna Rauennatensi S. Crucis, coram D.Thoma, die 15. Decembris 1542. fuit resolutum, quod prouisio Apostolica esset nulla, stante indulto Cardinalis Rauennatẽsis, propter decretum irritans, appositum in indulto. dato quod Cardinalis infra sex mẽses non contulisset, per ea quæ dicit Felin. in cap. cum ex officij. col. fin. in princ. de præscription. & Cassad. decis. 5. de concess. præben. Non obstante quod exaduerso diceretur quod decretũ, deberet, intelligi quatenus * Cardinalis voluisset indulto vti, per decis. 422. in antiquis, & not. in l. filio præterito. ff. de iniust. rup.

* Alias 31. de concess. preb. num. 5.

SVMMARIVM.

Gratia Philippi Desiderij, in totum iudicata subreptitia.

1 *Subreptio in secunda gratia, quando vitiet, & primam.*

2 *Gratia an in totum vitietur ex falsa causa.*

DECISIO CCCLXXXVII.

IN vna Tullensi canonicatus, & præbendæ de Ramaricamonte, pro Io. Brusler, contra Gerardum Porsoni. 15. Decembris 1542. fuit resolutum corã me, in dubio per me dato, videlicet, An verba infrascripta. Quia dilectus filius noster Ioannes S. Honufrij Diaconus Cardinalis de Lothoringia cui Ecclesia Tullensis in perpetuam administrationem data fuerat, administrationi huiusmodi in manibus nostris, sponte & libere, nullo indulto conferendi beneficia prędictę Ciuitatis, & Diœcesis, sibi retento, aut concesso cessit, in gratia Philippi Desiderij apposita, ex quo sicut falsa, quia constat de indulto & retentione collationis, reddant gratiam Philippi Desiderij in totum subreptitiam. Et fuit resolutum, quod in totum redderent gratiam subreptitiam. Quia prima gratia, erat ad collationẽ Episcopi Tullensis, & aliorum collatorum, & collatricum in Diœcesi Tullensi, & tota illa gratia erat restricta de consensu Cardinalis collatoris. Philippus Desiderius, vt tolleret consensum Cardinalis, fecit illam narratiuam falsam. & in secunda gratia dicebatur, attẽto quod Cardinalis resignauit nullo retento indulto. Cum ergo tractaretur de mutatione primæ gratiæ restrictæ, dicendum erat, quod subreptio in secunda, debebat
1 totam † gratiam inficere. quia alias esset danda eadem gratia, pro parte valida, & pro parte inualida. quod videbatur inconueniens esse. Et quia causa concessionis totius gratiæ, erat quia Cardinalis non retinuerat sibi collationem beneficiorum. Vn-
2 de cum causa esset falsa, debebat † in totum gratia corruere. per not. per Abb. in capit. sedes Apostolica. colum. 2. de rescript.

SVMMARIVM.

Statutum Vrbeuetanum, quod mater non possit plus vni, quam alteri ex filijs relinquere, est validum.

1 *Statutum licet videatur contra æquitatem; si tamen est rationabile, an validum.*

DECISIO CCCLXXXVIII.

DIe 15. Decembris 1542. fuit resolutum in vna Vrbeuetana Domorum, coram D.Aquensi, quod statutum prohibens matrem, neque in vltima voluntate, neque inter viuos, plus vni quam alteri ex filijs relinquere, sed æqualiter inter filios diuidere, esset validum. non obstante quod Alexan. & Ias. referendo communem, contrarij dicant. in l ex facto. ff. de vulg. & pupillar. Fundamentum decisionis, quia Iason dicit in dicta l. ex facto. quod ipse sequeretur, iudicando & consulendo, opinionem contra communem, quam etiam ibi sequitur Claudius referens multos Doctores contrariũ tenentes. * Idem tenet Cald. cõs. 20. statutum de constit. Dec. cons. 361. habita
1 col. 1. Et quia statutũ † licet videatur cõtra æqui-

* Vide oinoHiero nym. Verium in re pet. d. l ex facto. col. 14. versic. nota duodecimo, &c.

æquitatem, tamen quando habet quid rationabile, est validum. vt per Bal. in l. lege duodecim tabularum. confim.2. verf.& ideo C.de legit.hæred. Corn.conf.73.colum.vlt. verfic. & fufficit quod ftatutum.vol.4.

S V M M A R I V M.

Regula Leonis loquens in acceffu non habet locum in regreffu.

1 *Regreffus, & ingreffus an differant, & in quo.*

DECISIO CCCLXXXIX.

EAdem die in vna Mutinenfi Monafterij coram D.Sarnenfi,fuit cõclufum, quod regula Leonis reuocatoria acceffunm,& ingreffuum, non haberet locum in regreffu, 1 quia † differunt. cum vnum habeat caufam de præterito, alterum non, vt per Caffador. decif. vnica.de pact.

S V M M A R I V M.

Noua prouifio fubreptitia, in qua refignatio in ea narrata, non verificabatur.

1 *Gratia principali vitiata, an omnes aliæ claufulæ corruant.*

DECISIO CCCXC.

IN vna Salamantina beneficij de Villaria die 15. Decembris 1542. Quod noua prouifio, in qua narrabatur refignatio in manibus Ordinarij, non probata refignatio ne,effet fubreptitia,per decif.24.de præben. in nouis. in fummario. & ideo Ioannes de Grado, in fauorem cuius conceffa erat noua prouifio, non poterat per claufulas generales,fine alio quonis modo beneficinm vacans per obitum eiufdem qui narrabatur re 1 fignaffe, capere. quia vitiata gratia † principali, omnes aliæ claufulæ, tamqnam acceffotiæ, corruebant. per not. per Abb. in c. Sedes Apoftolica. colum. 2. & in cap. fuper litteris. de refeript. Non obftat quod Ordinarius diceret,in manibns fuis refignationem effe factam,& litteræ Ordinarij pro ducerentur cum teftibus. quia Ordinarius dicebat, refignationem per procuratorem effe factam, & non conftabat. & fic, refignatio narrata non verificabatur.

S V M M A R I V M.

Sententia fine probationibus, vel quæ apparet ex actis iniqua, fit notorie iniufta, aut fit nulla.

1 *Rota non exequitur fententias, non guftato bono iure, fed quando non procedat.*

DECISIO CCCXCI.

IN caufa Toletana Matrimonij, coram D. Fabio 15. Decembris 1542. fuit refolutnm,quod fententia lata fine probationibus,vel quãdo appareret iniqua ex actis, dum tamen fententia ad acta non fe referret,non effet notorie iniufta,itaut effet aulla. per ea quæ dicit Alex. in l.præfes. ff. de re iudic. in princ. vbi ponit communem. & Afflict. decif.28. & 47. Peruf. in cap. dilecto. col. 47. verfic. tertins cafus eft.de appellat. vbi loquitur in fententia fine probationib. lata per Felin. in cap. Ecclefia. col. 11. & ibi Decius, colum. 10. de conftitnt. Decius in l.1.col.3. verfic.quarto, & vltimo.&cęt. C.de error.calcul. Et maxime in cafu illo,in quo non tractabatur de exequẽdo fententiã illam, fed tantum de defendendo eam à nul litate. quia fi fuiffet tractatum de exequutione, dicebatur quod tunc fuiffet feruata 1 æquitas † Rotæ, quæ tales fententias non exequitur. vt dicit Rota, decif.340. in nouis. * Non obftabat etiam,quod dicebatur quod talis fententia, licet non fit nulla à principio, tamen ex poft venit retractanda etiam abfque remedio appellationis. prout dicit Felin. in c.per tuas. de fenten. excom. in 3.limitat. Quia dicebatur quod pro parte eius qui obtinuerat,offerebantur probationes in promptu,ad iuftificandam fententiam latam. *

* Alias s. de lit. conteft.

* Die 12.Ianuarij 1543. fuit iterum caufa propofita. & dictum, quod fententia fine probationibus, vel quando eft notorie iniufta ex actis,eft retractanda,nifi iuftificetur. & quod illa,duobus modis prætendebatur iuftificari.

S V M M A R I V M.

Poffeffio propria auctoritate capta, reftituibilis.

DECISIO CCCXCII.

DIe 15. Decemb. 1542. fuit refolutum * in vna Aftenfi præceptoriæ,pro Io. Iacobo primo Iacobo Bucca,corã D.Moheдано,quod poffeffio dictæ Præceptoriæ,propria auctoritate capta, à qua fuerat fpoliatus, docto de titulo, erat reftituenda quia poffeffio fimilium beneficiorũ præcedente titulo propria auctoritate capi poteft. vt dicit Milis in reper.fuo in verb. poffeffionem beneficij. & concludunt cõmuniter DD. vt ibi dicit Abb. in c.tranfmiffam. de elect. & in c.cum veniffent. col. 3. verf. An autem ille. &c. de reftit. fpoliat.

* Facit, quod dicit Steph. Bertrand.conf. 310. In interdicto, colum.fin. verfic. nec opponat, vol. 4.

SVMMARIVM.

Commenda, facta vsque ad ætatem legitimam profitendi ordinem, intelligitur vsque ad decimum quartum annum.

1 *Aetas quæ requiratur in dignitate, & curata.*

DECISIO CCCXCIII.

FVit resolutum coram me, in vna Taurinensi de Pinerolio, quod commenda cuiusdam præpositura, facta vsque ad ætatem legitimam profitendi dictum ordinem Humiliatorum, intelligeretur vsque ad decimumquartum annum; per text. in cap. 1. & 2. de reg. in 6. Non obstat, quod esset digni
1 tas, & curata, † quo casu videbatur requiri annus vigesimusquintus per tex. in c. cum in cunctis §. inferiora. de electio. quia Papa prouidebat, vt non obstante defectu, facta prouisione posset præposituram retinere.

SVMMARIVM.

Donatio de re Ecclesiastica facta ex causa remuneratoria, est valida absque solennitate.

1 *Paulina quando non habeat locum in donatione de re Ecclesiæ facta.*
2 *Donatio ad beneplacitum, an temporalis.*
3 *Confirmatio ex certa scientia, quando dicatur.*

DECISIO CCCXCIV.

IN vna Neapolitana Casalium, coram D. Thoma de Thanis, die 18. Decembris 1542. fuit resolutum, quod donatio facta per Hugonem de Moncada, propter beneme rita, & seruitia sibi præstita, esset valida, dato quod careret solennitate. per id quod dicit Bart. & ibi Paul. de Castr. in l. iubemus. col. 2. C. de sacros. Eccles. vbi donatio propter seruitia præstita Ecclesiæ vel Prælato, absque solennitate, est valida. dum tamen non sit excessiua, & si est de re immobili, sit temporalis. & pro dicto Paul. de Castr. est cons. Ias. 73. incipien. dubitatur. volum. 3. maxime in 5. colum. Item fuit dictum, quod
1 Paulina non obstabat. quia † Paulina annullat donationes in præiudicium Ecclesiæ factas. illa autem donatio cum esset ad beneplacitum Hugonis, erat personalis, & non realis iuxta. text. in c. veniens. de transact.
2 & ideo cum esset † ad beneplacitum, erat temporalis. vt declarat Ias. in d. cons. 73. col. 5. vers. quarto moueor. Item fuit conclusum, quod confirmatio Leonis, extendentis ad vi
3 tam filiorum defuncti, esset valida † quia facta ex certa scientia. Primo, quia erat expresse posita clausula, ex certa scientia. Secundo, quia erat tenor instrumenti, habitus pro expresso. Item dicebatur, quod erat facta donatio de plenitudine potestatis. Item erat apposita clausula, supplentes omnes, & singulos, tam iuris quam facti, defectus. &c.

SVMMARIVM.

Mentio vbi fit de mansionaria, satis fit mentio de præbenda illi annexa.

DECISIO CCCXCV.

DIe 18. Decemb. 1542. coram D. Mohedano, in vna Ferrariensi Mansionariæ, fuit resolutum, quod quando in prouisione Canonicatus fit mentio de mansionaria quam quis in eadem Ecclesia obtinet, satis dicatur esse facta mentio de præbenda illi annexa. & tantum fuit commissum Auditori, vt se informaret an præbenda esset distincta, vel indistincta. per ea quæ dicit Rota decis. * 449. in nouis. * Alias 31. de rescript.

SVMMARIVM.

Sede vacante, an expectantes in quatuor mensibus ordinarijs possint acceptare. 1

1 *Doctoris dicto, quando magis standum vni, quam alteri.*
2 *Collatio beneficiorum fructus Episcopatus.*

DECISIO CCCXCVI.

IN vna Carthaginiensi Parochialis, coram D. Aquensi, fuit dubitatum. * An expectantes, sede vacante possent acceptare beneficia vacantia in quatuor mensibus ordinarijs, & contra D. Sarnensem. pro Christophoro de Morales dicebatur quod non. & quod ita tenebat Pauinus in tract. de offic. Capit. Sede vacante. in 8. quæst. primæ partis principio colum. 2. in fine. vers. item virtute regulæ, de sex mensibus. &cæt. Pro parte autem Domini Sarnensis, quod immo potuerit acceptare expectans in quatuor mensibus sede vacante, fuit allegatus idem Pauinus, in d. tract. in 10. quæst. primæ partis principalis. colum. 6. versic. quæro, an sede vacante. &c. vbi principaliter illam examinauit.
1 quare illi dicto potius † erat standum, quam illi, quod in discursu dixerat in 8. quæstione. per ea quæ dicit Abb. in cap. bonæ el. 2. circa finem. de post. prælat. Claud. in l. si * Vide resolutionem in 2. par. annot. earum. decis. 318.

in l. si idem cum eodem. §. fin. de iurisdict. omn. iudic. Abb. cons. 64. colum. 9. lib. 1. & & cons. 36. lib. 2. col. 9. Pro prima tamen
2 parte facit ratio. quia † collatio beneficiorum est fructus Episcopatus, secundum glos. in c. cum olim. de maior. & obed. ergo fructus, successori Episcopo, non autem expectantibus, debent concedi. Causa fuit posita per D. Aquensem, die 18. Decembris 1542. & nil fuit decisum.

SVMMARIVM.

Verba Concilij Lateranensis ad quæ regressus haberent, quomodo intellecta.

DECISIO CCCXCVII.

IN vna Placentina Canonicatus, & Præbendæ, coram D. Io. Paulo, inclinarunt * Domini quod illa verba Concilii Lateranensis in quo dicitur, quod in beneficiis in quibus Cardinales regressus haberēt, non intendit præiudicare. intelligerentur non solum de regressibus de præterito, sed etiam in futurum concedendis. cum ea sit natura, legis futura respicere. & cum regressus detur ad ius antiquum. Item quod commenda facta Cardinali Sanctorū Quatuor ad * sex menses, quod illi sex menses currerent à die commendæ factæ, non autē à die habitæ possessionis, ex quo istud non fuerat expressum. Et fuit resolutum die 18. Decembris 1542.

* Cōcordiū fuit decisum, pro vt annotatur in 2. lib. annotat. meatū decis. 406.

* Cōmēda ad sex mēses quo modo intelligatur.

SVMMARIVM.

Professio in isto casu non fuit præsumpta.

1 *Commenda facta, vsque ad ætatem legitimam, ad quot annos interpretetur.*
2 *De iure tertij dans, debet dare de iure claro.*
3 *In materia obiectiua, an sufficiat præsumptio.*
4 *Reo, an sufficiat probare quod dicit, vel an debeat probare qualitatem.*

DECISIO CCCXCVIII.

IOannes de Solario, ad excludendum Fratrem Hieronymum de Torgio Generalem, dabat de iure tertii. quia dicebat de
1 quadam commenda † facta cuidam Georgio, vsque ad ætatem legitimam profitendi ordinem. & Rota fuit interpretata, vsque ad decimūquartum annum. & deinde facta professione in titulum, dubitabatur, quia nō constabat de professione, An præsumeretur professio facta, ita vt trāsferretur onus probandi contrarium, in Generalē. Et pro parte quod præsumeretur, dicebatur, quod hic nō agebatur de canonizatione illius iuris, sed tantum producebatur ad effectum excludendi Generalem. Tamen hoc non obstante, die 18. Decembris 1542 fuit eoram me resolutum in vna Taurinensi, quod, cū professio esset facti, nō præsumeretur. Itē, quod
2 cum Ioannes † daret de iure tertii, debebat dare de iure claro. Item quia Ioannes dabat de iure tertii per viam obiectus, quod
3 in materia † obiectiua præsumptio non sufficeret. vt per Aegid. decis. 528. & 561. colum. 2. vers. nec hic ex præsumptionibus iudicamus in materia obiectus. Item, quia
4 reus † in exceptione, est actor. & ideo non sufficit probare quod dicit, sed & eius qualitatem. vt per Bart. in l. actor. C. de prob.

SVMMARIVM.

Decimæ, ratione baptismatis, an debeantur Plebi, vel Ecclesiæ curatæ.

DECISIO CCCXCIX.

QVando sub Plebe est Ecclesia curata, & parochiani illius Ecclesiæ curatę, percipiunt sacramētum baptismatis in Plebe, an Plebano debeantur decimæ personales à parochianis illius Ecclesiæ curatę, ratione illius oneris. Fuit ista quæstio posita in vna Fauentina, coram D. Fabio, die 22. Decembris 1542. Tamen nil fuit dictum. & pro decis. vide cons. Barbat. 50. in puncto isto. vol. 3. & secundum illud cons. fuit decisum 19. Ianuarij 1543.

SVMMARIVM.

Condemnatio in expensis fit, licet pro parte sententia reformetur.

DECISIO CCCC.

PRonunciauerat vnus ex Dominis, canonizando gratiam, & condemnando in fructibus. Et quia non probabatur intrusio, & sic sententia erat reformanda quo ad fructus, dubitaui ego in vna Palentina Præstimonii de Melgareto, An etiam deberem absoluere à condemnatione expensarum. & dixerunt Domini, die 22. Decemb. 1542. quod non esset absoluendus. quia, licet quo ad illud caput, bene appellasset, tamen quoad aliud male appellauerat. & ideo debebat in expensis condemnari. nisi respectu illius capitis, in quo bene appellauerat, aliquas expensas fecisset. quia ab illis esset absoluendus.

S V M M A R I V M.

Gratia expectatiua, in qua quis narrauit se subrogatum Conclauistæ, cum non esset, subreptitia.

1 *Familiaritas quomodo ex descriptione in rotulo probetur.*

2 *Gratia an reddatur subreptitia, etiam quod falsitas expressa non reddidisset Principem faciliorem, ad concedendum.*

DECISIO CCCCI.

IOannes * de Vergara obtinuerat gratiam expectatiuam huiusmodi, sub tenore, videlicet. PAVLVS dilecto filio Ioanni de Vergara, clerico Calaguritano familiari nostro Salutem. &cæt. Hinc est, quod nos tibi, qui in locum dilecti etiam filij Alexandri Pollilla, clerici Corcyrensis, qui in conclaui, in quo, diuina fauente clementia ad summum Apostolatus apicem assumpti fuimus interfuit, quo ad infrascriptam gratiam, ac omnia & singula gratiam huiusmodi quomodolibet concernentia, subrogatus, ac continuus commensalis noster existis. &cęt. Et huiusmodi gratia erat sub Dat. Kalen. Septembris 1536. & tamen ex consensu producto Alexandri Pollilla, apparebat, quod non Kalen. Septembris ipse cõsenserat subrogationi in fauorẽ Io. de Vergara; sed tantum consenserat, sub die 24. Decemb. 1536. & sic quatuor menses post. Fuit dubitatum per me, in vna Calciatensi dimidiæ portionis, pro Francisco de Minieras, contra Ioannẽ de Vergara, die 8. Ianuarii 1543. An gratia expectatiua Ioannis de Vergara sit subreptitia, ex quo in ea narrat se subrogatum in locum Conclauistæ, & tempore gratiæ impetratæ non erat. Pro parte negatiua, quod non esset subreptitia, dicebatur, quod ex illa narratiua, nullum iuuamen Io. de Vergara consequebatur. ergo non erat subreptitia. nam dicebatur, quod propter illam narratiuam, Io. de Vergara non expediuerat gratis. cum esset productus rotulus in quo probabatur, quod 15. Nouembris 1536. rotulus familiarium, fuerat consignatus Referibendario in quo erat descriptus Io. de Vergara. Et sic apparet quod

1 ex descriptione † in rotulo, probatur familiaritas vigore cuius gratis expediuerat; Sed pro alia parte fuit replicatum, quod ex illa descriptione, non probabatur quod illo tempore esset familiaris. quia in extractione rotuli, procurator Francisci, interrogauerat computistam, an esset verum quod etiam quod rotulus fuisset consignatus Referibendario nihilominus, quod mandantur quotidie describi alii familiares. & computista respondit, quod verum erat quod secundum exigentiam expeditionum, quotidie noui describebantur. & sic necessario Io. de Vergara non probabat se illo tempore esse familiarem, quod probabatur ex verbis expectatiuæ, dum dicebatur subrogatus, & postea subiiciebatur, ac continuus commensalis noster existis. Ita quod apparebat quod illa familiaritas procedebat ab illa subrogatione. Et licet pro parte Ioannis diceretur, quod licet tempore datæ, non esset subrogatus; tamen dicebatur quod tempore expeditionis erat, quæ fuit facta 30. Decembris 1537. iam erat subrogatus, & sic in expeditione officiales non fraudabantur. Respondebatur, quod licet officiales non fraudarentur in expeditione, tamen quod gratia erat subreptitia, ex quo dixit se subrogatum tempore datæ, cum tamen non esset. Et licet nec respectu expeditionis aliquod commodum reportaret, cum tempore expeditionis iam tunc subrogatus esset Conclauistæ; quia tamen narrauit se subrogatum eo tempore, quo non erat, quod gratia esset subreptitia. Et dicebatur, quod licet ipse posset se narrare, tempore expeditionis se subrogatum, cum re vera illo tempore esset subrogatus ad effectum expediendi gratis; tamen quo ad substantiam gratiæ vt gratia non dicatur subreptitia, non potuit narrare, cum non esset. Pro quo facit dictũ * Innoc. in c. super litteris. de rescript.

2 dum dicit † quod in gratiosis falsitas expressa, etiam quod non reddat Principem faciliorem ad concedendũ nihilominus reddit gratiam subreptitiam. Et fuit dictum, quod ita etiam conclusum fuerat in vna Calaguritana Archidiaconatus pro bo. mem. Io. de Anguiano, contra Martinum Ximenez, coram me. & fuit dictum quod non iuuabat Ioannem dicentem ego nolo vti priuilegiis Conclauistarum. quia satis erat quod expressisset se subrogatum, cum non esset. quia in prima expeditione, non dantur passim omnibus gratiæ expectatiuæ.

* Cõtra istam decis. videtur facere dec. l. Cassad 10. vt valida fuerit, &c. de præbend. Nisi saluet ex iis, quæ dicuntur in fin. istius decisionis.

* Ad dictũ Innoc. vide Roc. dec. 54 de rescript. in antiq. alias 582. vbi distinguit, vide quæ dixi supra decis. 340. Cassador. decis. 12. pag. fin. in fin. de præben. & 7. de Cõcess. præben.

S V M M A R I V M.

Institutio facta spreto patrono, an sit nulla.

1 *Collatio facta simpliciter de beneficio de iure patronatus, an sit conditionalis.*

2 *Ius, si non quæritur persona cui ceditur non abdicatur à cedente.*

3 *In collatione beneficij iurispatronatus cum derogatione medietatis, an requiratur consensus alterius medietatis.*

DECISIO CCCCII.

FVit resolutum in vna Mediolanensi canonicatus, & prębendæ, die 8. Ian. 1543. coram

coram D. Io. Paulo, quod collatio Ordinarij, spreto * patrono, per obitũ
1 censeretur † sub conditione, facta si patrono placuerit, ita ꝙ patrono infra quadrimestre contradicente esset nulla, & ita diceretur sub conditione facta. per decis. 528. in antiquis, * & quod dicit Felin. in c. cum Bertoldus. col. 3. de re iudic. & Curt. in suo tract. iurispat. in verbo honorificum. in princ. & plura poteris videre per Lamber. in tract. iurispat. in 2. artic. 2. quæst. princ. 3. par. 2. lib. col. 2. vers. sed difficultas remanet. & vers. & vt supra retulimus. fol. 344 & fol. 346. vers. quarta est ergo. &c.

* Die 12. Februarij 1543. causa iterum posita. An prouisio apostolica esset nulla ab initio spreto Patrono. fuit per omnes conclusum, quod esset valida ab initio, sed irritanda contradicente Patrono per ea, quæ dicit Rota decis. 528. in antiq. alias 10. de iur. patr. Felin. in c. cum Bertoldus. col. 3. de re iudic. & in tract. quando litter. Apostolicæ. in 20. limitat. Roch. de Curt. in suo tract. in ver. honorificum. in princ. Vide ad proposit. Gomes. super reg. de public. an. q. 27. circa fin.

Et die 15. Ianuarij, coram eodem, fuit resolutum, quod resignatio facta per Marcum Antonium Simoneta, in fauorem Cardinalis Simoneta, de eodem canonicatu, spreto patrono, patrono contradicente post mortem Cardinalis, infra tamen quadrimestre esset nulla, itaut ab initio nõ esset abdicatum ius à Marco Antonio, nec per mortem Cardinalis vacasset. quia ex quo per contradictionem præsentatio esset nulla, & sic Cardinali, in cuius fauorem erat facta in manibus Papæ, ius non poterat
2 quæri, † ergo non erat à Marco Antonio abdicatum. vt per Abb. in c. cum pridem. in fin. de pact. quod dictum sæpissime Rota tenuit. Item quia erat derogatum medie-
3 tati patronorum, & sic requirebatur † consensus alterius medietatis, & sic videbatur sub conditione facta, prout dicit Rota 579. in antiquis, * & Bisignet. decis. 6. de renunc. & D. Mohed. ostendit scripta, ex quibus apparebat, quod bis ita resolutũ fuit.

* alias 2. de iur. patron.

* alias 13. de rer. permut.

SVMMARIVM.

An attentis conuentionibus, & possessione decennali, clerici sint restituendi.

1 *Clerici an sint restituendi ad decimas ex possessione decennali.*
2 *Status ille non consideratur qui desijt esse status per contrariam possessionem.*
3 *Renunciare iuri suo, nemo præsumitur in dubio.*
4 *Restitutio ad possessionem vitiosam non datur.*

DECISIO

CCCCIII.

Die 12. Ianuarij 1543. In causa Veronensi de Roncho, proposui dubium; An attentis conuentionibus inter Archipresbyterum, & clericos factis, & possessione decennali antiqua, clerici ad deci-
1 mas † essent restituendi. Et fuit resolutum, quod possessio decennalis, nihil faciebat ad restitutionem, prout iam antea fuerat resolutum, ex quo ius commune clericis refragabatur. Item connentio de anno 1451. dicebatur, quod ibi erat facta conuentio inter quendam Don Antoninm, & clericos, vt per octo annos Don Antonius perciperet medietatem decimarum; reliquam vero perciperent clerici, & quod Archipresbyter contribueret quemdam clericatum mortuum, & quasdam possessiones quas tenebat. Deinde de anno 1452. cum auctoritate cuiusdam asserti Vicarij, fuit declaratum, quod per octo annos Don Antonius perciperet medietatem; elapsis vero octo annis perciperet tertiam. Dicebatur quod ista conuentio, dato quod esset facta cum auctoritate superioris, tamen quod tantũ respiciebat personam illius Don Antonii. & sic non poterat dare titulum, quo ad successores. Item dicebatur quod conuentio facta de anno 1455. in qua concedebatur Don Petro Rectori medietas durante vita eius, & post eius obitum quod res reuerteretur ad pristinum statum, quod etiam ista conuentio nõ obstabat. nec obstabat ꝙ dicebatur, quod ex quo in ea dicebatur, quod res reuerteretur in pristinum statum, quod intelligebatur de illo statu possessionis trium quartarum in quo prius clerici fuerant. & cum illa conuentio, fuisset facta auctoritate superioris, quod illa connentio diceretur realis, & per consequens, ratione illius conuentionis, clerici dicerentur habere titulum. Quia primo respondebatur, quod ex quo ille Episcopus erat Suffraganeus, & non erat Episcopus Veronensis, quod de auctoritate eius non constabat. nisi ad hoc responderetur, quod ex tempore præsumeretur pro Vicariatu. Secundo dicebatur quod dato quod ex tempore præsumeretur Vicariatus, tamen quod illa verba, quod res reuerteretur in pristinum statum non poterant intelligi de illa possessione triũ quartarũ antiqua, ex quo illa possessio antiqua desierat esse per aliã possessionem quadraginta annorum Archipresb. ita
2 quod ille † status non poterat considerari, qui iã desierat esse status per cõtrariã possessionẽ quadraginta annorũ. Et quod istud sit verũ patet. Nã cum ex illa possessione quadraginta annorũ, assistente iure cõmuni Archipresbytero, erat sequuta præscrip-
3 tio, & nemo † in dubio videtur renunciare iuri sibi competenti. l. cum de indebito. cum vulgat. Et ideo sensus est, quod, cum conuentio fieret de anno 1455. quo tempore per conuentionem factam de anno

anno 1451. erat inceptus ex conuentione alterari status, vt post mortem Don Petri possiderent, vt prius erāt soliti. scilicet ante conuentionem. Et quod sit verum patet; quia non constabat, quod Don Petrus haberet scientiam illius possessionis antiquę triū quartarum. Præterea dicebatur, quod ab illa conuentione, erat recessum per aliam cōuentionem factam de anno 1470. in qua cum auctoritate superioris, fuit facta alia conuentio. videlicet, quod clerici medietatem, & Archipresbyter aliam medietatem: & ista erat simplex conuentio, & vltima; ita quod tamquā nouissima, derogabat prioribus & præcedentibus. itaut si per illas aliquis titulus coloratus esset datus, per illam vltimam discoloraretur. Item & vltimo, quādo illa conuentio facta de anno 1455. aliquem titulum coloratum tribueret, prodesset quoad possessionem postea quęsitam, quę in casu nostro nulla erat, immo semper Archipresbyteri continuarunt suam possessionem pro medietate. non autem prodesset quo ad possessionē antea quæsitam, quę deficerat. cum illa fuisset vitiosa, & ad illam
4 tamquam vitiosam restitutio fieri non debebat.

S V M M A R I V M.

Quando testator dedit in testamento tutori adiunctum, quomodo intelligatur.

1 *Tutor datus vt adiunctus, an possit administrare.*
2 *Curatoris datio non confirmata à iudice, an valeat.*
Adiunctus deputatus ob suspicionem, an sit vice curatoris.
3 *Adiunctus tutori quando censeatur datus ratione commodioris administrationis.*
4 *Ad tutorem, vel ad adiunctum, an auctorizare pertineat.*

DECISIO CCCCIV.

IOannes Franciscus de Bardis, dederat tutores filijs suis Cardinalem Sanctorum Quatuor, & Rainerium eius fratrem. cui Rainerio in rebus vrbanis, in administratione earum, voluit adiunctum esse Antoniū Milesium. in gubernatione rerum Florentię, voluit esse alium adiunctum. Postea Rainerius, agens nomine pupillorum contra Comitem Anguillariæ, constituit procuratorem. dicebatur, quod ille procurator nulliter esset constitutus; quia à Rainerio tantum, & non etiam ab adiuncto. Dubio proposito in vna Romana pecuniaria, coram D. Maceratensi, die 12. Ianuarij 1543. fuit resolutum quod cōstitutio procuratoris valeret; quia si illa datio adiuncti importabat vt etiam adiunctus esset tutor, & tunc quilibet
1 † tutor potest insolidum administrare. per text. in l. fin. C. de auctorit. præst. & in l. 1. C. si vnus ex pluribus. aut illa datio adiuncti, importabat vt censeretur vt cu-
2 rator datus; † & tunc, cum non fuisset confirmatus per iudicem, eius datio non valebat. instit. de curator. in fine princ. & quia sicut curator fuisset datus, eius auctoritas in actu inutilis est cum non possit in actu auctorare. iux. tex. in l. cum vna. §. tutor. ff. de appellat. Et si iste adiunctus fuisset deputatus ratione suspicionis, tunc quia vices curatoris sustineret. vt inst. de curator. §. interdum. eius auctoritas esset inutilis. vt dicit glos. quam Doctor. sequuntur, in l. licet. C. in quib. caus. tutor. haben. &c. & non erat præsumendum, tutorem filijs reliquisse suspectum, cum propter suspicionem soleant remoueri. Et ideo fuit conclusum; quod
3 potius tutori. † testator adiunctum dederit ratione commodioris administrationis. quod solet de iure fieri, vbi sunt amplæ vires patrimonij. vt in §. final. instit. de curator. & l. propter. & l. ob augumentum. C. in quibus caus. tut. habēt. Et hoc denotabant illa verba, in administratione adiun-
4 ctum dedit. &c. & ideo † cum authorizare in actu, ad ipsum tutorem, & non adiunctū pertineat. vt dicit text. in d. l. cum vna. §. tutor. sequebatur, quod Rainerius solus bene procuratorem constituisset.

S V M M A R I V M.

Exemplum quando faciat fidem.

DECISIO CCCCV.

IN vna Toletana matrimonij, coram D. Fabio, fuit resolutum, die 15. Ianuarij 1543. quod exemplum originalis productū, parte non opponente, nec iudice reijciente, faceret fidem. per ea quæ dicit Socin. in auth. si quis in aliquo. in fine, & Curt. Iun. colum. 5. & Dec. col. 10. In exemplo exempli, Domini dubitarunt. per ea quæ dicit Purpurat. in d. auth. col. 5. vers. declaretis præmissa omnia.

S V M M A R I V M.

Gratia ad tempus concessa, post illud non præstat titulum coloratum.

DECISIO CCCCVI.

DIe 15. Ianuarii 1543. in vna Astoricensi Parochialis, coram D. Thoma, fuit

fuit resolutum, quod mandatum de prouidendo, ad certum tempus concessum, non præstaret titulum coloratum, quo ad possessionem beneficij captam, quod vacauerat post illud tempus. quia concessum ad tempus, post illud, censetur prohibitum. & quia gratia habebat tempus in se limitatū. Non obstabat, ꝙ gratia expectatiua reuocata pręstaret titulū coloratum, vt tenuit Rota. quia respondebatur, quod diuersa est ratio. cum de reuocatione non appareret in eadem gratia expectatiua; quod secus erat in isto mandato limitato. & sic de nullitate tituli, apparebat ex eodem argumento notato per Bart. in l. 1. §. & parui. ff. quod vi, aut clam. & per Cassador. decis. 12. de rescript.

SVMMARIVM.

Capitulum tenetur ad fructus non distributos, licet ante intimationem essent lucrati, dum tamen post datam priuilegij.

1 *Bonæ fidei possessor, ad quos fructus teneatur.*

DECISIO CCCCVII.

IN vna Conchensi fructuum, pro Constantino del Castillo, contra Capitulum Conchense 15. Ianuarij 1543. Fuit resolutum, quod Capitulum teneretur de fructibus non distributis, & sic extantibus pęnes Capitulum ipsi Constantino respondere, etiam quod essent per Canonicos lucrati. dum tamen essent post datam priuilegij, lucrati, quia dato, quod sint Canonici ante intimationem bonæ fidei, tamen bonę
1 fidei † possessor tenetur de fructibus non consumptis, & penes eum existentibus. vt in l. certum. C. de rei vend. glos. & Abb. in c. granis. de restit. spoliat. & Bart. in l. ex diuerso. ff. de rei vend. & sentit Oldrad. cons. 56.

SVMMARIVM.

Regula de idiomate habet locum in commendis perpetuis.

DECISIO CCCCVIII.

DEcimaquinta Ianuarij 1543. in vna Cauriensi Parochialis S. Iacobi, fuit tenta decisio, quam dicit alias fuisse resolutam D. Sarnensis in regula de idiomate, quæst. 5. Et ibi refert tempore Cassadoris, ita etiam fuisse decisum, quod regula de idiomate habet locū in commendis perpetuis.

SVMMARIVM.

Verba enunciatiua fauore dotis, probant.

DECISIO CCCCIX.

FVit resolutum in vna Ariminensi, coram me, ꝙ verba illa prolata à muliere presente viro. Io l'ho tolto per marito, & datoli quanto ho al mondo. licet essent verba enunciatiua; tamen probarent, mulierem dedisse omnia bona in dotem. & dictum fuit, quod non referebat, an essent dicta in præsentia, vel absentia viri. per ea quæ dicit Bal. Nouellus in tract. de dot. in 6. parte speciali 78. Campeg. in tract. de dot. in 1. parte quæst. 107. quæ est vltima illius partis. Ias. in l. ex ijs. in 2. fallen. C. de test. milit. Dec. cons. 35. col. 2.

SVMMARIVM.

Legitima, arbitrio Iudicis detrahenda.

DECISIO CCCCX.

LEgitima, detrahitur de rebus, & bonis in vna vel pluribus, prout & quemadmodū vir bonus arbitrabitur. vt per Alex. in l. Marcellus. §. res quę ff. ad Trebell. per Abb. in c. Raynaldus. in 7. not. de test. Ita conclusum fuit in vna Senensi hæreditatis, coram D. Thoma de Thanis, die 19. Ianuarii 1543.

SVMMARIVM.

Locatio bonorum Monasterij, ad longum tempus per Papam confirmata, absq; consensu regressum habentis, an sit nulla.

1 *Locatio rerum Ecclesiæ ad longum tempus, an valeat.*
2 *Papa mens an sit velle tertio præiudicare.*
3 *Pensio sine consensu habentis regressum reseruata, an sit nulla.*
4 *In gratia an sit facienda mentio de eo, de cuius præiudicio agitur.*
5 *Locatio rei Ecclesiæ, quamuis in euidentem vtilitatem, an debeat fieri de consensu Rectoris.*
6 *In gratia, an debeat fieri mentio de iure ad rem.*

DECI-

* Aduerte ad istam deci. quia, licet semel fieri possit, & pro parte fuerit resoluta; ista tamen quia habeo animũ iterum eã proponendi: ideo pro nunc eam non firmo. Iste punctus, in causa appellationis, coram D. Fabio in secunda instantia, fuit iterum propositus, die 11. Ianuarij 1544. & fuit iterum resolutum, ꝙ confirmatio facta, nõ vocato Cardinali Tranensi, saltem per edictum, seu proclama, ei non noceret quia Breue cõfirmabat locationẽ vocatis vocandis. vnde, licet is, de cuius interesse principaliter agitur, sit vocandus, tamen, vt noceat ei, de cuius interesse agitur secundario, est saltem vocandus per edictum, seu proclama. secundum Alex. in l. de vnoquoq; de re iud. col. fin. & de eo, qui habet spem, vt puta substituto, et de vocato in inuestitura, deficiẽte primo, quod debeat vocari, ponit Dec. cons. 445. col. 9. vers. & certe nullo modo. &c. vol. 3. Et pro ista decisione facit, quod dicit. Giga. in tract. de pensionib. q. 79. pag. 2. vers. quia respõdetur, quod Papa onerans &c.

DECISIO CCCCXI.

IVlius Cæsar Rangonus, * Commendatarius Monasterii Sancti Stephani Bononien. locauerat pro decem & octo annis, omnia iura, & possessiones pertinentes ad dictum Monasterium, eidam Francisco Tosignano. & dicta locatio, vigore gratiæ, siue supplicationis, si in euidentem, fuerat confirmata post mortem Iulii Cæsaris Cardinalis Tranensis, qui ad dictum Monasterium regressum habebat. & qui vigore eius, Monasterium adeptus fuerat impugnabat locationem. Pro alia vero parte dicebatur, quod, ex quo locatio erat per Sedem Apostolicam confirmata pro Iulio, & successoribus suis, quod Cardinalis tanquam successor, tenebatur illi stare. Item quia locatio erat facta in euidentem vtilitatem Ecclesiæ vt præsupponebatur, erat facta in casu permisso. iuxta tex. in c. 1. de reb. ecc. non alien. in 6. Ergo cum esset confirmata pro successoribus, deberet quilibet successor etiam veniens ex regressu ei stare. nam hic nihil erat subreptum Papæ, sed tantum obreptũ. quia tacitũ erat, quod Cardinalis habebat regressum. Sed, dato quod istud fuisset expressum, Papa idem concessisset propter vtilitatem Ecclesiæ, quam verisimiliter præposuisset vtilitati Cardinalis. ergo talis obreptio non debebat vitiare confirmationem. Sed istis non obstantibus in vna Bononiensi, nullitatis locationis, pro Reueren. Tranensi, contra Albertum de Tusignano, me proponente, die 19. Ianuarij 1543. fuit tentum contrarium, vno tãtũ Auditore cõtradicente. videlicet, ꝙ Cardinalis non teneretur stare. quia certũ est
1 quod de iure communi † locatio ad longum tempus non valet. Clemen. 1. in fin de reb. eccles. & extat extrauagans Pauli, tota ergo virtus istius locationis, stat in confirmatione. Et cum in ea narratum non fuerit de
2 regressu Cardinalis, cum † mens Papæ non sit velle tertio præiudicare, quod procedit etiam si agatur de præiudicio ad rem. vt not. Abb. in c. in nostra in 3. not. de rescrip. & Decius in c. super eo de offic. deleg. ergo talis confirmatio erit tanquam subreptitia, & nulla. maximè quod confirmatio satis operari poterat quo ad locantem, tollendo defectum solennitatis pronenientem de iure communi, vel in successoribus, qui non haberent causam de præterito, & succederent in titulo postea quæsito, prout non est veniens vigore regressus. vt per Cassad. decis. vnic. de pact. Confirmatur ista pars per id, quod iudicatum est pluries,
3 quod pensio, † sine consensu habentis regressum, reseruata est nulla, vt per Cassa. dec. 1. de pens. Non obstat id quod dicebatur. quod esset facta in vtilitatem, & sic in casu permisso, & ideo debebat omnes successores comprehendere. quia respondebatur
4 quod, ex quo certus erat is, de cuius † præiudicio agebatur, puta Cardinalis, quod de eo saltem mentio fieri debebat. arg. not. in c. fin. de elect. in 6. Nam licet locatio fiat regulariter in euidentem vtilitatem Eccle-
5 siæ, tamen † semper fit de consensu Rectoris, & sic ius habentis. ita etiam debebat fieri de consensu Cardinalis regressum habentis. nisi diceretur, quod sufficeret consensus Iulij Cæsaris, qui erat tunc temporis principalis, non autem illius, qui eventualiter ius habebat. arg. glos. & quod ibi dicunt Doct. in l. quod iussit. ff. de re iudic. Et quod dicitur de pensione, reseruata sine consensu habentis regressum, quod sit nulla, posset replicari. quia illud ideo est, quia pensio, fauore personæ reseruatur, nimirum si extincta persona extinguitur ipsa pensio. Sed hic præsupponitur, quod fauore Ecclesiæ, & in vtilitatem eius fuerit facta. Ideo licet primus Rector moriatur, manet semper vtilitas Ecclesiæ. Pro parte tamen resolutionis, fuit allegatus tex. in c. nuper. de donat. inter. vir. & vxor. quem allegat Gig. quæst. 79. & fuit allegatus Gemin. cons. 107. in
6 fine. vbi quod debet fieri † mentio de iure in re ad rem, & in spe. decis. Neapolitana, 101. Cald. cons. 1. & 7. de locat.

SVMMARIVM.

Quando aliquis commisit causam, & obtinuit citationem, licet eam non exequatur, si reus veniat, potest procedere contra actorem per Audientiam contradictarum.

DECISIO CCCCXII.

COmmiserat Io. Baptista de Baldassinis in vna Valentina de Pego. causam contra N. omnesq. alios. & obtenta citatione recesserat, constitutis procuratoribus apud acta causæ, absentibus, & non acceptantibus. Postea per aliquot annos, vigore clausulæ generalis, omnesq; alios, venit Martinus Calahorta, & petijt se ad causam admitti, qui fuit admissus pro interesse suo, & monitis procuratoribus si volebãt acceptare, & illis non acceptantibus, fuit decretus processus per Audientiam cõtradictarum, & obtinuit ius suum per D. Marsicanum canonizari in tertia instantia. Io. Baptista, coram me, dixit de nullitate sententiæ,

sententiæ eo, quia dicebat se non fuisse citatum ad causam, nam licet ipse commisisset causam, tamen dicebat citationem per eum obtentam, cōtra nullum fuisse exequutam. nec de aliqua exequutione in actis apparebat. & pro parte sua allegabat decis. 456. & 462. Aegidij. Ad decis. 17. de dol. & contum. in nouis, alias 402. respondebat, quod ibi erat diuersus casus, quia erat commissa causa contra specialiter nominatum. hic autem, Martinus veniebat vigore clausulæ generalis. Item, illa decisio, circa finem ponebat distinctionem. item, illa decis. dicit quod debet dari absolutoria ab obseruatione iudicij, non autem super negocio principali pronunciari. Tamē istis non obstantib. Domini voluerunt, sententiam esse bonam. & etiam isto casu voluerunt tenere illam decis. 402. per rationes de quibus in ea, maxime, quia tractabatur de saluanda sententia, cum aliqui dicerent, quod si fuisset ante sententiam in isto casu, cum ageretur contra vocatum vigore clausulæ generalis, forsan aliter dixissent. Ad decisionē Aegidij dicebatur, ꝙ illę sine iure loquuntur. & quod stylus Rotæ inualuerat in contrarium, seruando decis. 402. Et ita fuit resolutum, eoram me in d. Valentina de Pego 14. Ianuarij 1543.

SVMMARIVM.

Procurator ad defendendum, non potest committere causam super molestationibus.

1 *Committens causam super inquietationibus, an dicatur defendere.*
2 *Defendere in iudicio quis proprie dicatur.*
3 *Remedium l. diffamari, quis intentare non possit.*

DECISIO CCCCXIII.

IN vna Salernitana Rectoriæ, fuit resolutum coram me, die 24. Ianuarij 1543. quod procurator habens mandatum ad defendendum, non haberet mandatum ad committendum causam super molestationibus per glos. in c. constitutis. de procurat. & videtur text. in cap. accedens eod. titul. Non 1 obstat quod ille, qui † committit super inquietationibus dicatur quodāmodo defendere, ad glos. in l. diffamari. C. de ingen. & man. quia dicebatur, quod cum verba proprie in mandatis sint intelligenda, quod proprie di 2 citur † defendere ille, qui prouocatus venit ad iudicium, ad Paul. de Castr. in l. de Pupillo. §. qui remissionem. ff. de nou. oper. nunc. & idem Paul. de Castr. in l. libertus 3 patrono. ff. de in ius. vocan. vbi dicit † quod ille qui non potest agere, non potest intentare remedium l. diffamari.

SVMMARIVM.

Expressio, quod esset nominatus à conclauista, cum non esset, reddit gratiam subreptitiam.

1 *Gratia an sit subreptitia, dato, quod narratiua non mouisset Principem ad facilius concedendum.*

DECISIO CCCCXIV.

IN vna Calciatensi dimidiæ portionis, in vltima audientia ante carnispriuium, fuit resolutum, quod licet Io. de Vergara, propter clausulam, motuproprio, non teneretur probare se familiarem; tamen quia expresserat se nominatum à conclauista, cū non esset tempore datæ, quod gratia esset 1 subreptitia. † dato, quod illa narratiua non mouisset Principem ad facilius concedendum secundum Innoc. in cap. super litteris. de rescript.

SVMMARIVM.

Expectans potest duo in eadem Diœcesi acceptare, Ordinario non contradicente etiam in præiudicium expectantium.

DECISIO CCCCXV.

FVit tentum in vna Vrgellensi canonicatus, & præbendę, die 29. Ianuarij 1543. quod D. Bernardinus de la Cruce, vigore expectatiuę ad tres collationes, & tria beneficia, potuerit acceptare duo beneficia in Diœcesi Vrgellensi, Ordinario non contradicente, in qua erant expectatiuæ, & in præiudicium expectantium. & sic quod decis. Cassador. 1. & 2. de concess. præbend. ampliaretur, quod dato, quod in illa Diœcesi essent expectatiuæ, & tractaretur de præiudicio expectantium, nam dicebatur quod illud præiudicium non erat considerabile, nam principaliter Papa intendebat, dando expectatiuam, grauare Ordinarium. si ergo Ordinarius non contradicit, poterit expectans acceptare duo, dato quod in hoc præiudicetur expectanti. cum istud præiudiciū penes Papam tempore concessionis non sit in consideratione, sed tantum præiudicium Ordinarii, quod tollitur per non contradictionem. & illud præiudicium est dilatiuū, non autem peremptorium, quod non est in cōsideratione iuxt. decis. 144. in nouis, * licet de more. Non obstat quod Ordinarius, stante expectatiua alterius, non posset contradi-

* Alias 17. de preben.

tradicere, conferendo alteri, propter decretum in expectatiua appositum. quia respondebatur, quod expresse poterat contradicere, dicendo quod gratia erat consumpta. & quod ipse non poterat secundum accepta re, sed ad alterum spectabat. quod cũ non fecerit, sibi præiudicauit. & præiudicium expectantis non est in cõsideratione, ex quo aliud acceptare poterit. Et ista resolutio fuit facta, coram D. Marescoto.

SVMMARIVM.

Statutum prohibens donationem, non prohibet donationem remuneratoriam.

DECISIO CCCCXVI.

FVit resolutum, coram D. Aquensi, die 29. Ianuarij 1543. quod statutum prohibens donationem non videatur prohibere donationem remuneratoriam. prout patet in multis partibus iuris. Nã licet inter maritum & vxorem, sit prohibita donatio, non tamen remuneratoria. Item, in donatione inter patrem & filium, & tamen remuneratoria non prohibetur. ita erat dicendum in statuto Vrbeuetano. vt licet prohibeat donationem, non tamen intelligitur prohibere eam, quæ remuneratoria est.

SVMMARIVM.

Testes examinati, prætermissis interrogatorijs, non sunt nulliter examinati, sed sunt repetendi.

DECISIO CCCCXVII.

FVit tentum in vna Burgensi matrimonij, quod testes examinati * prætermissis interrogatorijs, per hoc nõ essent nulliter examinati, sed quod essent repetendi, & interim causa non expediretur. per ea, quæ dicit Alexan. conf. 172. colum. penult. vol. 2. & conf. 41. col. penult. vol. 4. & Dec. in c. licet causam. in octauo not. de probat.

* Vide Barbar. cõsil. 3. illud refe am, col. 8. versic. quod autem testes, &c. vol. 3.

SVMMARIVM.

Resignatio vbi fit in fauorem certæ personæ, sufficit quod intimatio reuocationis fiat in partibus principali.

DECISIO CCCCXVIII.

VIgesimanona Ianuarij 1543. fuit resolutum in vna Burgensi Cappellaniæ, coram D. Sarnensi quod in resignatione facta in fauorem certę personæ, sufficiebat quod reuocatio esset intimata in partibus principali, sicut dicimus in permutatione. secũdum Felin. in c. ex parte Decani. colum. 8. vers. limita primo. & c. de rescript. & ibidem quæ ponit Felin. in vers. ex hoc inferri potest, & c. faciunt pro ista decis. facit glos. in clem. 1. * de renunc. in verbo facienda.

* Text. in Clem. 1. de renunc. non obstat dum cõsiderat quod intimatio debet fieri procuratori vel superiori, quia cum illo tempore Clem. non fierent resignationes in fauorem certarum personarũ, sed simpliciter, ideo text. cõsiderauit intimationem faciendam procuratori, vel superiori. cum autem inualuerint hodie istæ resignationes in fauorem certarum personarum, dicendum est quod in tali resignatione militet illa ratio, quæ militat in permutatione. & ita tenet Io. de Selua in tract. de beneficio in 3. par. q. 16 col. 3. in fin. & Philip. Prob. in addit. ad Io. Monach. super rubr. de renũc. col. fin. de renunc. lib. 6. Idem fuit resolutũ in vna Salamantina Abbatiæ S. Saturnini, coram D. Mohedano, die 12. Nouembris 1543.

SVMMARIVM.

Citatio vigore commissionis restitutoriæ cum clausula, parito iudicato, &c. ante paritionem non inducit litis pendentiam.

1 *Iurisdictio data sub conditione, an acquiratur ea non purificata.*

DECISIO CCCCXIX.

FVit resolutum, coram me, in vna Hispalensi dimidiæ portionis, pro Francisco Vanegas, contra Alphonsum de Agnaya, 5. Maij 1542. quod commissio causæ restitutionis in integrum, cum clausula, parito iudicato, quod licet vigore illius commissionis, pars esset citata ad dicendum contra; tamen quod ante paritionem non esset per illam citationem, inducta litis pendentia, quia rescriptum erat conditionale. l. à testatore, ff. de condict. & demonst. Et iu-
1 risdictio sub conditione † data, non acquiritur, nisi purificata conditione. Socin. consil. 99. col. 7. vol. 3. seu 4.

SVMMARIVM.

Prouisio cum clausula dummodo accedat consensus medietatis patronorum non est conditionalis.

1 *Clausula, & quatenus de iurepatronatus cum derogatione quid importet.*
2 *Modalis vel conditionalis, in dubio, an censeatur dispositio.*
3 *Collatio, an fiat sub conditione.*
4 *Dictio, dummodo, quando adijcitur actui imperfecto, an dicat conditionem.*

DECI-

DECISIO CCCCXX.

Fvit resolutum in vna Mediolanensi canonicatus, coram D. Io. Paulo, die 12. Februarij 1543. quod prouisio Apostolica de beneficio patronato, cum clausula, &
1 quatenus † de iure patronatus, cum derogatione pro dimidia. &c. quę verba supplicationis in litteris resoluuntur, dummodo consensus medietatis patronorum accedat. &c. non esset conditionalis, sed potius
2 modalis. quia † qualibet dispositio potius censetur modalis, quam conditionalis. iux. not. per Alex. & Ias. in l. cum mota. C. de
3 transact. & quia † collatio, sicut electio, non solet fieri sub conditione. c. 2. de elect. in 6. Non obstat quod illa dictio, dummodo, quã
4 do † adijcitur actui imperfecto, dicit conditionem non modum. vt per Perusin. in c. non potest. §. illud. col. 2. in fin. vers. in ea. glo. &c. de preben. in 6. & Alex. in l. 1. ff. ad l. Falcid. quia dicebatur, quod prouisio Papæ, erat pura & perfecta. & illa verba, dummodo, ponebantur in parte derogatiua ad validitatem prouisionis. non autẽ ponebãtur, vt collatio conditionalis efficeretur. Quod patebat ex verbis supplicationis, dum dicunt, & quatenus de iure patronatus. &c.

SVMMARIVM.

Testamentum in terris Ecclesię conditum, in quo non interuenit Parochianus, vel Rector, est nullum. Et an sit nullum quando est conditum inter liberos, corã duobus testibus inæqualiter institutos.

DECISIO CCCCXXI.

IN vna Senensi hæreditatis, coram D. Thoma de Thanis fuit resolutum, die 16. Februarij 1543. quod licet testamentum factum in terris Ecclesiæ esset nullum, quia non interuenerat Parochianus, vel Cõfessor, sed tantum tres testes. per tex. in c. cum esses. de testam. tamen quia eramus inter liberos, esset validum. Et licet diceretur. quod vbi sunt inæqualiter instituti, maxime vbi est magna inæqualitas, testamẽtum non valeret. per auctoritates quas allegat. Io. Ant. Alex. cons. 6. tamen illud procedebat, vbi nulla rationabilis causa assignari poterat illius inæqualitatis, & quare illa inæqualitas tolerari poterat. prout dicebatur in illo casu, quia fœminę erant per statutum exclusæ. Item, ratione conseruandæ agnationis. nimirum si inter masculos & fœminas, erat inducta per testatorem inæqualitas, & nulla erat præsumptio propter hoc falsitatis. Item, inæqualitas inter masculos etiam, erat rationabilis respectu primogenituræ. & quia agebatur de fortilitijs, & iurisdictione, quorum natura est, vt penes vnum maneant.

SVMMARIVM.

Gratia quæ sit generalis. & quando vna de alia debet facere mentionem.

DECISIO CCCCXXII.

EAdem die, in vna Hispalensi Archidiaconatus de Carmona, coram D. Maceratensi, fuit resolutum, quod gratia esset * generalis ex quo habebat clausulam acceptan. per decis. 3. Cassad. de præben. etiam quod esset alternatiua ad primum vocaturum, vel quod duceret acceptan. quia alternatiua erat incerta. & ideo, cum gratia esset generalis, de ea * secunda gratia specialis de vacanti, non debebat facere mentionem, quia maior potestas erat in Papa, per c. dudum. de præb. & decis. 244. alias 17. de præben. licet de more. in nouis. Secus fuit dictũ si prima gratia fuisset specialis. quia in secunda speciali, de prima debebat fieri mentio.

* Quæ dicatur gratia generalis, vel specialis, facit glo. in c. 1. in ver. certam de concessio. præben. in 6. cum sequent. glos. & ad propositum, vide sup decis. 254. Aduerte, quod siue gratia sit generalis, siue specialis videtur q sequens gratia de vacanti, saltem per clausulas derogatorias, de præcedenti, debeat facere mentionem. vt per Cassad. decis 5. de concess. præben. vide tamẽ Cassad. decis 2. de decret. in reseruatione. vbi distinguit; & vide Staphil. in tract. de liter. grat. fol. 32 pag. 1. vers. idem dico. &c. & fol. 33. pag. 1. vers idem dico & ibi etiam ponit, quando dicatur generalis gratia.

* An secundæ gratia debeat facere mentionem de prima. Staphil. in tract. de litter. grat. &c fol. 38. pag 1. vers quinta forma. &c. cum seq. pag. & fol. 64. pag 1. vers. quod ego intelligo. &c. per tot. illam col. vit. omnino. & fol. eod. 64. pag. 2. vers. ex hoc infero vnum. &c. ponit quæ dicatur gratia generalis, vel specialis. & fol. 194. pag. 2. in princip. vers. verum autem stante. &c.

SVMMARIVM.

Vigore gratiæ, si neutri, non potest capi possessio antequam per iudicem admittatur.

1 *Subrogatio an inducatur ex gratia, si neutri, & quando. & num. 2.*
2 *Supplicationis vigore, an quis possit capere possessionem beneficij.*

DECISIO CCCCXXIII.

IN vna Calaguritana, coram D. Fabio, fuit resolutum die 16. Februarij 1543. quod vigore gratiæ si neutri, non solum cum supplicatione, sed nec etiam cum literis, Martinus Ximenez poterat capere possessionẽ. quia talis gratia, dirigitur Auditori, in euentũ in quem constet. &c. Ergo ante illum euentũ, & sine iudice, Martinus

* Clausula, & quod litteræ in forma gratiosæ subrogationis. &c. ante expeditionem, an det subrogationem.

Die 23. Febr. 1543. causa iterum posita, fuit resolutum, quod immo per illam clausulā, & quod litteræ in forma subrogationis expediri possint. &c. ante expeditionē litterarum, per solam supplicationem, daretur subrogatio. quia si litteræ possunt expediri, ergo vigore gratiæ præexistentis. quæ gratia ex supplicatione oritur, & ideo dictum, quod intrans possessionem vigore supplicationis huiusmodi non diceretur intrusus.

* Vigore supplicationis potest capi possessio.

non poterat possessionem capere, &
sic attentabat. Iterum maior pars
inclinauit, quod vigore illorum ver
borum in dicta gratia si neutri, &
ꝙ litteræ in forma * gratiosæ sub-
rogationis expediri possint, etiam
1 non † induceretur subrogatio an-
tequam litteræ essent expeditæ. quia
illa verba dant potestatem expediē-
2 di litteras. & ideo ante † expeditio
nem, non esset data subrogatio. Item
in eadem fuit dictū, quod * vigore
3 supplicationis † præterquam in con
sistorialibus, potest quis possessionē
capere. vt per Sarnen. in Regula de
non iudicando iuxta formam sup-
plicationis in 5. quæst.

S V M M A R I V M.

Possessio ciuilissima quæ est ficta, an vigore decreti transmittatur.

1 *Decretum de continuanda possessione in hæredem, de quo hærede intelligatur, & n. 2.*
3 *Hæreditas iacens, an dicatur possidere.*
4 *Decretum exorbitans, & correctorium, an sit extendendum ad casum fictum.*
5 *Dispositum in casu vero, quando habeat locum in casu ficto.*

DECISIO CCCCXXIV.

DEcessit Polydorus de Palauicinis, reli
cto Io. Francisco filio infante. Tutores
infantis adiuerunt hæreditatem patris dicē
do inuenisse in bonis Polydori, ius petendi
talia bona. non tamen fuit apprehensa pos-
sessio bonorum. Postea decessit Io. Franci-
scus. cui successit Michaeel Boraschus, auus
maternus. Dubitaui ego die 19. Februarii
1543. in vna Parmensi bonorum, tamquam
subrogatus Veralli, pro Michaele Casalio,
contra Dominam Liuiam, An, attento quod
hęreditas Polydori, fuit adita per Io. Fran-
ciscum mediante persona tutoris, an posses-
sio bonorū de quibus agebatur, vigore de-
creti fuerit continuata in Boraschum. Pro
parte Liuiæ dicebatur, quod, aut quærebatur
tur de possessione Polydori, & dicebatur, ꝙ
ex quo hæreditas fuerat adita per Io. Fran-
ciscum, quod vigore decreti in ipsum fuerat
continuata. & ideo ad Boraschum illa pos-
sessio non erat transmissibilis, effectu decre
ti, in Io. Francisco iam consumato. cum de-
1 cretum intelligatur † de primo hærede iam
consumato effectu in ipso, vt per Alex. con-
sil. 37. col. 2. vol. 1. Et quo ad istam possessio
nem, ambo informantes concordabant. Aut
quærebatur de possessione Io. Frācisci, trāsmessibili vigore decreti in Boraschum, & di
cebatur duplici ratione, quod non poterat
dici. Primo, quia cōcurrerent duæ fictiones.
prima, quod possessio ficte transmitteretur.
secunda, quod per actum fictū puta per de-
2 cretum, † quod esse non potest, per ea quæ
dicit Bal. in rub. de caus. possess. & propriet.
col. penult. dum dicit, quod possessio ciui-
lissima per constitutum non transit, quia
concurrerent duæ fictiones. Sed ad istud re-
spondebatur, quod istud inconueniens, per
decretum cessabat. nā primo possessio trans-
mittebatur in hæreditatem iacentem, quæ
3 non habet corpus, nec animum, † & ideo
nō dicitur possidere. l. 1. §. Scęuola. ff. si quis
test. lib. esse ius. fuer. & tamen ab hæredita-
te transibat in hæredem, & sic duæ fictiones
concurrebant, quia possessio ficta existens in
hæreditate, & per decretum, & tamen ob-
stante ista duplici fictione, decretum dispo-
nebat, quod cōtinuaretur. Ergo illa duplex
fictio non erat in aliqua consideratione. &
sic per istam responsionem tollitur prima ra
tio. Secunda ratio erat, quia decretum erat
4 exorbitans, † & correctorium iuris cōmu-
nis. ergo non erat extendendum ad casum
fictum. vt per Alex. cons. 40. col. 3. in 3. vol.
& 82. vol. 2. & 37. col. 2. vol. 1. Curt. Iun.
cons. 108. num. 27. & 110. n. 18. Sed fuit re-
5 sponsum, ꝙ vbi casus fictus, & verus † æqui
parantur, quod ad omnem effectum, tunc in
materia etiam exorbitanti, dispositum in ca
su vero, habet locum in ficto. cap. ad audien
tiam. de cler. non resid. Roman. in l. 1. §. de
illo. ff. ad Trebell. Bal. in l. omnes populi. co-
lum. pen. vers. sed pone quod statuto cane-
tur. &c. ff. de iust. & iur. Cum ergo per sta-
tutum possessio in hæredē transferatur quo-
ad omnem effectum etiam quod aliqualiter
apprehensa non fuerit, & vnus effectus pos-
sessionis translatæ est, quod ad alium trāsferatur. ergo & pro ista parte, quod posses-
sio ciuilissima continuata in Io. Franciscum
per mortem eius, quod etiam fuerit conti-
nuata in Boraschum, fuit resolutū. Pro qua
ratione facit, quia ratio assignata in proœ-
mio decreti, vt malitiis obuietur, habet
etiam locum in casu isto.

S V M M A R I V M.

Legitimatio tenet, dato quod non probetur certa mater legitimati.

1 *Expositi, an æquiparentur vulgo quæsitis.*
2 *Legitimari an possint vulgo quæsiti.*

DECI-

DECISIO CCCCXXV.

Fvit resolutum in vna Parmensi legitimationis, coram me die 19. Februarij 1543. quod legitimatio Gradatij, teneret etiam quod non probaretur certa mater legitimati. sed quod sufficiebat quod pater agnouisset eum, vt filium, ex quo, tantum de praeiudicio eius agebatur. per doctrinam Bart. in l. quod Senatus. §. item per contrarium. ff. de liber. agnoscen. & late per Ias. consf. 106. vol. 1. Non obstat quod Gradatius fuisset expositus, & expositi † aequiparentur vulgo quaesitis. vt per Bart. in l. 1. in fine. ff. ad municip. & † vulgo quaesiti legitimari non possunt, quia est verum, nisi talis vulgo quaesitus, esset à patre agnitus. vt per Bal. in l. si qua illustris. circa finem. C. ad Orfician.

SVMMARIVM.

Regula moderans indulta Cardinalium super nominatione facienda, quomodo intellecta.

DECISIO CCCCXXVI.

Dvbitauit D. Mohedanus 2. Martij 1543 An Cardinalis Ariminensis, qui praeerat Ecclesiae Ariminensi, & praepositurae quae dignitas est in Collegiata Ecclesia Tongrensi, habentis prouisionem beneficiorum, & etiam habebat reseruatam collationem beneficiorum vnius monasterij, licet illud resignasset; subiiceretur regulae moderatiuae indultorum, super nominatione facienda, videlicet, quod deberent nominare vnam Ecclesiam, & vnum Monasterium, alias carerent collatione omnium. Et dicta die fuit resolutum, quod Cardinalis subiiceretur. quia mens Papae propter expectantes, erat moderari pluralitatem facultatis conferendi. Vnde, licet Cardinalis haberet tantum Ecclesiam Ariminensem: & praepositura nō esset Ecclesia: tamen ratione eius, compeтере bat facultas cōferendi. Item, licet resignasset monasterium, tamen reseruauerat sibi collationem beneficiorum, ratione monasterij. Vnde, vt ista pluralitas euitaretur, debebat nominare. Et pro ista resolutione, multum ponderabantur verba circa principium Regulae, quae dicunt. ratione Ecclesiarum monasteriorum, ac aliorum beneficiorum.

SVMMARIVM.

Minori, ad beneficium resignatum, si ex hoc laeditur, data restitutio.

1 Beneficium quodlibet de iure communi, an requirat residentiam.

DECISIO CCCCXXVII.

QVinta Martii 1543. fuit resolutum in vna Ciuitatensi Cappellaniae maioris, quod minori qui resignauerat beneficium pro octo ducatis in pensione, quod beneficium, residendo & interessendo, erat valoris ducatorum octuaginta, licet in absentia nullos fructus haberet, tamen pro recompensa dabantur ducat. quinquaginta, daretur restitutio tamquam laeso. per not. in c. ex parte. de restit. spoliat. & in l. ait Praetor. in princ. ff. de minor. Non obstat quod nullos haberet fructus, nisi interessendo, & interessentia dicatur onus. quia
1 dicebatur, quod de iure communi † quodlibet beneficium requirit interessentiam. cap. fin. de cler. non resid. & cap. fin. de rescrip. in 6. Et nihilominus DD. passim dicunt, quod datur restitutio, & illud onus non considerarur. quia si onus interessentiae, consideraretur, ad nullum beneficium daretur restitutio.

SVMMARIVM.

Resignatio correspectiua quo casu non tenuerit.

DECISIO CCCCXXVIII.

IN vna Gebennensi Serrauallis, inter Guidonem Pallellum, & Claudium Charanzonai 5. Martii 1543. Fuit resolutum, quod cessio Guidonis non valeret, ex quo fuerat facta intuitu pensionis, & accessus in fauorem Flaminij. qui accessus non poterat habere locum, tum propter minorem aetatem, tum propter regulam de Idiomate. Et ideo cum cessio esset conditionalis, & correspectiua, non valeret. per doctrinam Abbat. in c. cum pridem. de pact. Paul. de Cast. in l. eum qui. ff. de inoffic. test. Et licet aliqui vellent eum excusare à minori aetate, tamen dicebatur quod dictum Abbatis in c. cum dilecti. de empt. & vendit. num. 8. obstabat. ex eo quia contractus erat prohibitus, & non dependebat à voluntate partium contractum ratificare. Et omnes Domini dicebant, quod attenta regula de Idiomate, non posset Claudius excusari. ex quo sciebat Flaminium Romanum. & parochialis erat in Sabaudia.

Q 2 SVM-

SVMMARIVM.

Regula de consensu præstando in mutatione collationis, & extensione, quomodo intellecta.

DECISIO CCCCXXIX.

HIeronymus Dominicus habebat gratiam expectatinam in Maioricensi, & Illerdensi, cum creatione in canonicum in Valentina. postea cassata, illa creatione in canonicum in Valentina, petijt ad largã ad vnum beneficium in eadem Valentina. Dubitaui ego die 9. Martii 1543. An ista vltima gratia, subiiceretur Regulę Clementis qua cauebatur, quod vbi fiebat mutatio collationis, debebat exprimi in supplicatione collatio, & consensus cassationis primæ gratiæ, præstari in Cancellaria, seu Camera, alias quod litteræ expediri non possint. & idem in extẽsionibus collationũ, quoad expressionem collationis. Et eadem die, fuit resolutum quod esset mutatio collationis, & non extensio. quia extensio dicitur, quando retentis collationibus de quibus in prima, extendebatur gratia ad aliam collationem, hic autem gratia creationis nõ retinebatur, sed cassabatur, & dabatur ad largã. & ideo dicebatur mutatio. Item quia militabat ratio regulæ, videlicet, ne sit in potestate gratiati vti gratia mutata, & mutante, quæ etiã in isto casu militaret. & ideo fuit dictũ, ꝙ regula Clementis, in isto casu locum haberet, ex quo eramus in mutatione. Sed Domini inclinabãt, ex quo in Bulla dicebatur, primam gratiam cassantes id te volente, & expresse consentiente, quod præsumebatur consensus interuenisse. ita quod expeditores non expediuissent, nisi consensus legitime præstitus fuisset.

SVMMARIVM.

Contractus correspectiuus, quo casu non iudicatus simoniacus.

1 *Correspectiuitas quid operetur, & num. 4.*
2 *Delictum, in dubio non præsumitur.*
Delictum opponens, debet clare probare.
3 *Iuramentum, quod dolus non interuenit, quid operetur.*

DECISIO CCCCXXX.

FRanciscus de Ayada, vna die dedit mandatum ad consentiendum, vt Gynesius de Quintanauilla, deputaretur sibi coadiutor in canonicatu, & præbenda quos possidebat, & eadem die arrendauit fructus dictorum canonicatus, & præbendæ, eidem Gynesio precio 300. ducatorum, coram eisdem Notario, & testibus. Dubitaui ego die 9. Martii 1543. An mandatũ datũ ad consentiendũ coadiutoriæ, censeretur simoniacum. Et pro parte affirmatiua, dicebatur ꝙ
1 sic, propter † correspectiuitatem. per ea quę dicit Bart. in l. si venteri. §. fin. ff. de priuil. credit. & not. late per Felyn. in c. pastoralis. de rescript. Et licet diceretur, quod in dubio non præsumeretur delictum, tamen in isto casu dicebatur, quod alia presumptio capi non poterat, propter contradictionẽ, eo quia in mandato, Franciscus dicebat, ꝙ quia infirmus deseruire non poterat; ideo constituit procuratorem ad consentiendum in coadiutorem, & tamen in instrumento arrendationis dicebatur, quod promittebat deseruire canonicatui, vt quilibet canonicus, qui magis canonicatui deseruiret. Fuit
2 tamen cõtrarium resolutum, tum quia † in dubio, non præsumitur delictum, tum quia opponens delictum debet clare probare, tũ
3 quia erat pręstitum iuramentum † quod nõ interuenerat dolus, &c. tum quia non erat verisimile, quod dedisset trecentum scuta, & voluisset stare simplici mandato, quod poterat ad libitum reuocari, tum quia trecentum non poterant referri ad mandatum, sed
4 ad causam arrendationis, tum quia † dicebatur, ꝙ præsumptio Bartoli, de qua in l. si venteri. §. fin. ff. de priuileg. credit. non habebat locum in crimine simoniæ. vt per Cardinalem, & Io. de Anania, in cap. tua nos. de simon.

SVMMARIVM.

Per assequutionem portionis, non vacat canonicatus primo adeptus.

1 *Beneficia incompatibilia inter se, quæ.*
2 *Vacationis pœna propter assequutionem alterius beneficy, an extendenda.*
3 *Beneficium primum, quando non vacet propter assequutionem alterius, sed debeat præfigi terminus.*
4 *Præbenda, in quibus beneficijs detur vel non.*

DECISIO CCCCXXXI.

LIcet portionarius, seu dimidius in Ecclesia Cartaginiensi, habeat vocem in Capitulo, præterquam in electionibus, & prouisionibus, & teneatur residere si vult lucrari fructus, & alia possit, & teneatur, prout in constitutionibus Ecclesiæ; & etiam testes dicerent, quod reputabantur portio, & canonicatus incompatibiles; tamẽ, die 14. Martij 1543. In vna Cartaginiensi canonicatus, & præbendæ, me proponente, tres Domini ex quatuor, tenebant, quod

per

per * assequutionem portionis, nō induceretur vacatio canonicatus.
1 quia in duobus curatis, † & duabus dignitatibus, hoc decisum erat per decretalem, de multa. & per extrauagantem, execrabilis. Item, in duobus canonicatibus, & duabus præbendis. per tex. in c. litteras. de præben. & in Clem. fin. de pręben. Item. in canonicatu, & dignitate. & in dignitate, & officio per tex. in c. 1. de consuet. in 6. Sed in Canonicatu, & beneficio simplici, hoc non reperitur ex-
2 pressum. & ideo pęna † vacationis non debet extendi. videlicet, quod per assequutionem portionis, debe.t vacare canonicatus. Et fuit dictum, ꝙ pro ista parte erat consf.
3 Card. 3. & quod † saltem debebat præfigi terminus. prout dicit Abb. in c. referente. de præben. Non obstat, quod isto casu militabat ratio Clem. fin. de præben. quia respondebatur, ꝙ in portione non erat propriè
4 danda † præbenda. sed tantum in dignitatibus, vel canonicatibus dabatur præbenda. & quod illud ꝙ habebat portionarius, dicebatur pars fructuum, & licet portionarius teneretur ad residentiam, illud erat causatiuè, si non volebat fructus perdere.

* Sexta Apr. 1545. Causa iterum posita fuit facta resolutio, pro ista parte. pro qua facit quod dicit Abb. in c. litteras, in 3. notab. de concess. præb. & ꝙ dicit Stapfil. in tract. de litter. grat. &c. fol. 49. pag. 1. vers. secus dicen. &c. & fol. 71. pag. 2. vers. secundo debet intelligi.

SVMMARIVM.

Resignatio facta de beneficio in Ecclesia S. Ioannis, capit beneficium, in parochialibus Ecclesijs, S. Ioannis & Mariæ inuicem vnitis.

1 *Vnio quot modis fiat. & num. 3.*
2 *Titulus beneficij an indiuisibilis.*
4 *Demonstratio falsa, an obstet, quando constat de corpore beneficij.*

DECISIO CCCCXXXII.

IN vna Abulensi de Fuentell Soll, die 14. Martij 1543. fuit resolutum, quod Bartholomæus Gallego, cui fuerat resignatum per eius patruum, beneficium in Ecclesia S. Ioannis de Fuentell soll, poterat capere beneficium * in parochialibus Ecclesijs inuicem vnitis, S. Ioannis, & S. Mariæ Magdalenę, Oppidi de Fuētell Soll. & quod istud non esset situationem mutare. quia tunc non potuisset, ex quo erant cassata illa verba in supplicatione, situationum. &c. Et
1 ratio fuit, quia cum vnio † fiat tribus modis, vt per glos. in c. 1. ne sed. vacan. & 16. q. 1. c. & temporis. & ista vnio diceretur esse facta, secundo modo scilicet de Ecclesijs inuicem vnitis, & cum titulus bene-
2 ficii † sit indiuisibilis, itaut nec simul in duobus locis, nec diuisim stare possit, vt in d. c. 1. & in c. maioribus. de præben. si beneficium erat in Ecclesia S. Ioannis & Mariæ Magdalenæ, dicendum erat, quod illud erat communicatiue. id est, quod beneficia
3 vnius † Ecclesiæ, censebatur esse & alterius, & ideo, ex quo expresserat vnam ex Ecclesijs, poterat etiam capere in alia inuicē vnita. maxime quia expresserat, ꝙ erat principale à denominatione. quia semper dicebatur, à Priori S. Ioannis & Mariæ Mag-
4 dalenæ. Item, quia constabat † de corpore. vnde falsa demostratio nō debebat vitiare.

* Facit decis. Cassad. 12. de prebend. præsertim pag. 2. ver. pro locum lo. Andr.

SVMMARIVM.

Mensis, de quo in regula reseruatoria octo mensium, habet locum in nouis prouisionibus.

DECISIO CCCCXXXIII.

QVod mensis, de quo in regula reseruatoria octo mensium, * sit exprimendus in nouis prouisionibus, attestatur D. Sarnensis fuisse aliàs resolutū. in regula de annali. quæst. 18. col. pen. & ita illā decis. fuimus sequuti in vna Conchensi canonicatus, & præbendæ Magistraliū, pro Alphonso Villauoua, contra Didacum Perez. & rationes poterunt videri in informationibus. & inter alias dicebatur, quod in regula dicitur, non solum de supplicationibus, sed etiam concessionibus gratiarum. & noua prouisio est concessio. Resolutio fuit facta coram D. Prospero.

* Vide quędam in 2. lib. annot. meatum decis. 265.

SVMMARIVM.

Reseruatio ex familiaritate Papæ non venit ex clausulis generalibus.

DECISIO CCCCXXXIV.

CLausulæ generales, * & quæcumq; generalem reseruationem importantes, & etiam si in corpore iuris clausa resultet, licet de stricto iure capiant reseruationem resultantem ex familiaritate Papæ. nam si capit reseruationem, de qua in c. 2. de preben. in 6. comprehendit etiam reseruationem ex familiaritate Papæ. Tamen fuit dictum, die 16. Martii 1543. in vna Valentina de Torre . . . coram D. Ioanne Paulo, quod propter reuerentiam Papæ, nec Cancellaria, nec Camera dabit per tales clausulas, reseruationem prouenientem ex familiaritate Papæ absq; eius scitu.

* Et in ead. fuit dictum, quod procedit etiam, quod in prouisione dicatur, præterquam per obitum apud Sedem, quod in alijs videbatur firmari regula, vt omnis alia vacatio veniret præter exceptuatam. l. nam quod liquide, de pen. legat. Resolutum tamē fuit contrarium. nam nunquam veniet reseruatio ex familiaritate, nisi specialiter dicatur, cum exceptio, non augeat nec faciat quod regula extendatur ad ea quæ alias, non facta exceptione sub regula non venirent. l. generali. §. vxori, & ibi Bart. de vsufruct. legat, & extenditur etiam exceptio ad casus similes. l. ob æs. C. de præd. minor.

SVM-

SVMMARIVM.

Solutio post moram, an debeat fieri in Curia, an in partibus.

1 *Solutio, quando debet fieri respectu fructuum, vbi fiat.*
2 *Mora an mutet causam obligationis.*
3 *Soluere an quis teneatur, vbi & tenetur respondere.*

DECISIO CCCCXXXV.

CApitulum Astoricense promiserat Didaco de Menesas venienti ad Curiam, durante eius absentia, dare sibi fructus, suę præbendæ, & postea non seruauit promissionem, propter quod Capitulũ fuit monitum ab Auditore Cameræ, & fuit cõdemnatũ per tres sententias. Petebat Didacus solutionẽ fructuũ in Curia, eo quia fuerat in mora, saltem post primam sententiam. Item, pro ista parte allegabatur Io. Fab. in §. præterea. col. 3. vers. in personalibus. instit. de action. Fuit resolutum, die 2. Aprilis 1543. me proponente in vna Astoricensi fructuum, quod non esset solutio facienda in Curia, * sed in partibus, per doctrinam Bart. in l. item illa. col. 2. circa finem. ff. de constit. pec. vbi
1 quando † solutio debet fieri respectu fructuum, debet fieri vbi sunt fructus. Sed fructus percipiebantur in partibus, ergo, &c. Item, quod diccebatur de mora, respondebatur, ꝙ ideo condemnabatur in expensis. &
2 mora nõ † habebat mutare causam obligationis. Ad dictum Io. Fab. in §. præterea. dicebatur, quod procedebat in actionibus arbitrarijs, & quod Io. Fab. loquebatur ibi de interesse. Ad Bal. in l. eam quam. C. de
3 fideicommiss. quod vbi quis † tenetur respondere, tenetur & soluere. Respondebatur quod illud erat propter naturam verbi respondere. vt per Bal. in l. 3. C. de procur.

* Fuit resolutum in vna Carthaginiensi liquidationis fructuum, contra Alphonsum Diaz, die 5. Martij 1548. Nã Alphonsus obtinuerat rem iudicatã, super spolio cuiusdam beneficij contra Gundisaluum Perez, & fructus erant liquidati. petebat, quod isti fructus soluerẽtur in Curia, ex quo ibi substinuerat iudiciũ. & erat in mora, & malæ fidei possessor propter spolium. per tex. in l. si res mobilis. cũ duabus ll. seq. ff. de rei vendic. & in l. sed etsi susceperit. §. quotiens. ff. de iudic. His non obstantibus, dicta die, coram D. Antonio Augustin, fuit resolutum contrarium, quod solutio erat facienda in partibus, vbi erãt percepti fructus. per id, quod dicit Iacobin. de S. Georgio in d. l. sed & si susceperit. col. 2. vbi allegat Paul. de Castr. Non obstat l. si res mobilis. cum duabus ll. sequentibus. quia loquuntur vbi res fuit translata de loco iudicij ad alium locum, vt ibi declarat Ang. l. sed & si susceperit declaratur ibi per Iacobin. post Paul. de Castr.

Trigesimo Aprilis. 1548. iterum punctus fuit positus, & idem resolutum, per ea quæ dicit Dec. in l. vinum. col. 5. in 5. notab. & ibi Curt. col. 3. in fin. cum sequent. ff. si cert. petat. dum dicunt, quod ibi potest cogi ad accessoria, vbi potest ratione contractus principalis, & per ea quæ dicit Bart. in d. l. item illa. col. 2. dum dicit, quod quando fit solutio respectu rei, debet fieri in loco vbi est res hic fit ratione beneficij, ergo, &c.

SVMMARIVM.

Reintrusio Episcopi Salamantini.

1 *Immunitas ecclesiastica cum de facto laeditur, quid agendum.*
2 *Iudices laici infra sua iurisdictionis termini nos continere, nec circa personas ecclesiasticas se intromittere debent.*

DECISIO CCCCXXXVI.

IN vna Salamantina pro Capitulo contra Episcopum fuit resolutum, quod ego reintruderem Episcopum * ex quo erat probatum per duos testes, quod de decretis, & ordinationibus factis in partibus Hispaniæ, non dabatur fides, & etiam erat probatum quod scribẽtes litteras, erant personæ legales, quæ non scripsissent nisi ea, quæ vera essent. & in litteris scribentium continebatur ꝙ ipsi erãt relegati ad instantiam Episcopi, & licet ista non facerent plenã probationem, tamen quia in partibus illis
1 procedebatur † de facto, & fiebat contra libertatem Ecclesiæ; dictum fuit quod etiam de facto nos proce-
2 deremus, vt Iudices † laici se infra suos terminos, & cancellos iurisdictionis contineãt & non se intromittant circa personas ecclesiasticas. maxime quando inter eas lis pendet in Curia, & reintrusio staret donec, & quousque Episcopus curaret, quod effectualiter, relegati ad pristinum statum reducerentur. Resolutio facta die 6. April. 1543.

* Causa iterum posita 9. April. 1543. & dixi, quod noluerã dare visionem testium examinatorũ procuratori Episcopi. dixerũt Domini, quod bene feceram. & quod reintruderem Episcopum.

SVMMARIVM.

Aditio hæreditatis ex venditione rerum præsumitur, quando est delata hæreditas, licet quis sit creditor.

DECISIO CCCCXXXVII.

SExta Aprilis 1543. in vna Perusina releuationis indemnitatis. fuit resolutum quod D. Francisca Petrucia, quæ vendidit terras peruenientes ex hæreditate eorũ filiorũ, quæ hæreditas erat ei delata, licet prętẽderet se creditricem respectu suæ dotis, tamen ex tali venditione, diceretur hæreditatem adiuisse per doctrinam Bart. in l. gerit col. 5. vers. ad secundum quando potest fieri vtroque modo, &c. ff. de acquir. hæred. Corne. cons. 165. col. 10. vol. 2. versic. hisce non obstantib. Alex. cons. 126. col. 1. vol. 7.

SVMMARIVM.

Princeps, promouendo inhabilem, videtur secum dispensare.

DECISIO CCCCXXXVIII.

FVit tentum in vna Salamantina portionis, coram D. Mohedano, die 6. April. 1543. quod quando Princeps, vtputa Papa vel

vel Imperator scienter promouet inhabilem, quod censetur cum eo dispensare, dato quod non vtatur verbo dispensamus, & quod istam attestatur cōmunem Alex in l.quidam consulebat. ff.de re iudic. & Ias. in l.Barbarius, colum. 11.ff.de offic.Prætor.Felin.in c.præterea de testib.cogen. Tamē quia fuit dictum, quod Papa in regula 49. vult, quod per quamcumq; signaturam non censeatur dispensatum, nisi specialiter concessio fiat super dispensatione, & ideo attenta mente Pontificis, fuit dictum, quod super dicta regula informaretur.

SVMMARIVM.

Data instrumenti probat antiquitatem stantibus adminiculis.

DECISIO CCCCXXXIX.

Fvit tentum in vna Mediolanēsi optionis, coram Mohedano 6. April. 1543. quod data instrumenti probaret antiquitatem eius in illo casu ex quo per duos Notarios dicebatur, quod alias leuauerant ex protocollis illius Notarij alia instrumenta. & eis, fuerat adhibita fides, & adhibebatur, & sic ex quo erat istud adminiculum, quod illa data probaret antiquitatem, quia illud instrumentum erat insertū in illo ptothocollo, in quo erant etiā alia instrumenta. Et non obstabat quod dicebat Bertran. cons. 285. in 3. col. incipiēte, contra venerabilem. vol. 3. in nouiter impressis. quia Bertran. loquitur in priuata scriptura, & nullis existentibus adminiculis.

SVMMARIVM.

Actio vtilis quo casu restituta contra fideiussores.

1 *Debitor, & Fideiussores, an liberentur, quādo creditor recipit speciem in solutum.*

2 *Fideiussor quando teneatur, etiam non facta præseruatione per creditorem.*

DECISIO CCCCXL.

Licet sit communis opinio, quod si creditor recepit speciem in solutum pro quā-
1 titate, † quod debitor liberetur, & per consequens fideiussores, & pignora, etiam quod res euincatur, nisi specialiter præseruentur. vt per Bart. & alios in l. si quis aliam, ff. de solutio. & in l. eleganter. in princ. ff. de pign. act. tamen quando debitor efficitur non soluendo, fuit tentū, quod ex æquitate, detur vti-
2 lis actio † contra fideiussores, etiam quod nō fuerit facta præseruatio. vt per Speculatorē in titulo de fideiussor. §. 1. versic. pone. & ibi Io. And. in addit. & Bald. in l. eleganter. in princ. in lectura antiqua. ff. de pign. action. & sequitur Hippol. in rubr. de fideiussor. circa finem. Alias esset parare viam fraudibus, vt latius in informationibus videbis.

SVMMARIVM.

Superueniente titulo valido, censetur mutata causa possessionis, vbi præcedebat titulus inualidus.

DECISIO CCCCXLI.

IN vna Tarraconensi, contra Franciscum Reboster, pro Io. Font, fuit dictum, coram D. Io. Paulo, quod quotiens superuenit titulus validus, vbi quis prius possidebat ex titulo inualido * absque alia declaratione voluntatis censeretur mutata causa possessionis. quicquid dixerit Alex. in l. qui bona. ff. de acquir. poss. & Cassador. decis. 4. de restit. spoliat. vbi impugnat decis. Bisign. primam de restit. spoliat. & dictum, quod hoc tenet Aretin. in d. l. qui bona, & Socin. in l. 3. §. ex pluribus. ff. de acquir. possess. & Ias. in l. 3. in princ. de acquiren. possess. & in l. e contrario, ff. de acquiren. hæred. & quod ita Rota solita erat * tenere.

* Facit quod dicit Aymo. Cravett. consil. 171. Magister Ioannes. &c. col. 5. vers. secundo pro hac parte. &c. Et vide quæ dixi sup. decis. 163. & Aym. Cravett. d. cōs. 171 col. pen. in fin. versic non obstat dictū Bal. Contrariū dicit Sarnen. in reg. de Triennal. q. 46.

* Vide Cassanæum cons. 30. Viso processu. &c. col. 3. n. 21 vers quod probatur a fortiori.

SVMMARIVM.

Præsumptio quæ resultat pro expeditione Bullæ quomodo sublata.

DECISIO CCCCXLII.

Fvit resolutum in vna Valentina de Pego 1543. coram me, quod licet in Bulla mutationis creationis in canonicum Hieronymi Dominici diceretur, dictam creationem te ad id expresse consentiente cassantes. &c. præsumeretur pro expeditoribus, quod interuenisset consensus; tamen quod illa præsumptio erat sublata. ex quo ad instantiam Martini Calahorra, ego præfixeram terminum Io. Bapeistæ, vt faceret diligentias de reperiendo. & in termino præfixo, Io. Baptista nihil fecerat, neque adduxerat. Immo Martinus per prius adduxerat fidem, quod Notarij fecerāt diligentias de reperiendo, & non repererant. Item, quia Io. Baptista produxerat supplicationem originalem, & a tergo supplicationis non aderat consensus. Non obstat Clem. 1. de probat. quia hic eramus in casu, in quo Papa narrabat factum alienum. & licet transferret onus probandi, tamen per illam diligentiam, erat facta probatio. iuxta not. per Felin. in c. illud. de probat. Et illa verba, te ad id expresse consentiente, poterant intelligi id est si expresse consenseris.

SVMMARIVM.

Regulæ de publicandis tempus, an currat contra minorem.

1 *Tempus præfixum à statuto, an currat ignoranti & num. 2. & 6.*

3 Regu-

3 *Regula de publicandis ad quid inuenta.*
4 *Decretum appositum in regula de publicandis, quid operetur.*
5 *Præscriptio statutaria an currat contra minorem, & num. 8.*
7 *Minori, an detur restitutio aduersus omissam publicationem.*
9 *Minori, an detur restitutio, quando tractat de lucro, & non de damno.*

DECISIO CCCCXLIII.

DIe 9. Aprilis 1543. proposui ego, an contra minorem quatuordecim annorum
ignorantem, curreret tempus de quo in regu
la de publicandis. In vna Fulginaten si prio-
ratus. Et pro parte negatiua allegabatur di-
ctum Bal. in l. annus. ff. de calumniat. & ibi il
lud statutum, erat factum ad obuiandum frau
dibus. iuxta not. per Paul. de Castr. in l. illud.
1 C. de sacros. Eccles. & tamen tempus † præ-
fixum à statuto, non currit ignoranti. Item
quod dicit Alex. in l. quamdiu. C. qui admit.
2 & quod ibi Dec. quod vbi tempus † apponi-
tur ad puniendum negligentiam non currit
ignoranti. Idem dicit Felin. in c. quærenti. in
princ. de offic. deleg. & Bart. in l. generb. ff. de
3 infam. Item, regula † erat inuenta ad obuiã-
dum fraudibus. secundum Corn. cons. 137. in
3. vol. quæ fraudes in minore considerari nõ
poterant. Et dum dicebatur, quod regula ha
bebat decretum irritans, ideo ligabat ignorã
tes. iuxta text. in c. si eo tempore. de elect. in
6. & not. per Felin. in c. 2. de constitut. Dice-
4 batur, quod † decretũ veniebat accessorie ad
regulam. Et ideo si tractaretur, an regula li-
garet minores ignorantes, tunc haberet locũ,
quod ex quo aderat, quod etiam regula liga-
ret ignorantem. Sed ex quo tractabatur de
intellectu regulæ, videlicet, an ligaret à die
notitiæ, decretum per consequens non pote-
rat, nisi iuxta intellectũ ligare à die notæ re-
signationis. Sed in contrarium allegabatur,
5 quod præscriptio † statutaria curreret cõtra
minorem, siue tractaret de damno, siue de lu-
cro. reprobata doctrina Bart. in l. fin. in fine.
C. in quib. caus. in integr. restit. non est neces-
sar. prout illud dictum Bart. dicit communi-
ter reprobari Balb. in tract. præscrip. in 1. par
te 6. partis princ. in 13. casu, colum. 7. in fine.
Alex. cons. 119. col. 7. vol. 7. Sed ad istud re-
spondebatur, quod statutum bene ligat, & currit
contra minorẽ scientem factum, sed vbi igno
rat, vt in casu nostro ignorabat resignationẽ
non videbatur honestum, quod ligaret igno-
rantem. Secundo dicebatur, quod regula erat
facta fauore animarum. & vbi tractatur de
6 tali fauore, † tempus currit ignoranti. c. sta-
tutum. vbi glos. in verbo, numerandum. de
præben. in 6. Ita ergo erat dicendum in casu
isto. & ille tex. cum glos. multum vrget. Et
maxime, quia aliter dicendo, regula reddere-
tur elusoria, cum quis resignaret, & teneret
resignationem cum consensu penes se, & post
mortem illius, resignatarius vellet facere di-
ligentias. Et in istam partem Domini inclina
bant, & pro ea sentiebant. Et retento hoc, * An adversus omissã publicationẽ detu restitutio minori.
quod currat ignoranti, fuit dubitatum eadẽ
7 die per me. An saltem minori † daretur resti
tutio aduersus omissam publicationem. Et di
cebatur pro parte affirmatiua, quod hic tra-
ctabatur de amissione, & priuatione iuris.
nam durante tempore publicationis, de illo
iure non potest alteri prouideri. vt per Sar-
nẽ. quæst. 17. in regula de publicandis. Et vbi
tractatur de amissione iuris licet currat tem-
8 pus, † tamen minor restituitur. secundum
Bart. in d. l. fin. in fine. C. in quib. caus. in in-
tegr. restitut. non est necessaria. Sed respon-
debatur, quod hic non tractabatur de amis-
sione iuris. quia si verum est, quod tempus
currat ignoranti statim quod, lapsum erat tẽ
pus sex mensium ius per regulam erat resolu-
tum, & sic minori nihil erat acquisitum; Et
ideo minor potius tractabat de lucro, quã de
9 damno, quo casu, quando minor † tractat de
lucro, & non de damno, & res non est integra
vt erat in casu nostro, in quo per mortẽ Epi-
scopi Aesini, beneficiũ erat alteri collatum,
tunc minori non datur restitutio. per ea quæ
dicit Abb. in c. ex parte. de restit. spoliat. &
glos. in l. ait Prætor, ff. de minor. Et ita pro
ista parte, quod non daretur restitutio, Domi
ni inclinabant. Sed, quia causa erat exempla
ris, & tractabatur de interpretatione regulæ
Domini voluerunt sententiam differri ad ple-
nam Rotam.

Finis primi Libri.

IACOBI PVTEI
DECISIONVM.
LIBER SECVNDVS.

SVMMARIVM.

Lex hac edictali C. de secund. nupt. quomodo intellecta.

1 *Pater an possit legare secundæ uxori plus quam legauit vni ex filijs primi matrimonij. & n. 2.*

DECISIO I.

F Vit conclusum in vna Fulginatensi legati, coram D. Thoma, die 13. April. 1543.
1 Quod † pater, * non potest plus legare secundæ vxori, plusquam legauit vni ex filijs primi matrimonij, cui minus reliquit, per tex. in l. hac edictali. C. de secund. nup. Tamen fuit di-
2 ctum, quod istud intelligitur, † habito respectu * ad supplementum legitimæ. per ea quæ dicit Dec. in l. humanitatis. col. 5. vers. secundo quia de supplemento. &c. & ibi Aret. col. 6. circa fin. vers. pro ista quæst. &c. C. de impub. vbi attestatur de communi. & multum latè tractat istum articulum, Steph. Bert. in repet. d. l. hac edictali. in §. ita tamen. fol. 127. pag. 1. vers. primo quærit. de tali questione. &c. C. de secun. nupt.

* Vide Ioan. Ant. Alexandrin. consl. 315. Præsupponitur in facto.

* Habito respectu, &c. vid. Carol. Ruin. con. 58. super eo col. 5. vers. circa secundum dubium. &c. vol. 5.

SVMMARIVM.

Sententia cōdemnans defunctū de hęresi non nocet descendentibus non citatis.

DECISIO II.

FVit dictum in vna Burgensi matrimonij, coram D. Io. Paulo, die 13. Aprilis 1543. quod sententia lata contra defunctum, condemnans eum vt hæreticum, non noceat descendentibus eius, non citatis. per decis. Aegid. 678. cum sequenti.

SVMMARIVM.

Iurisdictio data vsq; ad conualescentiam talis Cardinalis, non expirat per eius obitum.

1 *In commissionibus, seu rescriptis, valet argumentum, si Papa interrogatus fuisse, ita rescripsisset.*

DECISIO III.

DI 16. Aprilis 1543. In vna Signina Castri, coram D. Thoma de Thanis, fuit resolutum quod commissio directa Cardinali Parisio, vsq; ad conualescentiam Cardinalis Cæsarini, quod per eius mortē, videlicet Cardinalis Cæsarini, non expiraret, sed duraret iurisdictio, attenta mente
1 Papæ. qui si interrogatus † fuisset, rescripsisset ita. iuxta glos. not. in l. tale pactum. §. fin. ff. de pact. quæ secundum Bald. ibi, habet locum etiam in rescriptis.

SVMMARIVM.

Optio non cadit in beneficio reseruato.

1 *Reseruatio an impediat optionem.*

DECISIO IV.

IN vna Mediolanensi optionis, corã D.Mohedano, die 16. Aprilis 1543. fuit dictum, * quod si re-
1 seruatio † est facta motu proprio, siue generalis siue specialis sit, impedit optionem per canonicum faciendam. per decis. Cassad. 4. de conceß. præben.

* Staphil. in tract. de lit. grat. &c. fol. 2. pag. 2. vers. ceßat similiter. &c. & in eadem pag. ponit distinctionem, quando optio habeat locum in beneficio reseruato.

SVMMARIVM.

Matrimonium quomodo poßit contrahi per litteras.

DECISIO V.

FVit dictum in vna Coloniensi matrimonii, coram D.Maceratensi 16. Aprilis 1543. quod matrimonium potest contrahi per litteras; dum tamen recipiens litteras declaret mentem mittenti, vel alteri. & quod per solam receptionem non erat sufficiens declaratio. secundum Phil.Franc. in c. fin. de procur. in 6.

SVMMARIVM.

Citatio generalis quando afficiat hæredes combusti post mortem.

1 *Citandus est personaliter certus contradictor, vel qui de facili poßunt reperiri.*
2 *Citatio generalis quando sufficiat.*
3 *Hæretici combusti nepos, vt afficiatur ex sententia condemnati qualiter citandus.*
4 *Citatio per edictum, quando afficiat consanguineos.*

DECISIO VI.

DEcimasexta Aprilis 1543. in vna Burgensi matrimonii, in qua per edictũ erant citati filii, & hæredes cuiusdam, qui fuerat combustus. Fuit resolutum, coram D. Io. Paulo, quod talis citatio * non esset valida ad hoc vt sententia noceret illis.
1 quia † vbi est certus contradictor, vel de facili poterat reperiri, erant illi personaliter citandi. per not. per Franc. in cap. fin. de elect. in 6. & quod istud sentiebat Aegid. decis. 679. & quod vbi fuisset facta * dili-
2 gentia, & non forent reperti, † quod tunc sufficiebat illa generalis. & quod ita erat intelligendus Aegid. decis. 678. col. 3.

Et die 14. Ian. 1544. fuit resolutum in eadem, quod, dato quod duo filii eiusdem fuissent citati, quod talis sententia non nocebat nepoti ex alio filio prædefuncto.
4 quia † etiam ille nepos, erat specialiter citãdus, licet fuisset absens à loco iudicii per triginta milliaria. ex quo de facili poterat reperiri per diligentiam, & hic de nulla diligentia constabat. Et licet gloß. in l. hæc autem. ff. quibus ex caus. in poßeß. eat. dicat
5 quod consanguinei sunt † citandi per edictũ intelligitur in terminis illis, non autem vbi ageretur de præiudicio eorum.

* Quod non sufficiat generalis citatio, vbi sunt certæ personæ, quæ ex actu possunt sciri ponit Bar. in l. fin. § 1. C. de iur. delib. decis. Neapolitana 102. in nouis.

* Et nõ facta diligentia ignorantia non excusat. quia præsumitur affectate, vt per Alex. cõs. 5. vol. 2. colum. 1.

SVMMARIVM.

Priuilegia Pauli data Referendarijs suis intelliguntur non solum de præsentibus, sed etiam de futuris.

DECISIO VII.

FVit resolutum in vna Cauriensi, coram D.Thoma, 20. Aprilis 1543. quod priuilegia Pauli, data Referendariis, nõ solum cõprehenderet Referẽdarios tempore cõceßionis, sed etiã futuros. per verba priuilegij, quodq; semel admissus, & receptus in Referendarium, tam hactenus, quam in futurum. &c. Non obstat quod priuilegium dicat, Referendariis nostris, & sic intelligitur de Referendariis tunc existentibus, non autem de futuris. per not. in l. si ita. ff. de aur. & arg. leg. quia respondetur ex iis quę ponit Ias. in l. qui filiabus. in princ. in 3. col. in 4. not. ff. de legat. 1.

SVMMARIVM.

Bulla Sixti annullans venditionem factam alteri quam vicino intelligitur vicino volente.

1 *Res cadit in cõmißum, si dominus voluerit. Regreßus est locus, si illum habens voluerit.*
2 *Decretum annullatiuum operatur si is in cuius fauorem apponitur, voluerit.*

DECISIO VIII.

IN vna Romana Domus, contra Episcopum Sanctonen. die 20. Aprilis 1543. Fuit resolutum, quod licet Bulla Sixti, annullet venditionem factam alteri quam vicino, tamen quod ita demum venditio sit nulla, si vicinus voluerit. per ea quæ dicun-
1 tur † de emphiteuta, & feudatario, vt per Ias. in l. 2. in 5. not. C. de iur. emphit. & de habente regreßum. &c. vt per Cassad. decis. 2. de locat. vbi, etiam quod dicat eo ipso.
2 & quia decretum † annullatiuum ita demũ operatur, si is in cuius fauorem apponitur voluerit. vt per Rot. decis. 422. alias 23. de conceß. præben. in antiq. per Philip. Prob. in addit. ad Ioã. Monac. in c. tibi qui. col. 3. num. 7. de rescript. in 6.

* Vide ad propositũ Ias. in l. posthumo. col. 6. versic. prosita opin., facit regula C. de contractib. vbi ponit regulam, quod actus qui annullatur fauore alicuius, ita demũ annullatur, si ille voluerit, & ibidem. col. 8. circa finem. versic. non obstat si dicitur. &c. vbi declarat illam regulam. & vide inf. dec. 36. lib. 2.

SVM-

SVMMARIVM.

Lex hac edictali. C. de secun. nupt. quod nouerca concurrat cum filio, vsque ad supplementum legitimæ, procedit etiam quod filius supplementum non petat.

1 *Legitima supplementum, quando filius habeat iudicio testatoris.*

DECISIO IX.

FVit resolutum in vna Fulginatensi, coram D.Thoma de Thanis, die 27. Aprilis 1543. quod lex, hac edictali. C. de secun. nupt. videlicet, quod nouerca concurreret cum filio vsque ad supplementum legitimæ, procederet etiam eo casu, quo filius non peteret supplementum, vt erat in illo casu. Et dictum fuit, quod Bal. in l.1. in fine. C. de inoffic. dotib. relinquebat cogitandum super ista quæstione. & quod Corn. consf.118. circa finem. volum.1. & Io.Ant. Alexan. conf. 115. in fine, perfunctorie dictum Baldi sequebantur. Et licet Salic. in d.l. hac edictali. quæst.7. expresse dicat, quod si filius non petit supplementum, quod nouerca non possit habere vsque ad tale supplementum; tamen Rota tunc tenuit contra Salic. per text. in d.l. hac edictali. in versic. ita tamē. & in l. quoniam præteritæ di m dicit, danda, vel relinquenda. & in §. optime. in auth. de nupt. Ratio etiam contra Salic. faciebat, quia ex quo pater non pri-
1 nauerat filium plus petere, dicebatur † supplementum, etiam ex iudicio testatoris, habere, vt est communis opinio. per Bertran. in d.l. hac edictali. non debebat ergo, facto & culpa sua, filius excludere nouercam, ab eo quod sibi à lege, & dispositione testatoris erat delatum. & ideo, ex quo nolebat petere, non poteramus dicere, quod ideo nouerca esset excludenda. alias facile esset cū alijs filijs colludere, suadendo illi, cui minus erat relictum, vt non peteret. & sic nouercam defraudare.

SVMMARIVM.

Delictum potest probari per instrumentum, vbi ciuiliter agitur.

1 *Spolium, quo casu per instrumentum probari possit.*

DECISIO X.

IN vna Calaguritana Abbatiatus, eadem die 27. Aprilis 1543. coram D.Io. Pantlo. fuit resolutum, quod quando agitur ciuiliter, crimen possit probari per instrumen-
1 tum. vt erat in illo casu, in quo † spolium probabatur per instrumentum Notarij. vt per Felin. in c. cum in Ecclesiis. colum. fin. in pen. fallentia. de maiorit. & obedien. Et ad materiam, vide Bart. in auth. si quis in aliquo. col.2. circa fin. vers. ita non potest Notarius esse rogatus. &cæt. C. de eden.

SVMMARIVM.

Mutatione collationis facta præcedens acceptatio generalis non potest deduci ad speciem in collatione mutata.

DECISIO XI.

VIgesimaseptima Aprilis 1543. fuit resolutum, quod postquam facta erat mutatio de Abulensi ad Ouetensē, quod illæ acceptationes generales, quę erant factæ durāte gratia in Abulensi, non poterāt deduci ad speciem quo ad collationem Ouetensē. quia per mutationē, omnia quæ erant facta durante gratia in Abulensi, erant extincta, & per mutationem erat illis renunciatum. per Clemen. gratiæ. de rescript.

SVMMARIVM.

Confessio in litteris tertij nocuit confitenti in isto casu.

1 *Inter mercatores, apices iuris non considerantur.*
2 *Confessio extraiudicialis, de iure Canonico, an & quando probet.*
3 *Confessio, quando principaliter, & quando incidenter facta dicatur.*
4 *Enunciatiua verba, vbi per viam causæ proferuntur, probant.*
5 *Confessio quæ tendit ad liberandum, non ad obligandum, plenam probationem exigit.*

DECISIO XII.

EAdem die, in vna Neapolitana, seu Romana Cambii, coram D. Rauellensi in qua Andreas Sbarra scripserat litteras cambii Paulo Tolino, vt solueret hæredibus della Casa ducat.400. ratione cābii facti cum Camillo Hermolao. quæ litteræ præsentatæ fuerant acceptatæ per Paulum, & postea Camillus scripserat dd. hæredibus, vt non exigerēt à Paulo, quia cābium erat extornatū, & remitteret sibi litteras cābii. Fuit dubitatū an illa cōfessio, noceret Camillo. quia postea Andreas decoxit, & Paulus dicebat, quod non tenebatur soluere litteras acceptatas, quia cā-

biũ erat dissolutum, vt constabat ex confessione Camilli. dubitabatur ex quo erat facta in tertium An noceret. Et pro parte negatiua, q̃ nõ noceret, allegabatur dec. Rot. 430. alias 18. de probat. in antiq. & Bisig. decis. 1. de confess. Felin. in c. 2. col. 5. ver. item probabit. de fid. instrumen. Sed pro parte contraria, pro qua fuit facta resolutio, fuit dictum, quod dictæ decis. post longam recitationem duarum opinionum, dicunt, tene quam volueris. Et ad tenendam istam partem, dicebatur quod debebant Domini moueri ex eo, quod agebatur
1 tur † inter mercatores, in quibus apices iuris non considerabantur. l. si fideiussor. §. quædam. & l. quintus. ff. mandat. vbi vbique Bart. & quod eramus in terris Ecclesiæ, vbi seruandum erat ius canonicum.
2 Et de iure canonico, † confessio extra iudicialis, plene probat. vt per Felin. in cap. si cautio. de fid. instrumen. quam opinionem Rota semper sequuta fuit. Non obstat quod dicebatur, quod illud erat verum, vbi confessio est facta principaliter, secus vbi est facta incidenter. & in casu nostro, confessio de externo, videbatur facta incidenter, non autem principaliter. cum principalis intentio Camilli, esset vt inhiberetur hæredibus della Casa, ne exigerent, licet incidenter, vt aliquam causam redderet, esset facta. quia replicabatur, quod cum in eodem constructo verborum confessio vna cum inhibitione esset facta; quod æque principaliter, confessio de distorno esset facta, sicut & inhibitio. & quod ista con-
3 fessio † esset principaliter, facta allegabatur Curtius Iun. consil. 168. colum. 4. vbi in confessione facta ad tertium, dicit quod ex quo erat de actu de præterito, diceretur confessio principaliter facta, prout & erat ista. Confirmatur. quia illa confessio, erat per viam causæ. nam inhibebatur. Ideo quia cambium erat distornatum, & vbi
4 verba † enunciatiua, proferuntur per viam causæ, probant. vt per Iason. in l. ex his verbis. C. de test. milit. Adijciebatur, quod decisiones Rotæ procedunt, vbi tractatur de aliquo obligando. & tunc possent procedere disputationes de quibus ibi per eas.
5 nos autem, eramus in † confessione quæ tendebat ad liberandum, quo casu plenam probationem debebat facere. per ea quæ dicit Bal. in l. generaliter. in 12. quæst. C. de non num. pecun. & Alexan. consil. 115. col. 2. vol. 7.

SVMMARIVM.

Noua prouisio, dicens quod vigore gratiæ expectatiuæ fuit prouisum, seu prouideri concessum, non docto de alia prouisione, non est surreptitia.

1 *Per nouam prouisionem in expectatiuis, an dicatur alicui prouideri in genere, vel in specie.*

DECISIO XIII.

IN vna Pampilonensi, coram D. Mohedano, die 27. Apr. 1543. fuit resolutũ, quod noua prouisio, dicens quod vigore gratiæ expectatiuæ, fuit prouisum seu prouideri concessum per obitum talis, non esset subreptitia, etiam quod non doceretur de alia prouisione. ex quo dicebatur, prouisum, seu prouideri concessum. Et licet expectatiua non prouideat, tamen concedit prouideri.
1 Item non obstat, quod expectatiua † nõ concedat prouideri de certo beneficio, & ideo videretur noua prouisio subreptitia, cum dicat, concessum prouideri de tali beneficio per obitum talis. quia cum noua prouisio, concedat prouideri de beneficio in genere, concedit prouideri de tali beneficio in specie; cũ genus in suis speciebus verificetur.

SVMMARIVM.

Consuetudo non vocandi absentes ad electionem, quanto tempore introducatur.

1 *Ad electionem canonicorum, absentes existentes intra prouinciam, sunt vocandi.*

DECISIO XIV.

IN vna Tarraconen. coram D. Io. Paulo die 30. Aprilis 1543. fuit dictum, quod
1 licet de iure, absentes † existentes intra prouinciam sint vocandi ad electionem canonicorum, per text. in c. cum in Ecclesijs. de præben. in 6. tamen consuetudo in contrarium, spatio decem annorum obseruata, poterat inducere contrarium. tum quia illa consuetudo non erat à iure improbata per text. in d. cap. cum in Ecclesijs. tum quia ita dicebat Oldrad. cons. 259. col. 3.

SVMMARIVM.

Testimonium de auditu, transfert onus probandi in contrarium.

DECISIO XV.

TEstimonium de auditu, facit præsumptionem, itaut transferat onus probandi

bandi in aduersarium secundum Archid. in c. hoc vester 22. q.6. Roman. in l. si vero. §. de viro. vers. septimo probatur. ff. solut. matr. Alex. cons. 77. in causa inquisitionis. col. 3. lib. 1. Dec. cons. 595. pro resolutione dubiorum. col. 1. & in auth. si quis in aliquo. colum. 6. C. de eden. Roman. cons. 312. Curtius Iunior. in d. auth. si quis in aliquo colum. 4.

SVMMARIVM.

Lex hac edictali. C. de secun. nupt. quod nouerca concurrat cum filijs, vsque ad supplementum legitimæ, procedit etiam quod filius supplementum non peteret.

1 *Legitimæ supplementum filius habet ipso iure.*
2 *Legitima prius detrahitur instituta nouerca, & postea diuiditur hæreditas inter filios primi matrimonij, & nouercam.*
3 *Legitimæ supplementum non petitur actione ex testamento, sed condictione ex lege.*
4 *In casu, l. hac edictali, filio duplex remedium competit, & vnum non confunditur per aliud.*
5 *Legitima licet integra non sit relicta à patre, tamen à lege censetur esse relicta.*
6 *Vir transiens ad secundas nuptias libere disponit de illa quantitate, quam filius primi matrimonij consequi potest.*
7 *Testamentum potest dici nullum, licet filius præteritus non dicat.*
8 *Supplementum legitimæ, quando non prohibetur iudicio testatoris percipitur.*

DECISIO XVI.

ITerum causa Fulginaten. posita 4. Maij, An videlicet vt nouerca, seu vitricus possit habere, seu retinere quod sibi legatū
1 est, habito respectu † ad supplementum legitimæ, quod filius ipso iure habet per text. in l. scimus. §. repletionem. & in l. omnes. C. de inoffic. testam. sit necessarium, quod filius illud supplementum petat, alias si illud non petit, nouerca, vel vitricus non possit habere, nisi quantum actualiter filio, cui minus est relictum. Et pro parte, quod non posset plus habere, contra conclusionē superius factam insurgebat aduocatus, primo repetendo auctoritates superius allegatas. videlicet Salicet. in d. l. hac edictali. in 7. quæst. Bal. in l. vnica circa finem, C. de inoffic. dot. nam licet Bald. in principali quæstione; An supplementum proficiat vitrico, sit dubius; tamen in ratione quam facit, quod potest filius dicere, nolo supplementum, non est dubius, & isto casu sentit quod tunc supplementum non proficeret vitrico. Ad idem adducebatur Cornc. cons. 118. circa finem. vol. 1. & Io. Anton. Alexan. cons. 115. etiam circa finem. Addebat aduocatus, quod pro ista parte in terminis videbatur decis. Baldi in d. l. hac edictali, colum. 6. versic. modo statim occurrit aliud dubium. Vbi si filio nil est relictum, & vxori sunt relicta centum, alius vero est institutus hæres, quod si filius nil vult petere ab hærede instituto, quod potest reuocare legatum, vxori factum, pro media parte. & sic patet ibi quod eo nolente petere non habetur respectus ad supplementum legitimæ. quia si haberetur forsan de illis centum, nil filius auocaret cum supplementum posset vltra illa centum esse. Se
2 cundo dicebatur, quod † secundum communem opinionem filius primo detrahit legitimam, & postea de residuo fiunt viriles portiones inter filios primi matrimonii, & coniugem. secundum Signor. consil. 117. Socin. consil. 35. colum. final. versic. circa tertium dubium, volum. 4. & Decium. cons. 246. colum. 1. igitur legitima non poterat, nouercæ, seu vitrico, pro-
3 desse. Tertio dicebatur † quod supplementum legitimæ non petitur actione ex testamento, sed condictione ex lege, vt per Paul. & Iason, in l. omnino. C. de inoffic. testam. Et ideo, cum non petatur actione ex testamento non dicitur relictum in testamento: & ideo non potest Nouercæ, seu Victrico
4 suffragari. Præterea † in casu l. hac edictali filio competit duplex remedium, vnum petendi supplementum legitimæ, alterum reuocandi quod nouercæ & vitrico relictum. & vnum per aliud non confunditur, vt per Angel. in §. optime in auth. de nupt. Bart. Bald. & Angel. in l. 1. C. de inoffic. dot. Fulgos. cons. 97. & ideo cum vtrumque remedium competat, poterit filius remedium reuocatorium intentare, & non petere supplementum legitimæ. ideo non debet vitrico suffragari. Istis non obstantibus, Rota fuit in eadem opinione, & voto, quod nouerca posset tantum habere, quantum erat supplementum, etiam quod non peteretur. primo per text. in dicta l. hac edictali. in versic. ita tamen.
5 vbi, licet pater † non relinquat legitimam, tamen à lege censetur esse relicta. & per text. in l. quoniam præteritæ. in verbo danda, vel relinquenda. & in §. optime. & ne esset in potestate filii, priuare nouercam legato sibi facto. nam tunc non propter iniuriam à testatore illatam, ex quo lex, illud relictum testatoris supplet vsque ad legitimam; sed ex facto ipsius filii, legato priuaretur. & daretur tunc materia fraudandi nouercam. cum possent fi-

filij alij, vna cum filio nolente petere collu dere. Et pro ista parte adducebatur auctoritas Bal. in d. l. hac edictali. col. 5. vers. amplius circa istam materiam. C. de secun. nupt. vbi Bald. expresse sentit, quod secun-
6 dus † vir, vsque ad illam portionem quam filius de iure habere potest, libere in secundam vxorem testari potest. & sic nota, quod Bal. tantum considerat potentiam, non autem considerat quod ita filius accepcare velit, vel non. Ad auctoritatem Bal. in d. l. hac edictali. col. 6. vers. modo statim occurrit aliud dubium, respondetur duobus modis. Et primo retorquendo illud. & re uera facit pro conclusione Rotæ. nam si ibi non consideraretur potentia petedi legitimam, licet ipse filius actualiter non petat ab hærede instituto, certe vxor non concurreret in illis centum cum filio, cum filio ei esset relictum. Sed propter illam potentiam petendi, voluit Bal. quod detur concursus. Secundo, & ista responsio declarat materiam, quod casus noster est diuersus à casu Bal. in d. vers. nam in casu nostro fuit aliquid relictum filio, seu filiæ moniali. & quia isto casu cum prouisione testatoris, concurrit prouisio legis ad fortificandum iudicium defuncti, est perinde ac si testator integram legitimam reliquisset, & ita loquitur Bal. in d. l. hac edictali, col. 2. in fine. vers. ista quæstio stat in hoc. &c. cum sequenti col. quem Bal. sequitur Corn. cons. 82. imminet, col. 3. vers. constat quod dicta verba. &c. vol. 3. Sed in casu Bal. ex quo nil fuit relictum prouisio testatoris, non concurrit cum prouisione legis. vnde nil ad casum nostrū. Non obstat quod dicit Salicet. in d. l. hac edictali. in 7. quæst. dum vult, quod si filius non petit supplementum, quod nouerca nō potest habere quantum est supplementum. quia filius potest petere, quod sibi vtilius est. & ideo, omisso supplemento, potest filius petere remedium illius legis, tanquam sibi vtilius, vt ibi per eum. quia respondetur, quod dictum Saliceti, non potest accōmodari ad casum nostrum. cum Salicet. loquatur quando filius non vult petere supplementum, sed vult intētare remedium l. hac edictali, sed in casu nostro istud non constabat, & sic dictum Saliceti non erat ad propositum. Et quando cōstaret quod filius nollet supplementum, sed habere remedium l. hac edictali, dico, quod etiam in isto casu, illud remedium non potest intētare. quia illud remedium datur, quando nouercæ est relictum vltra legitimam. nam tunc bene concedo, quod ad illud plus, datur remediū illius legis. sed quando infra legitimam est relictum filio, tunc non poest, nisi ad supplementum agere. quia lex vsque ad supplemētum habet pro relicto per d. l. hac edictali. in vers. ita tamen. & per text. in l. quoniam præteritæ. & licet filius non petat, tamen nouerca potest beneficio filij vti, vsque ad sup-
7 plementum. sicut dicimus † quod ad beneficium alterius, potest dici testamentum nullum, licet filius præteritus non dicat. prout istam dicit veriorem Alex. in l. posthumo. col. 2. vers. sed dubium est, C. de contra tab. & ibi Ias. dicit istam esse magis communem colum. 6. vers. sed dubium notabile, &c. cum sequen. colum. ex hoc infertur, quod non est verum, quod dicit Bal. in l. vnica. in fine. de inoffic. dot. & Corn. & Io. Ant. Alexan. in cōsilijs superius allegatis, quia per dictam cōmunem opinionem, nouerca potest vti beneficio filio cōpetenti, etiam quod ipse eo vti noluerit. Nec obstat quod filius detrahit legitimam, & postea residuum diuiditur inter filium, & nouercam. &c. quia pro resolutione est aduertendum, quod si filio minus legitimæ est relictum, ex quo legitima ei ipso iure suppletur, vsque ad illud supplementum potest habere nouerca. & si reperiatur plus nouercæ relictū, illud plus inter filios diuiditur, vt dixit text. in d. l. hac edictali. versic. si vero plus. & in l. quoniam præteritæ cum auth. sequenti. Nec obstat quod supplementum non petatur actione ex testamento, sed condictione ex lege. Quia
8 hoc non obstante, † dicitur iudicio testatoris percipi, ex quo non prohibuit. prout istā dicit communem opinionem Bertrandus, in d. l. hac edictali. Et ideo concluditur, quod licet filius supplementum legitimæ non petat, quod vsque ad illud nouerca capere potest. Facit pro conclusione Rotæ, quod dicit Bertrand. in d. l. hac edictali. fol. 159. n. 19. cum sequen. col. Et tanto magis. quia hic non constabat quod filia nollet, licet non peteret, quia poterat postea petere.

SVMMARIVM.

Auditores Cardinalium, an possint præfigere terminum vigore commissionis, in qua dicitur, quod præfixo termino.

1 *Auditores Cardinalium quando, & quomodo possunt seruare terminos.*
2 *Termini præfixio, an sit sententia interloquutoria.*
3 *Cap. statutum, de rescript. in 6. in quo casu non habeat locum.*
4 *Causa vt dicatur agi inter laicos, vel clericos attenditur quis sit reus.*

DECISIO XVII.

Qvarta Maij 1543. fuit dubitatum in vna Signina Castri, coram D. Thoma de Thanis. An D. Gregorius, Auditor Cardinalis de Cæsarinis potuisset præfigere terminum. Et dicebatur, quod licet

Aegid.

1 Aegid. decif. 43. dicat,† ꝙ Auditores Car-
dinalium possint seruare terminos, tamen
eadem decif. dicit quod non possunt serua-
re terminum compulsionem inducentem. &
termini præfixio inducit compulsioné. quia
quis compellitur aliquid facere in termino
præfixo. Item, eadem decisio dicit, quod nō
possunt ferre sentétias interloquutorias. &
2 præfixio termini † videtur sententia inter-
loquutoria. quia omnis vox Iudicis ad eau
sam faciens, videtur sententia interloquuto
ria. Tamen ex opposito dicebatur, quod ter
mini præfixio non est sententia interloqu-
toria. & allegabatur conf. Pauli de Cast. 25.
col. 3. secundum antiquam impressionem.
quod consilium non reperitur in aliis im-
pressionibus. Tamen Rota non fuit mota ex
iis. sed, ex quo constabat de subdelegatione
Reuerendiss. Cardinalis in personam dicti
Gregorij fuit attenta illa subdelegatio. Nō
obstat, quod D. Gregorius non esset Cano-
nicus, iuxta formam * c. statutum de re-
3 script. in 6. quia † fuit dictum, quod non
habet locum inter laicos, & de re propha-
na. vt per Philip. Franc. in c. tua nobis. co-
lum. 2. vers. conclude ergo de appellat. Nō
obstat, quod causa erat inter laicum, & cle-
ricum. quia in ea aderat Episcopus Auer-
sanus, & tunc etiam habet locum, dictum
cap. statutum. vt per Franc. in dicto loco.
quia dicebatur, quod ex quo Episcopus erat
actor, & sic debebat sequi forum rei, quod
4 reus † attendebatur, ad hoc vt diceretur eau
sa inter clericos vel laicos, quo ad illum ef-
fectum.

* Capitulum statutum de rescrip. in 6. in quo casu non habet locū.

SVMMARIVM.

Donatio iuris præsentandi non abdicat ius à donante ante confirmationem superioris.

1 *Consensus superioris, in donatione iurispatronatus, potest interuenire post mortem donantis in præiudicium hæredum.*
2 *Renunciatio quo ad renunciantem, valet in eius præiudicium sine consensu superioris*

DECISIO XVIII.

Quarta Maij 1543. in vna Astoricensi, de Confortos. fuit resolutum, coram me, quod quando laicus donat laico ius præsentandi, absque consensu superioris, quod antequam superior donationem confirmet, quod donās, & eius hæredes, possunt præsentare: cum ius ab eo ante confirmationem, non sit abdicatum per doctrinam Abbat. in c. cum seculum. in fine. de iurepatr. Non obstat decif. Rotæ finalis de iur. patr. in antiquis. quia in primis, contra illā decif. late scribit Abb. in disputatione inci-
piente, Augerio in quarto dubio. col. 3. &
multa scribit Lambertinus in tract. iurispa-
tron. fol. 109. col. 4. in secunda parte primi
libri. 17. articulo primæ quæstionis princi-
palis. Quia fuit responsum, quod non obsta
bat, quia loquitur in alio casu. videlicet ꝙ
1 consensus † superioris, potest interuenire
post mortem donantis, in præiudicium hære
dum. non autem dicit, quod si non interue
niat, quod interim hæres non possit præsen-
tare. Et istud tenet Lambertinus, in dicto
tract. in 7. artic. 1. quæst. principalis 2. par-
tis 1. lib. fol. 102. col. 2. versic. tu considera.
sicut etiam dicimus in renunciatione. quod
2 licet † quo ad renunciantem, valeat in eius
præiudicium sine consensu superioris; tamē
non priuatur eo, nisi superiore volente. cap.
quod in dubiis de renunc. & ibi Abb. & alij
& Bisign. decif. 1. de renunc.

SVMMARIVM.

Olim possessor, non præsumitur hodie possidere, quando agitur de possessione tertij.

DECISIO XIX.

In vna Taruisina prioratus, coram me, die 7. Maij. fuit resolutum, quod olim possessor, non præsumitur hodie possidere, quando datur de possessione tertii, vt erat in illo casu. in quo Iacobus de Forta, cepert possessionem Prioratus de anno 1536. Et quia erat probatum, quod Capitulum Taruisinum, possederat de anno 1534. dicebatur ꝙ præsumebatur semper possidere. Et ideo possessio Iacobi instrumentalis non erat in consideratione, ex quo alius erat in possessione. Tamen contrarium fuit dictum per conf. Anchar. 297. colum. 6. & optime declarat Alciat. in tract. de præsumpt. reg. 2. præsumpt. 21. pag. 269. vers. limitatur quarto. Non obstat decif. 124. in nouis. & Aret. conf. 102. in 2. vel 3. dubio. vbi loquuntur in possessione tertii, & tamen dicūt quod semel possessor, præsumitur possidere. quia intelliguntur post obitum illius tertii, vt ita illam decif. intelligit Abb. in c. cum ad sedem. col. 6. de restitut. spoliat. Præterea in illa decif. non constabat, quod possessio esset interrupta, prout erat in casu isto.

* Vide Ripam, in c. cum Ecclesia Sutrina. col. 8. circ. finē vers. tertio intellige. & cæt. de caus. possess. & propriet. Facit quod dicit Aret. in l. Pomponius, §. fin. col. 2. vers. tu autē aduerte. &c. ff. de acquir. possess. Idem fuit decisū 28 Nouemb 1547. in vna Parmē. seu nullius Cappellaniæ, corā D. Antonio August. & vide infra decif. 225. lib. 2.

SVM-

SVMMARIVM.

Quomodo intelligatur, quod virtus executorialium durat anno.

DECISIO XX.

IN vna Bononiensi menstruæ prouisionis, die 7. Maii 1543. fuit dictum coram D. Thoma, quod illud quod dicitur, quod virtus exequutorialium durat anno, per cap. querenti. &. in litteris. de offic. de leg propter clausulam, inductum defendas habet locum quando idem contra quem sunt decretæ exequutoriales infra annum spoliat. quia non dicitur paruisse, ex quo infra annum non perseuerat, secundum interpretationem Rotæ. secus est quando alius spoliat, contra quem exequutoriales non sunt decretæ. quia iudicio ordinario contra eum agendum est.

SVMMARIVM.

Priuilegia data Referendarijs, competunt eis, etiam quod ea ignorent.

1 *Priuilegium, an quæratur solum à die scientiæ, & num. 2.*

DECISIO XXI.

SEptima Maii 1543. fuit resolutum in vna Cauriensi Parochialis Sancti Iacobi, quod priuilegium datum Referendariis, dato quod non faciant Collegium, tamen competant eis, etiam quod ignorent priuilegia. & licet communis conclusio sit,
1 quod † priuilegium nō quæratur alicui, nisi à die scientiæ. vt per Ias. in l. fin. ff. de constit. prin. col. 6. Tamen fuit dictum,
2 quod illud erat verum † vbi priuilegium datur alicui personæ priuatæ, secus quando datur ratione officii. quia acceptando illud, videtur acceptare cum omnibus oneribus & honoribus, in genere. pro quo facit quod dicit Ias. in d. l. fin. ind. 6. seu 7. col. dum respondet ad Bar. in. l. omnes populi. Et pro ista parte facit quod dicit Pau. de Castr. in l. si Rufinus. C. de test. milit. decreato in Ciuem.

SVMMARIVM.

Verba, propria auctoritate possessionem apprehendere possis, in regressibus quomodo intelligantur.

DECISIO XXII.

VNdecima Maii 1543. fuit dictum in vna Bononiensi canonicatus, quod illa verba, posita in regressu Canonicatus, quodq; illorū corporalem possessionē propria auctoritate apprehendere. &c. non excludebant consensum Capituli, ita vt non obstan. talibus verbis, nihilhominus possessio debebat capi capitulariter; sed tantū importabant, vt quis non teneretur apprehēdere possessionē, cum suo exequutore, sed eo excluso posset. cum auctoritate tamen Capituli. ne Papa videatur tertio præiudicare, quod non est dicendum. & ista causa pendebat coram me.

SVMMARIVM.

Coniuncta persona, quando possit agere pro conuenta, etiam quod procuratorem habeat.

DECISIO XXIII.

EAdem die, in vna Nursina, coram me, fuit dictum, quod coniuncta persona non excluditur à comparendo pro coniuncta, etiam quod coniuncta persona constituerit in illa causa procuratorem, quando procurator est negligens. vt per Alex. in l. exigendi. C. de procurat. inter limitationes ibi positas. & ideo, licet Fabritius Celius, constituisset procuratorem in partibus; tamen, quia secundum statuta Ciuitatis Nursinæ, procurator non poterit in causa comparere, ideo fuit dictum, quod in illa causa, potuit pro eo, coniuncta persona cōparere.

SVMMARIVM.

Pater, vt legitimus administrator, potest pro filijs transigere. & vide quando promisit pro eis de rato.

1 *Patri an quæratur vsusfructus ex cōtractu ab eo celebrato tanquam legitimo administratore, filijs non ratificantibus.*

2 *Contractus factus à patre tanquam legitimo administratore, cum promissione de rato, est perfectus etiam filijs non ratificantibus.*

3 *Clausula, rato manente pacto, quid operetur.*

4 *Donans absenti, an ante ratificationem possit alteri donare.*

DECI-

DECISIO XXIV.

FVit dictum in vna Senensi hæreditatis
coram me, die 18. Maij 1543. quod pa-
ter poterat, tanquam legitimus administra-
tor filiorum suorum, transigere, & pacisci.
ex quo eramus in iis, in quibus poterat ipsi
patri quæri vsusfructus, & quod ei quæreba
1 tur† quo ad vsumfructum, etiam filiis non
ratificantibus contractum. per tex. in l. fin.
§. vbi autē. C. de bon. quæ liber. Et per Bar.
in l. fin. §. pupillus. ff. de verb. oblig. & quod
pater, pro filio posset transigere, erat text.
cum gloss. in l. de re filior. ff. de transact. &
notabatur in l. præses. C. de transactionib.
Item dicebatur, quod ex quo etiam in illo
casu, pater nomine filiorum, pro quibus de
rato promiserat, alias teneri voluit de suo,
2 &c. contraxerat, † quod contractus esset
perfectus. ita vt ab eo, contrahens cum pa-
tre, non posset recedere, dato quod non cō-
staret de ratificatione filiorū. Nec obstabat
quod dicebatur, quod ex quo illa promissio
de rato, erat in fauorem contrahentis cum
patre, quod poterat ipse recedere à contra-
ctu, & nō expectare ratificationem filiorum.
per not. per Ias. in l. cum proponas. la 2. col.
2. vers. extende. C. de pact. Alex. cons. 113.
col. 2. vol. 4. Felin. in c. peruenit. il 2. col. fin.
de iureiur. Rip. in l. fin. col. 53. C. de re-
uocat. donat. dum loquuntur de clausula
3 rato † manēte pacto. &c. quæ supposita, ope
ratur quod si obseruans vult recedere à
contractu, possit recedere, quia dicebatur,
quod ex quo erat contractum cum patre
qui promiserat de rato pro filiis, quod con-
tractus erat statim perfectus, ita vt non esset
amplius in potestate partis alterius cōtra-
hētis, ad libitū suum à cōtractu recedere, cū
pater non posset recedere. alias diceremus,
quod contractus claudicaret. Non obsta-
bat, quod allegabatur Dec. cons. 226. col. 3.
& in l. contractus. col. 3. de regul. iur. vbi si
4 quis † fecit donationem absenti, notario,
stipulante, potest à donatione recedere, &
alteri donare, antequam absens ratificet.
quia dicebatur quod procedit in contractu,
qui fit cum absente. quo casu absenti, &
ignoranti nil quæritur. & ideo poterat rece-
dere. sed secus erat in casu nostro, in quo
contractus cum præsente erat perfectus.

SVMMARIVM.

Priuilegium Ducis, Subaudiæ quo-
modo interpretatum.

DECISIO XXV.

DIe 18. Maij 1543. fuit resolutum in
vna Gebenn. Serrauallis, coram me,
quod priuilegia Serenissimi Ducis Subau-
diæ, non comprehenderent parochiales re-
seruatas. quia illa verba, nec non de digni-
tatibus, prioratibus conuentualibus, &
alijs. &c. illa dictio, alijs, intelligebatur de
similibus. vnde cum parochiales non essent
similes, non comprehenderentur in priuile-
gio, in quo strictā debebamus facere inter-
pretationem, ex quo tractabatur de præiu-
dicio impetranitum. Item dicebatur, quod
istud colligebatur ex proœmio dicti priuile
gij, in quo Papa tractat de Ecclesijs cathe-
dralibus, & monasteriis consistorialibus.
nam cum in iis posset tractari de præiudicio
Ducis, ac etiam circa dignitates conferen-
das, ideo in illis voluit perseuerare consen-
sum Ducis. secus autem erat in parochiali-
bus.

SVMMARIVM.

Mandatum, & subdelegatio in præ-
sentia iudicis, sine testibus
valent.

1 *Actus factus coram iudice, habet præsum-
ptionem pro se, vt sit factus multis astan-
tibus.*

DECISIO XXVI.

FVit dictum in vna Toletana de Ocagna
die 8. Iunii 1543. quod licet Felin. di-
cat in c. quoniam contra. col. 6. in fin. vers.
vtrum autem procedant. &c. de probation.
quod mandatum, & subdelegatio, sine testi-
bus facta non probent; tamen quando
fiunt in præsentia iudicis, seu eo mandante
1 quod tunc fidem faciant propter † calorem
iudicii & quia præsumuntur multi adstan-
tes. vt per Aret. ibidem. col. 5. vers. sed re-
uocatur in dubium. & quod illam opinionē
Aret. alias Rota sequuta fuerat in vna de
Turribus Vedras.

SVMMARIVM.

Citatio, vbi fit per edictum, an debeat
dimitti copia citationis.

1 *Citatio quando debeat legi, & affigi.*

DECISIO XXVII.

ITem eadem die, in eadem Toletana; quia
citatio ad videndum committi iuramē-
ta testium, fuerat decreta per affixionem ad
valuas Ecclesiæ S. Michaelis ad primam diē,
& notarius attestabatur affixisse originales,
& non dicebat, quod post illarum amotionē
dimi-

dimisisset copiam, nec litteras originales legisset, dubitatum fuit, An talis exequutio esset bona. Et pro parte affirmatiua dicebatur, quod nullibi cauetur, quod quis teneatur dimittere copiam affixam. nam decis.
* Alias 8. de dol. & cont. 223.* in nou. requirit duo. videlicet lectionem, 1 † & affixionem originalis, & illa affixio debet manere arbitrio iudicis, vt dicit Bart. in extrauagan. ad reprimendum. in verbo publice. de dimissione autẽ copiæ nil ibi dicitur. Et quod nõ sit necessaria dimissio copiæ, videtur sentire Bonif. in Clem. 1. de iudic. num. 14. & idem Bonifac. in Clem. causam. §. quod si forsitan, num. 15. de electione. Pro alia autem parte, quod immo esset necessaria dimissio copiæ considerabatur, quod aut citatio per edictum legitur, & originalis affigitur; & tunc non requiritur dimissio copiæ. & ita procedat decis. 223. in nou. & quod dicit Bonifac. in d. Clemen. causam. §. quod si forsitan. in verbo publicari. Aut vero citatio non legitur, prout erat in casu nostro, sed tantum originalis affigitur, & tunc non loquuntur decisiones prædictæ. & quia mandat iudex fieri per affixionem, & affixio originalis non potest esse perpetua, sed debet amoueri, ne sit in potestate partis originales affigere tali tempore, vt non possit ad notitiam partis deuenire. Ideo si vult originales affixas amouere, debet copiam citationis dimittere, quæ fraus cessat quando leguntur. quia lectio debet fieri quando adest multitudo. Et ista distinctio multum mihi placebat, sed aliqui volentes saluare actum, dicebãt, quod ista distinctio posset procedere in prima citatione deuolutiua causæ. sed ex quo hic, in tali citatione non eramus, dicebant ipsi, quod ista citatio poterat sustineri. tamen nil fuit resolutum.

SVMMARIVM.

Possessio pascendi Communitatis, non probatur ex eo, quod homines sint soliti pascere.

DECISIO XXVIII.

EAdem die 8. Iunij 1543. In vna Nursina coram me, fuit resolutum, quod dato quod testes dicerent, quod homines Castri Annulsorum, lignauerant & pasculauerant in territorio de quo agebatur; tamen per hoc non probabatur possessio, seu quasi, lignandi & pascendi pro parte Communitatis. per Corn. consil. 299. in primo vol. & 46. in 3. vol.

SVMMARIVM.

Decretum irritans, non inficit in prouisione beneficij de vacanti. secus est de vacaturo.

DECISIO XXIX.

IN vna Gerundensi beneficij S. Dominici, coram D. Ioan. Paulo, die 25. Iunij 1543. In qua Antonius primo resignauerat in manibus Papæ in fauorem Stephani, & postea adhuc existens in possessione in partibus, idem Antonius resignauit in manibus Ordinarij, qui admissa resignatione, de eodem beneficio prouiderat cuidam Iacobo, & idẽ Iacobus, vigore dictæ prouisionis, assequutus fuerat possessionem. Postea Stephanus primus resignatarius, Iacobum spoliauerat. Dubitatum fuit, An Iacobus, secundus resignatarius, posset agere spolio contra primum resignatarium. Et dubium faciebat, quod ex quo primus resignatarius habebat decretum irritans in sua prouisione, quod tale decretum annullabat titulum, & possessionẽ Ordinarij postea sequutam. per decis. 16.* in nouis. Fuit determinatũ contrarium, quia decretum non inficit, nisi in prouisionibus seu gratijs, de vacaturo, secus est in gratijs de vacanti. per decis. 2. Cassador. de restit. spoliat. vbi nititur reddere rationem. & quamuis eam non reddat videtur dicendum, quod decisio sit vera. quia aliter dicendo omnes secundæ prouisiones, de vacanti factæ per Papã, essent nullæ. Et ita etiam per prius, in vna Illerden. coram D. Maceratem, conclusum fuerat. 1 * Alias 1. de restit. spol.

SVMMARIVM.

Compromissum, non obstante statuto de causis inter coniunctos compromittendis quo casu negatum.

1 *Compromissum non potest peti fieri in causa appellationis, & quare.*
2 *Compromissum non potest peti electa via iudicij.*
Compromissum non potest fieri, quando est quæstio iuris clari.

DECISIO XXX.

IN vna Tudertina Grani, coram me, in qua Io. Andrea existente in curia, & prosequente causam contra Sebastianum maritum Agnetis sororis suæ, Agnes ipsa obtinuit sententiam in Ciuitate Tudertina contra ipsũ Io. Andreã super alimentis. & fuit commissa causa nullitatis coram me, vigore Eugenianæ. & in calculo ferendæ sententiæ, fuit petitum compromissum per ipsum Seba-

Sebaſtianum vigore ſtatuti Tudertini, volen
tis, cauſas inter conſanguineos compromit-
ti debere. & quia non conſtabat de dicto
ſtatuto, tuli ſententiam annullando ſenten-
tiam latam in partibus, vigoræ dictæ Euge-
nianæ. Poſtea in ſecunda inſtantia, fuit pro-
ductum ſtatutum Tudertinum in forma pro-
banti, & petitum compromiſſum. & non
obſtante tali, petitione fuit negatum, & cõ-
firmata prima ſententia. Ratio. quia ſicut
1 in cauſa appellationis, † non poteſt peti fie-
ri compromiſſum, tamquam petitio ſit ca-
lũnioſa. vt per Iaſ. in l. ſi cauſa cognita. col.
2. verſ. nota etiã diligenter. C. de tranſact. &
in l. eleganter. in 4. notab. de condit. indeb.
ita & in iſto caſu. cum iudicium nullitatis.
videtetur acceſſorium, & dependens á pri-
mo, & ideo cum Agnes ſoror, elegiſſet in
2 partibus viam iudicij, † non poterat nunc
petere viam compromiſsi. Item, quia res vi-
debatur clara, quod iudicium eſſet nullum,
agitatum contra exiſtentẽ in curia. & quan
do eſt quæſtio iuris clari & aperti, non po-
teſt peti compromiſſum. vt multa videre po
teris per Marcum Ant. Blancum in tract. de
de compromiſſis. in 4. quæſt. de quibus cau.
poſſit, aut debeat compromitti. in princ. cũ
ſequent. col. in verbo clara.

S V M M A R I V M.

Statutum Vrbis, excludens ſororem pro-
pter fratrem, an habeat locum vbi
frater & ſoror ſunt forenſes.

1 *Statutum loquens in perſonã, an compre-
hendat forenſes. & nu. 3.*
2 *Fœmina non ſubiecta, non excluditur à bo-
nis ſtatuenti ſubiectis.*
4 *In cauſa inteſtati, attenditur perſona dece-
dentis. ſed quando attendatur conſuetudo
loci, nu. 5.*
6 *Statutum, an poſſit, vel non, habilitare per-
ſonam.*
7 *Statuentes pro conſeruatione agnationum,
reſpiciunt ad proprias, non ad alienas.*
8 *Fundans ſe in ſtatuto dubio, non eſt audien-
dus.*
9 *Ab inteſtato veniens, ex tacita voluntate
defuncti venire dicitur.*
Et eius diſpoſitio, dicitur conformis ſtatuto.
10 *Ex caſu dubio ſtatuti, non debemus recede-
re à clara Iuris diſpoſitione.*

DECISIO XXXI.

STatutum Romanum, in ſucceſſione fra-
tris ab inteſtato, vocat fratrem ad ſuc-
ceſſionem, excluſa ſorore. vt patet in no-
uis reformationibus cap. 24. incipien. de-
functo ſine filijs. ſub rubr. de ſucceſſ. ab in-
teſtato. Dubitari modo contingit, An ſoror
forenſis, excludatur à fratre forenſi, in caſu
in quo defunctus erat Romanus, & agitur
de bonis in territorio Romano, & ſic ſta-
tuentium. Pro ſorore facit, nam ſtatutum
1 eſt ſcriptum † in perſonam. & tunc ſtatutum.
habilitans vel inhabilitans aliquem contra
iuris diſpoſitionem non comprehendit fo-
renſes. ſecundum Bart. in l. cunctos populos.
col. 9. verſ. ſed circa hoc dubitatur. in prin.
ſequent. col. verſ. & ideo dico ſi ſtatutũ. &c.
C. de ſumm. trinit. & Alber. Brun. vbi con-
cordantes allegat, in tract. de ſtatut. exclud.
fœm. propter maſcul. artic. 6. col. 5. verſ. ad
idem facit quod dixit Specul. &c. & not.
Alex. conſ. 44. vol. 5. Calder. cõſ. 34. de teſt.
Ancharan. conſ. 196. in fin. Barbat. conſ. 75.
in 3. vol. vbi refert communem opinionem
eſſe cum Bartolo, reprehendendo Salicetũ &
alios contrarium tenentes, neceſſe ab hu-
iuſmodi opinione in iudicando recedendũ.
2 Paul. de Caſt. cõſ. 32. in 2. vol. Et quod † fœ-
mina non ſubiecta, non excludatur à bonis
ſtatuenti ſubiectis, tenet Felin. in c. poſtula-
ſti. col. 2. de for. comp. Rochus in c. fin. col.
110. in princ. verſ. 2. limita dictam conclu-
ſionem. &c. de cõſuetud. Pro fratre, & quod
ſtatutum operetur excluſionem ſororis, etiã
3 forenſis, † attento quod defunctus ſubijcie-
batur ſtatutis, reiecta diſtinctione Bartol.
an ſtatutum loquatur in rem, vel in perſo-
nam, refert eſſe communem Pet. de Anch.
in repet. c. canonum ſtatuta. & dicit hanc
communẽ poſt Iacob. But. Bald. Salic. Io. de
Anania, & alios, Curt. Iun in conſ. 5. col. 20.
verſ. ad ſeptimum reſpondetur. & ſequendã
in iudicando dicit Socin. conſ. 288. lib. 2.
poſt princ nu. 2. ex quo non agitur de per-
ſona, ſed de acquiſitione, & ideo debet attẽ-
di locus rerum acquirendarum. ſecundum
Bald. in d. l. cunctos populos. col. 11. verſ. ve
nio ad ſecundum, ſcilicet ad ſucceſſionem
inteſtati. & ibi Salicet. col. 6. dicit ſe conſu-
luiſſe ſic, & de facto obtinuiſſe. Socin. etiam
conſ. 36. lib. 1. late examinat articulum, re-
ferendo Bart. & aliorum opiniones. & con-
cludit ſecundum opinionem Saliceti, vt in
4 cauſa † inteſtati attendatur perſona dece-
dentis. & idem Socin. conſ. 292. lib. 2. Alber.
Brunus in tract. ſuper ſtatuto excludente
fœminas, in 6. ar. principali, mouet quæſtio-
nem, An fœminæ forenſes excludantur. &
col. 3. in fin. dicit, quod opinio Bal. apud an-
tiquos fuit communior, vt non fiat diſtin-
ctio in verbis ſtatuti, & refert etiam Corn.
dicentem hanc eſſe communem opinionem
in conſ. 147. in 3. vol. ſed corrupte. nam eſt
in cõſ. 162. & in fine tenet ſtatutũ ligare fœ
minas forenſes, volẽtes ſuccedere ſtantibus
maſculis, & fœminis. vbi tamen maſculus,
& fœmina eſſent forenſes. In principio quæ-
ſtionis videtur ſentire, quod maſculi non
gaudent

gaudent fauore statuti, tamen si attendimus rationem Baldi & aliorum, tenētium considerandam esse acquisitionem, & locum rerum acquirendarum propter quæ excluditur fœmina; idem posset dici, quando ambo essent forenses. Io. Lechirier in tract. primogenituræ. in 7. quæst. 2. lib. examinando quæstionem primogeniti. de qua per Bart. in d.l. cunctos populos. intricate, & male à Doctoribus examinatā refert latius quam aliquis alius modernus omnia dicta antiquorum. in d.l. cunctos populos. & tenet opinionem Salicet. & Socin. quod sit seruanda consuetudo locorum, in quibus decedens habebat domicilium tenendo hanc esse veriorem, & communem. prout dicit Socin. cons. 288. Curtius etiam in d. c. fin. col. 11. versic. quarto limita. &c. licet superius concluserit, statutum non ligare forenses. & in hoc reprehendit Ancharan. & Socin. dicentes, communem opinionem esse contra Bart. tamen, in d. col. in d. vers. quar-
5 to limita. concludit attendi † consuetudinē loci, vbi defunctus habebat domicilium, licet volens succedere esset forensis, secundū Pet. de Anchar. in d. c. canonum statuta. ex. de constit. quem allegat etiam Socin. in d. cons. 288. lib. 2. num. 2. in 2. col. Attendatur etiam, nam si recte consideretur, non videtur quod Bart. in l. cunctos populos. ab ista opinione dissentiat. Nam in statuto disponēte circa personam, distinguit. aut talis decedens erat, vel non erat de Anglia, & si decedens erat Anglicus, primogenitum succedere in bonis Angliæ. considerando quod persona decedentis videtur ligata. Hæc omnia D. Io. Aloysius allegauit, qui causam pro veritate terminaturus erat, & voluit quid sentirem intelligere. Cui respondi, quod in tanta Doctorum varietate in iudicando eorum sententiam sequerer qui tenent, fratrem vocari exclusa forore. Non inficiabar tamen, quod ex tribus, prima frō te contrarium sentiebam. Et primo occur-
6 rebat, quod † statutum non potuit habilitare, vel inhabilitare personam, & sic forensem comprehendere. per doctrinam Bar. in d.l. 1. de Summ. Trinit. secundo, & istud magis vrgebat, quod ratio statuti excludentis sororem propter fratrem, quæ est fauor agnationis conseruandæ, cessat vbi frater &
7 soror sunt forenses. cum ad statuentes, † proprias, non autem alienas agnationes cōseruare spectet. & istud est quod voluit Brun. in d. tract. de statut. excluden. mascul. propter fœminas in 6. artic. princ. col. 2. versic. aut vero statutum simpliciter. &cæt. Et ideo, cum ratio statuti in casu isto cesset, debet cessare eius dispositio. l. 4. §. totiens cū vulgat. de damn. infect. ergo negare nō possumus quin articulus sit dubius. & cum soror claram habeat dispositionem iuris pro se. ad l. maximum vitium, C. de lib. præterit.
8 fundans se † in statuto dubio, non est audiēdus. ad l. veteribus, cum alijs. Sed subtilius, pro veritate indaganda, considerando dixi, quod præmisso vno fundamento, omnia quæ pro parte ista construi possent, facile corruunt, & clara habetur pro fratre statuti dispositio. Nam, si verum est, prout ita
9 est, quod veniens † ab intestato, ex tacita voluntate defuncti venire dicatur. l. si quis cum nullum, & l. conficiuntur. in princ. ff. de iur. codicill. & illa voluntas defuncti, censetur dispositioni statuti conformis. per doctrinam Bart. ab omnibus approbatam. in l. hæredes mei. §. cum ita. ff. ad Trebell. ergo, sicut potuit expresse sequendo legem patriæ suæ frater sororem excludere, ita & potuit tacite. Et istud fundamentum dicit inconuincibile Salicet. in d. l. 1. col. 6. in fine. Et ex hoc fundamento, sequitur respōsio ad supradicta dum dicitur, quod statutum non potest habilitare, vel inhabilitare forensem. quia dico, quod non ex statuto soror excluditur, & frater vocatur; sed ex tacita voluntate defuncti. quæ sicut potuit, contra iuris dispositionem, expresse eam excludere, potuit & tacite. Item, & dum dicebatur, quod ratio statuti excludentis, in hoc casu cessabat ergo cessare debebat statuti dispositio. Quia respondetur, quod licet cesset ratio statuentium, non tamen cessat defuncti voluntas, cuius interest agnationem suā, vbiq; conseruari. Non obstat, quod sumus
10 in † casu dubio, & ideo à clara iuris dispositione non est recedendum, quod argumentum multifacit Barbat. in allegat. cons. 75. in 3. vol. Quia respondetur, quod in casu statuti Vrbis. sumus in claro. nam statutum dicit, defuncto sine filijs. &c. & sic considero, quod sicut voluit Bart. & sequaces ꝙ quando statutum est reale, quia bona sunt per statutum affecta attenditur statutum loci; ita pariter erit dicendum, quod quando persona defuncti, vt subdita est affecta per statutum, ꝙ statutū loci sit attendendum, arguēdo de reb. ad personas. Et ideo, si diligēter intueatur doctrina Bart. tunc Bart. facit differentiam inter statutum reale, & personale, quando persona defuncti non est subdita. sed quando est subdita, tūc indistincte Bart. vult statutum loci attendendū * fore. Et vltra auctoritates superius allegatas hanc secundam partem consulendo in terminis, immo & in fortioribus, tenuit Gozadin. cons. 49. pro Reuerendissimo Cardinali Grimaldo. vbi quasi omnes Doctores superius allegatos, & plures alios citat. & ibi etiam ponit, communem opinionem esse pro hac parte. à qua pro nunc in iudicando non discederem. & intellexi, quod etiam ipse D. Io. Aloysius in hanc partem etiam inclinauit.

* Proista parte, est cōs. Alex. 913. videretur prima cōsideratione, &c. vol. 7.

SVM-

SVMMARIVM.

Remissoria, ad liquidandum obligationem in forma Cameræ, non potest decerni præcedenti citationé per contradictas, vel iurata absentia, sed prius principalis debet personaliter citari.

1 *Obligationis Cameralis vigore, quando contra principalem agatur ad excommunicationem, eo non citato personaliter.*
2 *Remissoria non decernitur, principali aduersario personaliter non citato, & nu. 3.*
Stylus stricti iuris non debet extendi.
4 *Processus iudicis recusati post appellationem factus, est nullus.*

DECISIO XXXII.

FVit resolutum in vna Aquensi, contrahentium, quam proposui die 5. Octobris 1543. quod licet A.C. ex stylo in obli
gatione in forma Cameræ liquida, iurata
1 absentia † principalis, facta confessione debiti per procuratorem, procedat ad excommunicationem & reliquas censuras, non aliter citato personaliter principali, tamen ad liquidandum obligationem in forma Cameræ, vt erat in casu illo. in quo prætendebatur, Io. Dominicum contrauenisse cócordiæ initæ, contra quam non venire, & eam obseruare promiserat; sub pœna priuationis beneficiorum suorum. & 200. ducat. Et ideo ad probandum contrauentionem, vt postea posset procedi ad confessionem, non pote-
2 rat decerni † remissoria, principali aduersario personaliter non citato. Et ille stylus cum sit stricti iuris, non debet extendi ad istum casum. Et ratio est, quia quando obligatio est liquida, si procurator constitutus in instrumento, fatetur debitum, nullæ aliæ sunt partes iudicis, nisi in condemnando. & ideo sufficit quomodocumque principalis citetur. Secus est quando obligatio nõ est liquida. quia cum agatur de liquidando eam, & sic de graui præiudicio. & procurator constitutus in instrumento nil fateatur, nec possit fateri nisi obligatione liquidata, ad illam liquidationem faciendam legitime est principalis citandus. alias reperiretur remissoria decreta absque citatione,
3 & † sic inferretur præiudicium parte non citata. Nec quicquam faciebat in illo casu, quod postea Io. Dominicus, contra quẽ erat decreta remissoria, in partibus fuisset postea personaliter citatus. quia dicebatur, quod comparuit, & allegauit iudices suspe-
4 ctos, & appellauit quo casu processus † iudicis recusati post appellationem factus est nullus, vt per Dec. in c. cum speciali. in prin. in final. col. de appell. etiam quod appellatio postea foret deserta. vt per Lap. alleg. 1.

SVMMARIVM.

Ordinarius præsumitur scire vacationem, non autem modum, seu qualitatem vacationis.

DECISIO XXXIII.

IN vna Leodiensi Canonicatus S. Pauli pro Gerardo Boneort, contra Guilermum Erx, fuit resolutũ, die 8. Octob. 1543. quod Card. Leodiensis, qui contulerat vigore indulti, beneficium vacans in Curia, præsumeretur habere notitiam vacationis. per decis. 263. * in nouis. & tex. in Clem. vnicà. in fine. de concess. præben. Sed non qualitates. videlicet quod vacauerit in Curia. quia ordinarius bene tenetur scire ex visitatione quam tenetur singulis annis facere, vacationem, sed non tenetur scire modum vacandi. & tanto magis in illo casu. ne alias diceremus, quod Cardinalis voluisset facere actũ nullum, cum de vacanti in Curia non poterat prouidere, sed Papa prouidebat de consensu Cardinalis, & præsumptio semper capitur pro validitate actus.

* alias 6. de iur. patr.

SVMMMARIVM.

Possessio sedis sine præiudicio alicuius tradita, dicitur sub conditione data.

1 *Possessione tradita sub conditione, ea non verificata, possessio an quæratur.*
2 *Traditio facta sub conditione an noceat tradenti.*
3 *A protestatione facta quãdo dicatur recessũ.*

DECISIO XXXIV.

DVodecima Octob. 1543. in vna Melitana præcedentię, fuit resolutũ. coram D. Io. Paulo ꝙ possessio per Magnũ Magistrum tradita sine præiudicio alicuius es-
1 set † sub conditione tradita. per tex. in l. testamento centurio. §. 1. ff. de mann. testa. & ideo, nisi esset verificata conditio, non esset quæsita possessio. per tex. in l. qui absenti. §. 1. ff. de acquir. possess. & in c. olim. il primo iuncta glos. in verbo traditã. de restit. spol. adeo vt etiã talis traditio sub cõditione fa-
2 cta, † non noceat tradenti secundum glos. in d. c. olim. in verbo sub conditione, & ibi Abb. in 2. colum. in prima oppositione. Nec obstabat, quod licet à principio, possessio esset sub conditione tradita, tamen postea Prior passus fuisset Episcopum sedere sine
3 aliqua protestatione, † & ideo videbatur

* A protestatione per actum ex interuallo sequutum, quando cẽseatur esse recessum.

ex interuallo à protestatione recessũ. * per text. in l. complures. §. locator horrei. ff. locat. & in l. per retentionem. C. de vsur. & quod dicit Felin. in c. cum M. in 21. col. in prima conclusione. de constitut. Quia respõdebatur, quod illud est verum, quando protestatio est apposita in tractatu, seu in pręambulis actus, quod si post sequatur actus ex interuallo, quod videtur recessum ab illa protestatione. & ita loquuntur iura superius allegata. Secus est quando protestatio est facta in ipso actu, partibus consentientibus, tunc per alium actum simplicitet gestũ nõ videtur esse recessum ab illa protestatione. per ea quæ dicit Alex. cons. 27. attentis narratis. col. 1. vers. & quod non fit. &cæt. vol. 3. Et ideo cum Magnus Magister tradidisset possess. sine præiudicio, ac etiam pro parte Prioris, istud idem fuisset protestatũ, & non fuerat pro parte Episcopi contradictum, quod ab ista protestatione, per patientiam in futurum. non censebatur recessum, pro quo benefacit text. in l. in rebus §. fin. ff. de præear.

S V M M A R I V M.

In causa attentatorum, non potest apponi sequestrum iuxta formam Clemen. ad compescendas.

1 *Sequestrum vt apponatur, iuxta formã Clement. quid necessarium, & num. 3.*
2 *Sententia lata super attentatis, an dicatur lata super possessorio.*
4 *Rota quando auocat possessionem non adiudicando illam alicui parti, quid soleat facere.*

DECISIO XXXV.

FVit resolutum, die 12. Octobris 1543. in vna Barchinonensi beneficij S. Bartholomæi, coram me, quod lata sententia super attentatis, post eam non potest decerni sequestrum iuxta formam Clem. ad compescendas. per decis. Aegidij 54. & quia Clem. vult quod feratur in petitorio, & talis sententia non fertur super eo. vel quod feratur super possessorio, & sententia super
2 attentatis, prout erat illa. non erat † super possessorio, sed tantum erat vt possessio restituerentur in pristinũ statum. & pristinus status erat, quod esset reducenda ad manus cuiusdam curatoris deputati ad custodiam beneficij. & ideo non erat super aliquo possessorio, nec recuperandæ, nec retinẽdæ, nec
3 adipiscendæ. Item, oportet quod † sentẽtia feratur pro petitore. prout dicit glos. in d. Clem. in verbo. cõtra possessorẽ. & ibi Card. in 6. quæst. Non obstat quod Rota decernat sequestra, quando auocat possessionem ex
4 officio, nõ adiudicando † illam alicui parti. quia dicebatur, quod tali casu si apponit pœnas de quibus in d. Clem. quod tunc illud facit ex officio, prout potest. iuxta text. in c. 1. de offic. delegat. Sed in nostro casu Auditor non decreuerat sequestrum ex officio, sed vigore commissionis super attentatis. & istud non poterat facere, cum talis cõmissio non tribuat iurisdictionem. nec vigore dictæ Clem. cum non loquatur in tali casu.

S V M M A R I V M.

Non est locus regressui, nisi quis eo vti voluerit.

1 *Declaratione semel facta, an quis possit amplius declarare.*
2 *Actus quando annullatur in fauorem alicuius, ita demum est nullus, si ille in cuius fauorem annullatur, voluerit.*

DECISIO XXXVI.

GRatianus Marchi habebat super quodã Archidiaconatu reseruatã pensionem de ann. 25. cũ regressu ob non solutionem de cõsensu Hieronymi Torrella possessoris de an. 27. idẽ Hieronymus, super eodẽ Archidiaconatu consensit reseruationi secũdæ pensionis, non facta mentione de prima in fauorem Archiepiscopi Brundusini cũ regressu, quod in euentũ nullitatis, liceret accedere, & regredi ad Archidiaconatum. & quia successor Hieronymi de anno 35. cessauit à solutione pẽsionis, egit Gratianus ad regressum ob nõ solutionẽ, & obtinuit duas sententias. in tertia de anno 1540. cõparuit Archiepiscopus, & dixit, non esse canonizãdũ regressum Gratiani, ex quo suus primo sortitus erat effectum suũ. cum tempore reseruationis, propter nullitatem, statim fuisset locus regressui, sed regressus Gratiani sortitus erat effectum de anno 35. videlicet tẽpore cessationis solutionis. Tamen aliqui Domini dicebãt, quod ex quo tunc locus est regressui, si dominus in cuius fauorem fuit appositus, eo vti voluerit. per decis. 2. Cassador. de loc. & primo Gratianus declarasset voluntatẽ suam, ꝙ in præiudicium eius Ar-
1 chiepiscopus non poterat † amplius declarare. ꝙ etiã habebat locum, dato ꝙ à principio actus esset nullus. per decis. 422. * in antiquis, & quod dicit Ias. in l. posthumo. de cõ- * Alias 21. nu 3. decõcess. prab.
2 tratab. ꝙ quando actus † annullatur in fauorẽ alicuius, ita demũ est nullus, si ille in cuius fauorem annullatur voluerit. Et dixi supra in alio simili casu, decis. 8. lib. 2. incipien. in vna Romana domus.

SVM-

SVMMARIVM.

Gratia cum clausula, quouis alio modo, præfertur gratiæ posteriori, habenti certum, & verum modum vacandi.

1 *An, & quando impetrans per certum modum vacandi præferatur impetranti per putatiuum.*
2 *Clausula, quouis modo, apposita in impetratione beneficij, quid operetur, & num. 5.*
3 *Impetrans per resignationem cum clausula, vel quouis modo, an præferatur impetranti per obitum.*
4 *Vitiata principali impetratione, clausulæ generales non operantur.*
6 *Gratia specialis, an præferatur generali in concursu.*
Gratia in beneficijs, quando dicatur specialis vel generalis.
7 *Gratia excipiens aliquos casus, an includat omnes alios.*

DECISIO XXXVII.

Cardinalis S. Crucis habebat regressum ad Cantoriā Hispalensem ex cessione boni iuris in fauorem Io. Tauera. ipso Io. de Tauera, seu quocumque in cantoria successore decedēte, aut illa alias quouis modo, præterquam per resignationem simpliciter, vel ex causa permutationis Io. & successorum, vacante. Postea Franciscus Pegnalossa, obtinuit accessum ad eamdem cantoriā, cedente vel decedente Io. Cortes, successore immediato Io. Tauera, seu cantoriam prædictam, alias quomodolibet dimittente, vel amittente, & illa, quouis modo, etiam per inhabilitatem, & incapacitatem Io. Cortes, vacante. & post istos regressum, & accessum respectiue concessos, Io. Cortes assequutus fuit decanatum Oscen. per cuius assequutionem præsupponebatur cantoriam vacasse. Dubitaui ego die 15. Octob. 1543. quis esset potior in iure, an Cardinalis vigore regressus, an vero Franciscus Pegnalossa in accessu. Et pro Francisco dicebatur
1 quod impetrans † per verū modum vacandi, præferretur impetranti per putatiuum, vt per Dominicum, & Franc. in c. susceptū. de rescript. in 6. & per Felin. in cap. in nostra. in coroll. 37. de rescript. Sed respondebatur, quod istud erat verum, nisi impetrans per putatiuum, haberet clausulam, vel
2 alias † quouis modo. quia tunc, impetrans per modum putatiuū, præferebatur. per decis. 17. de rescript. in nouis. alias 143. Argumentum autem habebat locum, vbi tantū erat expressus verus modus ab vno, & putatiuus ab alio. quia tunc, veritas opinioni cedere debebat. Secundo, pro Francisco allegabatur commentator regularum, in regula
3 18. de infir. resignan. vbi impetrans † per resignationem cum clausula, vel alias quouis modo, & alius impetrat per obitum, & vacat infra viginti dies, præfertur ille qui impetrat per obitum. & illa clausula, quouis modo, nil operatur. sed respondebatur quod illa decisio habebat particularem rationē, videlicet fraudis tollendæ. ex quo regulæ
4 non erat derogatum. & vitiata † principali impetratione per resignationem, honestum erat vt illa clausula, quouis modo, nil operaretur. Et dum ibi commentator facit differentiam inter gratiā de vacante, & de vacaturo, fuit dictum, quod talis differentia reprobatur. per decisionem primam, de rescript. in nou. & quod immo in gratia de
5 vacaturo habens clausulam † quouis alio modo, præferatur habēti specialem modum vacandi est decisum. in d. decis. 17. de rescript. Tertio pro Francisco dicebatur, quod quando concurrunt gratia generalis, & spe-
6 cialis, † species derogat generi. per text. in cap. dudum. & in c. quamuis. de præbend. in 6. Sed fuit responsum, quod in isto casu vtraque gratia esset specialis, cum vtraque esset data ad certum corpus beneficij. videlicet ad cantoriam. per text. in c. ex parte. el primo. de offic. delegat. Non obstat, quod gratia Cardinalis, haberet clausulam generalem, vel alias quouis modo. quia, cum tantum in vno modo gratia debebat verificari, non poterat dici generalis. & ita considerabat commentator, in d. reg. 18. in fin. secundæ paginæ. Item dicebatur, quod si ex eo, gratia Cardinalis dicebatur generalis, quia habebat clausulam generalem, eadem ratione debebat dici gratia Francisci etiam generalis; quia habebat dictam clausulam quouis alio modo. Immo dicebatur, quod virtualiter, gratia Cardinalis comprehendebat eosdem casus, quos cōprehendebat gratia Francisci. nam, cum diceret, præterquam per resignationem simplicem, vel ex causa
7 permutationis, † excipiēdo istos duos casus includebat omnes alios. per text. in cap. qui generaliter. de procur. in 6. Immo dicebatur, quod gratia Francisci, specifice non habebat casum assequutionis, sed bene includebatur sub verbo amissionis, vel sub verbo inhabilitatis. quæ tamen verba sunt generalia.

SVMMARIVM.

Beneficia vacare apud sedem, vel in Curia idem.

1 *Beneficia vacantia in Curia, an omnia dicantur vacare apud sedem.*
2 *Beneficia resignata in Curia per procuratorem, an dicantur vacare in Curia.*

S 2 DECI-

DECISIO XXXVIII.

FVit dictum in vna Gerundensi beneficij coram D.Io.Paulo 15. Octobris 1543. quod beneficia vacantia apud sedem, dicuntur vacare in curia. per text. in cap. 2. de præbendis. in 6. dum in princ. dicit. apud sedem, & postea in fine dicit, in Romana Curia, & per text. in cap. præsenti. de præben. in 6. & voluit Lap. alleg. 96. in princ. Bene
1 verum est, quod non omnia vacantia † in curia, dicuntur apud sedem vacare. vtputa reseruata per extrauagantem, ad regimen. quæ licet vacent extra curiam, dicuntur tamen vacare in curia. quia eorum dispositio pertinet ad curiam. Et hoc est, quod voluit dicere Sarnensis quæst. 31. in princ. super regula de triénali. Et fuit dictum, * quod be-
2 neficia resignata † in curia per procuratorem dicuntur vacare in curia. vt per Dom. & alios post Archid. de præben. in 6. Et est decis. 1. de rerum permutat. in nouis.

* Beneficia in Curia resignata dicuntur vacare in Curia.

SVMMARIVM.

Filius an habeat bona patris hypothecata pro legitima.

1 *Dictio, de, an exponatur pro super. Hypothecam, an denotet dictio, de.*
2 *Legitima, an debita de bonis, & ex bonis.*
3 *Carolus Ruinus præceptor Putei.*
4 *Pro legitima legata, an competat hypotheca.*
5 *Actio personalis qua sit, & qua realis.*
6 *Filius pro legitima, an habeat partem in qualibet re hæreditaria.*
7 *Pro legitima, an competat cõdictio ex lege.*

DECISIO XXXIX.

FVit dubitatum in vna Florentina pecuniaria, coram D. Prospero, An filia habeat in bonis paternis hypothecam, saltem tacitam, vel ius aliquod reale, pro dote ei debita vigore statuti Florentini mandantis filiam dotari de paternis bonis, siue pro legitima. Et pro parte negatiua, quod non haberet hypothecam in bonis paternis pro legitima, allegabatur Alex. in l. in quartam. col. 8. nu. 16. ff. ad l. falcid. & idem cons. 78. clarissime doctor col. fin. vers. non obstat id. &c. vol. 3. vbi dicit, quod ista opinio est communis, & idem Alex. cons. 117. viso titulo, num. 18. vol. 6. Decius cons. 235. in casu magnifici, &c. col. 4. in 4. dubio. vol. 2. Negusan late in tract. de pignor. in 2. par. in 4. membro. fol. 53. secundum paruam impressionem. vers. vigesimusquartus. &c. videlicet. in princ. 1. col. Ludou. Bologn. consil. 59. vol. 1. Corn. cons. 282. col. 2. in princ. nu. 20. vol. 1. Socin. in l. si ex toto. in princ. in 2. not. de leg. 1. vbi ponit; an etiã pro supplemento legitimæ. & idẽ dicit Negusan. in loco superius allegato. Non obstant verba statuti dum dicunt, filiæ exclusæ debeant do
1 tari de bonis patris. & dictio, de, † videtur q̃ sit exponenda pro super. ad text. & glos. in l. Prætor ait. §. in eum. ff. de damn. infect. & habetur per Alberic. in dictionario suo. in verbo, de. & per Lucã de Penna. in l. omnes iudices. col. 15. C. de decurion. lib. 10. & ideo importat hypothecam. vt per Bart. in l. codicillis. §. instituto. de legat. 2. quia respondetur, q̃ non semper dictio, de, stat pro
2 super. nã videmus, quod legitima † debetur ex bonis, seu de bonis patris. auth. nouissima, C. de inoffic. test. & tamen per supradicta, bona patris non dicuntur hypothecata. Et in terminis huius quæstionis, q̃ quando lex iubet dotari filiã de bonis paternis, q̃ propterea non inducitur, neq; tacita, neque expressa hypotheca, Ponit Matthæus de Afflictis in decis. Neapolit. 162. vbi etiã dicit quod cõmunis opinio est, quod non habeat filius bona paterna pro legitima obligata. Tamen pro parte cõtraria allegabatur Pau. de Monte Pico in repet. l. in quartã. col. 41. vers. nõ obstat primum fundamentum. ff. ad l. falc. vbi Paul. reprehendit ibi Alex. & dicit quod errat in terminis, & allegat Bald. & Aret. tenentes contrariũ, & ibi adducit fundamentum inconuincibile secundum eũ. Sed
3 præceptor meus † Carolus Ruinus ibid. con. 1om. 12. in fine. vers. item quæritur, impugnat ibi Paul. Picum. & dicit, q̃ Bal. & Aret. per eum allegati, non dicunt id ad quod allegantur per Paul. & q̃ ratio ipsorum non est bona, dum dicunt, filius in legitima est fauorabilior, seu lex magis fauet filio in legitima, quam legatarijs in legato. & tamen pro legatis datur hypotheca, ergo & pro legitima. quia ista ratione attenta, quilibet creditor haberet hypothecam pro suo credito, cũ lex magis faueat cuicumq; creditori, quã legatario, ex quo creditores præferũtur legatarijs. Eamdem opinionem q̃ bona paterna sint obligata pro legitima tenet Io. Ant. Alex. cõs. 156. circa prin. col. 2. in prin. Sed nõ facit ad propositũ. quia loquitur pro
4 legitima † legata, quo casu non est dubium, quod competit hypothecaria. iuxta text. in l. 1. C. commun. de legat. Et in quantũ Ruinus in loco superius allegato, dicit quod Bal. & Aret. nõ dicunt id ad quod per Paul. de Monte Pico allegantur; aduertatur, quia immo iudicio meo id dicunt. & præsuppo-
5 no quod actio personalis est illa † qua dico personam mihi obligatã, realis vero qua dico rem mihi debitam vel obligatã. §. omnium. instit. de action. modo sic communis conclusio est DD. pro vt eam communẽ asserit Paul. de Monte Pico. in d. l. in quartã. col. 46. in 8. quæst. quod filius pro legitima
6 habet † partem in qualibet re hæreditaria. licet

licet in diuisione, debeat assignari legitima in vna vel duab.rebus, arbitrio iudicis,pro pter periculum diuisionis. Si ergo filius,in qualibet re habet partem, ergo habet illam partem obligatam,non autem totã. & ideo non poteſt petere, legitimam ſibi in vna re aſſignari. quia tunc peteret plus debito. & iſtud eſt quod dicit Aret.in d.conſ.Ergo expreſſe ſentiunt, quod filius habeat ius reale in qualibet re hæreditaria. Nec contrariũ dicit Alex. in d.l. in quartam. quia ſi bene videatur Alexan. dicit, quod non reperitur quod filius habeat bona patris in ſolidum, ob'igata, vt poſſit meliora eligere. & idem dicit Alexan. in conſ. 117. ſuperius allegato. Et licet ipſe in d. conſ.75. etiam ſuperius allegato dicat, quod communis opinio eſt,quod bona filij non ſint obligata,intelligendus eſt,in ſolidum, ne contrarietur alias dictis.& iſta eſt diſtinctio quam ponit Paulus de Mõte Pico in dicto loco, licet eius ratio non ſit bona.Et ideo non immerito dicebat Bal. in auth. presbyteros. circa finem.
7 C. de Epiſc. & cleric. quod † pro legitima competit condictio ex lege,quæ eſt perſona lis in rem ſcripta. & per Dec. conſ. 633. col.1. vol.4. Et per Aymonem Crauetta, conſ. 109. de anno. &c. col. 3. verſ. tertio quæritur.&cęt. vbi ponit,quod datur actio perſonalis in rem ſcripta,cõtra tertios poſſeſſores. & ſic contra deciſ. Neapolitanam. Cauſa fuit propoſita 15.Octobris 1543.ſed nil fuit deciſum.

SVMMARIVM.

Porrectio ſupplicationis non facit, quin alia poſſit per eumdem porrigi, & ſuper ea conſenſum præſtari.

DECISIO XL.

FVit reſolutum in vna Palentina canonicatus,& præbendæ,coram me 19. Octobris 1543.quod porrectio ſupplicationis,facta per procuratorem, ſeu principalem, non perficit ita reſignationem, quominus aliam porrigere poſſit, & ſuper ea conſenſum præſtare. quia Rota non amplectitur rigorem text. in cap.quidam.de renunciat. Iſte punctus fuit iterum poſitus præſupponendo, quod vltra mandatum ad porrigendum,aderat etiam ratificatio ſupplicationis porrectæ per principalem.& tamen 23.Ianuarij 1544. fuit reſolutum idem quod ſupra. dummodo probaretur ſtylus Curiæ.

*

SVMMARIVM.

Tractatus de permutando inter partes, licitus.non autem concluſio.

1 *Beneplacitum ſuperioris ex quo dicatur reſeruatum.*

DECISIO XLI.

FVit reſolutum in vna Canonicatus Sancti Andreæ, coram me,die decimanona Octobris 1543. quod tractatus de permutando eſt permiſſus inter partes non autem concluſio. vt puta permutatio ipſa. per not. per Abb. in cap.quæſitum. & in c. vniuerſorum de rer.permut. & Henric. Boic. in d. c.quæſitum.Et ideo in caſu illo,in quo Matthæus promiſerat conſtituere procuratores irreuocabiles, ad renunciandum parochialẽ in manibus Archiepiſcopi,vel Papæ,ad electionem Georgij, & Georgius promiſerat conſentire reſeruationi penſionis annuę 20. ducat.& ſimiliter conſtituere procuratores ad reſignandum quoddam beneficium in fauorem dicti Matthæi, ac etiam ſoluere 20. lib. pro expenſis, & vnum equum, ſeu 20. marchas pro fructibus, & ſe obligauerant, & iurauerant ita facere; quod talis conuentio,reſpectu tractatus permutationis eſſet li
1 citus. † & ex eo quod dixerant, in manibus Archiepiſcopi vel Papæ, quod virtualiter eſſet reſeruatum beneplacitum ſuperioris, ita vt tota permutatio,ad voluntatem ſuperioris eſſet collata.

SVMMARIVM.

Conuentio de ſoluendis expenſis, & fructibus pro ceſſione iuris illicita.

DECISIO XLII.

ET eadem die fuit reſolutum, quod eadem conuentio quoad pactum promiſſionis viginti librarũ, & vnius equi,ſeu 20. marcharum, pro expenſis & fructibus etiã quod conſtaret, quod Georgius teneretur ad expẽſas & fructus, eſſet illicita.per tex. in c.cum pridem.de pact.nec obſtat quod dicebatur,quod ille tex. non loquitur quando ab altera etiam parte datur beneficiũ, & fit etiã promiſſio expenſarũ ſed loquitur tantũ quando ſit promiſſio expenſarũ pro iure. quia dicebatur, quod cum renunciatio debeat eſſe libera, Matthæus non intẽdebat renunciare,niſi etiam habuiſſet beneficium,& fructus,& expenſas. & ſic ratione illius totius, quod promittebatur per Georgium erat contentus parochialẽ renunciare. Nec obſtat, quod in caſu illius cap.cum pridem temporale daretur pro ſpirituali: hic au-

tem dabatur temporale pro temporali, vt puta pro expensis, & pro fructibus, dabãtur viginti libræ, & equus. quia dicebatur quod etiam in c. cum pridem. pecunia dabatur ibi pro expensis. tamen quia dabãtur correspectiue ad cessionem iuris; ideo Papa reputauit illam pactionem illicitam.

SVMMARIVM.

Processus iudicis reuocati, tenet ante exceptionem reuocationis oppositam.

DECISIO XLIII.

Decima nona Octobris 1543. in vna Messanensi Baroniæ, coram me, fuit resolutum, quod processus Iudicis reuocati, ante reuocationẽ intimatam. esset validus, per ea. quæ dicit Abb. in c. audita. col. 3. vers. in hoc argumento. &c. de rest. spol. & multa ponit Felin. in c. cæterum. col. 3. ver. valet processus. de rescript. vbi dicit quod valet processus, factus vigore primi rescripti reuocati, donec de secundo excipiatur. & ibidem Felin. col. 10. vers. quartum corollarium, & ibidem Felin. col. 11. in t. extensione, dicit quod nõ sufficit scientia aliunde habita de reuocatione, nisi deducatur per exceptionem partium. & debet excipiens appellare ab vlteriori processu, & reiectione exceptionis.

SVMMARIVM.

Beneplacitum Papæ ex forma laudi, quo casu non fuit necessarium.

DECISIO XLIV.

Dominus Aquensis in quodã laudo lato inter Corneliũ ex vna, & Io. Stontem Decanum ex alia, laudauerat, quod quoties idem Io. procurasset prouideri, seu ipse, vt Decanus prouidisset in fauorẽ Cornelij de beneficio 10. ducat. seu consensisset reseruationi pensionis 12. ducatorum, in fauorẽ dicti Io; quod eo casu pensio 18. ducator. quam Cornelius prætendebat habere reseruatã super fructus Decanatus S. Pauli Leodiensis, esset extincta. Item, dabat terminũ vnius anni cum dimidio, ad effectum dictæ prouisionis, seu reseruationis. & quod durante dicto anno cum dimidio, solueretur pensio ad rationem 12. ducatorum. & voluit, quod si præmissa nõ adimplerentur, quilibet remaneret in iure suo excepta actione, repetendi pensiones decursas, quas ex tunc Cornelius quietabat, & præsupponebatur, in facto, quod Cornelius pro tali remissione habuerat 40. ducatos prout probabatur per testes. postea in fine dicebatur, quod pro exoneratione sui, D. Aquensis voluit, & decreuit, quod super præmissis, partes impetrarent signaturam confirmationis à Papa. Dubitcui ego, de mense Octobris 1543. An pro pensionibus decursis, requireretur confirmatio Papæ propter illa verba, super præmissis. &c. Et fuit conclusum, quod non. quia Cornelius, etiam quod Laudum non sortiretur effectum, quietauit pro 40. scutis receptis, pensiones decursas. & ideo illa verba, super præmissis referetur ad casum quando laudum fuisset impletum. maxime quod tali casu, non requirebatur beneplacitum Papæ, cum non esset illicitum remittere pensiones decursas pro 40. scutis.

SVMMARIVM.

Salarium non conuentũ non debetur.

1 *Episcopus an teneatur de necessitate habere Vicarium, vel officialem.*

2 *Successor in beneficio, an teneatur ad debita prædecessoris.*

DECISIO XLV.

Die quinta * Nouembris 1543. fuit resolutum in vna Zamoren. * pecuniaria, pro Episcopo Zamorensi, contra Gondisaluum Monte, coram me pendente, per duos ex tribus Auditoribus votantibus, quia non erant plures, quod Vicarius Episcopi Zamorensis iã defuncti, non poterat petere salarium non conuentum, à successore. pro seruitijs præstitis eius prædecessori, quia non probabantur duo extrema videlicet, quod Episcopus esset solitus conducere, & Vicarius, solitus locare operas. per cõs. Federic. 218. D. Federicc. eum sequen. Alex. cons. 109. vol. 6. Dec. cons. 132. in fine. Item dicebatur, * quod tale debitum, erat voluntarium. quia Epi-
1 scopus † non tenebatur de necessita te habere Vicarium, vel officialem. ad not. per Io. Andr. in c. cum ab omni. de vit. & honest. cler. Pet. de Anchar. cons. 218. col. fin. vers. secundo moueor. ibi, nisi quando est ordinarius. & per Dominicum post Archid. in c. statutum. §. assessorem. col. 2. vers. sed an id. de rescript. in 6. Felin. in c. quoniam de offic.
2 ord. Et ideo, † cum successor non teneatur ad debita voluntaria, sed necessaria, prædecessoris. ad not. per Abb. & Siculum in c. 1. & 2. de solut. & in c. ex præsentiũ. de pignor. Item dicebatur, quod, etsi à successore immediate petere potuisset; tamen quod non erat honestum, quod peteret à mediato. ideoq; de primo successore erat intelligendum, ne res proce-

* Vide quæ dixi in 3. lib. annotationũ mearũ dec. 1. & 12.

* Die 12. Nouemb. 1546. in illa Zamoren. dedi dubium An debeatur salarium non conuentũ stante asserta consuetudine aliquorũ Episcoporũ Zamoren. videlicet prædecessoris, & successoris quondam Antonij Episc. dandi salaria conuenta suis Vicarijs. Et fuit resolutum, quod quia nõ probabatur duo extrema, de quib. per Feder. & Alex. hic allegat. ꝙ non deberetur. Non obstat, cõsuetudo probata. quia illa procedit in salario cõuento. & ideo nõ fit extentio ad alium casum quia tãtum præscriptum, quantum possessum & illud salarium conuentum, magis debetur ex pacto quã ex cõsuetudine. Nõ obst. cõs. Corn. 116. col. 3. vol. 4. quia ibi erat consuetudo successorum soluendi salaria; quod in casu illo non probabatur. Nõ obst. cõs. Soc. 196. col. 2. vers. 2. principal. vol. 2. quia fuit dictum, ꝙ verba Soc. erũt declaran. iux. traditã per Alex. in d. cons. 109. vol. 6. videlic. quod exceptis personis, de quib. in l. 2. ff de var. & extraord. cog. alij non possent implorare etiam officiũ iudicis pro salario non promisso, nisi consueuerint locare operas suas so-

litis illas conducere.
Successor in beneficio nō tenetur ad debita voluntaria prædecessoris.

procederet in infinitū. arg. l. boues. §. hoc sermone. ff. de verb. sig. cum cumulatis per Felin. in cap. 2. de treug. & pac.

S V M M A R I V M.

An violans sequestrum, quod erat appositum post sententiam latam super attentatis incideret in pœnam Clem. ad compescendam.

DECISIO XLVI.

Eadem die, in vna Barchinonensi beneficij S. Bartholomæi, pro Io. Puiol, contra Io. Aregal, etiam coram me fuit dubitatum; An violans sequestrum interpositū post sententiam latam super attentatis, (quod vt superius fuit resolutum, erat non legitime decretum) incideret in pœnas Clemen. ad compescendam. Et pro parte affirmatiua allegabatur. decis. Rotæ 510. alias 1. de sequestr. possess. in antiquis. & decis. 2. Bisign. de sequestr. possess. & fruct. & Cassad. decis. 5. de sequestr. possess. & fruct. ac Sarnen. in regula de annali, quæstion. 5. in fine. in quibus locis dicitur, quod violans sequestrum nullum, incidit in pœnas illius Clem. quoniam punitur temeritas eius qui propria auctoritate contrauenit. Sed istis non obstantibus, fuit contrariū resolutum. quia, ad hoc vt quis incidat in pœnam Clem. oportet quod sit sententia lata in petitorio vel possessorio. & eum sententia super attentatis, non sit huiusmodi, vt dixi in alia decis. ergo pœna illius Clem. locū non habet, nam cum sit pœnalis, debet habere locum in terminis proprijs. & pro hoc facit, quod dicit Cardinalis. in d. Clem. §. si qui autem. vers. oppono quod impediens, dum dicit, quod qui non paret sequestro ex quo non est lata sententia, non incidit in pœnam illius Clem. Et paria sunt, quod nōn sit lata, vel lata non tamen in terminis illius constitutionis: Ad allegata in contrarium fuit responsum procedere, quando est lata sententia tamen est nulla.

S V M M A R I V M.

Minor decem annorum cum dimidio, sine auctoritate tutoris potest quærere possessionem canonicatus, & præbendæ.

DECISIO XLVII.

Eadem die, in vna Aesina canonicatus, & præbendæ, etiam coram me, fuit resolutum, quod minor decem annorum cum dimidio, sine auctoritate tutoris, seu curatoris, poterat quærere possess. canonicatus, & præbendæ. quia ita dicebāt Alex. & Ias. reprobantes Bart. & Imol. in l. 1. §. adipiscimur. ff. de acquir. possess. per text. in §. pupillus. in fine. instit. de inut. stipulat.

S V M M A R I V M.

Oportet, vt nominatus à milite gaudeat priuilegijs, quod miles tempore vacationis, non desinat esse miles.

DECISIO XLVIII.

Die 8. Nouembris 1543. fuit resolutum per duos ex tribus votantibus, in vna Lamacen. Parochialis de Rio Secco, quod Sixtus Cordero, nominatus à D. Valeriano de S. Cruce milite, non poterat gaudere priuilegijs militum, ex quo, tempore vacationis, Valerianus desierat esse miles, per text. in l. quod constitutum. & l. tribunus. ff. de test. milit. Et sicut in Valeriano requirebatur, quod tempore vacationis ipse esset miles, ita in eius subrogato. & quod in Valeriano requireretur militia tempore vacationis determinat Staph. in tract. de lit. grat. & iust. fol. 117. & Sarnensis. in c. statutum, num. 16. de rescript. in 6. alias sequeretur, quod ratione eiusdem officij, duo gauderent priuilegijs militum. videlicet nominatus, & emptor nouus. Non obstat, quod text. priuilegij dicebat, quod nominatus esset perinde ac si miles foret, in omnibus & per omnia, quia respondebatur, quod intelligebatur durante militia in persona nominantis, ne melioris esset conditionis nominatus, quam nominans. & quod non erat verum, quod sequuta nominatione, effectus esset perfectus, sed tunc demum perficiebatur, quando vacatio beneficij sequebatur. & ideo priuilegia dabant prærogatiuas, & antelationes in assequutione beneficiorum. Oportebat ergo, quod illo tempore duraret qualitas militiæ. quia qualitas iūcta verbo. &c.

S V M M A R I V M.

An, posito quod cessionarius non possit intentare vtiles ratione cessionis, an saltem possit intentare directas nomine cedentis.

1 *Cessa actione priuilegiata, an transeat cum suo priuilegio.*
2 *Cedi an possit fideicommissum, & cessionarius quomodo agat.*
3 *Cedi an possit priuilegium transiens ad quemcumque heredem.*

DECI-

DECISIO XLIX.

DVodecima Nouembris 1543. dubitaui ego in vna Parmēsi bonorum, pro Michaele Casalio, contra D. Liuiam præsupposito, quod Michael Boraschus non potuerit cedere ius sibi competens, ad possessionem adipiscēdam ex decreto Mediolani, vt cessionarius non possit intentare actiones vtiles nomine proprio, An saltem cessionarius possit intentare actiones directas cessas nomine cedētis. Et pro parte negatiua quod non possit, adducebatur doctrina Bar. in l. post dotem. col. pen. vers. pone ergo in simili. &c. ff. sol. mat. vbi quando sumus in
1 actione priuilegiata, si ceditur † dubitatur an transeat in cessionarium cum suo priuilegio. & ibi Bar. distinguit, quod aut sumus in cessione necessaria, & tunc si cessionarius vult intentare actiones directas ad vtilitatem cedentis, potest. si autem sumus in cessione voluntaria, & tūc indistinctè actio non transit. Et licet quo ad primum dictum Bart. in cessione necessaria Bar. habeat con tradicentes, vt ibi per Alex. & Aquen. tamē in cessione voluntaria, quod doctrina Bar. sit vera, sequuntur ibi DD. vt per Alex. & Aquen. ibidem. Cum ergo nos simus in casu isto, in cessione voluntaria ergo in cessionarium non transibit, nec vtilis nec directa. Pro parte affirmatiua adducebatur, quod voluit Ang. in l. si vsusfructus. ff. de no
2 uat. vbi vult Ang. quod licet † fideicom. cedi non possit. l. si mulier. §. ex asse. ff. de iur. dot. tamen cessionarius potest intentare directas nomine cedētis, vt fiat restitutio ipsi cedēti. & facta restitutione tunc poterit sibi retinere. Et idem dicit Angel. in l. apud Iulianum. §. vtrum, & ibi Aquen. in vers. in eadem gloss. in fin. &c. vbi fortificat dictum Ang. ff. ad Trebell. licet Cur. Iun. in l. 2. C. de pact. illud dictū Ang. videatur impugnare; tamen cum non habeat auctorē pro se non videtur ab eo receden. Est ergo ibi decis. quod licet ius non possit cedi, tamen cessionarius potest intentare directas nomine cedētis. & ad doctrinam Bar. dicebatur, quod Bar. ibi loquitur in priuilegio, quod competit personæ mulieris. pro vt dicit Bald. Nouell. in tract. de dote. in 12. parte. in 5. col. in 2. quæst. Nōs autem sumus hic in priuilegio, non competenti personæ, sed rei. & in priuilegio quod transit ad quemcumque
3 heredem † etiam extraneum, quo casu etiã tale ius potest cedi. vt per Bar. in l. 1. in fin. C. de priuileg. dot. Vide resolutionem infra decis. 60.

SVMMARIVM.

An prouisio facta per obitum Cardinalis Ecclesiæ cōmendatarij, censeatur esse facta per cessionem commendæ ex persona eiusdem Cardinalis.

1 *Expresso vno modo vacandi ex persona vnius, an possit venire alius modus vacandi.*

DECISIO L.

VIcarius Archiepiscopi Valentini, contulerat Martino Besaldu Ecclesiam parochialem de Pego, sub his verbis. ea propter Ecclesiam parochialem Villæ de Pego Valen. diœcesis, vacantem de iure pariter & de facto per obitum Reuerendissimi Gulermi de Vich S. R. E. Cardinalis ipsius commendatarij seu vltimi, & immediati possessoris. Dubitaui ego in dicta causa Valen. parochialis de Pego, inter Io. Baptistam Baldassinum ex vna, & Martinum Calasorra ex alia, die 16. Nouembris 1543. An prouisio facta Martino Besaldu per obitum Cardinalis de Vich, ipsius Ecclesiæ cōmendatarij, censeretur esse facta per cessationem commendæ ex persona Cardinalis. Et fuit resolutum quod non, per tex. in
1 c. susceptum. de rescript. in 6. quia erat † expressus modus vacationis ex persona Guilermi. vnde non debebat venire alius modus vacandi, maxime ex alterius persona. Et illa verba Cardinalis commendatarij, stabant demonstratiue, & ex facie collationis apparet, quod voluit Vicarius per obitum illius prouidere. Non obstat quod Gemin. cons. 52. circa fin. dicat, quod c. susceptum. non habet locum in Ordinario. quia contrarium dicit gloss. in d. c. susceptum. & ibi Domin. Et eadem ratio, quæ est in prouisione Papæ de vacanti, militat in Ordinario. & quando esset verum istud quod dispositio illius text. non haberet locum in Ordinario, non censeretur prouisum ex alia persona. per not. in d. c. susceptum.

SVMMARIVM.

Vbi ad prosequutionem alicuius iudicij est præfixus terminus, ille non currit pendente iudicio alio, illi præiudiciali.

DECISIO LI.

FVit resolutum in vna Romana domus, coram D. Rauellensi die 16. Nouem-

uembris 1543. quod stante impedimento moto Episcopo Xantonēsi, intentanti remedium Bullæ Sixtinæ, per D. Claudium dicentem, Episcopum non esse vicinum seu cōsortem, non curreret tempus annale, secundū interpretationem datam à testibus. per ea quæ dicit Tiraq. in tract. de vtroq. retractu. fol. 96. pag. 1. ver. septimo quia. &c. vbi dicit quod licet præfigatur tēpus ad prosequēdū aliquod iudicium, illud non currit durante iudicio præiudiciali, vt ibi per eum. & licet Bulla in illis verbis, si emptor noluerit renūciare cogatur per Magistros stratarum. &c. præsupponat controuersiam. Tamen fuit dictum, quod loquitur de controuersia compatibili cum iudicio principali. vt puta, si diceret emptor non teneri ad retractū, eo quod ipse pariter sit vicinus. Tamen, quia in facto ibi præsupponebatur quod an nus esset lapsus ante negationem factam per Claudiū, ideo fuit facta resolutio pro ipsa.

SVMMARIVM.

Procurator in negocio principali, non potest per dominum in negocio restitutatio reuocari, nisi parte consentiente.

1 *Procurator in causa principali, an cogatur defendere in causa restitutionis.*
2 *Procurator, an & quando possit reuocari post litem contestatam.*
3 *Iudicium restitutionis quid.*
4 *Defensor ante litem contestatam, an possit reuocari.*

DECISIO LII.

Fvit dictum eadem die, in vna Salamātina Abbatiæ S. Saturnini, coram Ra-
1 uellensi, quod procurator in causa † principali, cogeretur defendere dominum in causa restitutionis. per tex. in l. qui proprio. §. item quæritur. ff. de procur. Et quod in tali iudicio restitutorio, non posset procurator reuocari, nisi parte consentiente, licet procurator vellet. per text. in c. 2. & ibi Fran. de procur. in 6. vbi, licet post litem conte-
2 statam, procuratore † volente, procurator possit reuocari, intelligitur tamē parte volēte. vt dicit Fran. in d. c. 2. & Felin. in c. ex parte Decani. col. pen. vers. nota ex glos. de rescript. Et cum iudicium restitutionis
3 sit prosequutio † primi iudicij, sicut in primo iudicio, non potest reuocari nisi parte volente, vt dixi, ita & in iudicio restitutorio, quod est primi prosequutio. Item, quia procurator, in iudicio restitutorio dicitur defensor, vt dicit text. in d. §. item quæri-
4 tur, & defensor † etiam ante litem contestatam, nō potest sine causa reuocari. vt dicit Felin. in d. c. ex parte Decani. col. fin. vers. & dicit Bart.

SVMMARIVM.

Confessio extraiudicialis, probat execrabilitatem.

1 *Confessio extraiudicialis de æquitate canonica, quid, & quando probet. & nu. 2.*

DECISIO LIII.

Fvit resolutum in vna Septen. Archidiaconatus, coram D. Io. Paulo die 16. Nouembris 1543. quod confessio extraiudicialis, quod quis haberet septem curatas probaret execrabilitatem, vt quis non esset re-
1 stituendus. quia confessio † extraiudicialis, de æquitate canonica probat. vt per Felin. in c. si cautio. in 6. col. vers. fallit 2. de fid.
2 instrum Et non obstat, † quod in criminalibus non probat. vt per Felin. in d. c. si cautio. sub nu. 24. vers. quarta declaratio. Item, & quando agitur ad pœnam ordinariam imponendam. vt per Rot. decis. 180. alias 1. de confess. in nouis. quia dicebatur, quod hic agebatur ciuiliter, & non criminaliter. & tantum agebatur de præiudicio circa possessorium. & ideo nō imponebatur pœna ordinaria, quæ respiceret etiam petitorium.

SVMMARIVM.

An mensis ordinarius in prouisione Papæ, sit exprimendus.

DECISIO LIV.

Fvit dubitatum in vna Conchensi, coram D. Prospero, die 16. Nouembris 1543. An de beneficio vacante in mēse ordinario, prouisus à Papa teneatur facere mentionē in supplicatione, de mense. & ex quinque votantibus, tres fuerunt pro parte negatiua. quia in regula erant reseruati octo mēses. dum ergo regula dicit. de dictis beneficijs tunc vacantibus, de mense mentio fiat, scilicet de vacantibus in dictis octo mensibus, vt relatio ad proxima fiat. & ex quo nulla erat facta mentio de mensibus ordinarijs, ergo ad illos non poterat relatio fieri. & quia regula erat exorbitās, & odiosa, ergo stricte intelligenda. videlicet de illis mensibus in regula expressis. Duo vero dicentes, quod immo deberet exprimi mensis etiam ordinarius, mouebantur, quia dum Papa reseruat octo menses sibi, tacite inclu-

cludit quod alios quatuor ordinariis concedit, & sic virtualiter de mensibus omnibus in regula fit mentio, ergo omnis mensis debet in regula exprimi, maxime cum vnica ratio possit tantum assignari. videlicet vt sciat Papa, an conferendo, præiudicet Ordinario, vel non. Ergo mensis ordinarius est exprimendus. tamẽ quia discernẽdo menses Apostolicos ab ordinarijs, de necessitate dicendum est, vt de omnibus debeat fieri mentio. Nam non est maior ratio, quod Papa voluerit certificari magis, quod beneficium vacet in mense Ianuario, quam Februario; sed voluit de omni mense fieri mentionem, vt sciret an ordinario præiudicare haberet, vel non. Et illa verba, de dictis beneficijs tunc vacantibus intelligenda erant, quod referrentur ad principium. videlicet ad illa verba, donec &c. interim generalis expeditio fiat. &cæt.

SVMMARIVM.

In possessorio ex pacto competente, obstat exceptio, dolo facis.

1 *Dominij exceptio incontinenti probandi in possessorio, quando opponi possit, & decis. 58. num. 1. & num. 3.*

DECISIO LV.

FVit resolutum in vna Signina Castri Mõtis Fortini, coram me, die 13. Nouembris 1543. contra Illustrem Martium Colũnam, pro Illustri Hieronymo Colũna, quod sicut in interdicto adipiscendæ, potest oppo-
1 ni exceptio † dominij incontinenti probandi, l. 2. C. de edict. Diui Adrian. tollen. ita & vbi possessio debetur ex pacto concordiæ quia ita pariter militat in illo casu exceptio dolo facis. pro quo facit, quod dicit Bald. in §. possessiones. vers. & nota quod in istis restitutionibus. &c. de pac. Constan.

SVMMARIVM.

Testes inter alios examinati, quando faciant semiplenam probationem.

DECISIO LVI.

FVit resolutum in vna Parmensi iurisdictionis Villarũ, quod testes inter alios examinati, quando repeti non possunt, & sumus in antiquis, faciant semiplenam probationem. Secus dicebant Domini, quando non essemus in antiquis. per ea quæ dicit Ripa, referendo Curtium, & alios. in repet. l. admonendi. colum. pen. ff. de iur. iuran. & fuit resolutum 19. Nouembris 1543. coram D. Ioanne Paulo.

SVMMARIVM.

Tempus appellationis prosequendæ, computatur à die appellationis interpositæ, non autem commissionis præsentatæ.

DECISIO LVII.

EAdem die, in vna Oueten. canonicatus, & præbendæ, coram eodem D. Io. Paulo, pro D. Martino Roman. fuit resolutum, quod tempus prosequendæ appellationis, seu fatalia, incipiãt currere à die interpositæ appellationis, non autem à die præsentatæ cõmissionis. per Clemen. sicut. de appell. Et non obstat, quod, quia stylus Curiæ dat decem dies ad committendam appellationem, videbatur quod ille terminus hominis, non debebat computari in termino legis; quia non valenti agere. &c. per glos. in cap. sæpe. in verbo, careat impetratis. de appellat. quia dicebatur, quod illa glos. cõmuniter reprobatur, vt ibi per Abb. dicentem, quod immo terminus hominis, computatur in termino legis. Et non obstat quod non valenti agere. &c. quia imputandum erat ei, qui statim poterat causam committere, & non commisit.

* Videtur facere contra istam decis. quod dicit Lanfrancus. in repet. c. quoniam. contra. in tract. interlocationũ & appellationum. in vlt. col. n. 138. in vers. vlt. pro complemento. &cæt. de probat. Sed non facit. quia potest intelligi, quando parti non potest imputari. secus quando potest vt in casu isto.

SVMMARIVM.

Exceptio, dolo facis, potest opponi in secunda instantia.

2 *Exceptiones descendentes à primis capitulis, an & quando admittantur in secunda instantia.*

DECISIO LVIII.

DVbitaui ego die, 19. Nouembris 1543. An in secunda instantia, posset allegari exceptio dolo facis. &c. & in vna Signina Castri Mõtis Fortini, dicebatur quod non, & quod ita dicebat Bal. in l. per hanc. col. 5. alias num. 16. C. de temp. appellat. quod dictum sequebatur Afflict. in 1. lib. cõstitut. Regn. in constit. incipien. circa violentiarum. num. 32. Tamen fuit dictum in illo casu qui tunc proponebatur, quod ex quo in prima & secunda instantia, erat actum possessorio adipiscendæ, quod in tertia in-
1 stantia poterat opponi † exceptio dominij incontinenti probandi, & sic dolo facis. quia
in secunda instantia admittuntur omnes ex-
2 ceptiones, quæ descendunt ex primis capitulis, & non faciunt nouum litigatorem,

& di-

& dicuntur tunc descendere ex primis capitulis, quando faciunt ad victoriam causæ, & coadiuuant intentionem actoris, seu exceptionem rei. vt per Bart. post Petr. & Iacob. in d. l. per hanc. & ibi Angel. Sed ex-
3 ceptio † dominii incontinenti probandi coadiuuat exceptionem rei. ergo erat admittenda. Et fuit dictum, quod illud dictũ Baldi in d. l. per hanc. videbatur impugnare ibidem Salicet. col. fin. vers. quæro agnatus.

SVMMARIVM.

Minor, in causa possessorij adipiscendæ, restituendus aduersus omissam allegationem.

DECISIO LIX.

ITem in eadem, fuit eadem die resolutũ, quod minor in causa possessorii adipiscendæ, erat restituẽdus aduersus dictam allegationẽ. dolo facis. &c. in prima instãtia omissã. ad glos. in l. vnic. in glos. fin. post mediũ. C. de momen. poss. &c. & ibi Bart. in fin. Bal. ibi col. 2. ver. quæro nũquid Ecclesia. Bal. in l. momentanea. col. 2. C. qui habent leg. person. stand. in indic. Salicet. in d. l. vnica. col. 2. vers. quæro tertio. Practica Papien. in forma libell. in appell. à diffinitiua. vers. coram nobis. Quicquid dicat decis. 13. consilij Neapolitan. in nouis.

SVMMARIVM.

An cessionarius, qui non potest intentare vtiles nomine proprio, possit intentare directas nomine cedentis.

1 *Fideicommissum, an & quomodo cedi possit.*

DECISIO LX.

DVbitaui ego, in vna Parmensi * bonorum, pro Michaele Casalio, contra Liuiam eius matrem, die 19. Nouembris 1543. præsupposito, quod Michael Casalius vigore cessionis ad possessionem ciuilissimã, ex decreto Mediolani Boráscho cedente competentibus vtilibus actionibus agere non possit, An saltem dictus Michael ex mandato actionum directarum, & constitutione procuratoris in rem suam, posset actiones directas, nomine Boraschi cedentis intentare. Pro parte negatiua, allegabatur doctrina Bartol. in l. post dotem. col. fin. circ. fin. ff. sol. matr. quod vbi sumus in cessione voluntaria, tunc, si actio est priuilegiata, & actiones vtiles non transeunt, ita nec etiam cessionarius poterit intentare directas nomine cedentis, secus in necessaria. Et licet quo ad secundum, scilicet vbi cessio est necessaria, DD. varient, tamen vbi cessio est voluntaria communiter DD. sequuntur Bar. Hic eramus in cessione voluntaria. & in actione priuilegiata. quoniam priuilegium non datur, nisi hæredi. ergo Michael cessionarius voluntarius, non poterit nec vtiles nec directas intentare. Præterea considerabatur, quod in cessione erat dictum, quod cedens cedebat omnia iura directa &c. ita vt nullæ reliquiæ dictarum actionũ penes cedentem remaneant. quo casu non est dubium, quod iura remanserunt in efficacia penes cedentem. per ea quæ ponit Ias. in l. si cum emptore. col. fin. in princ. ff. de pact. si ergo illa iura manserunt in efficacia penes cedentem, ergo nomine illius intentari non possunt. Istis non obstantibus, fuit conclusum dicta die contrarium. per dictum Ang. in l. si vsusfructus. ff. de nouation. & in l. apud Iulianum. §. verum. ff. ad Trebell. vbi Ang. limitando, quæ dicuntur in l. si mulier. §. ex asse. ff. ad Trebell. quod
1 fideicommissum † cedi non possit, intelligit, quando cessionarius vellet intentare vtiles nomine proprio. secus si intentaret directas nomine cedentis ad vtilitatem suam. Ecce ergo, quod licet vtiles non transeant, tamen potest quis intentare directas nomine cedẽtis. Ad quod facit quod quod dicit Aret. cons. 124. & illud dictum Angeli sequitur Cuman. & Imol. in d. §. verũ. qui nõ discedit ab opinione Angeli. licet dicat, quod alia practica sit tutior. & ibi etiã si bene videatur Alex. sequitur Angel. & ibi Claud. idem tenet Bald. & Corn. ibi in l. sãcimus. C. ad Trebell. Bald. in c. nonnulli. col. 3. vers aliquando tamen cessionarius. &c. de rescript. idem Imol. in l. seruo inuito. §. fin. ad Trebell. & ibi Cuman. & Paul. de Castr. in l. qui ita. §. 1. nu. 6. in verb. in gloss. quæ incipit. & in l. restituta. in prin. in final. verbis. ff. ad Trebell. Ad dictum Ias. in l. si cum emptore. ff. de pact. dupliciter respondebatur. primo, quod erant inefficaces, quando cedens vellet intentare illas inuito cessionario, & in eius præiudicium. secus quando cessionarius volebat intentare nomine cedentis ad eius commodum. Secundo dicebatur, quod erant inefficaces, quando actiones transissent, sed in puncto præsupponebatur, quod cedi non poterant. ergo exercitium earum poterat intentare nomine cedẽtis ad vtilitatem suam, ex quo erat constitutus procurator in rem suam. iuxta dictum cons. Aret. 124. Non obstat doctrina Bar. in d. l. post dotem. quia dicebatur, quod illa loquebatur in actione, quæ de sui natura non erat transitoria ad quemcumque hæ-

* Vide decis. supra 49.

hæredem. Materia autem nostra erat transitoria ad quemcumque hæredem, prout patet ex forma decreti. & quod ita intelligeretur istud, videbatur tenere Bart. in l. 1. circa finem. C. de priuileg. dot. in l. per diuersas. col. fin. vers. sexto quæro. C. mandat. Paul. de Castr. cons. 15. in fine. vol. 1. Bald. Nouell. in tract. de dot. in 12. parte. col. 5. in 2. quæst. Campeg. in eod. tract. in 1. parte, quæst. 81.

SVMMARIVM.

In causa matrimoniali actor, sequitur forum rei.

1 *Fideicommissum, an & quomodo cedi possit.*

DECISIO LXI.

Fuit dictum in vna Pampilonensi Matrimonij, 19. Nouembris 1543. coram me, quod mulier, quæ commiserat causam super matrimonio contra virum Calagur itanum, dato, quod matrimonium esset contractum in diœcesi Pampilonensi, quod tenebatur sequi forum rei, & ideo Signatura quæ dicebat, & committatur ordinario, intelligebatur de ordinario Calaguritano, non autem Pampilonensi. quia actor sequitur forum rei. l. 2. C. de iurisd. omn. iudic. cap. cum sit generale, de for. compet. Non obstat, quod
1 ratione † contractus, quis sortitur forum in loco contractus. quia intelligitur si ibi reperiatur. l. hæres absens. ff. de iudic. cap. Romanam. §. contrahendum. de foro competen. in 6. & quando etiam limitatur, vbi quis contraxit, vt aduena non habens armarium, & pergulam. d. l. hæres absens. §. primo.

SVMMARIVM.

Testes, inter alios examinati in antiquis, licet faciant semiplenam probationem, non tamen concludenter probant primum extremum.

1 *Primum extremum in spolio, plene est probandum.*
2 *In antiquis quando sufficiat semiplena probatio.*
3 *Probatio quæ est semiplena in recenti, an sit plena in materia antiqua.*
4 *Fama, quare in antiquis plene probet, & testes inter alios examinati non.*
5 *Enunciatiua in instrumentis inter alios, quando probent in antiquis.*

DECISIO LXII.

Vigesimaprima Nouemb. 1543. in vna Parmensi villarum, coram D. Io. Paulo, fuit resolutum, quod licet testes, inter alios examinati, ex quo eramus in antiquis, facerent semiplenam probationem, vt superius annotaui, tamen non concludenter pro-
1 barent primum extremum, † ex quo plene, secundum Rotam est probandum. Non obstat, quod in antiquis sufficit semiplena pro-
2 batio. † vt per Felin. in c. cum causam. col. fin. vers. extra glos. pro pleniori. & c. de probationibus, & Socin. cons. 89. col. 1. in fine, quia illud procedit in materia leuis præiudicij, vt per eundem Felin. in d. c. cum causam. puta in materia confinium. materia autem possessorij nō iudicatur leuis præiudicij, secūdum opinionem multorum Doctorum. & fuit tentum in præceden. audien. in vna Signina Castri. dū Rota voluit, quod in materia possessorij daretur restitutio. Nō
3 obstat quod probatio, † quæ est semiplena in materia recenti, est plena vbi sumus in antiquis, vt patet in fama. quia dicebatur, quod quicquid sit in fama, tamen in casu nostro DD. concludebant, quod in antiquis testes inter alios examinati, tantum semiplene probabant. Et sic non erat primum extremum plene probatum, quod secus erat in fama. quia cum fama in antiquis plene probaret, iam erat plene probatum primū
4 extremum. Et si diceretur, quare fama † in antiquis plene probat, & testes inter alios exam nati, non. respondetur, quod cum fama semiplene probet, lex voluit quod, propter antiquitatem efficeretur plena. Sed cū testes in. er alios examinati, in materia de recenti nō semiplene probent, sed tantū quasi le quale præiudiciū faciant, sufficit q̄ propter antiquitatem semiplene probent. Item testes de fama examinantur cum parte, & ideo toleratur, vt in antiquis plenam probationem faciant, secus est in testibus inter alios examinatis. & illa probatio potius videtur de iure speciali, & ita non debet tantum extendi. Non obstat, quod in antiquis
5 narratiua, seu verba enunciatiua † in instrumentis inter alios probent. vt per Alex. & Ias. in l. cum aliquis. col. 2. C. de iur. delib. & Ias. cons. 81. col. 2. vol. 1. quia loquuntur in materia confinium, & sic modici præiudicij. vt supra dixi.

SVMMARIVM.

Causa expressa in Coadiutoria, vel alia simili, debet probari.

1 *Coadiutoria, non datur nisi ex causa.*

DECI-

DECISIO LXIII.

IN vna Hispalensi S. Saluatoris, die 21. Nouembris 1543. fuit resolutum, quod ad validitatem Coadiutoriæ,in qua pro parte Francisci erat expositū, quod ipse diuersas infirmitates patiebatur, & maxime iliacā; itaut deseruire non posset,& propterea, seu ex certis causis petebat sibi Gynesium in Coadiutorem deputari,quod cum Coadiutoria non esset motu proprio,sed ad sup-
1 plicationem, & † de iure non detur, nisi ex causa, vt in c.1. de cle. ægrot. lib.6. quod vel debebat probari infirmitas,vel alia causa similis ex qua Papa erat motus. & impetrans tenetur verificare narrata.ad Felin.in c.constitutus. de rescript.

SVMMARIVM.

Gratia quo casu subreptitia.

1 *In impetratione gratiæ, qui status attēdatur.*

DECSIO LXIV.

VIgesimasexta Nouembris 1543. in vna Neapolitana, contra Archiepiscopum Neapolitanum, coram D.Mohedano, dicebatur quod ex quo certi laici administratores cuiusdam Ecclesię, deseruiebant illi Ecclesiæ per decem, vel duodecim Capellanos, ad nutum eorum amouibiles, & impetrauerant à Leone, quod talis Ecclesia non posset erigi in titulum beneficii ecclesiastici, cum decreto irritante, & quod tales laici possent tali Ecclesiæ deseruiri facere per vnum, vel plures Capellanos, ad nutum eorum amouibiles.& postea Cardinalis Neapolitanus impetrauerat dictā Ecclesiā pro vno perpetuo beneficiato, dicēdo quod ex hoc cultus diuinus augeretur. Fuit conclusum,quod talis impetratio, foret subreptitia. quia cum tempore datæ impetrationis, deseruiretur per decem clericos, non erat verum dicere, quod ex erectione pro vno,cultus diuinus augeretur. Non obstat quod dicebatur, quod ex litteris Leonis apparebat, quod erat in facultate illorum tenere vnum,vel plures, & sic cum possent deseruiri facere per vnum amouibilem, quod videbatur quod satis cultus diuinus augebatur si per vnum perpetuum deseruiebatur.
1 Quia respondebatur, quod præsens † status impetrationis considerandus erat, non autem id quod euenire poterat. Cum etiam posset euenire, quod nec perpetuus beneficiatus etiam deseruiret. Nec etiam obstat quod dicebatur, quod erectio habebat,confectis supportatis oneribus. & quod si consuetū erat deseruiri per decem,quod etiā ipse ita volebat deseruire. qnia dicebatur, ꝙ ex hoc nō augebatur cultus diuinus,sed potius erat in statu primęuo conseruare.

SVMMARIVM.

Data præsentia in loco, præsumitur scientia publicæ famæ.

1 *Testes deponentes de publica voce,an teneantur deponere de toto populo.*

DECISIO LXV.

VIgesimasexta Nouembris 1543. in vna Toletana matrimonii, coram D. Fabio,in quo erat dubium præsupposita fama publica munerū & collusionis, & quod Beatrix erat in loco,& vicina,& amica. An præsumatur sciētia illius. Fuit resolutum,quod data præsentia in loco,seclusa infirmitate, & aliis casibus specialibus per DD. considerantis in locis infra dicendis, præsumeretur scientia. ad Bart.in l.is potest. col.9.& 10. ff. de acquir hæred.glos.& Bar.in l.si tutor. C.de peric.tutor.bona glos. in c.1.in verbo allegans.de postulat. prælat.& ibi Dec.col. 4.in 17.notab.Et per multas alias auctoritates tunc allegatas non obstante dicto Felin.in c.cum contingat.col.2. vers.& si dicatur talis est. &c. & col. fin. vers. tamen cane. &c. de rescript.vbi post Anton. de But. dicit requiri etiam scientiam famæ, & illud dictum Anton. sequitur Sigismundus Loffredus. cons. 10. col.fin.vers.nec.obstat.c.cum in tua. &c. Quia domini dicebant quod attentis communibus contradictionibus illud dictū non videbatur verū,& si esset necessarium probare scientiam famæ,tunc frustratoriū erat probare publicā vocem & famā. Et postea die 28. eiusdem in eadē conclusērunt, quod probata dicta publica voce,& fama,probaretur sciētia præsumpta Beatricis. dato quod aliqui testes eiusdē loci,dicerent ignorasse dictam publicā vocem & famam, cum multo plures, & plures de eadem depo- * Vide Aret. in l. cū quidā. § quod di
1 nerent. cum testes deponentes † de publica voce,non teneantur deponere de toto populo, sed de maiori parte. * Dato ergo,quod aliqui nescirent,per hoc non desineret esse publica vox, & fama. citur. col. 1. vers. in glos super verb.si sic. &c.de acquir. hære dit.

SVMMARIVM.

Non statur iuramento puellæ existentis in vndecimo, quod carnaliter fuerit cognita.

1 *Potentia coeundi, an præsumatur in fœmina minore duodecim.*
2 *Auth. sacramenta puberum, an habeat locum in iudiciis.*
3 *Pubertati proximus, quis dicatur in materia matrimonij.*
4 *Iuramento habentis contra se præsumptionem iuris an stetur.*

DECISIO LXVI.

Vigesimasexta, & vigesimaoctaua Nouembris 1543. fuit resolutum in vna Hispalensi matrimonij, quod cum ius non
1 præsumat † potentiam coeundi in fœmina minore duodecim. vt est text. in c. 1. de delict. puer. & in c. 2. & c. puberes. & final. de despon. impub. & not. Anton. in c. de illis. & Præpos. in c. cõtinebatur. de despõs. impub. quod Maria, quæ in vndecimo anno completo iurauerat se, à Io. Diaz fuisse carnaliter cognitam, non probabat copulam, licet id in iudicio confessa fuisset. nam licet authen.
2 sacramenta puberum † habeat locum in iudiciis. vt per Bart. in autheu. sacramenta puberum. & communiter sequuntur DD. tamen id intelligebatur in minore proximo pubertati, & in quo poterat cadere delictũ. vt per Bartol. in d. authen. sacramenta puberũ. col. 2. Et quicquid sit in alia materia,
3 tamen in materia † matrimonii, proximus pubertati dicebatur, qui distabat per sex menses. vt per Abb. & alios, in c. cõtinebatur. de despons. impub. Cum ergo ista non fuisset proxima pubertati, nec in tali materia præsũptio talis delicti non caderet. ergo iuramentum non poterat confessionem ipsius puellæ confirmare. Et facit pro ista parte;
4 quia vbi est præsumptio † iuris contra aliquem non statur eius iuramento. Bartol. in l. inter omnes. §. recte. ff. de furt. Non obstat, quod mulier in vndecimo anno potest cognosci. vt in c. cõtinebatur. de despõs. impu. quia respondebatur, quod poterat si alio modo appareret. sed præsumptio iuris erat contra mulierem. & ideo eius iuramento non erat standum.

SUMMARIUM.

Commissio super priuatione beneficij, ob non solutionem, non facit beneficium litigiosum.

DECISIO LXVII.

In vna Hispalensi attentatorum, coram D. Aquensi, die 26. Nouembris 1543. fuit resolutum, quod Didacus Vasquez, qui commiserat causam priuationis quia pensio non erat soluta, & præsentauerat bullam A. C. quod in euentum, in quem veniret priuandus, ei beneficium conferret. Et postea Ioãnes citauerat, quod mortuo Io. beneficiũ non diceretur esse litigiosum, quia super beneficio non erat lis, sed tantum super priuatione. ad not. per gloss. in c. si hi contra quos. vt lit. penden. in 6. & sentiebant Domini, quod si Didacus commisisset causam tam super priuatione, quam regressu, quod tunc beneficium fuisset litigiosum. per dictã glos. quia tunc dixisset illũ amouendum, & beneficium ad eum spectare. secus est in primo casu, in quo collatio euentualis erat.

SUMMARIUM.

Contradictio Ordinarij, ex quo actu elicita.

DECISIO LXVIII.

Vigesimaoctaua Nouemb. 1543. In vna * Vrgellensi, corã D. Fabio, fuit resolutũ cõtra D. Bernardinũ della Croce, quod, ad hoc vt constaret de contradictione Ordinarij in materia decis. Cassad. volentis quod Ordinario non contradicente, poterat quis in eadem diocœsi duo beneficia capere. satis erat, quod Capitulum dedisset possessionẽ vigore gratiæ expectatiuæ, ad mandatum exequutoris alteri expectanti. quia facto dicebatur Capitulum contradicere, ex quo aliter non poterat prouidendo contradicere, propter decretum expectatiuæ. & ideo tradendo alteri possessionẽ, etiam quod ex mandato exequutoris, tamẽ declarabat voluntatem, quod volebat, beneficium ad illum spectare, & non ad D. Bernardinum.

* Postea fuit, pro parte Bernardini, productum instrumentum possessionis, quę vigore gratiæ expectatiuę fuerat tradita. & melius informato pro parte Bernardini. die 22. Ianuar. 1544. fuit resolutum, quod ex quo non auctoritate ordinaria, sed vigore expectatiuæ, fuerat possessio tradita, quod nõ plene probaretur contradictio Ordinarij, sed quod faciebat saltem ad remissoriam, & ita fuit decretum.

SUMMARIUM.

Prorogatio facta per Papam, quo casu fuerit valida absque consensu eius, cui prædicabatur.

1 *Prorogatio temporis, an suffragetur ad euitandam pœnam, si infra illud, opus promissum non potuisset perfici. & nu. 2.*
3 *Argumentum à contrario sensu, non sumitur quando resultat absurdum.*
4 *Ex duabus causis finalibus, sufficit quod vna subsit.*

DECISIO LXIX.

In vna Nannatensi pensionis, coram me, in qua D. Traianus, de consensu procuratoris possidentis, transtulerat pensionem 400. ducatorũ in fauorẽ Hectoris de Viceco mitibus. & in supplicatione erat clausula, seu decretum, quod in euentum in quẽ Hector infra annum docuisset, quod Renatus possessor propositurã super qua pẽsio reseruabatur, ante reseruationẽ, resignasset, quod tunc Traianus teneretur simili pensioni super

super suis beneficijs consentire. Hector intra annum non probauit resignationem, sed tantum per quatuor dies ante lapsum anni obtinuit prorogationem à Papa ad sex men ses, narrando quod propter longitudinem itineris, & infirmitatem, probare non poterat. Dubitaui ego, An talis prorogatio, sine consensu Traiani esset valida. Et pro parte negatiua, quod non, allegabatur tex. in l.cum stipulatus mihi à Proculo.ff.de ver bor. obligat. vbi quando elapsum est tantũ
1 temporis † ex quo non est verisimile, quod infra reliquum tempus, opus promissum adimpleri non possit, commissa est pęna, etiam quod tempus prorogetur. Si ergo erat inducta liberatio; in casu nostro arguendo à contrario, dato quod tempus fuisset prorogatũ non potuit Papa iuri tertij derogare, tum per regulam de non tollendo ius quæsitum, tum ex dispositione iuris, quod Princeps nõ censetur cum iniuria alicuius aliquid concedere. Fuit tamen contrarium resolutum, die 26. Nouembris 1543. quia ille text. loqui-
2 tur † in conuentione patrium, quæ ab ipsis dependet, & est valida. Hic eramus in conuentione, quæ non erat de se valida, sed dependebat à facto Papæ. puta reseruatio pensionis, & ideo potuit Papa ex causa, sine cõsensu Traiani, illud factum extendere. Non obstat, quod à contrario sumendo argumẽtum, videlicet, quod si Hector non probasset, erat liberatus Traianus, quod in isto facto non requirebatur factum Papæ. per tex. in cap. Agatho. quia dicebatur, quod non li
3 cebat sumere † argumẽtum à contrario sensu, ex quo resultaret absurdum. & iniquum quod quis voluisset, si non probasset intra annum, iactare suum. Item, in eadem fuit resolutũ, quod licet duę causę * essent expressæ, quod quia causa longitudinis erat causa
4 de se potẽs ad mouendum Principẽ, † quod satis erat illam probare. per ea quæ dicit Phil. Franc. in c. cum cessante. in princ. de appellat. & quod causa infirmitatis, de se non erat potens. quia per alium poterat inquirere. sed magis mouerat Principem longitudo itineris.

* Ex duab. causis finalib. sufficit, q vna subsit.

S V M M A R I V M.

Quæsitum nomine sociorum, debet ab omnibus ratificari. & non sufficit, quod ab aliquibus.

DECISIO LXX.

IN vna Romana, Domus pro Francisco Frumenti, contra Petrum de la Porta, coram me. in qua Franciscus Frumenti emerat domum nomine sociorum, à quibus præ supponebatur quod non habebat mandatum. Fuit resolutum die 28. Nouembris 1543. quod si non constabat, quod tota societas ratificasset, licet constaret de ratificatione aliquorum, quod non esset quæsitũ societati, nec illis socijs particulariter ratificantibus. Rati oquia si particulares socij ratificarent, & non tota societas, Franciscus, vel habuisset maiorem portionem quam illam quam à principio putabat habere, vel incideret in communionem inuitus. & ideo necessarium erat, quod constaret de ratificatione omnium sociorum. ad quod facit, quod dicit Bart. in l. si quis aliam. ff. de solution.

S V M M A R I V M.

Clausulæ generales, positæ in parte prouisiua censentur, repetitæ in regressu, seu accessu in eadem supplicatione contento.

DECISIO LXXI.

EAdem die, fuit dictũ * in vna Valentina de Pego, coram me, pro Io. Baptista Baldassino, contra Martinum Calaforra, quod clausulæ generales, siue præmisso, siue alio quouis modo, aut ex alterius cuiuscũque persona, positæ in parte prouisiua resignationis factæ in fauorem Andreæ censerentur repetitæ in regressu, accessu, & ingressu postea in fauorem eiusdem Io. Baptistæ, reseruatis. maxime, quod in illo dicebatur, quodque decedente Andrea, siue amittente, & dimittente, aut alio quouis modo vacante, & prouisione Andreæ facta nulla, & inualida existente ista verba non poterãt intelligi ex persona Andreæ. ex quo propter Regulam de idiomate, nil erat quæsitum Andreæ. sed intrabat regressus Andreæ ex illis verbis, vel resignatione nulla & inualida existẽte. Et tunc nõ poterat dici quod daretur regressus, & accessus ex persona Andreæ qui nil habebat; sed dabatur ex persona cuiuscumque, & quomodocumque vacaret, prout dictũ erat in parte prouisiua.

* Fuit causa post ia iterum per D. Aquen. super isto pũcto, die 15. Februarij 1544. & fuit idem resolutũ.

S V M M A R I V M.

Titulus coloratus, ex quibus iudicatus.

DECISIO LXXII.

IN vna Firmana plebis S. Benedicti, die 28. Nouembris 1543. fuit tentum, quod in spolio, pro colore tituli, satis erat quod testes deponerent, quod viderunt vicariatum Vicarii conferentis. & quod alias collationes fecerat, quæ erant sortitæ effectum suum.

SVMMARIVM.

Possessio quando dicatur vitiosa, & iure familiaritatis.

1 *Possessio iure familiaritatis præsumitur ad excludendum delictum.*
2 *Possessio, quando possit dici vitiosa, vel non.*
3 *Dominij exceptio, quando & in quibus possessorijs admittatur.*
4 *Possessionem capiendi propria authoritate, licentiæ quando sit locus.*
5 *Possessio iure familiaritatis quando dicatur.*

DECISIO LXXIII.

* Vide quæ dixi inf. decis. 330. eod. lib.

IN vna Placẽtina * Castri Sarmati in qua Iacobus, iure prælegati erat institutus in Castro Sarmati, & vna cum alijs erat institutus hæres vniuersalis, fuerat resolutum in Rota, quod possessio Castri Sarmati, vigore decreti Ducatus Mediolani, esset trãslata in hæredes pro hæreditarijs portionibus, qua translatione facta, reperiebatur, quod postea Iacobus possedisset Castrum in solidum. Fuit dubitatum, An possessio Iacobi foret vitiosa itaut Iacobus prçsumeretur possedisse iure familiaritatis. & ratio dubitandi fuit, quia ex quo possessio est translata vigore decreti in hæredes, non poterat Iacobus, absque vitio spolij, possidere. &
1 ideo præsumendum erat, quod voluisset † iure familiaritatis, ad euitandũ delictũ. prout ita considerat Alex. cons. penult. vol. 4. Tamen ego dicebam, quod talis possessio nõ
2 poterat dici vitiosa, † per ea quæ dicit Ias. in l. non dubium. C. de legat. vbi dicit, quod illa lex secundum communem, intelligitur quando hæreditas est adita, & post apprehê sam possessionem. & tunc, si legatarius apprehendat possessionẽ dicitur vitiose possidere. Ponit ibi Ias. duas fallentias. Prima est quando legatarius habet facultatem apprehendendi auctoritate propria. Secunda est quando est hæres institutus in re certa. & sic ibi præsupponitur, ꝙ dato quod hæres institutus in re certa capiat possessionem post apprehensam possessionẽ hæredis, ꝙ non dicitur vitiose possidere. & non solũ illud procedit secundum Ias. ibi, quo ad euitandum pœnam, de qua in d. l. non dubium, sed etiam dicit Ias. quo ad hoc, vt non teneatur quo ad interdictum quorum legatorum. & sic remedio possessorio. ergo inferebam, nec tenebitur remedio recuperandæ. Nec obstat ꝙ dicebatur, quod remedium quorum legatorum, seu quorum bonorum, est interdictum adipiscendæ. & in tali bene admittitur
3 quæstio † dominij incontinenti probandi. Sed ista exceptio dominij non habet locum in remedio recuperandæ. ergo de vno ad aliud non licet arguere. Quia replicabatur, quod cum voluntas testatoris, sit voluntas hæredis, quia hæres non potest venire cõtra factum defuncti, quod licet in interdicto recuperandæ, non obstet dominii exceptio, obstabit tamen exceptio propriæ voluntatis. vt in c. solicite. de restit. spoliat. Hinc videmus, quod si quis dederit facultatem appre-
4 hendendi propria auctoritate, † potest possessio apprehendi, dum tamen non inueniat resistẽtem. ad not. in l. creditores. C. de pign. Non obstat quod dicit Dominic. in c. si beneficia. de præben. in 6. dum dicit, quod hęres, qui habet auctoritatem apprehendendi propria auctoritate, non potest apprehendere quando res est occupata. quia intelligitur à tertiis possessoribus. Sed hic capitur possessio ab eo, qui dedit facultatem apprehendendi, & non resistit. * Non obstat conf. Ias. 146. in 4. vol. quia Ias. fundat se super quodam. conf. Baldi & tamen non dicit id ad ꝙ allegabatur. Præterea Ias. loquitur in fideicõmissario vniuersali, qui licet habeat licentiã apprehendẽdi propria auctoritate, tamen nõ potest apprehendere possessionem, quando est apprehensa per hæredẽ, propter prę iudiciũ quod fit hæredi in trebellianica seu legitima. hic antè eramus in instituto in re certa, & null præiudiciũ poterat considerari, ꝙ inferretur hæredi vniuersali. Et vltra dicebã, quod quando possessio fuisset vitiosa, quod non poterat dici iure familiaritatis. quæ tunc dicitur, quando constat de non iure † ingredientis, & de iure alterius
5 in proprietate. secundum Paul. de Castr. in l. qui iure familiaritatis. ff. de acquir. possess. hic autem erat totum contrarium. quia constabat de iure ingredientis. & de non iure alterius. Et pro ista parte faciunt quæ dicit ibi Imola. & Aret. de filio, & matre seor sum habitantibus. quia si filius portat fructus ad domum suam, non dicitur iure familiaritatis possidere. Cum mea opinione fuit alius Auditor. In contrarium fuerunt duo alii; quia non eramus plusquam quatuor. Et ista fuerunt 3. Decembris 1543. coram D. Io. Paulo. Causa iterũ posita, die 10. Martii 1544. fuimus quatuor pro possessione non vitiosa, & duo pro possessione vitiosa. In sequenti audientia, causa iterum posita, vnus mutauit. & sic fuerunt tres pro Comite Gaspare, & ex aliis tribus, vnus non votauit, quia non viderat, propter corporis alterationem, & alius non venit, tertius fuit in primo voto.

* Sed ista respõsio ad conf. Iason. non valet. quia sicut hæres detrahit Trebel li. de fideicom. vniuersali, ita & de instituto in re certa. l. quotiens. C. fam. ercisc. l. ex facto ff de hæred. instit. notat Bart. in l. quotiens ff de hæred. instit. & Ias. simpliciter dicit, quod vbi possessio est trãslata per decretũ, licentia, propria antè concessa, non operatur. Item. fuit allegatus Parisius, cõs. 54. col. 3. vol. 3. idem velle, quod Ias.

SVMMARIVM.

Tertius qui non est in lite non attentat.

1 *Litis pendentia inter duos, an afficiat tertium, qui non fuit in lite.*
Inhibitio, non afficit alios quam litigantes.
2 *Tertius subrogatus, qui non fuit in lite, an agat remedio attentatorum, & nu.4.*
Tertium attentare, quomodo intelligatur.
3 *Iudex quando habeat iurisdictionem contra tertium.*
Prouisus lite pendente per Ordinarium, an attentet.

DECISIO LXXIV.

PEndente lite inter Io. Roderici, ex vna actorem, & Io. Cortez reum ex alia, super cātoria Hispalēsi, Io. Cortez reus obijt de anno 1522. Cardinalis S. Crucis, vigore regressus, de anno 1523. accepit possessionem. postea de anno 1536. Didacus Vasques obtinuit subrogari ad ius Io. Cortez, etiam quo ad possess. & ad prosequutionem litis in eo statu. &c. qui petijt possess. Cardinalis reuocari, tamquam attentatam, vt puta lite pendente. quæ lis sustinebatur in persona actoris, & ipsius Didaci subrogati gratiose. in quo etiam lis sustinebatur, per decisionem 1. Cassador. vt lit. penden. tamen Domini, die 10. Decembris 1543. me proponente, in vna Hispalensi cantoriæ, tenuerunt, quod talis possessio non esset attentata. quia litis pendentia inter duos nō
1 afficit † tertium qui non fuit in lite. iuxta text. in c. Romana. §. in aliū. de appellat. In 6. cum litis inhibitio non afficiat alios quā litigantes. Rot. decis. 2. vt lit. pendente. in antiquis. Item, idem probant decis. 10. vt lit. penden. in nouis. alias 411. circa finem. vers. si vero nō actor, sed quidam alius. &c. vbi decis. concludit, quod si tertius, qui non est in lite capit possessionem alter tertius
2 subrogatus † non potest agere attentatis, sed solū interdicto adipiscendę possess. Non obstat text. in d. c. Romana. §. in alium dum dicit tertius attentat. quia non per hoc dicit, quod via attentatorum possit reuocari. sed illa dictio stat pro, facit. quod patet. quia text. dicit, quod in tertium iudex non habet iurisdictionem cum tamen si vere attentasset ita ut esset comprehensus in lite,
3 index habuisset iurisdictionem contra † tertium, pro vt habet iurisdictionem contra impedientes tertios iurisdictionem. cap. 1. de offic. delegat. Non obstat, quod prouisus per Ordinariū lite pendente si capit possess. dicitur attentare. quia hoc procedit propter c. si hi, contra quos inficiens, nedum collationem, sed etiam possessionem; & omnia sequuta ex prouisione, lite pendēte facta Rot. decis. 17. de restit. spoliat. in antiquis. Hic autem eramus in titulo regressus, legitime concesso ante litem, & hoc modo respondetur ad decis. 1. & 2. vt lite pendente, in antiquioribus. Nec obstat, quod sicut pote-
4 rat agere attentatis actor † superstes, vt dicit dicta decis. 411. in fine. ita & etiam possit agere subrogatus gratiose in locū rei, cū subrogatus in hoc, videatur sapere natu ram eius in cuius locum subrogatur. quia respondebatur, quod actor superstes potest agere propter decretum cap. si hi contra quos, sed Didacus subrogatus quando apprehendit possess. Cardinalis non erat adhuc subrogatus, sed longe post, vnde factum legitime, non debebat per superuenientem subrogationem reuocari. Et hanc partem, quod tertius non attentet, qui non est in lite, videtur tenere glos. in cap. non solum. in glos. magna, in verbo reducendum. in prin. de appellat. in 6. dum dicit, quod si tertius, qui non est iudex, vel pars aliquid attētet, quod non reuocatur per viam attentati, sed iudicio ordinario per suum iudicem reuocatur. vt etiam dicit dicta decis. 411. in d. vers. si vero actor dum vult, quod non per viam attentati, sed interdicto adipiscendæ reuocatur.

SVMMARIVM.

Prærogatiuæ datæ officialibus, intelliguntur de, actu sua officia exercentibus.

1 *Qualitas apposita in antecedentibus, an & quando censeatur repetita in sequentibus.*
2 *Quid in beneficijs Principum. & num.6.*
3 *Priuilegium concessum officiali, an intelligatur concessum; actu officium exercenti.*
4 *Ex ratione vnica, licet non expressa, an sit licitum arguere.*
5 *Clausulæ, ratione absurdi, quando restringantur.*

DECISIO LXXV.

REgula Cancellariæ vult, quod Referendarii, Subdiaconi, Prothonotarii participantes, Clerici Cameræ Apostolicæ, Auditores Rotæ, Abbreuiatores de maiori, actu sua officia exercentes Scriptores Apostolici, omnibus aliis præferantur. * Dubitaui ego in vna Calciatensi dimidiæ portionis, die 10. Decembris 1543. An illa verba actu sua officia exercentes, non solum determinarent, & respicerent officiales præcedentes sed etiā Scriptores Apostolicos sequētes, ita vt scriptor Apost. à Romana Curia absens

* Idem punctus fuit resolutū in vna Leodien. S. Bartholomei, die 5. Februarij 1548. coram D. Ant. Aug.

absens non haberet illam prærogatiuam. Et pro parte negatiua, quod illa verba non respicerent scriptores Apostolicos, dicebatur, quod Papa non expressit. ad c. ad audientiam. & quod verba generaliter loquebantur, ergo generaliter intelligenda. Item dicebatur, quod si vera est ratio considerata per Staphil. in tract. de lit. grat. & inst. fol. 116. ex l. Titius. ff. de test. milit. cum similibus, quod non debeant gaudere regula, nisi qui exerceent officia, & laborant. certe illa qualitas quæ taeite inerat, secundum Staphil. si expressa sit in vna parte, non censebitur in alia repetita. ad not. per Imol. in l. Iulius Paulus. eum quo etiam conuenit Cuman. ff. de condict. & demonstr. quorum dicta sequi videtur Socin. in l. mulieri & Titio. col. 2. vers. ex quo infertur. ff. eodē tit. præsertim, quia secundum Bart. in d. l. Iu-
1 lius Paulus, qualitas † non censetur repetita quo ad personas, quando annectitur primæ personæ, & non sequenti. Item, quia secundum Bart. in l Seiæ. §. Caio. colum. fin. ff. de fun. instruct. cuius opin. esse comm. retulit Aret. cons. 1. col. 4. in fin. si qualitas nō cadit vniformiter, in personam sequentis sicut in personam præcedentis, tunc non censetur repetita. ad l. final. §. Seio. ff. de legat. 2. Modo in Abbreuiatoribus consideratur exercitium, cum debeant conuenire singulis tribus diebus, quod nō consideratur in Scriptoribus. Item, quia in beneficio Principis
2 non fit repetitio, † quando per talem relationem, restringitur dispositio. Alexan. consil. 48. visis & opportune. col. 3. vers. prætera quando sumus. vol. 1. Ias. in l. 1. col. fin. vers. quinto limita. C. de liber. præterit. Fel. in c. causam quę. col. 4. vers. limita sexto. de rescript. Istis tamen non obstantibus Domini tenuerunt contrarium. quoniam ista priuilegia, & prærogatiua, concessa officialibus, tantum videntur concessa ijs, qui actu
3 sua officia † exercent, vt per Fel. in c. per suas prope fin. de maiorit. & obed. & ponit Staphil. in d. tract. fol. 115. & 116. Et hoc ex pluribus concluditur. Primo de iure communi, per text. in l. Titius ff. de test. milit. Secundo propter rationem in proemio regulæ positam, ibi iuxta personarum conditiones, & merita moderantur habendo considerationem ad labores quos officiales exercentes sustinent. & ista ratio est vnica, &
4 expressa. † & ideo licitum est ex illa arguere etiam si non fuisset scripta. ad glos. in l. quamuis. C. de fideicommiss. Tertio propter verba sua officia exercentes. Non obstat, quod ex quo scriptores describuntur post verba exercentes, clausula præfata, refertur ad superiores, & non ad scriptores. nam ex præmissis multipliciter respondetur. quod ex quo constat de ratione regulæ respicientis officiales exercētes, nec est dare diuersitatis rationem, quare magis scriptores gaudere debeant non exercendo, quam alij officiales per regulam prærogatiuarum, ideo clausula de actu exercentibus, referri debet ad omnes. Accedit, nam scriptores sunt minus qualificati, quam alij nominati; ergo absurdū esset quod ipsi non exercentes gauderent, & alij non, & ad euitandū absurdū clausulæ referuntur ad omnia. sicut etiam restringun-
5 tur † si ex relatione resultaret absurditas ad not. per Bart. in l. talis scriptura. §. fin. de leg. 1. Et quare scriptores non sunt appositi ante verbum, sua officia. &c. est quia fuerunt additi antiquis regulis. Et isto casu potest conuenire glos. l. tale pactum. §. final. ff. de pact. videlicet, quod si Papa interrogatus fuisset. &c. Non obstat quod dicit, quod qua-
6 litas in beneficio † Principis, non censetur repetita. quia ex dictis per Staphil. propter rationis identitatem, sit repetitio de vna ad aliam, quia refertur ad omnes præcedentes. ergo eadem ratione debet referri, etiam ad sequentes. cum clausula facilius insinat in sequentes, quam in præcedentes. & ex ista identitate rationis tolluntur contraria.

SVMMARIVM.

Stantibus suspensione petitorij non admittuntur testes in possessorio ad discolorandum titulum.

DECISIO LXXVI.

FVit resolutum, die 19. Decemb. 1543. quod non admitterētur testes in possessorio ad discolorandum titulum, quando suspensum erat petitorium. quia in possessorio satis erat docere de primo extremo, & titulo colorato, qui dicitur quando erat habitus ab habente potestatem. Et licet pro parte aduersa replicaretur, quod illa potestas erat limitata ad dominium Venetorum, & quod ipse volebat probare, quod beneficium de quo agebatur, erat extra dominium, dicebant Domini, quod istud respiciebat petitorium. fuit resolutum in vna Concordiensi Capellaniæ, coram me. tribus ex quatuor in hoc conuenientibus.

SVMMARIVM.

Fama impedimenti quæ est tempore contractus matrimonij, attenditur, vt proles dicatur illegitima.

1 *In contractu matrimonij, quo tempore inspiciatur bona fides.*

2 *Fama primi matrimonij, quando præ-*
stet

sit impedimentum, etiam quoad legitimationem filiorum.

3 *Celebrans contra famam interdicti, an sit deponendus, & num.7.*

Scientia per famam, an sufficiat, quando agitur de graui praeiudicio, & num.6.

4 *Matrimonium verum, & putatiuum quo ad effectum legitimitatis, an & quando aequiparentur.*

5 *Negligentia post cōtractum matrimonium, an & quando toleretur.*

8 *Illegitimus, an quis sit iudicandus ex fama*

9 *Contrahens matrimonium cum impedimento famae, quando dicatur esse in mala fide.*

Ad probandum dolum, vel fraudem, an & quando sufficiat probatio praesumptiua.

10 *Probatio per famam licet non causat dolum an causet culpam.*

11 *Proles an sit legitima, si parentes scientes impedimentum contrahant in facie Ecclesiae.*

12 *Scientia praesumpta, an contra tertium sufficiat.*

13 *Proles quare sit illegitima ob contractu matrimonium contra mandata Ecclesiae.*

DECISIO LXXVII.

IN vna Toletana Matrimonij pro Aria Gundisaluo Comite de Pugno Rostro, coram D. Fabio 17. Decemb. 1543. in qua Io.Baptista, primo contraxerat matrimonium cum Ioanna Ortiz, de quo matrimonio Beatrix secunda vxor habuerat notitiā vt probabatur per testes. Sed dicebat Beatrix, quod Io.Baptista à primo matrimonio per sententiam erat liberatus. Sed replicabatur, quod sententia per sordes erat lata, vt probabatur, & quod de hoc in loco erat publica vox, & fama. Dubitatum fuit, an attenta illa publica voce, & fama quae erat tempore cōtractus matrimonij in loco, Beatrix esset malefidei in contrahendo, itant so boles nata esset illegitima. Et conclusum
1 fuit quod sic. † quia bona, vel mala fides inspicitur tempore contractus matrimonij ad text.in cap.fin. §.si quis vero de clādest. desponf. & in cap.ex tenore qui fil.sint legit. Et quod initium contractus matrimonij, quo ad bonam fidem vel malam inspiciatur ponit Bur. in cap. referente, qui filij sint legit. & ideo dicit Praepositus in c.final. col.penult. in princ.de clandest.desponsat. Doctores cōiter concludere, ꝙ fama pri-
2 mi matrimonij † in vicinia praestat instum impedimentum, & si contrahatur matrimonium sequens est nullum, etiam quo ad legitimitatem filiorum. Et idem Praepositus, in cap. veniens de eo qui dux. in matr. quam pol.per adult. in vers. ab extra dicit, quod mulier dicitur ignorare, quando nihil omnino sciuit secus si aliquid sciuit, etiam per famam. allegando. text. in cap. praeterea. 2. de sponsal. Quia, vt ibi dicit Abb. & DD. dicitur esse modicum praeiudicium abstinere à matrimonio tali. & cum propter famam, debuit abstinere & non abstinuerit dicitur cōtraxisse contra praesumptam sciētiam natam ex fama. & ideo esse in mala fide. Et tanto magis, cum filij, qui dicuntur illegitimi, non tractent de damno vitando, sed de lucro captando. vt dicit Praepositus in cap.perlatum.qui filii sint legit. Et ad ista facit text. cum glos. in cap. 1. de postulat.
3 praelat. Nam etsi ibi celebrans † contra famam interdicti, veniat deponendus, & sit ineligibilis; tamen quia abstinendo ab initio, erat modici praeiudicij sufficit scientia per famam. Non obstat, quod quando agitur de graui praeiudicio, non sufficit scientia per famam, vt concludunt DD. vbi Abb. in c.super eo.de consang. & affin. & in c. praeterea. 2. de sponsalib. & ideo vbi agitur de dissoluendo matrimonio non sufficit probare impedimentū per famam: quia respondebatur, quod hic non agebatur de dissoluendo matrimoniū, cum illud esset per primum iam dissolutum, sed tantum agebatur, quod stante fama de impedimento tempore secundi matrimonii cōtracti Beatrix esset in mala fide contrahēdo contra praesumptam scientiam, ex dicta fama resultantē. Non obstat secundo, quod matrimonium
4 verum, † & putatiuum quo ad effectum legitimitatis aequiparentur. c. ex tenore qui fil. sint legit. & Praeposit. in cap. quod nobis. col. 3. vers. 2. qui fil. sint legit. ad dissoluendū verum matrimonium non sufficit fama, ergo nec ad dissoluendum putatiuum. Quia respondetur, quod putatiuum tunc habet effectum veri, quando bona fide est contractum, vt dicitur in dictis iuribus, & istud nunc inquiritur, an bona vel mala fide sit contractum, & in hoc attenditur initium contractus, & tunc temporis extaret fama videtur contractum contra scientiam praesumptam ex fama orta, & ideo cum mala fide. Nec obstat, quod dicit Innoc. in c. fin. num. 3. de clandest. desponf. & ibi sequun-
5 tur Ostien. Io. And. & But. quod † negligentia post contractum matrimonium tolleratur. ita ergo in casu nostro dicamus. Quia respondebatur quod Innoc. loquitur de negligentia circa publicationem matrimonii in loco faciendam. secus autem est de negligentia circa inquisitionem impedimenti quando de illo ab initio constitit. quia talis negligētia non tolleratur, prout expresse dicit ibidem Innoc. num. 4. Non obstat, quod vbi agitur de graui praeiudicio fama
6 non † probet, & ex fama non praesumatur scientia Bal. in c.cum contingat. & ibi Barbat. num. 15. & Fel. col. 2. de rescript. Abb. in c. 1.

in c.1.col.4.& ibi Barbat.nu.74. de postul.
prælat.& Dec.ibi col.5. in princ. & idem
Rota.de dolo & contumaa.21. in antiquis.
Fel.in d.c.cum contingat.col.6.& in c.quo-
niam freqnenter.§.porro.col.5.vt lit.non
contest. Cum igitur hic agatur de illigiti-
mitate, & infamia filij,& sic statu hominis,
& magno Comitatu, ergo ex fama non præ-
sumetur scientia, nec in isto casu probabit.
Quia respondebatur, quod attento initio,
agitur de modico præiudicio. nam stante
fama impedimenti, facile erat à matrimo-
nio tali abstinere. & ideo fama probat. &
licet agatur de illigitimitate & infamia,
ista veniunt in quādam consequentiam. si-
cut erat in c.1.de postulat. prælat. Nā ibi,
7 stante fama † interdicti, si Episcopus cele-
brat, incurrebat irregularitatem, & efficie-
batur ineligibilis.& ista sunt grauia,quæ nō
considerantur. attento quod ab initio,stan-
te fama interdicti, facile erat abstinere. &
idem habetur in c.illud. de cler. excōm.mi-
nistran. Et ex hoc tollitur aliud argumen-
tum,quod hic agebatur principaliter super
illegitimitate, cum super hoc causa ex-
presse esset commissa. sed ex sola fama non
8 potest quis † illegitimus iudicari,immo nec
ex fama cū vno teste.vt per Bald.in l.in bo-
næ fidei.C.si cert.pet.Ias.in repet. l. admo-
monendi. & Dec.in c. veniens.col.5. de te-
stib.& in c. si pro debilitate.de off.delegat.
Quia respondebatur, considerandum esse
quod ex fama isto non iudicabatur illegiti-
mus. sed cum probaretur plene secundum
matrimonium contractum fore, stante pri-
mo valido,& quod illud secundum,fuit etiā
contractum stante fama, quod sententia
absolutoria.per sordes esset lata,dicebatur,
quod istud impedimentum,plene probaba-
tur. & probato impedimento famæ, succe-
9 dit dispositio iuris, quod † contrahens,stan
te impedimento famæ, quia non fuit dili-
gens in inquirendo veritatem, dicitur cum
mala fide contrahere, & illa mala fides fa-
cit, quod proles dicitur illegitima. Non
obstat etiam dum dicebatur, quod ad pro-
bandum dolum vel fraudē, non sufficit pro-
batio præsumptiua. gloss.in l.2.§.1.ff. de
minor. Bald. in l.1.C. qui & aduersus quos
Aret.in l.1.col.4.ver.secunda quæstio & ibi
Soc.col.5.ver.circ.septimū.&c. ff.si cer.pet.
Ergo probatio per famam non erit potens
ad probandum malam fidem, & sic causare
illegitimitatem in filio. Ad istud responde-
tur, quod licet probatio per famam, non
10 causet dolum, † tamen causat culpam.ita
Aret.in l.cum quidam.§. quod dicitur col.
pen.vers.vnde potest probabiliter dubitari.
ff.de acquir. hæred. Et ideo cum sciens im-
pedimentum per famam, non curet inuesti-
gare est in culpa, faciendo contra præsum-
ptam scientiam. nimirum si iura volunt,
quod contrahēdo dicatur esse in mala fide.
& ideo matrimonium non tenet, comperta
veritate, etiam quo ad legitimitatem filio-
rum, quæ est sequela matrimonij. Non
obstat, quod si est aliud impedimentum
quam consanguinitatis, quod si parentes
11 contrahunt † in facie Ecclesiæ, etiam scien
tes impedimentum,quod nihilominus pro-
les est legitima. vt voluerunt Vincent. &
Gofred. quos refert Collect. in c.ex tenore.
qui fil.sint legit.quia contrarium est verius.
prout refert ibidem Præposit. & etiam ibi
hoc sequitur Abb. Nō obstat,quod vbi sciē-
tia adducitur contra tertium in eius præiu-
12 dicium, † debet vere & non præsumptiue
probari. vt colligitur ex decis. Neapolit.
290.& n.6.late Alciat.in tract.de præsumpt.
reg.3.præsumpt.31. & præsumpt.2. Quia
respondetur, quod non est verum quod fi-
lius sit tertius. sed cum procedat à radice
13 infecta punitur,in illegitimatione † prolis,
propter contemptum mandati Ecclesiæ. vt
dicit Præposit.in c.ex tenore.col.2. circ.fin.
qui fil.sint legit.

S V M M A R I V M.

Notarij Auditoris primo defuncti, debent
scribere coram Auditore primo
admisso.

DECISIO LXXVIII.

SEptima Ianuarij 1544. fuit di-
ctū, * quod licet D. Peregrinus
Fabius, esset deputatus ad locum
bon.mem.Marci Antonij,qui deces-
serat post Syluestrum Darium; ta-
men quod notarij Syluestri, debe-
bant scribere coram ipso D.Peregri-
no. per Bullā Sixti, quæ vuult, quod
notarij Auditoris primo defuncti, debent
scribere corā Auditore,qui primo admitte-
retur. Licet ego,& D.Io.Paulus diceremus,q
Bulla locum haberet, nisi Papa specialiter
deputasset D. Peregrinum ad locum Marci
Antonii; tamen,quia D. Aquensis, & Mohe-
danus dixerunt, quod alias idem casus eue-
nerat, videlicet tempore Aragoniæ,& Syl-
uestri, & ita fuerat decisum, fuimus nos
eandem decisionem sequuti.

* Idem fuit seruatū 9. Martij 1551. in notarijs,Mohed. & Nouati. vt notarij Mohedani primo defuncti, fuerint notarij D. Pauli Aemilij Veralli. quamuis idem Verallus haberet mandatum, vt admitteretur in locum Nouati.

S V M M A R I V M.

Confessio procuratoris cedentis, non po-
test reuocari in secunda instantia, per
cessionarium, nisi docto de errore.

1 *Confessio cedentis,quando obstet cessionario.*
Confessio procuratoris, quando possit reuo-
cari

cari in secunda instantia.
2 *Ius declarandi non transit in successorem.*
3 *Confessio principalis, quando possit reuocari per hæredem,*

DECISIO LXXIX.

EAdem die septima Ianuarii, in vna Astoricensi de Confortas corã me, fuit resolutum, quod cessionarius non posset reuocare confessionem procuratoris cedentis, quæ confessio non fuerat reuocata per ce-
1 dentem. quia confessio cedentis † ante confessionẽ factã, obstat cessionario. l. facta. §. si hæres, vbi Paul. de Castr. ff. ad Trebell. Non obstat, quod confessio procuratoris possit reuocari in secunda instãtia, etiam post sententiam. decis. 2. de confess. in nouis. quia dicebatur, quod illud erat per dominum principalem. sed hic eramus in cessionario & ex quo cedens passus erat ferri primam sententiam, & sententia fundabatur in confessione per procuratorem suum emanata, & non fuerat per eum reuocata. Dicebatur, quod cessionarius post cessionem non
2 poterat illã reuocare: quia ius † declarãdi non transit in successorem. l. Pomponius scribit si frumentum. de rei vend. maxime quia ideo decis. 60. * in nouis. vult, quod principalis possit reuocare confessionem sui procuratoris, propter malam informationem, quam procuratores de curia à suis habent. Ista ratio, cessabat isto casu, quando confessio erat facta in partibus per procuratorem; maxime, stante quod sententia, super illa confessione erat fundata. & præsumptio erat, quod dominus habuisset de ea notitiam. & ex quo non fuerat per eum reuocata, minus poterat reuocari per cessionarium. Non obstat, quod Bald. in l. er-
3 ror. C. de iur. & fact. ign. dicat, quod † confessio principalis possit per hæredem reuocari. per text. in l. non idcirco. C. de iur. & fact. ign. quia lex non idcirco loquitur in verbis enũciatiuis. & docto de errore. ita illam legem intelligunt Alberic. Odofred. & Bald. ibidem.

* Aliàs de confess.

SVMMARIVM.

Simonia conuentionalis in vno beneficio contracta, reddit inhabilem ad aliud beneficium.

1 *Episcopus, an & quando dispenset cum simoniaco.*
2 *Simonia, an & quando committatur promittendo, sicut donando.*

DECISIO LXXX.

IN vna S. Andreæ * canonicatus, & præb. die 11. Ianuarii 1543. proposui dubiũ, præsupposito quod Georgius commisisset simoniam conuentionalẽ An ex hoc esset incapax ad aliud beneficium. & fuit resolutum quod sic. quia ita tenet Milis in repertorio suo, in verbo, Simoniacus. in beneficio simoniace receptus, inhabilis est ad aliud. post Anton. in c. pen. col. 2. vers. ad secun-
1 dũ. dũ dicit, † quod Episcopus dispẽsabit vt aliud obtineat. & sic, sentit quod absque dispensatione non possit tenere. de electiõ. & ibidem Io. And. post Compostell. dum dicit, quod Episcopus dispensat cum simoniaco, vt in alia Ecclesia beneficium obtineat. & sic absq. dispensatione obtinere nõ posset. Et quod isti DD. non faciunt differentiam inter simoniacum
2 conuentionalẽ, & realem, immo ita † committatur promittendo, sicut donando. c. fin. de simon. fuit dictum, quod dictum Doctor. erat intelligendum in omni simoniaco. Non obstat, quod Cassador. decis. 5. de constitut. faciat differentiam inter simoniam conuentionalem, & realem. quia illud procedit quo ad pœnam priuationis. de qua in extrauag. Pauli. Et ideo nisi daretur etiam differentia inter vtramque simoniam, in casu nostro dicebatur, quod tenenda erat decisio DD. in d. c. pen.

* Idem fuit resolutum in vna Toletana Thesauraria, corã D. Peregrino, die 13. Iunij 1548. & fuit allegatus ita tenere Fel. in c. 2. in princ. 3 col. de rescript. dũ dicit, quod collatio facta in regulari, & similibus, non tenet. & sic in crimmnoso enormi collatio non tenet. & ibi Fel. respõdet ad dictũ Innoc. in c. cũ nostris. de concess. præben. Ad idem fuit allegatus Lãbertinus in tract. de iure patronat. fol. 341. col. 4. ver. & quia simonia.

SVMMARIVM.

Eo ipso, quod quis declarat locum esse regressui, non soluens pensionem, dicitur iure priuatus, etiam quod à sententia declaratoria appellet.

DECISIO LXXXI.

DEcima octaua Ianuarii 1544. fuit dictum in vna Calaguritana præstimonii de Palatio, coram me pendente, quod Gundisaluus Martini, qui habebat regresũ ad dictum præstimonium, ob non solutionẽ pensionis per Episcopum Calaguritanum, tunc obtinentem dictum præstimonium, quod si verum esset, quod locus esset regressui, quia Episcopus non soluerat ex quo Gundisaluus declarauerat voluntatem suã agendo ad præstimonium, cum literæ dicãt, quod lapsis sex mensibus, eo ipso priuatus existas, quod statim declarata voluntate per Gundisalnũ, Episcopus in præstimonio nullum ius habebat. dato, & quod senten-

tia

tia declaratoria esset lata in fauorem Gundisalui pro priuatione, & ab illa sententia pro parte Episcopi esset appellatum, quod illa sententia appellationis, nō suspendebat effectum sententiæ declaratoriæ, quo ad hoc vt non intelligeretur interim abdicatū ius ab Episcopo. immo quod si Episcopus mortuus erat pendente secunda sententia, quod ius non vacabat ex persona Episcopi. quia statim quod Gundisaluus declarauerat velle locū esse regressui, & ita in veritate erat quod erat locus, quod statim ius ab Episcopo erat abdicatum, & Gundisaluo quæsitū. Item fuit dictum, quod Gundisaluus qui cesserat iuri, liti, & causæ, in fauorem Episcopi, quod si illud ius non erat quæsitum Episcopo, dato quod esset abdicatum à Gundisaluo, tamen per prouisionem per obitum factam in fauorem Ferdinandi, per illam clausulam, siue per resignationem corā notario, & testibus, &c. talis prouisio nō caperet illā resignationē Gundisalui corā notario factā. quia, ex quo erat facta in fauorē certæ personæ, puta Episcopi, si illa persona certa illud ius non capiebat, non erat abdicatum à Gundisaluo. per doctrinā Abb. in c. cum pridem. in fine de pact. *

* Fuit dictū in ista Calaguritana, quod daretur dubium, an paruadara & consensus Gundisalui, perficerent resignationē absque signatura Papæ.

SVMMARIVM.

Licet propter necessitatem aliquid capere liceat, tamen tenetur postea ad precium.

1 *Furari an liceat propter necessitatem. Necessitatis tempore an omnia sint communia, & quomodo.*
2 *Princeps quomodo possit rem priuati tollere ex causa publica.*
3 *Ob incendium, an vicinus possit destruere domum vicinam.*

DECISIO LXXXII.

EAdem die, proposui in vna Rhodien. Linorum, & Coriorum, stante publica voce, & fama de aduentu Turcarum Rhodum, An licuerit Religioni capere lina, & coria Dominici de Furnarijs, itaut Religio, non teneatur ad illa deperdita in expugnatione Rhodi. Et fuit resolutum, quod licet Religio, propter imminentem necessitatem
1 potuisset illa capere † quia propter necessitatem licitum est furari. c. si quis. de furt. & cap. discipulos de consecrat. distinct. 5. & quia tempore necessitatis omnia sunt communia ad Bald. in l. 2. §. cum in eadem. ff. ad l. Rhod. de iact. & ibi glos. ad litteram m. & glos. in cap. 3. vbi Abbas num. 3. de furt. Tamen quia Religio tunc temporis vel ex post, potuit pretium soluere, quod tenebatur ad precium. per ea quæ dicit Abb. in d. c. si quis de furt. num. 5. vers. ex prędictis. vbi licet tempore famis sit licitum furari, tamen si postea deuenit ad pinguiorem fortunam, tenetur soluere precium rei furatæ, & faciunt quæ dicunt Felin. & Decius in cap. quæ in ecclesiarum. de constitut. quod
2 si Princeps potest rem priuati, † ex causa publica capere, tenetur tamen ad precium. Nō obstat text. in l. 3. §. quod ait prætor. ff. de incend. ruin. naufrag. vbi orto incendio
3 vicinus † remotus potest destruere domum vicini proximioris si timet quod incendiū ad domum suam deueniat, & tamen non tenetur de dolo, nec etiam actione legis Aquiliæ. & est text. in l. si quis fumo. §. 1. ff. ad l. Aquil. ita etiam esset dicendum in casu nostro. Quia respondebatur, quod in dictis legibus cessat actio de dolo, & actio pęnalis. sed ibi non dicitur, quod non detur actio ad preciū rei. Et casu quo ibi probaretur, quod nec etiam daretur actio ad precium rei, tūc erit dicendum, quod cum illud non sit licitum facere, nisi magna vi cogente, & quasi quando certum est quod etiam illa domus vicini comburi debebat. ideo cum omnino vicinus, ex domo combusta nullam vtilitatē percepturus erat, ita si per vicinum destruatur etiam, nec precium consequi debet.

SVMMARIVM.

Procurator qui nihil fecit, an possit præstare consensum post mortem principalis, quando principalis in uita porrexit supplicationem.

DECISIO LXXXIII.

IN vna Abulensi pensionis, corā D. Vorstio in qua principalis porrexerat supplicationem ad signandum, & postea constituerat procuratorem ad præstandum consensum, procurator qui nil egerat mortuo principali consensit. Fuit dubitatum, die 18. Ianuarij 1544. An talis consensus esset validus. D. Io. Paulus, & ego. dicebamus quod non. quia mandatum morte mādantis, re integra extinguitur, & verum erat dicere, quod respectu procuratoris erat res integra. Alij vero Domini Mohedanus, & Fabius cum quibus sentiebat ipse Ponens, dicebant, quod etiā isto casu militabant decisiones Cassador. 1. & 2. de renunc. quia si quādo procurator, quādo porrexit in vita post mortem potest consentire, ita quando principalis porrexit. cui replicabamus, vt supra. Tamē quia Aduocatus dicebat, quod etiam Alexandrina isto casu loquebatur, diximus quia Alexandrinam non videramus. quod si ita esset, ꝙ nos eramus cum votis aliorū.

SVM-

SVMMMARIVM.

Diuisio patris inter filios habet vim vltimæ voluntatis.

1 *Donatio an præsumatur filio possidente rem longo tempore, sciente patre.*

DECISIO LXXXIV.

IN vna Romana, seu Venetiarum, coram D.Aquensi, die 18.Iannarij 1544. fuit resolutum, quod diuisio patris inter filios, haberet vim vltimæ voluntatis, & non donationis inter viuos. per ea quæ dicit Abb. con sil.66. col.final. circa medium. vers.nec obstat.&c. vol.2. Ripa in primo responso, in 2.lib. col. 9. vers. nam illa diuisio; est text. cum glos. vbi Salicet. & Paul.de Castr. in l. quotiens. C.famil.her. & text. in l. si filia nupta. §.si pater. ff. fam. hær. Non obstat quod dicit Ias. in l. qui in aliena. in princ. in final. col. ff. de acqnir. hæred. & Dec. in l.si donatione. col.8. vers. tertio limita. C.
1 de collat. quod † si filius possedit aliquam rem longo tempore patre sciente, & patiente, quod præsumitur donatio. quia respondetur, quod procedit vbi non constat de alio titulo præcedenti. sed hic constat de titulo diuisionis. ergo. &c.

Causa, prima Februarij eiusdem anni iterum posita quatuor votantes fuerunt inter se diuisi. Nam duo dicebant, quod verum est quod simpliciter loquẽdo, diuisio patris inter filios habet vim vltimæ voluntatis. Sed quia hic erant aliquæ coniecturæ, quod pater simpliciter noluerat actum vltimæ voluntatis, sed donationis facere, puta quia filij longo tempore fuerunt in possessione puta spatio sexdecim annorum percipiendo fructus vt domini, & in vtilitatem eorum conuertendo, ideo ex hoc præsumebatur donatio. quia si fuisset vltima voluntas, nõ fecissent interim fructus suos. Item quia dixit in actu vltimo, de le cose di Roma, & Nola, nihil dico: quia alias dispofui, ne diceremus quod voluerit, cum duabus vltimis voluntatibus decedere.

SVMMARIVM.

Scriptores Apostolici licet sint veri familiares, tamen non gaudent prærogatiuis descriptorum, ante publicationem Bullæ descriptorum.

DECISIO LXXXV.

DIe Mercurij 23.Ianuar.1544. fuit reso lutũ in vna Caleiatensi dimidiæ portionis, coram me, quod licet Scriptores Apostolici sint per regulam Pauli Tertij, sub die 22. Decembris 1534. veri familiares continui commensales Papæ, non ficte, nec per priuilegium, sed veri. Tamen quod hoc non obstante, essent descripti in rotulo familiarium per priuilegium, & ideo eis obstaret regula eiusdem Pauli, publicata 22. Augusti 1536. disponens quod nulli expectanti Apostolico, suffragentur priuilegia, & prærogatiuæ, etiam ratione Collegij competentibus, donec bulla descriptorum publicaretur. &c. quia licet Scriptores Apostolici sint in rotulo descripti, & Bulla descriptorum dicat, quod Papa concedit infrascriptis familiaribus, priuilegia & prærogatiuas, quæ à tempore datæ præsentium etiam ante publicationem suffragentur. & sic, cum Scriptores Apostolici sint descripti inter infrascriptos familiares, & per consequens deberent gaudere priuilegiis à data bullæ, prout & alii familiares. tamen dicebatur, quod illa descriptio non erat ratione familiaritatis, & ex eo quod ipsi essent familiares veri Papæ, patet. quia in dicta regula, quæ facit eosdem Scriptores, veros familiares, sunt plures alii officiales. puta Auditores, Referẽdarii, Protonotarii, Milites S.Petri, & alii quamplures, & tamen isti non sunt descripti, ergo Scriptores non describuntur ratione familiaritatis, sed ratione priuilegii. Item, Papa habet multos familiares veros qui non sunt descripti, vt patet in familiaribus post assumptionem qui non sunt descripti, sed sunt alias prærogatiuati, vt patet in regula, mare magnum appellata. ergo familiaritas non facit quod scriptores sint descripti, sed priuilegium Papæ, quo casu obstat regula, quod nulli expectanti Apostolico. &c. Bulla ergo descriptorum inquantum vult, quod prærogatiuæ datæ infrascriptis familiaribus suffragentur à data præsentium, intelligenda est de familiaribus antiquis, & ante assumptionem veris; non autem de descriptis per priuilegium. propter dictam regulam, quod nulli expectanti Apostolico. &c.

SVMMARIVM.

Annus, de quo in regula de annali, à quo tempore currere incipiat.

1 *Litis pendentia, ex quali notitia inducta.*
2 *Citatio non exequuta, quando pro exequuta haberi debeat.*

DECISIO LXXXVI.

IN vna Valentina Parochialium, coram D.Io.Paulo fuit resolutum 23. Ianuarii 1544. quod annus, de quo in regula de annali ad finiendam causam inciperet currere à

& Paul. de Castr. in l. 3. C. vt lite pend.

curatore cedendo iuri liti, & causæ. & Episcopus promittebat soluere pẽsiones decursas, & pro decurrendis, promiserat dare cautionem banchariam. & super supplicatione tantum erat capta data parua, & præstitus consensus, & posita in manibus Io. de Anguiano. & præsupponebatur quod pro parte Episcopi erant omnia adimpleta. Dubitaui, ego ex quo Episcopus decessit antequã supplicatio esset signata, An data parua, & consensus Gundisalui, perfecissent resignationẽ, absque signatura Papę, itaut per obitum Episcopi, diceretur ius ex persona eius vacare. & die 4. Februarij 1544. fuit resolutum, quod non esset perfecta ex iis resigna-
1 tio. quia signatura Papæ † perficit resignationem. Cassad. decis. 1. & 2. de renunc. Gomes. super regula de infirm. resig. 18. quæst. Rota in antiq. 882. * & per moder. in rub. de constitut. Vnde, cum resignatio non esset per Papam in fauorem Episcopi admissa, nõ poterat dici ius ex persona Episcopi vacare & quia resignatio erat in fauorem Episcopi si Episcopi ius non erat quæsitum, per consequens nec a Gundisaluo abdicatum. Non
2 obstat, quod Signatura † retrotrahitur ad tempus datæ. quia istud esset verum si supplicatio reperiretur signata, quia præsumeretur tempore datæ signata, & non admitteretur, probatio in contrarium. Sed quia constat quod tempore obitus, supplicatio non erat signata, non poterat dici quod ius Episcopo esset quæsitum, & sic non poterat per eius obitum vacare.

* alias 87. de rescript.

SVMMARIVM.

Stante publica voce & fama impedimenti, publicitas matrimonij non excusat contrahentem à mala fide.

1 *Publicitas matrimonij, quando non excuset à mala fide.*
2 *Ignorantia affinitatis in publice contrahente matrimonium, quando præsumatur.*

DECISIO XCV.

IN causa Toletana pro Comite de Pugno Rostro, contra Beatricem. 4. Febr. 1544. fuit resolutum, coram D. Fabio, quod stante fama publica de collusione sententiæ, ꝙ
1 publicitas † matrimonij non excusaret Beatricem à mala fide. vt per Innoc. in c. fin. vers. sed quid si publice. &c. & ibi Io. And. col. pen. & Pet. de Anch. col. pen. vers. tertio principaliter quæro. & ibidem Præpposit. colum. 6. in fine. cum sequen. de clandest. despons. & Decius cons. 154. Nõ obstat consil. Ias. 156. vol. 4. dum vult, prẽsumptionem scientiæ affinitatis inter cõiunctos, tolli per publicitatem. & quod præsumitur ignoran-
2 tia affinitatis in publice † contrahente, & idem videtur dicere Dec. in cons. 166. Ego Philippus Decius. ita etiam esset dicendum in casu nostro, vt quia matrimonium publice esset contractum, tolleretur illa præsumptio quæ ex fama oriebatur. Quia respondebatur ex mente Innoc. in d. c. fin. in d. vers. sed quid si publice. vbi dicit, quod publicitas bene operatur respectu consanguinitatis, sed non operabatur respectu aliorum impedimentorum. Et ex quo nunc eramus in impedimento prouenięnte ex fama publica in quo habebamus claras doctrinas, dicta consilia non faciebant ad propositum.

SVMMARIVM.

Excommunicatio licet sit nulla, potest tamen peti absolutio ad cautelam.

DECISIO XCVI.

OCtaua Februarij 1544. in vna Toletana pensionis, coram D. Mohedano. fuit dictum, quod licet excommunicatio sit nulla, potest excommunicatus petere absolutionem ad cautelam. vt dicit decis. 436. in fin. * in nou. quia ꝙ dicatur de nullitate est in fauorem excommunicati & ideo, si excommunicatus non vult dicere de nullitate, sed petere absolutionem ad cautelam potest, maxime cum per hoc non fateatur se excommunicatum. ad DD. in l. decem. ff. de verb. obligat. Et talis absolutio, per iudicem ex officio dari potest. cap. cum contingat. de offic. deleg. vbi Ostien. & DD.

* alias 9. de sententia excõ.

SVMMARIVM.

Reseruatio pensionis super fructibus beneficij super quo erat regressus non facta mentione de eo, an sit ab initio nulla, vel veniat annullanda.

1 *Signaturæ vsus, an attendendus.*
2 *De iure ad rem, an debeat fieri mentio.*
3 *Subreptio prima, an sanetur ex actu superueniente.*
4 *Subreptio non inducitur, nisi in casibus à iure expressis.*
Subreptio, an & quando inducatur à pendentibus à futuro euentu.

DECISIO XCVII.

EPiscopus Balneoregiensis, Solis nuncupatus, resignauerat canonicatũ & prębendã Ecclesiæ Toletanę in fauorẽ Ioannis de Lerma, reseruatis sibi valide infrascriptis.

& non alias. &c. & Ioannes consenserat reseruationi pensionis centum ducatorum super fructibus parochialis de Lorehe, quã obtinebat. Sed ad dictam parochialem habebat regressum Cardinalis S. Crucis. Dubitaui ego bis, videlicet 4. & 8. Febr. 1544. in vna Toletana pensionis, An talis reseruatio pensionis, stante regressu Cardinalis, esset valida itaut resignatio canonicatus teneret. Et pro parte Episcopi, quod resignatio non teneret dicebatur, quod reseruatio pensionis erat subreptitia, ex quo non fecerat mentionem de regressu. ergo nulla. ad not. in cap. super litteris. cum alijs. de rescript. Et maxime arguebatur ista subreptio
1 ex communi vsu Signaturæ † qui attendendus est. ad Felin. in c. super litteris. col. 5. vers. exprimenda sunt. de rescript. nam Signatura numquam concederet pensionem & regressum, grauando successores sine corũ consensu expresso, quando successores habe
2 rent regressum. & non est dubium quod † de iure ad rem, debet fieri mentio. Felin. in c. in nostra. col. 4. vers. de iure ad rem, & vers. limita tamen prædicta. &c. de rescript. sicut de electione, & præsentatione. ad decis. 17. licet de more. de præben. in nouis. Non obstat quod Cardinalis habens regressum, post biduum consenserit huiusmodi reseruationi, & non opposuerit vnquam, nec hodie defunctus opponere non possit, quia subre-
3 ptio prima, † non sanatur ex actu superueniente. ad not. per glos. & Innoc. in c. cum olim, & ibi per Abb. colum. antepenult. de re iudic. & facit cap. si eo tempore. de rescript. in 6. Et quando pensio non esset nulla, satis erat quod posset annullari, itaut non diceretur esse satisfactum menti Episcopi resignantis, volentis quod pensio transiret ad successores valide, & tamen, saltem quo ad successores, non erat valide reseruata, quia eis nolentibus beneficium grauari non poterat. Tamen istis non obstan. tib. Domini inclinarunt dicta die 8. in contrariam partem, videlicet quod reseruatio pensionis stante regressu, ab initio esset valida, annullanda in euentum accessus, & fuit dictum quod hoc expresse tenebat Hieronymus Gigas in tractat. de pension. quæst. 79. vbi ad propositum multum allegat. Non obstat id quod dicitur de subreptione. quia non in-
4 ducitur † subreptio, nisi in casibus à iure expressis ad glos. in elem. 1. de præben. Felin. in cap. in nostra. in 3. coroll. de rescript. Et cum resolutio pensionis pendeat ab incerto futuro euentu: & futura habentia se ad esse, & non esse, non induceunt subreptionem, secundum Felin. in cap. in nostra in 7. Coroll. de rescript. Facit quod dicit Sarnen. in regula de infirm. & Cassador. decis. 16. de præben. Et ex hoc respondebatur ad id, quod dicebatur de successore. quod quo ad eum non erat valida, quia dicebatur, quod id incertum erat propter dubium mortis. Item an habens regressum vellet locum esse ipsi regressui. Tamen ista decisio, non fuit pro tunc firmata, sed fuit dictum, vt iterum informaretur.

SVMMARIVM.

Licet coadiutoria expiret non tamen expirat pars prouisiua in ea contenta.

1 *Gratia secunda non dependens à prima, an expiret expirata prima.*

DECISIO XCVIII.

IN vna Toletana Archipresbyteratus de Madrid, coram D. Io. Paulo, die 8. Februarij 1544. in qua erat coadiutoria, & Papa in ea dicebat, quod coadiutoria valeret, etiam si coadiutus non indigeret coadiutoria, nec litteræ coadiutoriæ intimatæ forent. postea dabatur coadiutori successio. Dubitatum fuit, An ex quo coadiutoria nõ valuit, & non fuit sortita effectum, ex eo quod coadiutus obijt antequam coadiutor de coadiutoria fuisset certificatus, an itarueret etiam illa successio, & sic pars prouisiua coadiutoris. Et pro parte affirmatiua dicebatur, quod ex quo illa successio venit accessorie, deficiente principali, & omnia accessoria. Fuit tamen resolutum contrarium, quia erant due gratiæ, vna in fauorem coadiuti, & illa erat extincta per obitum ipsius. altera in fauorem coadiutoris. & cum ista esset æque principalis maxime in casu isto in quo dicebatur, etiamsi coadiutore
1 non indigeret. &c. quod ista † secunda gratia, non dependens à prima, non expiraret.

SVMMARIVM.

Non est satisfactum regulę de annali dicendo per plures annos possedit, quando possessor fuit decennalis.

1 *Dictio, plures, in quot verificetur.*

DECISIO XCIX.

IN vna Barchinonensi canonicatus, die 8. Febr. 1544. fuit dictũ quod nõ erat satisfactũ * regulæ de annali ille qui impetrauit beneficiũ possessum per decennium, dicendo in impetratione quam obtinuerat per priuationem, quod priuatus per plures annos possederat. quia cum regula dicat, quod debet exprimere quot an-
1 nis possedit, † & dictio, plures, verificetur in duo-

* In ista etiam causa fuit dictũ, quod annalis possessoram te impetrationem gauderet regula de annali. vt per Sarnen. quæst 42. in fin. in regula de annali, quia verba regulæ istã casum comprehendunt.

in duobus annis. vt per Bart. in l.si gemina ff. arbor. furt. cęsar. non erat satisfactum regulæ, quia Papa difficilius concessisset. Fuit posita causa iterum 11. Februarij, & idem resolutum. nam licet verbum, plures possit verificari in pluribus, vsque ad centum. vt per Alberic. in dictionario, in verbo plura. tamen, quia etiam verba poterãt verificari in duobus, Papa ex tali incertitudine non poterat certificari. & verba, contra proferentem erant capienda. & ad propositum videatur Alex. in l. sæpe. col. 2. de re iudic. vbi tractat de istis dictionibus.

SVMMARIVM.

Consensus quando requiritur, quando sufficiat tacitus.

1 *In mandato, expresso vno casu requirente speciale mandatum, an sub verbis generalibus veniant alij casus requirentes speciale mentionem.*

2 *Acceptans ius, an dicatur acceptare cum omnibus conditionibus appositis.*

3 *Consensus requisitus, ex quibus oriatur.*
Consensus quando intelligatur de formali.

4 *Adimplementum per æquipollens, quando in formalibus requiratur.*
Consensus, ex patientia, & diuturnitate quando elicitus.

DECISIO C.

VNdecima Februarij 1544. fuit resolutum in causa Hispalensi Cantoriæ, corã me, quod non solũ mandatũ Ioannis de Tauera, esset sufficiens ad consentiendum reseruationi pensionis, sed etiam ad cõsentiendum regressui. ex quo procurator habebat mandatum ad renunciandum simpliciter, vel pro quacumque recompensa. & ex-
2 presso † vno casu requirente mandatum speciale, vt est casus renunciationis. secundum Franc. in c. qui ad agendum in 32. casu. de procurator. in 6. venit sub verbis generalibus omnis alius casus, etiã requirens specialem mentionem. vt per eumdem in 29. casu. cum in mandato esset dictũ, quod posset omnia alia, quæ poterat, ac si præsens esset principalis, & omnia alia quæ exigerent magis speciale mandatum. &c. & hoc stante, dato quod expresse non consensisset regressui, tamen acceptando ius Cardinalis cedentis, qui in eadem supplicatione, & in cedula non intendebat resignare, nisi reseruato regressu, tacite videbatur consentire. iuxta ea quę dicit Ias. in l. contra iuris. §. final. ff. de pact. quod ille, qui acceptat ali-
2 quod ius, videtur † acceptare cum omnibus conditionibus, & qualitatibus in illo iure appositis. Non obstat quod priuilegiũ Cleri Hispaniarum reuocaret regressus sine consensu, & debebat intelligi de expresso non autẽ tacito. * ad not. per Bal. in l. 2. §. voluntate. ff. solut. matr. Vnde cum ex illa acceptatione resultaret tacitus consensus non poterat, nisi dici quod esset regressus reuocatus. quia respondebatur q̃ notata in d. §. voluntate. procedebant respectu consensus ex sola patientia, & taciturnitate prouenientis. prout Alex. & omnes in d. §. volũtate, notant. non autem de consensu, qui facto, & per actum positiuum declaratur. Gemin. in c. fin. §. fin. in princ. & ibi Franc. col. 1. vers. secundo tene menti. de iudic. in 6. ibi nisi appareant indicia consensus, vt quia pater duceret Aduocatos, vel instrueret causam. * Et notata in §. volũtate, procedunt in consensu voluntario, quem quis non tenebatur præstare. secus tamen est in necessario
3 prout † est in cessione, & prouisione limitata. quæ non potest acceptari, nisi necessario omnia acceptentur, & tunc etiam scientia, & taciturnitas operatur consensum requisitum. l. 2. C. de acquir. possess. cum alijs de quibus in l. quæ dotis. Accedit, quia quando consensus requiritur illius de cuius præiudicio agitur, numquam intelligitur esse formalis. vt Imol. & Alex. in l. si quis mihi bona. §. iussum. ff. de acquir. hæred. post Bald. in l. 1. in vlt. char. C. qui admit. Et quando aliquid requiritur propter aliquem effectũ
4 ex eo resultantem, etiamsi requiratur † pro forma sufficit adimpleri per æquipollens cõsiderando effectum. per Alex. post alios in §. & quid si tantum. Item, patientia, & diuturna taciturnitas, inducunt verum consensum, & idem operatur quod expressus. Ias. in l. quæ dotis. solut. matrim. in 11. casu. Nõ obstat, quod negaretur scientia, & notitia principalis quia respondebatur, quod constabat de mandato. & quod procurator sciuit, & præsumebatur certiorasse dominum de concordia, propter quam faciendam constitutus erat procurator. ex ijs quæ tradit Roman. cons. 480.

* Fuit die 1. Februarij 1546 posita causa per D. Prosperũ qui erat iudex in tertia, & resolutum, quod sufficeret tacitus cõsensus qui resultabat ex actu positiuo.

* Faciunt quæ ponit Purpur. in l. fin. col. 12 in fin. vers. & talis cõsensus &c. C. de pact.

SVMMARIVM.

In causa Toletana decimarum de Cient. Pozuelos.

DECISIO CI.

DEcimaquinta Febr. 1544. in causa Toletana de Cient Pozuelos, fuit dictum quod informaretur, An ex eo q̃ probabatur quod terminus de Chiozas, erat in termino de Cient Pozuelos, ex hoc diceretur quod vere, & non præsumptiue, esset in parochia

de Cent Pozuelos. quia si vere erat in parochia, tunc dicebatur, quod difficile videbatur, quod vera & plena probatio ex iuris dispositione resulrans, tolleretur per coniectu ćturas, & indicia quæ de per se, nec plene, nec semiplene probabanr. si erat pręsumptiue, tunc vna præsumptio tollitur per aliam. & maiores præsumptiones videbantur esse illæ, quæ militabant pro Ecclesia de Aspartinas, ex tot adminiculis resultantes. Item, quia dicebatur, quod ex quo eramus in antiquis multæ præsumptiones, etiam imperfectæ ad probandum, coniungi poterant; fuit dictum quod informaretur, An in casu nostro essemus in antiquis, ita vt plura imperfecta coniungi possent ad plene probandum.

SVMMARIVM.

Decis. Bisign. 5. de concess. præben. non seruata.

DECISIO CII.

Licet Staphil. in tract. de lit. grat. fol. 68. pag. 2. sequatur decis. Bisign. 5. de concess. præb. & reprobet decis. 397. * in nou. Tamen Domini, die 15. Februarii 1544. coram D. Prospero, noluerunt tenere dictam decis. 5. sed sequuti fuerunt dictā decis. 397. in nou. & decis. 288. & 327. * in antiq. cū sint posteriores, & plures. Item, quia est cōtra opinionem omnium. in c. deliberatione. §. prohibemus. de offic. leg. in 6. qui vno ore sequuntur opinionem. glos. ibi dicentis, quod Episcopus non possit. & ibi Dom. & Franc. reprobant dictam decis. Bisign. & consuluit Oldrad. cons. 77. & tenent omnes in cap. . . . de concess. præben.

* alias 5 de offic. Vicar.

* alias 8 & 4. de offic. vicar.

SVMMARIVM.

Matrimonium probatur per diutinam cohabitationem famam, & tractatum.

DECISIO CIII.

Fuit dictum in vna Venetiarum Matrimonij, coram D. Mohedano, die 15. Februarij 1544. quod diutina cohabitatio, vt erar in casu illo decem annorum, communis fama, & reputatio, & tractatus maritales, probarent matrimonium. per text. in c. illud. & ibi Abb. in 4. col. vers. ego credo. cum sequen. colum. de præsumpt. & tanto magis in casu illo, in quo non agebatur de fędere matrimonij, sed ad effectum legitimationis. ad quem effectum, sola cohabitatio sufficit. vt per Felin. in d. cap. illud colum. fin. circa finem.

SVMMARIVM.

Aliud est appellare verbaliter, & scripturam conficere aliud in scriptis appellare.

1 *Qui tenetur appellare in scriptis, an teneatur dare cedulam appellationis, vel sufficiat quod appellet voce.*

DECISIO CIV.

In vna Carthaginensi S. Catherinæ, coram D. Mohedano, in qua cuidam fuerant intimatæ exequutoriales, die 10. contra quem citatam per edictū, fuerat processum. & ipse die 16. appellauit vt fictus cōtumax à die notitiæ, dicendo notario, quod appellationem suam redigeret in scriptis. fuit resolutum, die 15. Februarij 1544. quod talis appellatio non esset bona. quia aliud est, quod appellatio verbalis redigatur in scripris, alind quod cum teneatur appellare in scriptis, ex quo in ipso actu non appellauerat, vt in l. 1. in fin. & l. à sententia.
1 §. fin. de appellat. tenebatur cedulam † appellationis in scriptis dare. & ita determinat Francus. in cap. 1. in princ. col. fin. versic. secundo aduerte. de appellat. in 6. Non obstat decis. Aegidij 15. quia notarius benefacit fidem de appellatione, sed non an sit legitime interposita.

SVMMARIVM.

Decretum processus per audientiam potest alio tempore repeti, & sustinetur sententia, dato quod probetur præsentia medio tempore.

DECISIO CV.

In vna Salamantina Capellaniæ Chori, coram me, die 18. Februarij 1544. fuit dictum quod Didacus Vasquez, qui de anno 1534. docto de absentia Antonij Velit, obtinuit decerni processum per audientiam contradictarum, & nil aliud fecit. postea de anno 1538. repetito eodem decreto processu, & obtinuit sententiam, quod processus, & sententia valerent, dato quod probaretur, quod Antonius de anno 1537. & 38. esset in Vrbe. ex quo non probabatur scientia Didaci, & quod Antonius debebar in actis comparere. quia paria sunt non esse, vel in actis non apparere. & hoc pro validitate actus.

SVM-

SVMMARIVM.

Fatalia secundæ sententiæ, an sint decursa stante nullitate tertiæ sententiæ.

DECISIO CVI.

IN vna Romana cōmissæ, quam proposui 20. Februarij 1544. in qua erant latæ tres sententiæ, & tertia erat nulla, dicebat ille pro quo erant latæ, quod si tertia erat nulla, quod secunda valida transiuerat in rem iudicatam, ex eo quia fatalia erant decursa. replicabatur, quod tertia sententia erat lata infra fatalia. & quod si iudex nulliter pronunciauerat, impedimentum iudicis debebat excusare a lapsu fatalium. Dixerunt Domini, quod si lata sententia nulla ille contra quem fuerat lata, statim dixisset de nullitate, ita quod causam nullitatis commisisset, tunc; quia pendente iudicio nullitatis fatalia in causa appellationis nō currunt. vt per Bal. in l. contra maiores. C. de inoffic. testam. & tunc verum esset dicere, quod sententia non transisset in rem iudicatam. secus est quando non commisit causam nullitatis. quia tunc videtur stare per eum. & imputandum est ei, qui non procurauit validam sententiam habere. & ideo fatalia currunt. facit quod dicit Alex. cons. 59. viso titulo. &c. col. 2. vers. his sic præsuppositis. &c. per totam illam col. vol. 4.

SVMMARIVM.

An procurator substitutus in causa pendente inter Martinum & Franciscum, sit substitutus in causa pendente inter subrogatum Martini, & Franciscum.

DECISIO CVII.

IN vna Astoricensi de Cubo, coram me, die 3. Martij 1544. in qua Martinus Roman commiserat causam contra Franciscū Aluares intrusum, litteris non confectis cū derogatione regulæ, dum tamen ante terminum ad articulandum. & obtinuit decerni citationem. in qua cōparuit Georgius procurator Francisci, & substituit in causa huiusmodi, videlicet pendente inter Martinū, & Franciscum, Gometium. cum quo Gometio Martinus aliquos terminos seruauit. ante tamen terminum ad articulandum. postea Martinus cessit in fauorem Melchioris de Herrera. qui fuit subrogatus ad prosequutionem litis & causæ, in eo statu, & terminis, in quibus erat Martinus. & postea Melchior, ante expeditionem litterarum seruauit terminum ad articulandum bene. & postea expediuit litteras. & volens prouidere circa iurisdictionem, obtinuit commissionē sanatoriā in qua dicebatur, parte legitime citata. Vnde Melchior citauit Gomesium procuratorem substitutum. qui Gomesius dicebat, quod ipse nō erat procurator in ista causa. qui licet esset substitutus in causa pendente inter Martinum, & Franciscum, tamen dicebat, quod non erat in causa pendente cum subrogato. per decis. 13. & vlt. in tit. de procurat. in nouis. Ex aduerso dicebatur, quod immo esset procurator. per decis. 440. in nouis. Fuit responsum ad dictā decis. quod illa procedit, quando lis post mortem alterius, sustinetur in altero ex collitigantibus, vt erat in casu illius decis. 440. At in casu nostro, quando Martinus cessit in fauorem Melchioris; & Melchior seruauit terminum ad articulandum bene euanuerat omnis iurisdictio. Itaque non poterat dici subrogatus in lite. & causa quæ non erat, & ideo erat necessarium, quod de nouo principalem citaret. quia mandatum Gomesij expirauerat. * alias 2 vt lit. pēd.

SVMMARIVM.

Sicut concordata tollunt coadiutorias ita & indulta.

1 *Indulta an late sint interpretanda contra concedentem.*
2 *Coadiutoria an habeat vim resignationis.*

DECISIO CVIII.

IN vna Toletana Archipresbyteratus de Madrid, die 3. Martii 1544. Domini inclinarunt, quod sicut concordata tollunt coadiutorias, pro vt dicit Cassad. decis. 1. de pact. ita & indulta Cardinalium, quia similia verba prægnantia sunt in indultis quo ad materias præuentiuas, prout sunt in concordatis. & sicut concordata sunt fauorabilia, & late contra cōcedentem interpretanda, † ita & etiam indulta cum immo
1 æquiparentur. vt per Cassad. decis. 4. de priuileg. Non obstat, quod dicebatur, quod co
2 adiutoria haberet vim resignationis † propter consensum illius consentientis coadiutoriæ. iuxta glos. in c. beneficium. in vērbo assensus. de regular. in 6. quia dicebatur, quod istud nihil erat. ex quo, in casu illius capituli ille consensus statim, operabatur effectum suum. at hic erat contrarium, quia nolebat dimittere beneficium, nisi post mortem, & in vita illud tenere volebat.

SVM-

SVMMARIVM.

Processus causæ, procuratore reuocato, an teneat.

1 *Procuratore reuocato, an valide per contradictas procedatur.*
2 *Consentire quando dicatur non contradicens.*
3 *Procurare est onus.*
In reuocatione procuratoris, an agatur de damno, vel commodo reuocati.
4 *Reuocatio procuratoris etiam non intimata, quando afficiat.*

DECISIO CIX.

Dixerunt Domini 3. Martii 1544. In vna Toletana restitutionis bonorum,
coram D. Io. Paulo quod processus factus cũ
procuratore reuocato post litem contestatam,
nõ contradicẽte, & aduersario reuocationẽ
acceptante, non valeret, sed procedendum
erat per contradictas, prout erat in
casu illo, in quo procurator, post litem contestatam,
fuit reuocatus, & non contradicebat,
& aduersarius processit per contradictas.
& sic tacite talem reuocationem ac-
1 ceptauit. Fuit dictum, quod † processus
per contradictas teneret. per gloss. in cap.
quamuis. in verbo, ipso volente. vbi Franc.
de procurat. in 6. & not. omnes. post gloss.
in c. mandato. de procurator. & in l. quæ
omnia. §. 1. ff. de procurator. Felin. in c. ex
parte Decani. col. pen. vers. postremo scias.
&c. de rescript. & quod non contradicens,
2 dicitur cõsentire. † vt declarant omnes post
gloss. ibi in l. filiusfam. ff. de procurator. &
& Paul. de Castr. in l. ante litem. col. 1. ff. de
procurat. Felin. in d. c. ex parte Decani. col.
3 pen. vers. postremo scias. quia † cum procurare
sit onus. l. si quis procuratorem. C. de
decurion. lib. x. & tenetur ad expensas. Rota
in nou. dec. 303.* in reuocatione potius
agitur de eius commodo quam de damno.
quo casu, tacens regulariter consentit. vulgata
regula. qui tacet. * Et quod
ex quo reuocatio erat apud acta fa-
4 cta, † quod non requirebatur intimatio,
sed scientia eius præsumitur,
vt dicit Paul. de Castr. in l. 1. col. 2.
C. de satisdan. Item, quod reuocatio
in præiudicium reuocãtis indistincte
tenet, not. gloss. in d. c. quãuis. in verbo reuocari. & Abb. in c.
mandato. in 1. not. de procur. Rot.
decis. 171. in antiq. * Castr. in l. procuratorẽ.
col. 2. ff. de proc. Fel. in c. ex
parte. vers. dicta Clem. 1. in 3. fal.
de rescr. Castr. in d. l. 1. C. de satisd.

* alias 33 de procurat.

* Quod sufficeret reuocatio apud acta, etiam quod non intimaretur, etiam post litem contestatam. Fuit conclusum die 10. Mart. 1544. per dictum Paul. de Castr. quia non est dubium, quod siue reuocatio fiat ante, siue post, sẽper requiritur intimatio, alias reuocatio habetur pro imperfecta. vt per Paul. de Castr. in d. l. vnica. in fin. 2. col. & tamen sufficit, quod fiat apud acta.

* alias 11. de proc.

SVMMARIVM.

Quæ causa fuerit considerata sufficiens ad legitimandum.

1 *Ad validitatem dispẽsationis filij illegitimi, quæ requirantur. & quæ ad validitatem legitimationis. & nu. 3. & 4.*
2 *Argumentum de adoptione ad legitimationem, an valeat.*

DECISIO CX.

In vna Rauennatensi legitimationis, coram D. Mohedano, 3. Martii 1544. fuit
resolutũ, ꝙ licet legitimatio haberet vim
dispẽsationis, & in ea requiritur causa, maxime
in inferiore, vt in Comite legitimante.
vt dicit Anton. de Butr. in c. per venerabilem.
col. 2. & Alex. cons. 60. col. 5. vers.
rationes ergo. & c. vol. 2. tamen, quod li-
1 cet in dispẽsatione, in qua vulneratur † ius
publicum, requiratur causa necessitatis, vel
vtilitatis publicæ, & communis, prout dicit
tex. in c. requisitis. & ibi Card. Alex. et in c.
tali. 1. quæst. 7. Tamen in legitimatione, in
qua tantum vulneratur ius priuatum, puta
patris, & filiorum, quod sufficeret causa
necessitatis, vel vtilitatis priuatæ. & in hoc
æquiparetur adoptioni, siue arrogationi, in
qua vtilitas priuata consideratur. vt in §.
cum impuberes. instit. de adopt. in l. si pa-
2 ter. §. fin. ff. de adop. & prout † de adoptione
ad legitimationem arguit Bart. in §. &
quid si tãtũ circa fin. dum allegat tex. in l.
cum adoptio. ff. de adoption. Et hoc stante
fuit dictum, quod causa sufficiens, esset illa
in legitimatione apposita, in qua pater dixit,
seu verius, Comes ad supplicationem
patris dixit legitimatum, esse bonæ famæ,
3 & conditionis, morigeratum, † & non dissipatorem.
Et pro primis duobus dicebatur,
quod hoc innuebat Anchar. cons. 241. Dec.
cons. 576. pro resolutione. col. pen. vers. &
cum ista dispensatio facta sit. Et quod ista
causa bonæ famæ, & conditionis, & bonorũ
morum, esset sufficiẽs, & causa particularis,
non autem generalis. tenet Corn. cons. 1. n.
17. vol. 3. Item, vltra istas, causas ponderabatur,
dum dicebatur, quod non erat dissipator.
nam ista causa poterat continere
vtilitatem filiorum. nam cum iste non dissiparet,
poterat, dato principio, multa cumulare.
Et cum per legitimationem acquirerentur
iura agnationis, postea filij possent
ei succedere. Dicebatur etiam, quod
4 sola † voluntas patris, sufficit pro causa
prout ita dicit Alex. cons. 188. col. pen. ver.
non obstat septimum argumentum. vol. 5.
Ias. cons. 40. col. pen. vers. secundo notabiliter.

ter.vol.3. Soc. cons. 120. col.7. nu.9. cum seq. vol.3. Gozad. cons.6. num.37. & 60.

S V M M A R I V M.

Pactum de quo hic, an fuerit iudicatum validum.

1 *Pactum conceptum in personam, & non in rem an valeat.*

D E C I S I O   C X I.

CONtes hæres institutus à Io. Baptista de Patrieijs, timens litem sibi inferri per fratres defuncti, transegit eum duobus fratribus, vt quilibet eorum haberet vnam tertiam partem hæreditatis. videlicet Contes vnam, Iacobus aliam, & Augustinus tertiam. Et postea idem Contes transegit cum Augustino, vt loco tertiæ portionis, daretur sibi quoddã podere, & illa tertia pars remaneret pęnes Augustinum, itaut teneretur oneribus hæreditatis. & quia in transactione erat appositum pactũ, quod si Contes moreretur sine filijs, portio hæreditatis Io. Baptistæ, in qua ipse Contes successerat, perueniret in filios dicti Augustini. Dubitaui ego, die 10. Martij 1544. quia tale pactũ erat de re particulari; An valeret. Et pro parte negatiua quod non valeret dicebatur, quod verba pacti, erant concepta in rem,
1 & † non in personam. & ideo non valeret. iuxta cons. Bart. 212. promitto tibi. de quo per Curtium Iuniorem. cons. 15. Quæ distinctio habet locum, siue agatur de tota hæreditate, siue quota. Alex. in l. stipulatio hoc modo concepta, & ibi Crot. num. 54. & late per Curtium, in d. cons. 15. Immo, & quando agitur de re particulari habet locũ dicta distinctio, vt per Purpurat. in l. fin. colum. 31. num. 218. C. de pact. Corn. consil. 84. 3. vol. Lancellor. Decius, & Alciat. in l. fin. C. de pact. Decius cons. 300.

Pro parte contraria, quod valeret, allegabatur id quod dicit Claud. Aquen. in dicta lege fin. colum. penult. versic. aliam cautelam dat. &cæt. Fuit * resolutum cum distinctio-
1 ne, † quod aut pactum sit de hereditate tertij inter duos, quia forsan vnus eorum habet spem ad successionem, & tunc, siue fiat de hæreditate tota, siue quota, seu re particulari; & tale pactum non valeat, & ita loquitur Purpurat. in d. l. fin. & auctoritates superius allegatæ tamẽ aduerte, quia contra hoc membrum distinctionis, facit quod dicit idem Purpurat. in l. pactum quod dotali. col. fin. vers. & pro hac declaratione facit. Aut vero non sit pactum de hereditate tertij, sed sit pactum de re particulari propria, vt in casu nostro, & tunc valeat tale pactum. quia tunc non inducit votum captandæ mortis. Et fuit dictum, quod istud tenebat Alex. cons. 28. vol. 3. Dec. cons. 184. Sed aduerte, quia isti non dicunt istud. & istud membrum procederet quando pactum de præsenti teneret, secus videtur quando est pactum continens successionem in futurum, vt est istud de quo agitur, & sicut hęreditas, vel pars eius, non potest dari per pactum successionis, vt dicit Decius. in d. cons. 184. col. penult. vers. successiue non obstat, &c. ita nec res particularis per pactum successionis dari non potuit. quia non videtur maior ratio in vno quã in alio, & sicut in terminis legis finalis, quando tertius consentit valet pactum quamdiu ille tertius persistit in illa voluntate; ita & in casu nostro valeat quamdiu Contes persistat in illa voluntate. ex quo est pactum successionis, & sic habet tractum in futurum vt pęnitere possit. Itaque pro ista decis. seu resolutione facta, nil melius facit quam dictũ Azon. relatum per Claud. in d. l. fin. col. pen. C. de pact. Ad quod vide si posset dici, quod Azo. si videatur in fonte, loquitur quando pactum est conceptum in personam, quia Azo dicit, vt caueat daturum se, quod ad eum peruenit de bonis quæ fuerunt pręde cessoris viuentis nominando mortuum cuius fuerunt, & subiiciendo personam viuentis, cuius est, & sic vides, quod ista verba valent de præsenti, & est pactum de præsenti, non autem habet tractum in futurum, prout sunt verba nostra.

* Ista resolutio, quia mihi nõ placuit tunc, ideo iterum dubitaui, & die 12. Aprilis 1546. dubitaui hoc modo. An pactum, quod in euẽtum in quẽ Christophorus, siue Contes, decederet sine filijs portio hæreditatis Io. Baptistæ deueniat ad filios Augustini, sit validum. Et fuit resolutum per omnes quod valeret, quia licet esset pactum de portione hereditatis Io. Baptistæ, tamen pactum esset de re particulari, tũ quia istud dicit Bart. in l. cum filius. §. Lucio. ff. de legat. 2. tũ quia postea post istã transactionẽ, erat conuentum inter Contem, & Augustinum vt pro illa tertia parte Augustinus traderet sibi vnum podere, & Augustinus teneretur ad onera hereditaria. Et ideo cũ pactum esset de re particulari non attendẽdo per quæ verba sit concepta cõuentio valet tale pactum. pro vt late consuluit Parisius qui omnino, videatur. cons 26. ea tenore num. 84. cum pluribus sequẽtibus, vol. 2. Item fuit dictũ, quod isto casu istud pactum veniebat in consequentiam præcedentis contractus perambuli. videlicet transactionis, & recessus à lite. Quo casu tale pactũ de futura successione est validum. secundum Bart. in l. stipulatio hoc modo concepta. vers. vltimo quæritur. circa finem suæ distinctionis, in quarto casu. de verb. oblig. & Bart. in l. fin. vers. aduerte tamen, & ibi Ias. in 3. col. vers. sexto limita. &cæt. C. de pact.

S V M M A R I V M.

Assertio benemeritorum, facta per Comitem legitimantem, probat.

D E C I S I O   C X I I.

FVit dictum in vna Rauenatensi legitimationis, coram D. Rauellen. die 10. Martii 1544. quod licet inter priuatos assertio meritorũ non probet, tamen quod istud

fallit

de iure patronatus, cum solita derogatione &c. quod si postea non probat, quod esset de iure patronatus, quod gratia sit nulla. quia cum illud expressum, quod sit de iure patronatus, sit pars gratiæ, debet illud probare. sicut dicimus, quod quando quis narrat ætatem, & alia huiusmodi, debet illa probare. Itē, quia aut illa qualitas, quod de iure patronatus existit. &c. stat taxatiue, iuxta ea quæ dicit Fel. in c. super literis. col. 3. de rescript. dum ponit modos
1 cognoscendi, quando quid stet † taxatiue, vel demonstratiue, & tunc non est dubium, quod qualitas non probata, vitiet. ad c. susceptum. de rescript. in 6. Aut stat demonstratiue, & tunc quia illa qualitas expressa facilius inducit Principem ad concedendū. cum omnino non Papa, sed patroni, de beneficio disponere habebant. & ideo illa
2 falsa demonstratio † vitiat. ad decis. 582. in antiquis. * 19. Bisig. de præben. & Felin. in d. c. super literis. prima & secunda col. Gemin. in cons. 111. Item fuit dictum, quod licet esset producta præsentatio certorum laicorum, & institutio sequuta; tamen quia non constabat, quod esset sortita effectum, quod nō erat probata quasi possessio maxime cum non doceretur de vltimo statu, & apparebat de alio statu, per cuius obitum omnes veniebant.

* alias 4. de rescrip.

SVMMARIVM.

Scientia per testes singulares probata.

1 *Testes singulares, singularitate adminiculatiua, quando probent.*
2 *Scientia, an probetur per iudicia, an ex coniecturis.*
3 *Frater an possit testificari pro fratre.*

DECISIO CXVIII.

Vigesimaquarta Martij 1544. fuit conclusum in vna Romana domus, pro D. Claudia vxore D. Aloysij de Gaddis, contra Episcopū Sanctonēsem, quod scientia venditionis domus, de qua tunc agebatur, probaretur per testes singulares, singularitate adminiculatiua, non autem obstatiua. vt puta quia in eo casu probabatur quod Cardinalis de Gaddis, dixerat Episcopo in Ciuitate Massiliensi, quod Episcopus esset contentus habere ratam, venditionem factā Claudiæ. Alius testis, videlicet Franciscus de Soderinis, nepos Episcopi, dicebat audiuisse ab Episcopo de venditione facta Aloysio de Gaddis. Dicebatur quod licet isti testes es-
1 sent singulares † singularitate adminiculatiua, tamen quia tēdebant ad eūdem rei finē, licet per diuersa media, & eramus in actu non momentaneo, quod probarent scientiā venditionis in genere. per ea quæ dicit Curtius Iun. in repet. l. admonendi. col. 17. dum defendit ibi Paul. de Cast. contra Ias. ff. de iureiur. & ibi Ripa col. pen. Dec. in c. licet causam. col. 5. de probation. Crot. in tract. de testib. in 7. parte princ. n. 325. vers. octaua sit conclusio. & per Curt. Iun. cōs. 64.
2 vbi dicit, quod sciētia, † & mala fides, probantur per indicia. & ideo dicit, quod probatur per vnum testem. item per famam. & tamen certū est, quod fama semiplene probat. Item, quia scientia ex coniecturis probatur. Abb. cons. 81. col. 1. vol. 1. Decius cons. 303. col. 2. Et ex eo quod Curtius Junior in d. cons. dicit, quod per indicia, puta per famam probatur scientia, & fama semiplene probet; dicebant quod cum Cardinalis semiplene probaret, quod probaretur scientia de venditione facta Claudiæ. & licet Cardinalis esset frater Aloysij mariti Claudiæ, & ideo non videretur omni exceptione maior, tamen Felin. dicit quod fra-
3 ter † potest testificari pro fratre. & est omni exceptione maior quando est sanctimoniæ plenus. vt dicit Felin. in c. cum oporteat. de accusationib.

SVMMARIVM.

Statutum Perusinum excludens ab intestato filias tēporaliter, non habet locum quādo sunt filiæ institutæ in testamento.

1 *Filia extante masculo à statuto exclusa, an sit exclusa temporaliter.*
2 *Argumentum à causa testati ad causam intestati an valeat.*

DECISIO CXIX.

In vna Perusina hæreditatis, corā D. Io. Paul. die 24. Martij 1544. in qua dubitabatur, An stante statuto Perusino excludente filias ab intestato, quandiu masculus vixerit, si pater facit testamentum in quo relinquit dotem filiabus, & prohibet eas plus petere, postea masculus mortuus fuit sine filijs masculis, fuit dubitatum, An filiæ essent reintegrandæ ad hęreditatem paternā. Pro parte affirmatiua, quod sic, allegabatur doctrina Bartoli in l. fin. ff. ad Tertull.
1 vbi, quando filia est exclusa † temporaliter, cessante masculo, fœmina venit reintegranda. & illa doctrina Bartoli est communis. vt per Soc. cons. 263. in princ. & fuerunt allegata infinita alia cōsilia. Tamen fuit resolutum contrarium. quia fuit dictum, quod illud habet locum quando statutum excludit

* Ista causa fuit postea posita, & nouissime die 13 Decembr. 1544. & vota fuerunt varia. & fuit dictū quod bene videretur. Vide aliquid infra decis. 393. lib. 2.

ab hereditate. vt puta, quando pater ab intestato fuisset defunctus. ex quo enim statutum excludebat temporaliter, cessante impedimento, filiæ veniebant reintegrandæ. At in casu nostro nō statutum, sed erat voluntas patris excludens filias. prout dicit Bal. in l. 1. circa finem. C. de legit. heredib. & illa volūtas, simplex erat. ergo perpetuo filia exclusa. ad Bal. in c. 1. §. 1. Episcopum, vel Abb. Non obstat, quod voluntas testatoris, videtur se confirmare cum dispositione statuti, & ideo videtur testator voluisse, quod cessantibus masculis, fœmina reintegraretur. quia dicebatur quod statutum tantum loquebatur ad casum ab intestato.
2 & à causa intestati, ✝ ad causam testati nō licet arguere. vt per Bald. in l. quicumque. col. 3. C. de seru. fugit. & Soc. cons. 30. colum. 8. vers. superest. &c. vol. 1. Non obstāt doctrinæ allegatæ. quia omnes illæ, & principaliter Bart. in l. fin. col. 3. ff. ad Tertull. dum loquitur de filia preterita in testamento, vel quando est exhæredata, loquuntur quando sumus in casu, in quo propter preteritionem, vel exhæredationem sine causa, res cessantibus masculis reducitur ad causā intestati. vt potest colligi ex Doctor. allegatis per Brun. in tract. quando masculi fœminas excludant. in 10. artic. in 5. quæst. quia tunc, cum filiæ à statuto excluduntur, nimirum si cessantibus masculis reintegrātur. sed nullus Doctor loquitur in casu, in quo filia fuit instituta in testamēto. quo casu non statutum, sed ius commune, volens quod voluntas defuncti seruetur, fœminam excludit. nec isto casu possumus dicere, quod voluerit testator se conformare cum dispositione statuti. quoniam hic sumus in claro, quod testator voluit eam excludere, & testamentum semper valet. & ideo, stante testamento valido, nō potest filia reintegrari. quia tunc veniret contra testamentum, quod filia non potest facere. Et ita cōclusum fuit per sex votantes, nemine discrepante.

SVMMARIVM.

Relaxatio censurarum, habet vim diffinitiuæ quando fit cum causæ cognitione.

1 *Sententia diffinitiua vim iussus iudicis quando habeat.*

2 *Reponere an possit iudex à diffinitiua, vel habente vim diffinitiua.*

Censurarum sententia, an habeat vim diffinitiua.

DECISIO CXX.

Fvit resolutum coram D. Fabio, in vna Romana non obseruationis promissorum, die 24. Martij 1544. quod relaxatio censurarū facta præcedente causæ cognitionem, haberet vim diffinitiuæ. quia decretū
1 seu ✝ iussus iudicis, factus cum causæ cognitione, habet vim diffinitiuæ. secūdum Felin. in c. quærenti. col. 3. vers. verum istud. priuilegium. & vers. 2. not. de offic. deleg. & in rubrica de re iudic. col. 4. vers. ad illud. de præcepto. Et ideo aduersus talem relaxa
2 tionem ✝ iudex non potuit reponere. decis. 7. de appell. in antiq. Alexand. cons. 50. lib. 2. in 5. col. Non obstat, quod sentētia censurarum, potius sapit naturam interloquutoriæ, quam diffinitiuæ. vt per Abb. in cap. sacro. in 4. not. de senten. excomm. quia in relaxatione censurarum, vltra censuras datur etiam mandatū exequutiuum. & ideo quando relaxatur cum causę cognitione, videtur totum negotium esse sopitum.

SVMMARIVM.

Data licentia ædificandi, data cautione.

DECISIO CXXI.

VOluerunt Domini in vna Toletana iuris sepeliēdi, die 24. Martij 1544. coram Domino Peregrino, in qua in partibus erat nuntiatum, ne quis ædificaret certa sepulcra, vt data cautione de demoliendo, daretur facultas ædificādi. iuxta tex. in l. 1. in l. de pupillo. §. si is cui. ff. de nou. oper. nūciat. & quia non trimestre, sed triennium erat elapsum. iuxta tex. in cap. fin. de nou. oper. nunc. & nuntians numquam de iure suo docuerat.

SVMMARIVM.

Testis qui dicit, massarij affidarunt, probat.

1 *Testis deponens per verbum iuris quando probet.*

DECISIO CXXII.

Fvit resolutum in vna Nursina, seu Spoletana confinium, seu territoriorum, pro D. Fabritio Celio die 24. Martij 1544. quod testis qui dicit, massarij affidarunt. item, testis qui dicit, ego vt massarius affidani, probaret. quia licet verbum, massarij, sit verbum

1 bum iuris; † tamen quia prolatum ab eo
qui erat practicus in loco, quia omnes crãt
de Castro veteri, & deponebant quod Massarij affidauerant. & sic cum deponerent in re eis nota, videlicet quod illi essent Massarij, quod probarent. per ea quæ late ponit Salicet. in l. 1. in principio. 2. col. per totam, C. de vsur.

SVMMARIVM.

Scientia eius, qui habet ius retrahendi, seu retractandi venditionem factam, qualis debeat esse.

DECISIO CXXIII.

FVit resolutũ in vna Romana domus corã D. Mohedano, die 28. Martij 1544. quod sciẽtia eius, qui habet ius retractandi vẽditionem, vtputa, consanguinei, seu vicini, debet esse non solum certa, respectu venditionis, sed etiam respectu pretij, & aliarum qualitatum. prout ita determinat Andreas Tiraquellus in suo tract. de iure retract. fol. 301. pag. 1. versic. porro. Afflictus in tractar. de iure prothomiseos, inserto in 2. volum. tract. §. 2. num. 3. & 4. Et licet Alexand. cons. 138. volum. 7. dicat quod sufficiat scientia absque denunciatione, tamen ibi Alexander non determinat qualis scientia requiratur.

SVMMARIVM.

Ius petendi supplementum legitimæ, spatio triginta annorum præscribitur.

1 *In præscriptione iuris querendi, an consideretur mala fides de iure canonico.*

DECISIO CXXIV.

FVit resolutum in vna Senensi hæreditatis, corã D. Thoma de Thanis, die 28.
Martij 1544. quod spatio 30. annorũ sit prę-
scriptum ius petendi supplementum legiti-
mæ. * prout istam attestatur cõmunẽ Balb.
in tract. pręscrip. in 4. parte 5. partis prin.
quęst. 3. incipiẽ. tertio quero de vtili & quo-
tidiana quęstione & Decius cons. 303. Item
1 quod in pręscriprione † iuris querendi, non
consideratur mala fides, * etiam de iure cã-
nonico, Bart. in l. 1. colum. 2. ff. de con-
dict. ex leg. Balb. in dicta 4. parte 5. partis
prin. quęst. 3. Socin. cons. 63. vbi quod hę-
res, antequam legatarius acceptet legatũ,
pręscribit spatio 30. annorũ Bal. in d. tract.
pręscrip. in 2. parte tertiæ partis prin. in
xiij. quęst. in fin. Paris. cons. 17. col. fin. volumine 1. Dec. consil. 554. Ripa in l. fin. in 99. quæst. C. de reuoc. donat. Paris. cõs. 16. vol. 2. Marian. Socin. Iun. cõs. 74. col. 7. in fin. volum. 1. Grat. cons. 101. col. pen. vol. 2.

* Balb. in tract. præscr. 23 q. in 4. parte 4. part. principalis.

* In quib. præscriptionib. nõ consideretur mala fides in actionib. personalib. vide Mar. Soc. Iun. consil. 145. visio puncto. col. 9. vers. quinto nõ obst. &c.

SVMMARIVM.

Facultas ædificandi concessa, data cautione de demoliendo.

DECISIO CXXV.

IN vna iuris sepeliẽdi, coram D. Peregrino de mense Martij, fuit data licẽtia ædificandi data cautione de demoliẽdo per not. in l. 1. ff. de nou. oper. nunciat. & tex. in l. de pupillo, §. si is cui, ff. eod. Et dicebatur, quod licet tex. in c. fin. de nou. oper. dicat, quod nuncians debeat expectari per tres menses, tamen dicebatur in isto casu, quod erant tres anni, quod nunciauerat, & nil fecerat. tamen dicebatur, quod si incontinenti nuncians potuisset docere de iure suo, quod erat expectandus, & non erat danda facultas ædificandi sub cautione propter euitãdas expensas, & per ea quę dicuntur in d. c. fin. Et ita dictum fuit, quod fuerat seruatum in vna Agrigẽtina monasterij. fuit resolutum de mense Martij 1544.

SVMMARIVM.

Vide quæ diligentia excusauerit à desertione.

1 *Appellare impeditus propter absentiam iudicis, quid facere debeat.*

DECISIO CXXVI.

IN vna S. Andreæ Vicarię, fuit resolu-
tum de mense Martij 1544. coram D.
Rauellensi, quod ex quo in vltimo momen-
to procurator comparuerat in domo Domi-
ni, & facta diligentia de appellando coram
Domino, fuerat ei responsum, quod nõ erat
domi, & ipse perijt testimoniales, & reli-
quit cedulam notario, dicendo, quod crasti-
na die rediret & appellaret, prout fecit,
quod propter istam diligentiam sententia
non transiuisset in rem iudicatam, licet ex-
aduerso diceretur, quod quãdo quis est im-
2 peditus † appellare propter absentiam Iu-
dicis, debeat appellare coram probis viris.
vt per Abb. in c. fin. in 3. not. & ibi Franc.
col. 6. vers. decimo quæritur, ad finẽ, de ap-
pell. & quod iste, licet reliquisset cedulã, ta-

men nō appellauerat. Tamen Domini propter talem deligentiam excusarunt eum à desertione.

SVMMARIVM.

Colonus, per quem actum præiudicet domino in possessione.

DECISIO CXXVII.

Colonus existens in fundo, fuit electus de domo existenti in fundo. & facta eiectione à domo, antequam eijceretur à fundo, recognouit eijcientem in dominum, & sic conduxit fundum à dicto eijciente. Fuit dubitatum eoram D. Prospero in vna Cesenatensi de mense Martij 1544. An ex tali cōtradictione, dominus, seu primus locator, perdidisset possessionem. Et ex septē votantibus, quatuor dixerunt quod nō. per tex. in l. quamuis. §. si conductor, & quæ not. Alex. in l. peregre, §. quibus, ff. de acquir. possess. vbi per actū fictum traditionis, colonus non priuat dominum possessione, & per not. in l. fin. C. de acquir. possess. vbi vt colonus præiudicet domino, requireretur, quod realiter possessionem tradat. Tres autem ex votantibus dicebant, quod lex final. C. de acquir. possess. non loquebatur in istis terminis. nam loquitur vbi colonus, dolo vel negligentia, vult priuare dominum. At hic eramus in casu, in quo necessitate impellente, & vt prouideret de rebus suis, ne in totum à fūdo expelleretur. ergo priuauit dominum, & dicitur realis traditio. Item dicebant, quod §. si conductor, non habebat locum in casu isto. quia ibi loquebatur quādo fraudulentur colonus conducit. At hic nulla fraus, & dolus coloni, sed vt sibi consuleret. ergo habebatur, ac si colonus realiter possessionem tradidisset.

SVMMARIVM. 1

Diuisio patris inter filios, quando potius interpretata donatio, quā vltima voluntas.

DECISIO CXXVIII.

Pater volens proficisci ad stipendia Venetorum, pro capitaneo, seu conductore militum, diuisit omnia bona, quæ habebat in territorio Romæ inter filios. qui filij possederunt dicta bona spatio quindecim annorum, percipiēdo fructus, & in suos vsus, & vtilitatem conuertendo, sciente & patiente patre. Postea pater veniens ad mortem testatus est, & dixit. de li beni de terra, di Roma, di Pitigliano, & di Nola non ne parlo, perche altre volte hò dichiarato la mia volontà, e ne hò disposto. Fuit dubitatum in vna Romana seu Venetiarum bonorum, coram Domino Aquēsi de mense Martij 1544. qualis dispositio esset illa diuisio inter filios facta. An esset vltima voluntas, vel donatio inter viuos. Et pro parte quod esset vltima volūtas, allegabatur tex. in l. si filia nupta. §. si pater. ff. fam. her. & in l. quotiens C. fam. her. & ibi Paul. de Cast. col. fin. vers. sed pone, ad hoc ponderat illum tex. & hoc firmat Bar. in l. cum pater, §. euictis, ff. de leg. 2. Abb. cons. 66. col. fin. vers. nec obstat vol. 2. Ripa in 2. lib. responsorum, col. 9. vers. nam ista decisio Cassan. super consuet. Burgun. fol. 156. colum. 1. Contrarium tamē fuit resolutū, quod censeretur donatio inter viuos, per dictum Saliecti in l. si filiæ cuius, col. 4. vers. sed tūc quero, C. fam. her. de quo per Ias. in l. qui aliena, in prin. in final. col. ff. de acquir. hæred. non obstante quod illud dictum Salic. impugnet idem Ias. in l. si certis annis. C. de pact. & Alex. in l. si donatione, C. de collat. quoniam Decius in d. l. si donatione. illud defendit. Item, quia si aliter diceremus quod non esset donatio inter viuos, sequeretur quod filij percipientes fructus, & eos in suam vtilitatem conuertentes, deliquissent. ne ergo istud dicamus, potius debemus præsumere, quod voluerit donare inter viuos, ex quo tanto tempore passus fuerat in vita, quod illi perciperēt fructus, quā vltimam volūtatem facere. Et licet verū sit, quod diuisio simpliciter inter filios facta, habeat vim vltimæ volūtatis per supra adducta, verum, quādo sola diuisio interuenit, sed quando vltra diuisionem, interuenit decennalis possessio, cum scientia, & patientia patris, potius præsumitur donatio quam vltima voluntas. per ea quæ dicit Ias. in d. l. qui in aliena. in prin. in final. col.

SVMMARIVM.

Tutor, sicut ante litē contestatā potest constituere actorem, ita & procuratorem de iure canonico.

DECISIO CXXIX.

Fvit dubitatum coram D. Peregrino, in vna Toletana, iuris sepeliendi, die 4. Aprilis 1544. An tutrix testamentaria, & data per iudicem, decreta tutela eidem cū facultate substituendi, possit substituere. Et dicebatur, quod nō poterat substituere. per decis. Bisig. 10. de procurator. dum vult quod iudex non potest tutori dare licentiā sub-

substituendi. Item, quod licet tex. in l. neque tutores, C. de procurator. dicat quod tutor in re pupilli, non possit dare procuratorem sed actorem, tamen quod ista differentia, de iure canonico nō recipitur, vt dicit Alberic. in d. l. neq; tutores, & c. petitio, vbi Innoc. & Abb. in 3. notab. & in fin. de procurator.

SVMMARIVM.

1 *In transferenda possessione, an citius operetur dispositio legis, quam dispositio hominis.*

2 *Possessione ciuilissima translata in haeredem, an legatarius possit propria auctoritate apprehendere possessionem rei legatae, propter auctoritatem datam à testatore.*

3 *Possessio per institutum in re certa, quando sine vitio apprehendatur.*

4 *Possessionem capere videns, quando consentire dicatur.*

5 *Possessio quando possit capi propria auctoritate per legatarium, data sibi facultate à testatore.*

6 *Legatarius habetur loco haeredis, quomodo intelligatur.*

7 *Possessio iure familiaritatis, quando non praesumpta.*

DECISIO CXXX.

* In ista causa Placē ina Castri Sarinati, vide quae dixi superius decis. 73. hoc lib. ista causa fuit decisa pro Comite Olderico Scoto, contra Comitem Gasparem Scottum. quia cum Iacobus, pater Olderici, haberet titulum videlicet institutionem, in Castro Sarinati, quod apprehendendo possessionem dicti Castri, diceretur apprehendisse nomine proprio, non autem iure familiaritatis, per ea quae dicit Paul. de Cast. in l. qui iure familiaritatis. & ibi Arct. ff. de acquiren. possess. vnde cum postea fuisset spoliatus, debebat ad illam possessionem restitui.

CAusa Placētina, Castri Sarinari, de qua feci mentionem supra decis. 73. hoc libro 2. iterum posita super eodem puncto, die 28. Aprilis 1544. ex septem votantibus, quia aberat Dominus Aquensis, fuimus quatuor pro Comite Olderico, & tres pro Comite Gaspare. Duo ex quatuor qui fuerunt pro Comite Olderico, mouebātur, quia
1 licet prouisio ✝ legis, & sic decreti, operetur citius in transferenda possessione quam prouisio hominis, vt per Innocen. in cap. praeterea requisiuisti, de appellat. Bald. consil. 454. in fin. volumine 1. tamen dicebant illi, quod non repugnabat, quod possessio esset translata in haeredes pro portionibus haereditarijs, & tamen, postquam ciuilissima possessio erat in haeredes translata, posset apprehendi pro-
2 pria auctoritate ✝ per institutum in re certa, propter facultatem tacitam data à testatore. quia quo ad hoc, tacita facultas, & expressa aequiparantur. vt per Angel. in l. hoc si res, ff. de rei vend. Et istud etiam non solum habet locū in ista possessione ciuilissima per decretum translata, sed etiam vbi possessio esset plenificata in persona haeredum. quia, dato quod haeredes plenarie essent adepti possessionem, tamen propter auctoritatem, seu facultatem, datam
3 apprehendendi propria ✝ auctoritate, haerede non resistente, possessio absque aliquo vitio potuit per institutum in re certa apprehendi. vt per Ias. in l. non dubium colum. 2. in 3. fallen. iunctis ijs quae dicit in princip. illius l. C. de legat. & maxime quia haeres, qui iuxta voluntatem te-
4 statoris tenebatur tradere, videndo ✝ quod alius capiebat possessionem, & non contradicebat, videbatur cōsentire. iuxta singularem tex. in l. 2. C. de acquir. possess. Non obstat quod dicit Ias. cōs. 146. in 4. volum. quia dicebatur primo, quod Ias. in princip. non loquitur quando data erat facultas apprehendendi propria auctoritate, etsi postea subijcit, & quando esset data facul-
5 tas debebat adiri iudex, & pars citari, ✝ allegando Bald. consil. 234. Aduertendū est quod dictum Iasonis intelligendū est secundum auctoritatem quam allegat. videlicet quando pars resistebat, vel erat timor quod resisteret. quod patet. quia Bal. dicit quod potest pars implorare officium iudicis, ne vis fiat ei, &c. Per hoc ergo non negat Bald. quod si vellet propria auctoritate, quando pars non resisteret, apprehendere, quod esset vitiosus possessor. immo Bal. sentit expresse contrarium, dum dicit. quod si pars implorat officium iudicis, quod debet iudex impartiri. ne vis fiat ei. ergo licentia apprehendendi propria auctoritate, non obstante decreto, operatur. Item, non obstat quod dicit Innoc. in cap. in praesentia. circa princ. de probation. dum vult, quod si sunt duo haeredes instituti, quilibet eorū habet facultatem apprehendendi portionē suam propria auctoritate, & tamen si vnus haeres occupauit totam haereditatem, non potest alius cohaeres apprehendere portionem suam propria auctoritate. Quia respondebatur, quod statim quod vnus haeres apprehendit totam haereditatem, facto declarauit quod nolebat stare voluntati testatoris, & sic contradicebat. Vnde, cum habeamus cōtradictionem, nil mirum si illa facultas apprehendendi propria auctoritate, non operabatur. quod secus est in casu nostro. in quo nulla erat contradictio, nec facto, nec verbo. & idem respondebatur ad id quod dicebatur, quod licet legatarius
6 ✝ habeatur in re legata loco haeredis. l. id tempus, §. fin. ff. de vsucapion. & ipse occupet rem legatam, tamen haeres vniuersalis qui habet facultatē apprehendendi propria auctoritate, non potest illam apprehendere, sed via iudicis. vt per Ang. in l. vnica C. quor. bonor. quia dicebatur vt supra, quod per occupationē factam per legatarium, facto apparebat de contradictione.

Duo alij ex dictis quatuor, qui concurrebãt pro Comite Olderico, non mouebantur dicta ratione, sed alia. videlicet, quia dicebant quod ex quo constabat de titulo Comitis Olderici, videlicet de testamento, in quo erat pater eius institutus in d. Castro Sarmati cum substitutione de primogenito in primogenitum, quod dicendum erat quod Iacobus pater Comitis Olderici, voluisset
7 nomine proprio, ✝ & non iure familiaritatis possidere. vt per Paul. de Cast. & Aret. in l. qui iure familiaritatis, ff. de acquir. poss. & istud sufficiebat pro victoria Comitis Olderici. quia, dato quod illa possessio esset spoliatiua fratrum suorum: tamen ex quo ipse erat vltimo spoliatus, erat restituẽdus. quia vltimum spoliũ est purgãdum. Et sic quatuor, licet ex diuersis rationibus, tamen cõueniebant pro Comite Olderico.

SVMMARIVM.

Quando sunt duo subrogati etiã quo ad possessionẽ, dato quod vna subrogatio sit prior altera, tamen iudicio ordinatio agẽdũ est.

DECISIO CXXXI.

IN vna Abulensi, seu Salamãtina beneficij de Rabe, corã D. Mohedano, die 28. Aprilis 1544. fuit cõclusum, quod si sũt duo subrogati in iuribus defuncti, & vnus sit prior altero, etiam quo ad possessionẽ & posterior subrogatus, sit possessor, quod si prior subrogatus petat se immitti in possessionẽ vigore prioris subrogationis, quod ex quo vterque habet similem titulum, quod iudicio ordinario agendum est. per doctrinam Bart. in l. fin. col. pen. vers. aut cõparet aliquis, qui dicit se possidere, &c. C. de edic. Diui Adriani tollen. & ibi Dec. colum. 17. circa finem. etiam quod in illo casu, fuissent intimatæ exequutoriales illi posteriori subrogato, per priorẽ qui erat subrogatus, etiã quo ad prosequutionẽ exequutorialium, & esset processum ad aggrauatoriã. per id quod dicit idem Bart. in d. l. fin. col. eadẽ pen. vers. quãdoque quis venit post iussum. &c. in fine illius vers. sed si cõtra contumacẽ talis licẽtia, &c. Et nõ obstabat, quod prior subrogatus, esset etiã subrogatus quo ad prosequutionẽ exequutorialiũ, & posterior subrogatus nõ. Quia dicebatur quod illa subrogatio ad prosequutionẽ exequutorialiũ erat accessoria ad subrogationẽ iuris: quia si prior subrogatio non tenebat; nec etiam subrogatio quo ad prosequutionem exequutorialiũ.

SVMMARIVM.

Insinuatio ex lapsu triginta annorum præsumpta.

1 *Donatio inter patrem, & filium, si non sit insinuata, an valeat.*

DECISIO CXXXII.

FVit dictum in vna Romana seu Venetiarũ, ✱ corã D. Aquensi, die 5. Maij 1544. quod donatio facta à patre in filiũ, licet tex.
dicat in l. donationes quas parentes. C. de donat. inter vir. &
1 vx. quod nisi sit insinuata ✝ quod
non confirmatur morte. Tamen quod ex quo, tẽpore quo fuit inceptum agi, & sic quo fuit lis inchoata, erant lapsi triginta anni, quod præsumebatur insinuata, & ideo morte cõfirmata. per ea quæ dicit Ias. contra Bal. in l. sciendũ, col. 7. vers. confirmo istam partẽ, ff. de verbor. obligat. & in l. qui in aliena, in princ. col. 5. in fin. vers. contrarium notabiliter, &c. ff. de acquir. hæred. Marian. Socin. in c. fin. col. 38. vers. secundus effectus, &c. de dilation. Barbat. in rubr. C. qui admit. Felin. in c. sicut, col. 18. num. 33. de re iudic. etiam in præiudicium tertij, & quod tractetur de graui præiudicio, vt per Felin. in d. c. sicut, colum. 15. vers. secundo aduerte, de re iudic. Nec obstat quod dicebatur, quod tempore mortis ipsius patris, non erant lapsi triginta, sed tantum sexdecim anni, vnde non poterat præsumi insinuatio, & sic donatio confirmari non poterat. quia dicebatur, quod non attendebatur tempus mortis testatoris, sed inchoati iudicij. quia tũc erant elapsi triginta anni, & tunc prçsumebatur insinuatio.

✱ Ista causa fuit iterum posita die 29. Octobr. 1544 & iterum resolutum, quod præsumeretur. non obstat quod donatio vt insinuetur, requiritur quod in scriptis fiat, vt per Ant. de Canar. in tract. de insinuation. quæst. 17. & actus qui debet fieri in scriptis non præsumitur. vt dicit Cassan. in cosuet. Burgund. fol. 308. colum. 1. vers. & ista est vna limitatio, Felin. in c. sicut, num. 37. de re iudic. Tamen fuit responsum ex ijs quæ dicit Iason. in l. 2. colum. 55. num. 192. C. de iur. emphyt. Item & secundo, nõ obst. quod in his quæ grauis præiudicij, solennitas nõ præsumitur. quia fuit respõsum, quod est verum nisi ageretur de longissimo tempore. vt per Gozadin. cons. 173. per totum, quod duo specialia prçsumerentur, scilicet donatio & insinuatio, quia fuit dictum, quod vnum venit in consequentiam alterius. vel potest dici vt dicit Ias. in dict. num. 192.

SVMMARIVM.

Pro supplemento legitimæ, non datur actio hypothecaria.

1 *Legitimæ supplementum, an petatur actione ex testamento.*
Et an petatur contra voluntatem testatoris.

DECISIO CXXXIII.

QVinta Maij 1544. In vna Senensi hæreditatis, coram D. Thoma de Thanis fuit resolutum, quod sicut pro legitima non competit filio hypothecaria. per ea quæ alias dixi supra decis. 39. hoc lib. 2. ita nec etiam filius habet bona patris hypo-

pothecata pro supplemento legitimæ, dato quod aliquid pater filio in testamento reliquerit. non obstãte quod contrarium dicat Fulgos. consil. 82. Dec. cons. 235. col. pen. & Negusant. in tract. de pign. in 4. memb. secundæ partis principalis. vers. vigesimus quartus casus, &c. Fundamenta cõclusionis fuere, quia supplementum legitima, non pe-
1 titur actione ✝ ex testamẽto, sed cõdictione ex lege, vt tenet glo. in l. omnimodo. in verbo exigere. C. de inoff. test. vbi Paul. de Cast. & idẽ in l. scimus. in 1. not. C. eodem, Ias. in d. l. omnimodo, Corn. cons. 26. vers. nec obstãt 3. vol. & cons. 168. 4. vol. 2. col. Soc. cõs. 150. col. 19. num. 33. vers. prima est arguendo. Item, supplementum petitur contra voluntatem testatoris. vt per Cuman. cons. 70. col. 1. Anchar. cons. 421. col. fin. vers. secundo casu, &c. Et ita per istas rationes tenet Socin. in l. si ex tota. col. 1. ff. de legat. 1.

SVMMARIVM.

Fama probata, quando transferat onus probandi contrarium, in aduersatium.

1 *Gratiam cadere sub facultate limitata quoad valorem, quis probare debeat, an prouisus, vel impetrans.*

DECISIO CXXXIV.

IN vna Abulẽsi beneficij de Villa toro, in qua Episcopus Abulẽsis habebat facultatem conferendi in sex mensibus, & in alijs sex Cardinalis de Farnesio, tamen erat in indulto, quod si beneficiũ erat reseruatum, & 24. valorem excederet, quod prouisus teneretur expedire nouam prouisionem, & iura Cameræ soluere. dicebatur per impetrantem Apostolicum, contra prouisum ab Ordinario, quod beneficium excedebat 24. & cum non soluisset iura Cameræ quod vacabat. Fuit dubitatum coram D. Prospero, die 5. Maij 1544. quis teneretur probare valorem, & impetrans dicebat, quod prouisus ab Ordinario tenebatur probare beneficiũ esse intra 24. ex quo ipse, probauerat per publicam vocem, & famam, quod erat
1 maioris valoris. ✝ & ideo transferebat onus probãdi in prouisũ ab Ordinario, per dictũ Archid. in c. hoc videtur, 22. quæst. 5. Roman. singul. 341. cum alijs concordan. de quibus in addit. positis in fin. tractatus Io. Crot. de testib. col. 1. vers. tertio fallit. Ad quod fuit responsum, quod illud dictũ, procedit quando agitur ad canonizatoriam, secus si ad absolutoriam, prout in illo casu agebat prouisus ab Ordinario. per decis. Ægidij 471. Non obstabat etiam decis. 10. de probation. alias 438. in nou. quia illa decis. loquitur in habenre facultatem limitatam. quod secus erat in casu indulti. nam poterat prouidere de quocũque beneficio. tamen prouisio resoluebatur, in euentum quod esset maioris valoris 24. non factis diligentijs de quibus in indulto.

SVMMARIVM.

Statutum Rauennæ, quod vir lucretur medietatẽ dotis, quomodo intellectum.

1 *Forum rei, an sequatur mulier quo ad lucrum dotis.*

DECISIO CXXXV.

DIe 9. Maij 1544. fuit resolutum in vna Ariminẽsi matrimonij corã me, quod statutum Rauennatẽse, volens quod maritus lucretur medietatem dotis, quando mulier traducta ad domum, & cõsumato matrimonio decedit. licet in fine statuti dicatur. Et prædicta locum habeant in ciuibus & districtualibus Ciuitatis & districtus Rauennæ, & qui pro tempore contracti matrimonij erunt ciues, & habitatores continui Ciuitatis & districtus Rauennæ. Haberet locum in ciue Rauennæ qui duxerat vxorẽ Ariminẽsem. quod videlicet mortua vxore lucraretur medietatem dotis ea ratione, quia licet in fine dicat in ciuibus, & sic videretur posse dubitari, an illa verba intelligerẽtur, quod tam vir quàm vxor essent ciues; tamen dixerunt Domini quod debebant intelligi de viris. idest quod mariti essent ciues. & continui habitatores. quia statutum voluit prouidere vtilitati hominum Ciuitatis Rauennæ vt dicebatur in prohemio. & illa dictio, hominum, erat intelligenda idest virorum. quod apparebat. quia in sequentibus disponitur de vtilitate ipsorum, quia dicitur quod maritus lucretur mediam partem dotis, & non disponit de vtilitate vxoris. Ergo illa verba sequentia, & prædicta locum habeant in ciuibus, erant intelligenda in ciuibus masculis, idest in viris non autem in fœminis. & quia, etiam in dubio, statutum debet interpretari secundum ius commune, & de iure communi mulier, quo-
1 ad ✝ lucrũ dotis, sequitur forum rei l. exigere dotem, vbi DD. ff. de iudic. & fuit resolutio coram me.

SVM-

SVMMARIVM.

Oblatio non requiritur antequã quis agat, dum tamen fiat ante fententiam.

DECISIO CXXXVI.

* Vide ad materiam quæ dicit Tiraquell. in tract. de retrac. fol. 197 pag. 1. verf. hic ergo dicitur, &c. cũ feq. col. 1 & fol. 198. pag. 2. verf. denique & illud quærimus.

Eadem die, fuit refolutũ * in vna Cefenatẽfi, credo coram D. Profpero, quod contra hæredem eius qui promiferat quod talis, fiue hæres eius, retrouenderet domum pro eodem pretio, &c. poffet agi per illum cui facta fuerat promiffio, feu eius hæredẽ, ad faciendũ quod retrouenditio fieret. dato quod pretium realiter oblatum non fuiffet, dum tamen pretium realiter offeretur ante condẽnationẽ. maxime vt erat in cafu illo, quod pars opponebat. Quia licet fint variç opiniones, an quis teneatur offerre, ita demum fi petatur vt per Tiraq. in tract. de vtroque retract. fol. 138. pag. 2. tamen poteft quis agere, & ante fententiam offerre. per ea quæ dicit idem Tiraq. fol. 140. pag. 2. verf. ego tamen in cafu huius confuetudinis, &c. Vide Dec. l. filiæ licet C. de collation.

SVMMARIVM.

Indultum Cardinalis Rauennæ, fufpenfum in fauorem expectantium, & collatio Ordinarij & Apoftolica, nulla.

1 *Durante menfe ad acceptandum, an manus Ordinarij ligatæ fint.*
2 *Prouifio Apoftolica an tollat decretum expectatiuæ, fed an decretum in indulto appofitum.*
3 *Collatio Apoftolica, quando abforbeat ius expectantis.*

DECISIO CXXXVII.

Duodecima Maij 1544. in vna Rauennatẽfi, coram D. Rauellẽfi, fuit dictũ per quatuor ex Dominis, tribus repugnantibus, quod licet indultũ Cardinalis Rauennatẽfis effet fufpenfum per regulã alternatiuam fex menfium in fauorem expectantium; tamen quod licet expectans, infra menfem non acceptaret, quod tamen prouifio Cardinalis infra menfem, non teneret.
1 quia ✝ durante menfe ad acceptandum, ligatæ erant manus Ordinarij. per decif. Caffador. 5. de conceff. præben. & 2. de decret. in referuatione appofitis. per Felin. in c. eũ ex officij. in 9. quæft. de præfcription. Et in eadem, per quinque ex Dominis, duobus tamen repugnantibus, quod prouifio Apoftolica infra menfem D. Profpero de fancta Cruce facta, etiam effet nulla propter decretum indulti. nam licet ✝ prouifio Apo-
2 ftolica tollat decretum expectatiuę propter claufulas generales derogatorias, tamen non tollebat decretum in indulto appofitum. cum de eo nullam mentionem faceret. Et licet, propter expectantem, indultum effet in fufpenfo, & Cardinalis non poffit prouidere, & ideo dicebant illi, quod cum effet aperta via edicto, deberet valere collatio Papę; tamen dicebatur, quod cum indultum haberet duas partes, vnam præferuans collationem ordinariam, alteram in qua Papa ligabat fibi manus cum decreto irritãti, nõ apparebat fimpliciter conferendo, quod illi voluntati præcedenti Papa voluiffet derogare. Non obftat decif. Bifig. 23. de con-
3 ceff. præben. quia ideo ibi valuit ✝ collatio Apoftolica, quia abforbebat ius expectantis. ideft derogabat iuri expectantis per claufulas derogatorias. iuxta dictam decif. licet de more.

SVMMARIVM.

Decretum irritans, appofitum in regreffu, operatur vt fpoliatus non fit reftituendus.

1 *Decretum irritans quando afficiat manus Papæ.*

DECISIO CXXXVIII.

Decimafexta Maij 1544. in vna Toletana Parochialis coram D. Thoma de Thanis, fuit refolutũ, quod habens acceffum, feu regreffum, ad certum beneficium, poteft fpoliare alium etiam quod habeat prouifionem Apoftolicam, propter decretum irritans appofitum in acceffu, feu regreffu, ita vt fpoliatus non poffit petere reftitutionem beneficij, per decif. 2. Caffadori de reftit. fpoliat. Ita quod, licet fpoliatus haberet expectatiuam, & nouam prouifionem, tamen non erat reftituendus. quia decretum irritãs, appofitum in regreffu, inficiebat poffeffionem fpoliati, & is non poterat petere fe reftitui. & etiam dicebatur quod inficiebat titulum fpoliati. quia de-
1 cretum irritans, ✝ etiam afficit manus Papæ. vt per Dominic. in c. pen. de conceff. præben. in 6. Nec obftat decretum irritans appofitum in noua prouifione. quia cum fit in gratia de vacanti non eft in confideratione. vt dixi fupra in alia decif.

SVM-

SVMMARIVM.

Descendentes ex fœmina, quãdo possint reintegrari, stante statuto exclusiuo fœminarum ad tempus.

DECISIO CXXXIX.

IN vna Senensi hæreditatis, coram D. Vorstio 16. Maij 1544. in qua, filię & descendentes ex ea, excluduntur per statutum Senense, quamdiu masculi supersunt. Fuit dictum quod mortua prius filia, & postea masculus, quod descendentes ex fœmina, poterant reintegrari. per cons. Socin. 10. vbi consuluit in proprijs terminis dicti statuti vol. 3. Et facit quod dicit Albert. Brun. in tract. de masc. excluden. fœm. in 11. articulo. in 9. quæst. in 3. col. vers. quid autem sit statutum, &c.

SVMMARIVM.

Exequutoribus extraiudicialiter procedentibus creditur, licet non appareat de processu.

1 *Exequutor quando extraiudicialiter procedat.*
Exequutori, quando credatur sine processu, & num. 3. & 4.
4 *Iudici, sine processu, quando credatur.*
5 *Religioso non datur absolutio à professione, non citato procuratore Religionis.*
6 *Ordinibus maioribus probatis an censeantur probati minores.*
7 *Narratiua in ordinationibus, quando probet.*

DECISIO CXL.

Parisf. cons. 57. stat. prin. 91 &c. n. 50. vol. 4.

FVit dictum in vna Conchensi parochialis de Salmeron, quod quando proceditur per exequutores Apostolicos, quibus committitur facultas dispensandi, si inuenerint dispensandum idoneum, & non imitatorem paternæ incontinentiæ, vbi non adest clausula, vocatis vocandis, & nullus
1 est cōtradictor, ✝ quod proceditur extraiudicialiter. vt ponit Card. cons. 63. in prin. & cons. 75. etiam in prin. Felin. in c. fin. col. pen. num. 36. in 2. quæst. de præsump. & deseruit. allegat. Lapi 61. Ias. in l. admonendi, num. 233. de iureiur. & maxime vbi fuit onerata conscientia. & quod vbi exequutor procedit extraiudicialiter, cre-
2 ditur sibi de processu, ✝ licet non appareat, & non habeat locum. c. quoniam contra, de probat. vbi ponit Specul. in tit. de remiss. §. vtile, col. fin. ante vers. quid ergo, tradit Rota decis. 448. * in fine. in nouis. & 498. cum sequen. in antiquis. Abb. in c. post cessionem, num. 9 vbi etiam Feliu. de probat. maxime vbi oneratur conscientia exe- * alias 49 de præben. al 43 4. de offic. ordinar.
3 quutoris. ✝ secundum gloss. in Clem. 1. de offic. deleg. & Bart. in authen. nisi breuiores. ad finem, C. de senten. ex peric. recit. & late Felin. in c. quoniam contra, in 1. limitat. vult quod in causis modicis credatur
4 iudici ✝ sine processu. & nō obst. decis. Ægidij 377. & 618. quia Ægid. loquitur vbi factum est arduum, & alteri præiudiciale. & per illas decisiones Ægidij, diebus præteritis coram eodem D. Io. Paulo, fuit tentum quod non credebatur * exequutori, qui dispensauerat super religioso, absoluendo eum à professione, quam fecerat, nisi docto de processu. quia ibi agebatur de graui præiudicio, & in ea erat clausula, citato procu- * quando non credatur exequutori, vbi nō constat de processu.
5 ratore Religionis, prout solent dari ✝ istæ declaratoriæ iuris. Et in eadem fuit resolutum quod clericatus, sufficienter probaretur per ostensionem quatuor minorum ordinum, in quibus Episcopus promouens narrabat eum per prius ad clericalem ton- * Clericatus per ostensionem maiorū ordinum probatus. Contrariū dicit Aym. Crauc. cōs. 134. incipit. alias &c. col. 10. nu. 45. & col. 9 n. 49. Bar. & Ang. in l. illud, ff. de acq. here. Vid. Probū in c. 1. col. 4. post n. 12. vers. verū tū audio &c. de tēp. ord. in 6.
6 suram promotū. quia probatis ✝ maioribus ordinibus, probantur minores. vt per Bal. in l. si solemnibus, C. de fid. instrum. & per glos. & Abb. in c. vnico de cler. per salt. pro-
7 mot. maxime vbi illa ✝ narratiua, fit à persona fide digna. vt per Innoc. in c. 1. circa finem de cler. peregr.

SVMMARIVM.

Constitutio priuilegiatiua, item decretum irritans habēs, ligat ante publicationem.

1 *Priuilegium an debeat publicari, vt liget.*
Quid in priuilegio concesso per viam constitutionis, & num. 3.
2 *Priuilegium contra eos, quos tendit, an operetur ante priuilegiati notitiam.*
4 *Decretum irritans, an operetur quod actus sit nullus ante publicationem.*
5 *Supplicationis expeditio, an requiratur quando non agitur ad canonizationem.*

DECISIO CXLI.

FVit resolutum coram D. Fabio, in vna Cartaginiensi canonicatus & præbendæ die 26. Maij 1544. quod priuilegium concessum Clero Hispaniæ, annullans regressus sine consensu, etiam quod non constaret de publicatione priuilegij, annullaret regressum sine consensu pręstitum. quia in materia priuilegiatiua, in tantum non requiri-

1 ritur ✝ publicatio, quod etiam si per legem vel statutum concedatur priuilegium, immediate ligat, & effectum suum operatur. vt not. Abb. in c. 2. col. 4. vers. & vide ibi bonam glossam, &c. & ibi Dec. col. pen. in 2. lect. versic. quarta conclusio, &c. de const. Et in priuilegiatiuis, solum requiritur notitia priuilegiati, licet etiam quan-
2 tum ad eos in quorum ✝ praeiudicium tendit, operetur effectum ante priuilegiati notitiam. vt per Felin. in d. c. 2. col. 4. vers. tertio limita, & in sequenti col. vers. hanc limitationem intellige. vbi etiam ecludit,
3 priuilegium ✝ concessum per viam constitutionis, operari ante publicationem, etiã si concedatur per viam constitutionis inserta in corpore iuris: quo casu magis dubitabatur an requireretur publicatio. Item dicebatur, quod priuilegium habebat decre-
4 tum irritans, ✝ & tunc actus est nullus etiã ante publicationem legis. secundum Felin. in d. c. 2. col. 5. vers. quarto limita quicquid dixerit Cardinalis. de constit. Philip. Franc. super data Sexti. colum. 4. vers. ter-
5 tio aduerte. Et non obstabat, quod ✝ supplicatio non esset expedita. quia dicebatur, quod non agebatur ad canonizationem priuilegij.

SVMMARIVM.

Vide casum in quo non fuit habitus respectus, quod regressus habeat causam de praeterito.

1 *Beneficia semel affecta, an semper remaneant affecta.*
Regressus habet causam de praeterito.
2 *Affectio per prouisionem Papae an expiret.*

DECISIO CXLII.

IN vna Palentina praestimonij de Fuentes de Val de pero, corã D. Io. Paulo, die 30. Maij 1544. in qua Rodericus, durante familiaritate Cardinalis Sanctorum Quatuor senioris, praestimonium ipsum habuerat, sed post mortem ipsius Cardinalis, praestimonium resignauit, reseruato regressu. & facto loco regressui obierat, & Ordinarius de illo prouidit. Fuit dubitatum, An prouisio teneret. Et quod non teneret faciebat
1 vulgata decisio, quod beneficia ✝ semel affecta, semper manent affecta. & quia regressus habet causam de praeterito. vt per Cassador. decis. vnica de pact. Videbatur etiam illud ius regressus, ex causa de praeterito affectum. Sed hoc non obstante, fuit per maiorem partem contrarium conclusum,
2 ex eo, quia per prouisionem Papae, ✝ affectio expirat. vt per Rot. decis. 283. * & 882. * in antiq. & in nou. 181. & 270. * & ideo per resignationem expirauit illa affectio. & * quando locus fuit regressui, licet ex causa * de praeterito, tamen illud ius notum fuit.

14. de praeb. *vlt. de rescrip.* *10. de praeb.*

SVMMARIVM.

Clausula, appellatione remota, non operatur respectu tertij non compraehensi in rescripto.

DECISIO CXLIII.

FVit resolutum in vna Augusten. Capellaniae, coram me, de mense Iulij 1544. quod clausula, appellatione remota, nõ operaretur nisi respectu compraehensorum in rescripto, non autem respectu tertij. ita vt si pro tertio ferretur sententia, prout erat in casu illo, poterat appellari, per ea quae dicit Franc. in c. pastoralis, col. pen. in 7. quaest. de appellat. Dec. in c. sua nobis, col. 2. vers. quarto fallit, de appellat.

SVMMARIVM.

Legatus de latere, an possit derogare regulae de viginti.

1 *Legati, vel Nuncij potestas, an extendatur vltra specialiter concessa.*
2 *Resignatio quando fit per absentem, an derogetur regula de viginti.*

DECISIO CXLIV.

VIgesima Iunij 1544. in vna Caesaraugustana Capellaniae de la Infanta, pro Thoma Fort, cõtra Petrũ Serras corã D. Io. Paulo, fuit resolutũ, quod Legatus de latere existens in partibus Hispaniae, non potuisset derogare regulae de viginti, dato quod verba indulti seu facultatis Legati dicerẽt. Nõ obstantibus Apostolicis constitutionibus, & ordinationibus, & quibusuis regulis Cãcellariae Apostolicae, editis & edendis, quibus etiã in specie valeas derogare. Quia dice-
1 batur, quod potestas ✝ Legati seu Nuncij non extenditur vltra specialiter concessa, decis. fin. de praeben. in nouis, alias 488. & in tota illa facultate, de regula de viginti nulla mentio fiebat. ergo in ea compraehendi non poterat. Non obstante dicta verba, per quae videbatur data facultas derogandi regulis, editis & edendis. quia si in parte dispositiua ipsius indulti, nullibi fuit di-

dictum, quod posset Nuncius, seu Legatus
admittere resignationem beneficiorum per
constitutos in mortis articulo, seu in infir-
mitate, non possunt verba exequutiua au-
gere partem dispositiuam. Operabitur er-
go illa clausula, non obstante, quo ad con-
tenta in dispositiua indulti. & ita videtur
decisum. vt per Samen. super reg. de infir.
quæst. fin. Non obstat, quod ab vsu patris fa-
2 milias vbi resignatio ✝ fit per absentem, so-
leat derogari, prout videmus in Curia.
Quia illud procedit, vbi in dispositiua ali-
quid decernitur de admissione resignationis,
quæ fit ab eo qui est in infirmitate constitu-
tus. quod cum hic factum non fuerit, illa
verba exequutiua, non habent dispositiuam
augere. Non obstant quæ dicit Samen. de
clausulis pro expressis in prohemio regula-
rum. quæst. 6. col. 3. n. 5. & 6. quia illa clau
sula, refertur quo ad expressa, & quo ad ea
quibus applicari potest.

SVMMARIVM.

Valor pecuniæ quo tempore
attendatur.

1 *Valor pecuniæ attenditur secundum tem-
pus contractus, sed quomodo procedat,
n. 2. 7. & 8.*
3 *Soluere debens in ducatis auri largis, an
possit soluere in moneta.*
4 *Ducati auri largi, an hodie reperiri dican-
tur ad effectum soluendi.
Soluens iuxta valorem qui erat tempore
contractus, liberatur.*
5 *Promissio de soluendo in ducatis auri largis,
quomodo intelligatur. & n. 6.*
6 *Obligatio, omnis intelligitur rebus sic stan-
tibus.*

DECISIO CXLV.

COmmunis conclusio est, quod valor pe-
cuniæ attenditur secundum tempus
1 ✝ contractus. * vt per Albert.
Brun. in tract. suo de augumento
char. 25. col. 1. vers. ijs sic præmis-
sis. & ita conclusio procedit, etiã
in obligatione habẽte tractũ in fu
turũ, vt in obligatione annua. se-
cũdũ eũdẽ in d. trac. char. 28. col.
1. vers. septimo prędicta cõclusio.
&c. Et illud, quod attendatur va-
2 lor secundum tempus cõtractus,
procedit non solum respectu bo-
nitatis intrinsecæ, prout est materia ipsius
monetæ, prout dicit idem Brun. in d. char.
25. col. 2. vers. prædicta conclusio declara-
tur. sed etiam respectu bonitatis extrinse-
cæ, vt est valor, & æstimatio pecuniæ. prout

* Vide Curt. in tract. de moneta col. 3. vers. 3. quæro &c. decis. Neapolitan. 194. & ad ista quæ ego hic scripsi. Vide quæ dicit Curtius in suo tract. de moneta col. 4. vers. ego indistincte &c. in illis verbis, & dixit Pet. de Anchar. Nic. Boerij decis. 327. nobilis Gulielmus Maria Socin. Iun. cons. 145. viso puncto col. pen. vers. ex qua conclus. &c. vol. primo.

idem Brun. char. 26. colum. 4. vers. quarto
prædicta conclusio. cum sequenti col. in 5.
declaratione. Et licet ex forma contractus
Baldutius cõductor teneatur soluere ducatos
auri in auro largos: & ideo inuito credito-
3 re non possit ✝ soluere in moneta, non ob-
stãte consuetudine contraria, sed in ducatis
auri largis, vt per eundem Brun. in eodem
tract. char. 24. col. 1. vers. aliquando vero
quis promittit. &c. Tamen hic est aduerten-
dum, quia aut volumus dicere, quod ducati
auri largi, hodie non reperiantur, licet cum
4 difficultate ✝ & apud campsores, qui ex
eis mercaturam faciunt reperiantur; & re-
tento isto themate, dico, quod conductor
soluendo iuxta valorem qui erat tempore
contractus, liberatur. vt per eundem Brun.
in d. char. 26. col. 4. vers. quarto prædicta
conclusio. & char. 27. col. 3. in princ. ver-
sic. est etiam differentia: &c. Et licet diffi-
cultas nõ excusat ab obligatione, tamen di
5 co, quod obligatio ✝ promittẽtis soluere du
catos auri largos, intelligitur rebus sic stã-
tibus. videlicet quod ducati auri largi, sint
in communi cursu, non autem de eis fiat
mercatura, & negociatio. cum tritum sit
6 in iure, quod omnis obligatio ✝ intelligitur
rebus sic stantibus. Aut volumus dicere,
quod ducati auri largi, reperiantur non at-
tenta dicta difficultate: & etiam isto casu,
dico, quod cum attendatur tempus contra-
ctus, secundum bonitatem intrinsecam &
extrinsecam, vt superius dictum fuit; li-
cet Baldutius teneatur ad ducatos auri lar
gos in auro; tenebitur tamen dare ducatos
auri largos secundum illum valorem, qui
7 currebat tempore ✝ contractus, cum talis
valor dicatur bonitas extrinseca. alias se-
queretur absurdum, quod cum tempore
contractus, ducatus auri largus, valeret de-
cem iulios cum dimidio, vel vndecim, & ho-
die valet tredecim, quod in plus Baldutius
teneretur hodie, quam promiserit. Intelli-
gendo * tamen semper, quod moneta mi-
nuta, per quam aurũ æstimatur, puta grossi
ipsi, sint hodie eiusdem bonitatis, cuius
olim erant. alias soluendum esset de mone-
ta noua, tantum quantum antiqua æquiua-
leret. vt dicit idem Brun. in d. trac. char. 28.
col. 1. vers. sed tunc solet dubitari. &c. Et
quod Baldutius teneatur dare ducatũ auri
largũ, secundum valorem qui erat tempo-
8 re ✝ contractus, ponit idem Brun. in dicto
tract. de augumento. char. 27. in quinta
declaratione. dum post opiniones adductas
in distinctione sua, reducendo opinionem
ad concordiam, decidit casum nostrum. vi-
delicet vt sit præstandus ducatus qui est in
obligatione, secundum tamen valorem,
qui erat tempore contractus. Tamen mo-
neta quæ pro illo soluitur, est consideranda
secundum tempus solutionis. Nunc respon-
dendo

* Intelligendo tñ sẽper, &c. Vide ad propositũ Io. Ant. Alex. cõs. 17 col. 3. vers. verum tñ præmissis, &c.

dendo informationi dicitur, quod verum est quod Baldutius, iuxta formam conuentionis, tenetur soluere ducatũ auri in auro, & non in alia specie, si reperitur. per doctrinam Albert. Bruni superius allegatam, vel si non reperitur, vel cum difficultate, poterit fieri solutio in materia eiusdem bonitatis, vt etiam admittit informans pro D. Marco Antonio. Sed dico, quod si Baldutius soluit ducatum auri in auro largum, vel in materia eiusdem bonitatis, soluet ducatum auri in auro, vel aliam materiam, secundum valorem, qui erat tempore contractus. Ita quod si tunc ducatus auri largus valebat vndecim iulios, tantum ad illam rationem præstabit, & duos iulios ipse Baldutius superlucrabitur. Dum tamen vndecim iulij hodierni sint eiusdem bonitatis, cuius erant illi, qui tempore obligationis currebant, Et hoc modo cessat inconueniens in fine informationis adductum.

SVMMARIVM.

Sequestrum quo casu non fuerit concessum.

DECISIO CXLVI.

Domino Prospero proponente, die tertia Septembris 1544. fuit conclusum in vna causa, in qua agebatur de quodam Monasterio. in qua prius pro possessore fuerat lata sententia absolutoria; postea fuerat contra eum lata condẽnatoria reuocata prima, quod non dabatur sequestrum prout dicit Cassador. decis. 1. de sequest. poss. & fruct. & etiam quod ageretur contra monachum possidentem monasterium, quod pro fructibus non daretur sequestrum. non obstante dicto Io. And. in regula locupletari. de regul. iur. col. 6. vers. si autem fiat quarto modo, cum sequen. col. dum vult, quod iudex ex æquitate ne iudicium reddatur elusoriũ, quando subest aliqua suspicio etiã in prima instantia, & super fructibus rei immobilis, potest sequestrum apponere. & pro suspicione allegabatur, quod ille erat monachus, & per consequens nihil habens. Tamen Domini dixerunt, quod ex quo erat possessor, debebat sua possessione interim vti. Sed ista ratio, est contra ea quæ considerat ibi Io. And. & ideo posset dici, quia resolutio fuit facta absque studio, & sine informatione, quod deductis necessarijs pro victu & vestitu, quæ, attenta possessione, concedenda videntur; in reliquis alijs fructibus sequestrum fieri deberet. postquam cautio recessit ab aula. Et hoc modo credo intelligendum esse Io. Andream.

SVMMARIVM.

An fatalia appellationis prosequendæ, currant à die interpositæ appellationis, vel dati iudicis in casu isto.

DECISIO CXLVII.

In vna Hispalensi decimarum, in qua pro Archiepiscopo, & Capitulo Hispalensi lata fuerat sententia contra Ioãnem Comitem de Vregna per edictum, quæ trãsiuerat in rem iudicatam. & exequutoriales fuerãt intimatæ filio eiusdem, & successori in Comitatu. à quibus pro parte ipsius Comitis in partibus Hispaniæ fuit appellatum ad Sedem Apostolicam 22. Maij 1542. & causa postea fuit commissa in Curia de mense Ianuarij 1543. Dubitaui ego an tempus * appellationis prosequendæ, curreret à die interpositæ appellationis in partibus, an vero à die commissionis factæ in Curia, seu à die, quo verisimiliter potuit committere. Quia si à die interpositæ appellationis, biennium quod à Rota conceditur, erat elapsum, & sic appellatio deserta. Si autem à die, quo potuit causa in Curia committi, attentis impedimentis bellorum. &c. bienniũ non erat elapsum. Et causa posita die 26. Septembris 1544. per me, tres ex septem Dominis votantibus, dixerunt quod tempus, & sic annus prosequendæ appellationis, curreret à die interpositæ appellationis. per tex. in Clem. sicut. de appell. ex quo ibi initium temporis, quo appellatio debeat prosequi, ponitur. per tex. in l. si in diem. ff. de condit. & demõst. Et tanto magis, dicebant isti, quod non solum annus, sed & biennium erat elapsum. vnde imputandum erat ei, si infra tale tempus fuerat negligens. maxime quia secundum Abb. in c. ex ratione. col. 4. vers. ego dicerem. de appell. quando impedimentũ interuenit in 2. anno, semper currit tempus, nisi in duobus casibus, licet detur restitutio. Sed alij quatuor, cum quibus ego etiam concurrebam, tenuerunt quod tempus appellationis prosequendæ, inciperet currere à die quo verisimiliter potuit causam committere. per il quod dicit Lanfranc. in repet. c. quoniam contra. in tract. de interloquutorijs & appellation. col. fin. vers. vltimo pro complemento. de probat. & Brun. in 3. vol. in verbo appellationis fatalia. & idem Lanfran. in tract. de compromissis. in princ. in 4. col. circa prin. Non obstat respõsio data per tres Dominos cõtradicẽtes, dicẽtes quod dictum Lanfranchi loquitur in instantia statutaria, in qua præfigitur bre-

* Vide infra decis. 150. facit ad ista quæ ponit Fel. in c. personas. col. fi. circa finẽ. vers. tertius ad prosequẽdũ. &c. de appellat.

breuis terminus viginti dierum vtilium, & ex quo sint dies vtiles, non incipiunt currere nisi vbi est datus iudex, quod secus est in casu Clem. sicut. Quia dicebatur, quod Lanfranc. limitat Clem. sicut, licet postea inferat ad instantiam statutariam. Item dicebatur, quod rationes Lanfranchi etiam in casu Clem. sicut, militabant. Item ista respõsio non cadit ad id quod dicit Lanfranc. in d. tractat. de compromissis inserto in primo volum. tract. & Brun. in verbo appellationis fatalia, vbi simpliciter declarant dictam Clement. sicut, & non inferunt ad statutum de viginti diebus, sed ad aliud statutum, vt ibi per eos. Non obstat text. in l. si in diem. ff. de condict. & demonstrat. quia ibi respondet Bart. & secundum dictum Bart. licet text. in Clem. sicut, habeat initium temporis, tamen non habet ita expresse, vt subauditionem excludat. Non obstat, quod impedimentum superuenit in secundo anno, & ideo debet tempus currere, licet detur restitutio, quia respondebatur, quod in hoc erat æquiuocatio, quia prius erat disputandum, à quo tempore inciperet annus, & postea cognosceretur, an biennium esset elapsum, vel non. Sed vnum fundamentum, quod non fuit rũe adductum facit contra istam secundam partem, & sic contra istos quatuor. nam nos habemus, quod omne tempus, ab initio est cõtinuum. vt per glos. in rubrica de diuersis, & tempor. præscript. de qua glos. per Franc. Balb. in tract. præscript. in 1. part. 4. par. princip. in 6. quæst. vbi ex hoc infert, quod omnis præscriptio, siue legalis siue statutaria, est continua, nisi lege vel statuto aliud caueatur. Cum ergo tempus prosequendi de quo in Clem. sicut, dicatur præscriptio legalis, ergo erit continua. Sed ad istud fundamentum, potest responderi ex iis quæ dicit Socin. in dicta l. si in diem in distinctione quam facit, dum vult quod non procedit quando tempus curreret impedito. Sed si in casu nostro tempus esset continuũ, & curreret, etiam quod non esset datus iudex, curreret impedito. & tamen regula iuris est, quod non valenti agere, non currit præscriptio. Cum ergo detur annus ad prosequendum, debet ita integer ille annus dari, vt toto anno agere possit. Et cum aliquod tempus sit necessarium, vt ab Hispania nouum ad Curiam, pro causa committenda possit venire, certe illud tempus in dilatione non debet currere. Ego istam partem fui amplexus, quia in tempore remissoria fuerat decreta. & vbi constaret de bono iure Comitis, omnino fuisset restitutus. ad euitandum circuitus nolui iterum causam ponere. maxime cum Comes pro exequenda remissoria, debebat se obligare de stando sententiæ meæ. Et licet aliqui ex Dominis dixerint, quod ego non ponerem pro decisione; tamen ex supradictis ista opinio bene potest sustineri. Iste autem casus nunc non ponitur pro resoluto. Ista causa fuit iterum posita 10. Octobris 1544. & fuit resoluta, prout infra decisio. 150. hoc lib. 2.

SVMMARIVM.

Citatio ad primam diem & sequentes, non valet.

1 *Citatio nimis vaga, est nulla, & quare.*

DECISIO CXLVIII.

Coram D. Aquensi, in vna Hispalensi decimarum de la Luz, die 6. Octobris 1544. fuit resolutum quod citatio ad primam diem & sequentes, si in prima non esset pronunciatum, sed postea per decẽ dies
1 vel viginti post, esset nulla, tanquam † vaga, & speciem seruitutis inducens. per ea quæ dicit Bald. cons. 268. & Phil. Franc. in cap. cum parati. colum. 4. vers. secundo quæritur. & ibi Præposit. colum. 4. vers. verum cum scriptum sit. &c. de appellat.

SVMMMARIVM.

Gratia concessa ad beneficia spectantia ad collationem Matthæi Cardinalis, vacatura de eius consensu, quomodo intellecta.

1 *Gratia ad collationem vnius, an extendatur ad collationem alterius.*
2 *Dispositiua quando ex clausulis declaretur.*
3 *Affecta an sint beneficia, propter clausulas in gratiis positas.*
4 *Gratia, quando dicatur personalis, & numero 5.*
6 *Vacationis tempus quando attendatur in gratiis expectatiuis.*
7 *Verba in parte exequutiua, licet declarent, non ampliant.*

DECISIO CXLIX.

In vna Carthaginiensi portionis, coram D. Mohedano, in qua fuerat concessum, seu concessa reserua cuidam Hieronymo, familiari Papæ, ad beneficia pertinentia ad collationem Matthæi Episcopi Carthaginiensis, ratione Ecclesiæ Carthaginiensis, & indulti sibi concessi dumtaxat, & de eius cõsensu ratione Ecclesiæ Carthaginiensis, & indulti dumtaxat spectantia, vacantia ad præsens, & in posterum vacatura, acceden-

te ad hoc ipsius Matthæi consensu. fuit per
maiorem partem resolutum, quod cum con
sensus ideo fuerit requisitus per Papam, vt
non grauaret Matthæum Episcopum nisi
de eius consensu, quod licet Matthæus Car-
dinalis consensisset antequã beneficium va-
caret, quod si postea beneficium vacaret,
post obitum Cardinalis, ꝙ reserua illud non
caperet, quia consensus Episcopi require-
batur tempore vacationis, cum illo tempo-
re grauaretur. Cum ergo illo tempore
Matthæus iam desijsset esse, ergo successor
eius non fuit grauatus, quia Papa non in-
tendebat gratiam sine consensu concedere.
1 & ideo gratia † ad collationem vnius, non
extendebatur ad collationem alterius. cap.
cum in illis. §. fin. de præb. in 6. Non ob-
stat, quod in clausulis diceretur, seu si Epi-
scopo pro tempore existenti sit indultum.
2 &c. ex quibus videbatur dispositiua † de-
clarari. vt per Bald. in l. eam quam. C. de
fideicõm. & ideo videbatur quod non solũ
Matthæum, sed etiam successorem grauare
voluit, quia dicebatur, quod referebatur
etiam ad Matthæum, videlicet quod si Epi-
scopo pro tempore existenti esset indultũ
quod non teneretur ad receptionem, quod
non obstante tali indulto, Matthæus tenere-
tur. Non obstat, quod dicit Cardinalis in
Clem. penult. in prima opposit. & 6. quæst.
3 de præben. quod hodie, propter † clausulas
in gratiis positas, beneficia sunt affecta, ita
vt Ordinarius non posset disponere. Quia
dicebatur quod procedebat in gratijs sim-
plicibus & perfectis. sed ista erat acceden-
te consensu, qui non interuenerat.

Ista causa iterũ fuit posita 10. Octob. 1544
Et per omnes fuit resolutum id, ꝙ supra per
maiorem partem conclusum fuerat, videli-
cet quod gratia expirasset per obitum Mat
thæi Cardinalis Episcopi Carthaginiensis.
4 quia † gratia fuit reputata personalis. tum
quia in ea dicebatur, ad collationem Mat-
thæi Cardinalis Episcopi Carthaginiensis.
&c. spectantia. Voluit ergo Papa personam
5 Matthæi † non autem dignitatem grauare
ad not. in cap. quoniam Abbas. de offic. de-
legat. Item, quia loquebatur de beneficijs
6 vacaturis, & sic tempus vacationis † erit
attendendum. ad Rot. decis. 857. * in an-
tiquis. ergo illo tempore debebat consen-
sus Matthæi interuenire, & aliæ rationes
fuerunt consideratæ de quibus in informa-
tione, coram Mohedano. Et non obstat ꝙ
diceretur in clausulis exequutiuis, inhiben-
do Matthæo, & pro tempore Episcopo Car
thaginiensi, & sic videbatur quod per prædi
cta verba, Papa voluisset dignitatem, non
autem personam grauare. quia respondeba
tur. quod talis clausula alia verba habebat.
videlicet inhibendo Mattheo, & pro tempo-
re Episcopo Carthaginiensi, ne de beneficijs
huiusmodi. & sic stet restrictiue. ad benefi-
cia de quibus in dispositiua erat dispositũ.
Item, dicebatur sic, vt præfertur cum vaca-
uerint. & sic semper stat restrictiue. Vnde
7 licet verba † in parte exequutiua posita, de
clarent, tamen non ampliant. Fuit etiam
longo sermone responsum ad multa funda-
menta, pro vt in informationibus iuris.

* Alias 10. de con cess. præb.

S V M M A R I V M.

An fatalia currant à tempore interpositæ appellationis in partibus, vel die quo verisimiliter in Curia dari potuit iudex.

1 *Excommunicationis exceptio opposita, infra quod tempus probari debeat.*
2 *Fatalium prorogatio, ad quod tempus detur in Curia, & num. 3.*
3 *Fatalia quando non currant impedito.*

DECISIO CL.

CAusa Hispalensis decimarum, videlicet
à quo tẽpore fatalia * currerent, an à
die appellationis interpositæ in partibus,
an vero à die quo verisimiliter causam cõ-
mittere potuit, fuit iterum posita, die 10.
Octob. 1544. & fuit habita pro resoluta.
quia pro vna parte, videlicet quod deberet
fieri suppletio à die interpositæ appellatio-
nis & dati iudicis, fuerunt quatuor. & ego
concurrebã cum eis. Quia dicebatur, quod
in primis habebatur auctoritas Lanfranc.
prout dixi supra. Item, per not. per Bart.
in l. si in diem. ff. de condict. & demonstr.
& vltra Bart. tex. in c. 1. de exception. in 6.
1 vbi exceptio † excommunicationis, debet
infra octo dies, à die oppositionis, probari,
& suppletur ibi, & admissionis. Non obstat,
quod dicebatur, quod Lanfranc. non loque-
retur quando eramus in biennio, prout era
mus in casu nostro, sed loquitur quando su-
mus in anno. Quia respondebatur, quod cũ
2 in Curia daretur indistincte bienniũ † etiã
sine causa, dummodo infra annum aliquid
fecisset. vt per Cassad. decis. 6. de appell. col.
fin. certe nõ poteramus dicere bienniũ fore
elapsum, nisi sciremus quando annus incipe
ret currere. Item non obstat, quod impedi-
3 mentum † in primo anno bene est causa vt
detur secundus annus. vt per DD. in c. ex ra-
tione. de appellat. non autem dicunt, ꝙ non
currat annus, etiam ꝙ non possit adiri iu-
dex. quia dicebatur quod argumentum non
procedit in Curia, vbi indistincte datur bien
nium. Item, non obstat quod dicit Ancha-
ran. in Clem. sicut. de appell. col. 2. vbi dicit
quod si impeditus in prima parte anni, non
fecit diligentiam in secunda parte anni de
expediendo causam, quod non datur secun-

* Vide sup. decis. 147. lib. 2. facit quod dicit Fel. in c. personas. co. final. circa fin. vers. terminus ad prosequen. &c. de appell.

dus

dus annis, & propterea infert de impedito circa accessum ad Curiam, vt ibi per eum. quia simili modo respondetur, quod in Curia, illud dictum non habet locum, & maxime quod in reliqua parte anni, fuerit facta diligentia, & causa non potuerat expedire, nisi per remissoriam quæ decreta fuerat. Non obstat, quod Lanfranc. in tractat. de arbit. in 4. colum. loqueretur in eo qui erat impeditus facto iudicis, quod impedimentum maius est, quam aliud impedi-
4 mentum. & in tali impedito † bene fatalia non currunt, vt dicunt DD. in c. ex ratione. hic autem non erat tale impedimentum. quia dicebatur quod Lanfranc. in d. tract. de arbitr. loquebatur exemplificatiue. & in repetitione cap. quoniam contra. in tractatu de interloquutorijs, distincte loquebatur, licet postea ibi inferret ad statutum. Non obstat text. in l. 2. circa princ. de tempor. appellat. dum loquitur de appellantibus ex Aegypto, & alijs locis ad Imperium vbi præfigitur certum tempus. quia fuit responsum, quod illud tempus dabatur ad inchoandum, & introducendum appellationem, non etiam ad finiendum, prout Clem. sicut. Item quod posset fieri subanditio de qua supra. Pro decisione facit regula quam ponit Bart. in l. generosa. ff. de his qui notant. infam. col. 2. in fin.

SVMMARIVM.

Res inter alios acta quando noceat tertio.

1 *Sententia inter alios lata, an, & quando noceat tertio, & num. 2.*

DECISIO CLI.

EGit Io. Bernardinus possessorio recuperandæ, ad totum Castrū Scurculę sciēte Honorato condomino. Io. Bernardinus obtinuit sententiam restitutoriam ad dictū Castrum, & fuit restitutus ad possessionem Castri. Honoratus postea, agebat ad partem Castri, tamquam condominus, etiam iudicio restitutorio contra Io. Bernardinū possidentem integraliter Castrum. Opponebatur per Io. quod Honorato scienti obstabat sententia in fauorem eius lata. Et ideo 10. Octobris 1544. fuit dubitatum in vna Anagnina, coram D. Pighino, præsupposito quod Honoratus sciuerit litem pendere inter fiscum, & Io. Bernardinum super possessione Castri Scurculę, An sententia lata in fauorē dicti Io. Bernardini contra fiscum, noceret Honorato. Et fuit conclusum quod, quo ad
1 actionē, † & exceptionem, non noceat talis sententia, sed tantum quo ad exequutionem faciendam. vt per Innoc. in c. quamuis in princ. de re iudic. facit quod dicit Aegid. decis. 712. secus si Honoratus fuisset possessor. quia * tunc in possessorio
2 nocuisset. † vt per Felin. in cap. cum super. col. 4. vers. sententia contra subiectum. cum sequenti col. de re iudic. Immo dicebant aliqui, quod potius talis sententia debebat esse proficua Honorato. quia etiam ipse veniebat ex eadem causa spolij sicut Io. Bernardinus. nam ambo fuerant spoliati Castro. & sic dicta sententia erat coadiutiua, & non læsiua. quia erat vnus de spoliatis, prout dicimus in sententia lata in fauorē cohæredis. secus contra. l. sæpe. ff. de re iudic. quia non nocet. & in facto præsupponebatur, quod in iudicio agitato inter Io. Bernardinum, & Fiscum, Honoratus non fuerat citatus.

* Tunc in possessorio nocuisset. Aduerte, quia 15. Iun. 1548. in vna Romana domorum, coram D. Nouato fuit conclusum, quod sententia lata inter duos in possessorio, noceret tertio non possidenti, scienti causam agitari, quo ad hoc vt ipse tertius debeat pati quod executio fiat in possessorio, contra illum, contra quem est lata possessorē. non autem quod dicta sententia lata inter duos, noceat tertio possessori scienti causam agi, quo ad hoc vt contra tertium possessorem fieri debeat exequutio. quia hoc esset nimis iniquum & quod ita DD. debent intelligi, videlicet in dicto cap. cum super. quamuis, & in lege sæpe.

SVMMARIVM.

Expectantes an possint acceptare in mense Ordinarij sede vacante.

1 *Argumentum à verisimili mente concedentis, quod si ita interrogatus fuisset, ita fe cisset, an valeat in Papa concedente.*
2 *Fructus beneficij futuro successori conseruari debet, & num. 7.*
Collatio beneficij futuro successori, an conseruetur, & num. 7.
3 *Vacatio diutina beneficij non danda.*
4 *Alternatiua an personalis, & an afficiat beneficium ita quod alius non possit de eo disponere. & num. 5.*

DECISIO CLII.

IN vna Carthaginiēsi parochialis de Sax, coram D. Mohedano, * fuit dubitatum, die 15. Octobris 1544. An expectantes possent acceptare in mense Ordinarij sede vacante, stante regula. Et fuit dictum per quinque ex Dominis, duobus contradicentibus, quod possent acceptare. quia licet Pauinus in tract. ne sede vacante. in prima parte. in 8. quæst. dicat quod non possint acceptare: tamen quod illud incidenter dicebat. Et ideo idem Pauinus in d. tract. in d. prima parte. in 10. quæst. colum. 6. vbi plenius articulum examinat, tenuit, quod expectantes possint acceptare in mense Ordinario sede
1 vacante, eo quia regula dabat priuilegium personale, & cum persona extinguebatur. intelligendo Pauinum sane, prout dicebant, illi

* Et ad istam decisionem aliquid dixi in 1. parte annotationum mearum decis. 398.

illi quinque, quod licet priuilegium daretur Ordinario,& sic videretur esse reale, tamen dicebatur personale,quia defuncto Ordinario expitabat priuilegium regulæ,cum verba regulæ ad Prælatos referantur. Item, quia regula dicit, quod Prælati libere disponere possint. vnde cum verba regulæ non possint adaptari defunctis Prelatis,ergo nec eius dispositio. Et quia regula ideo suspendebat effectum expectatiuæ pro quatuor mēsibus, quæ de sui natura omnes menses comprehendebat, quia Papa volebat se reddere gratiosum aduersus Prælatos. vnde cū prælati nō essent,cessabat illa gratiositas.Item, quia nulla tunc fiebat eis iniuria. nimirum si expectatiua remanebat insuspensa, & sic expectantes in omnibus mensibus acceptare poterant. Item,quia si Papa fuisset inter-
1 rogatus † verisimiliter ita respondisset,cum nemini tunc fiat iniuria.iuxta glos. in l. talo pactum. §.final.ff.de pact.quæ habet locum in omni materia, & dispositione. Non obstat,quod collatio beneficiorum sit fructus,
2 & ideo futuro † successori debet reseruari vt per glos. in cap. cum olim.de maiorit. & obedien, quia dicebatur quod erat verum, nisi Papa, qui cum Ordinario concurrit, de illis fructibus iam disposuisset. nam concedendo expectatiuam, dat illam ad omnes menses, tamen effectum eius suspendit pro quatuor in fauorem Ordinarij.moriente eo remanet expectatiua in omnibus mensibus postquam reperitur, quod Papa iam disposuit. Et hoc ita erat dicendum, ne daretur
3 diutina † beneficiorum vacatio.Non obstat decretum in regula appositum, quia est accessorium, & sequitur naturam regulæ. Non obstat decretum alternatiuæ. nam
4 alternatiua † est personalis, & tamen afficit adeo beneficiū, quod alius non potest de eo disponere. Quia respondebatur quod in alternatiua ideo erat, quia durabat alternatiua. & ea durante,decretum durabat.secus erat in casu isto. Eadem causa fuit proposita,die 17.Octobris 1544. & Ponens,exhibuit quasdam informationes super eodem puncto, & à tergo illarum erat annotatum manu bon. mem. Nicolai Aragonia, quod eo ponente,per omnes Dominos fuerat determinatum contrariū, videlicet, quod ex-
5 pectantes, non poterant † acceptare in dictis quatuor mensibus. Et visa dicta determinatione; tres ex quinque, mutarunt votum suum, ita vt pro negatiua, videlicet quod non possent acceptare, fuerunt quinque, & pro affirmatiua remanserunt tantum duo. Et isti quinque dicebant,quod illa decisio alias facta,mouebatur bono fun-
6 damento.quia regula † videbatur realis, & non personalis, ex quo loquebatur de prælatis ergo considerat ibi potius dignitatem quam personam. Vnde cum Ordinarius numquam moriatur, sequitur quod in illis quatuor mensibus,expectantes acceptare non poterant. argumento notatorum in cap. quoniam Abbas.de offic. delegat. Item pōderabant rubricā regulæ,dum in ea dicitur,de mensibus Ordinariorum. & sic potius Ordinarium quam personam regula cōsiderat. Item, quia cum collatio beneficiorum sit fructus, debebat futuro successo-
7 ri † reseruari. iuxta glos. in dicto cap. cum olim, qui non reseruarentur si expectatiua tales menses comprehenderet. Item dicebat vnus ex Dominis, quod attenta prima opinione, sequebatur vnum inconueniens, quod si in principio mensis non adesset Ordinarius, quod illo tempore expectans posset acceptare. Pone quod infra tres dies crearetur Ordinarius,iam illo tempore non posset acceptare. & sic, vnum & idem beneficium, potuisset & non potuisset acceptari. quod videbatur inconueniens.

Fuit iterū 20.Octob. 1544. proposita causa,& facta resolutio pro ista parte secunda. quod expectantes non potuissent acceptare
8 & quod regula esset realis, † & quod potius dignitati quam personæ esset facta concessio. per not. in cap. quoniam abbas. de offic. deleg. ex quo sub nomine dignitatis, & non sub nomine proprio, dabatur Ordinarijs libera collatio.

SVMMARIVM.

Lex,non eo minus. C. de Procuratoribus, quod sententia lata in fauorem minoris tenet,procedit etiam si non interuenit consensus minoris.

1 *Pater pro bonis aduentitijs filij, an agat sine consensu illius.*
2 *Sententia lata ad fauorem minoris, sine consensu illius in aduentitijs, an valeat.*
3 *In sententia lata ad fauorem minoris,consensus an sufficiat quod sit tacitus.*
Et an sufficiat consensus, qui ex præsentia colligitur. num. 4.

DECISIO CLIII.

FVit dictum in vna Romana dotis, coram D. Io.Paulo, quod licet text. in l. non eo minus. C.de procurat. videatur velle,quod vt sententia lata in fauorē minoris valeat, requiritur quod interueniat consensus minoris,licet ille consensus esset nullus, tamen ꝙ idem est quando nullus adest consēsus minoris,prout erat in casu illo.in quo
1 pater,pro bonis † aduētitijs egerat sine cōsensu

sensu filij. prout requirit tex. in l. fin. §. vbi autem. C. de bon. quæ liber. Et quia reportauerat sententiam in fauorem minoris, dicebatur quod valebat, dato quod non con-
2 staret de consensu aliquo † minoris. per ea quæ dicit Ias. in d. l. nõ eo minus. col. 1. vers. secundo extende. & per rationem generalem illius text. * Secundo fuit dictum, quod licet DD. in d. §. vbi autem. discrepent, an
3 sufficiat † in casu illius text. consensus tacitus. quia Corneus dicit ibi ex mente Fulgosij, quod omnes DD. tenent contra Bartolum, qui vult sufficere tacitum. quem sequuntur Ang. & Paul. de Castr. Tamen placuit maiori parti concordia, quam ponit ibi Angel. quod sufficit tacitus consensus filij, quando non habebat instam causam contradicendi. quia dicebant Domini, quod in hoc, Angelus non habebat contradicen-
4 tem. & secundum Albericũ ibi, tacitus † cõsensus qui ex præsentia colligitur, sufficit. Sed quo ad hoc vltimum, ego dixi, quod obstabat id quod dicunt Io. Andr. Gem. & Philipp. Franc. in c. fin. §. fin. in 1. col. de iudicijs. in 6. dum volunt, quod requiritur consensus patris tacitus, quando filius agit. dum tamen taciturnitas insurgat ex actu positiuo.

* Consensus qui requiritur in §. vbi autẽ l. fin. C. de bon. quę liber. an sufficiat, q fit tacitus.

S V M M A R I V M.

Nobilitas de maiori genere, quæ datur militi per Papam, est ex priuilegio.

1 *Miles S. Petri, quomodo dicatur familiaris Papæ.*
Milites S. Petri in assequutione beneficiorũ, an possint vti regulis editis, & edẽdis.
2 *Familiaris Papæ, cum reputatione doctoratus, an præferatur familiari solum.*

DECISIO CLIV.

Die 17. Octobris 1544. fuit coram me resolutum, quod nobilitas de maiori genere, quæ datur militi per Papam, fit ex priuilegio. & ideo expectans non poterat vti illo priuilegio ante publicationem Bullæ descriptorum. In vna Calciatensi dimidię portionis, pro Ioanne de Vergara, contra Didacũ Marin, & in ista. ideo Hieronymus de Encisso, ex cuius iure, tamquam cessionarius venit Ioannes, est præferendus, quia est familiaris vere. & ideo per regulam prærogatiuarum. in 4. par. in vers. necnon alii familiares, &c. tanquam familiaris, qui venit post assumptionem, est præferendus Didaco. quia licet Didacus, vt miles, sit etiam
1 familiaris Papę; tamen miles S. Petri † est familiaris per priuilegium. Sed huic fundamento obstat regula producta fol. 1119. vbi Papa facit milites veros, & nõ per priuilegium familiares, itaut in assequutione beneficiorũ, possint vti regulis editis, & edendis. Itaq. Didacus poterit etiam eadem regula prærogatiuarum vti, & dicere, Ita ego sum familiaris, sicut & tu. Et ideo est seruãdum ius commune. vt dicit regula. in d. 4. part. Et cum Didacus, vltra familiaritatem
2 † habeat reputationem doctoratus, debet præferri. Item est videndũ, an Hieronymus Encisso, probauerit quod illo tempore, quo regula de qua supra, videlicet 22. Decemb. 1544. ab incarnatione, ipse etiã esset familiaris Papæ. quia qui erit antiquior familiaris, erit præferendus. & si Hieronymus est antiquior, tunc erit videndum, ex quo Didacus est familiaris, & reputatur doctor. & Hieronymus est familiaris, & antiquior, quis eorum præferatur.

S V M M A R I V M.

Decis. Aegidij 156. quomodo intellecta.

1 *Lis an dicatur finita mortuo auctore, & num. 3.*
2 *Subrogatus venit ad causam in eisdem statu, & terminis.*
3 *Appellatio tollit præsumptionem sententiæ latæ. sed an cesset deserta appellatione.*

DECISIO CLV.

Vigesima Octob. 1544. in vna Legionẽsi, coram D. Fabio fuit dictũ, quod de-
1 cis. Aegidij 156. quod mortuo actore, lis † dicitur finita, nisi reus velit prosequi, quod illa decisio intelligebatur quãdo eramus in prima instantia. quia dato quod reus nollet causam prosequi, nullum periculum poterat imminere reo. quia dato quod subrogatus
2 † veniret ad causam, vel veniret in eisdem statu, & terminis, prout dicit c. 2. Vt lit. pendẽ. in 6. vel de nouo causam inchoaret, & sic nullum periculum poterat reus pati. sed quando reus reportasset vnam sententiam contra, si in secunda instantia actor more-
3 retur, tunc lis non poterat dici finita † propter præsumptionem orientem ex sententia contra reum. quæ præsumptio licet per appellationem esset suspensa, tamen illa suspensio tollebatur deserta appellatione. & si interim subrogatus in iure, & ad litem, poterat pretendere sententiam transisse in rem iudicatam, si infra biennium reus causam non fuerit prosequutus, quia imputandum est ei, qui sententiam contra reportauit, quare vocatis interesse putantibus, causam reuocari non fecerit.

SVMMARIVM.

Statutum Anconitanum sub rubrica de successionibus ab intestato quomodo intellectum.

1 *Soror licet non sit de conseruantibus agnationem; tamen agnata est.*
2 *Statutum debet interpretari vt minus lædat ius commune, quam fieri possit, quomodo intelligatur.*
3 *Statutum vocans fratres, & excludens sorores, an dicatur etiam vocare filios fratrum.*

DECISIO CLVI.

IN vna Anconitana bonorum, in qua tra
ctabatur de successione frarris defuncti,
& extabat soror ex larere parris coniuncta.
& ex alia sorore vtrinque coniuncta, scili-
cet ex latere patris & matris prædefunctæ
extabat filius. Dubitaui ego, die 20. Octo-
bris 1544. An soror ex latere parris tanrum
præferrerur in sueccessione fratris defuncti,
filio alterius sororis defunctæ vrrinque con
iunctæ, attẽta forma statuti Ancouirani sub
rubr. de successionibus ab intestato. Et fuit
resolutũ, quod soror præferretur. Tum quia
statutum dicit, prædictis autem fratribus,
vel filijs fratrum non existentibus, tunc suc-
cedere possint, & succedant sorores prædi-
ctæ. & in superiori parte fecit mentionem
de sororibus vtrinque coniunctis. & ex la-
tere patris tantum subiungit staturum ex-
clusis omnibus alijs à dictis bonis, & hære-
ditate. Et sic qui totum dicit, nihil exclu-
dit. exclusi ergo erunt filij sororis vtrinque
coniunctæ. Tum quia immediate à tali ex-
clusione excipit matrem, dicendo præter ma
trem. ista ergo exceptio includrr omnes
alios in illa exclusione. Tum quia licet so-
1 ror non † sit de conseruantibus agnationẽ,
est tamen agnata, & statutum considerat
agnationem. Patet, quia post istam soro-
rem ex latere parris coniunctam vocat so-
rorem vterinam. istud non potest dici quod
sit nisi fauore agnationis, & cum filius so-
roris quantumcumque vtriuque coniunctæ,
non sit de agnatione, nimirum si statutum
voluit eum excludere. Non obstat, quod
2 debemus interpretari † statutum, vt minus
lædat ius commune quam fieri possit. l. ij
vbi Salic. C. de noxal. & ideo cum filius in-
grediatur locum matris, videbatur quod nõ
esset exclusus. quia fuit respõsum quod erat
diuersicatis ratio, propter agnationem quæ
non erat in ipso filio. Irem, quia apparebat
quod statuenres recesserunt à dispositione
iuris cõmunis, præferendo prius fratres so-
roribus. Item, pariter vocãdo sorores vtrin
que coniunctas, & ex latere patris rantum
contra auth. cessante, eum sequen. C. de
legit. hæred. Er ideo non obstat, cons. Decij
3 484. vbi voluit quod † statrum vocans fra
tres, & excludens sorores, intelligitut etiam
vocare filios fratrum, ex quo sunt in locum
filiorum. Quia fuit responsum quod ibi in
vtrisque militat ratio agnationis. Item,
quia ibi in alia parte statuti fuit facta men-
tio de filijs fratrum, prout dicit Dec. Fuit
iterum proposita 24. Octobris 1544. & do-
mini fuerunt in eisdem.

SVMMARIVM.

Minor quatuordecim annorum, an possit sine curatore beneficium resignare, & an possit procuratorem ad resignandum sine curatore constituere.

1 *Minor si potest facere actum per se, an possit procuratorem constituere.*
2 *Solennitas requisita in actu celebrando à minore, vel muliere, requiritur in constitutione procuratoris ad illum actum.*

DECISIO CLVII.

IN vna Segobiensi integræ portionis, co-
ram D. Prospero, die 20. Octob. 1544.
fuit dubiratum, An minor quatuordecim
annorum possit constituere procuratorem
ad resignaudum beneficium, quod potest
obtinere, sine consensu euratoris ex causa
permutationis. Er pro parte affirmatiua di-
cebatur quod sic. quia minor 14. ann. po-
test resignare in manibus superioris sine cu-
ratore, vt per Milis in verbo minor 14. ann.
maior tamen infante. &c. Si ergo minor po
1 test † actum facere per se, ergo poterit pro-
curarorem cõstiruere, vr dieir Nicol. Boer.
iu prima parte decis. suarum decis. 92. iudi-
cium agiratum in fine decis. argumento eo-
rum quæ dicit Bart. in l. Diuus Seuerus. §.
curatores. ff. qui pet. tutor. Sed istud in
contrarium retorquebatur. quia verum est
quod minor potest, coram superiori, & cau-
sa cognira. Vnde si minor potest cum ista
solennirate, ergo cum eadem solennitate
procuratorem ad resignandum constituere
debebar. quia minor vel mulier qui non
2 possunt actum sine certa solennitate † face
re, non poterunt absque illa solennitate
procuratorem constituere. Oportebat er-
go vt minor constituisset procuratorem co-
ram superiori, & causa cognita. Non obsta-
bat, quod in supplicatione esset expressum,
quod esset minor, & ideo quod Papa certã
notitiam de minori ætare habuisset. Quia
respondebatur, quod Papa non habebat cer-
tam

tam notitiam, an minor per se vel procuratorem resignationem faceret, & cũ resignatio per procuratorem fieret, præsupponebat quod mandatum per minorem factum, esset cum solennitate legitima factum, videlicet cum consensu superioris, & causa cognita. Non obstat quod permutatio esset minori vtilis, qui dimittebat beneficium, cuius fructus erant patri suo reseruati, & super quo erat reseruatus regressus; & capiebat beneficium valoris 40. cuius fructus nulli erant reseruati. quia dicebatur, quod istud requirebat altiorem indaginem, cum forsan minori, magis expediuisset expectare mortem reseruatarij eum beneficium esset valoris 300. quam recipere de præsenti beneficium 40. Item, illud beneficium valoris 40. erat curatum, & aliud erat simplex. ergo minori non erat vtilius. Et ita eadem die fuit pro ista parte resolutum, quod minor 14. sine dicta solennitate, non potuerat procuratorem ad resignandum constituere.

SVMMARIVM.

Indultum Cardinalis Burgensis, facit quod prouisio Apostolica non valuerit de beneficio patrimoniali impetrata.

1 *Beneficia patrimonialia quotuplicia sint.*
2 *Beneficia patrimonialia, an dicantur pertinere ad liberam collationem Episcopi. Indultum Cardinali concessum, an comprehendat tantum beneficia libera collationis, vel etiam illa, quæ debentur certo generi personarum.*
3 *Indultum an solum inuentum ad præseruandam collationem Ordinarij: & an augeat, vel præseruet solum.*
4 *Regula modificatoria indultorum Cardinalium, quomodo intellecta.*

DECISIO CLVIII.

FVit dubitatum in vna Burgensi, beneficij de Quintanauida, coram D. Pighino, An indultum Cardinalis de Burgos obstaret prouisioni Apostolicæ in beneficio patrimoniali, de quo agebatur. Et fuit resolutum quod sic: quia dupliciter considerantur
1 ista † beneficia patrimonialia, quia aliqua pertinent ad præsentationem, electionem, seu nominationem patronorum, & sola institutio pertinebat ad Ordinarium, & illud non erat huiusmodi. aliqua vero pertinent ad liberam collationem Ordinarij, sed debent filijs patrimonialibus conferri. & ista ex quo ad collationem Ordinarij pertinent, veniunt sub indulto, cum verba indulti verificentur in ipsis, cum comprehendat omnia, & singula beneficia, ad collationẽ. &c. Et licet ista beneficia patrimonialia debeat certo generi personarum conferri, fuit dictum, quod non eramus in terminis glos. in c. cum in Ecclesia de præben. in 6. vt ista
2 non dicerentur † pertinere ad liberam collationem Episcopi, & ideo non venirent sub indulto, quasi indultum comprehendat tantum illa quæ sunt liberæ collationis, non autem illa quæ non liberæ, sed necessitatiue certo generi personarum conferre tenebatur.
3 Quia respondebatur, quod † indultum est inuentum ad præseruandum collationẽ ordinarij. & ideo, quia non auget iurisdictionem, sed eam vt est præseruat, fuit dictũ quod tale beneficium comprehendit, cũ hoc, quod etiam certo generi conferat, ita quod nil aliud facit, nisi iurisdictionem præseruare Ordinarij. Et ex quo indultum erat in fauorem ordinariæ iurisdictionis, late contra concedentem interpretandum erat. quod secus est, quando venit ad derogandum iurisdictioni Ordinarij, vt in expectatiuis, & reseruationibus, in quibus reseruantur beneficia ad collationem Episcopi, quia tunc cadit talis dubitatio, an comprehendat beneficia certo generi personarum debita. Non obstat decis. 3. Cassador. de priuileg. quia illa loquitur in beneficio patrimoniali præsentatiuo, seu electiuo quia tunc intelligitur sine præiudicio illorum, quod secus est in casu nostro, vt dixi in principio.

Fuit iterũ proposita 24. Octob. 1544. Et erat tunc etiam producta regula moderatiua
4 indultorum † Cardinaliũ, quæ vult quod indultum Cardinalis, non comprehendat beneficia ad collationem inferiorum collatorum, & quæ spectant ad eorum institutionem, & ad præsentationem aliorum. Et nihilominus fuit idem conclusum. quod supra quia beneficium patrimoniale de quo agebatur, non erat ad collationem inferioris, nec ad præsentationem alicuius.

SVMMARIVM.

Simplicitas non excusauit à simonia.

DECISIO CLIX.

IN vna Toletana de Alpedrette, in qua erat probata certa pactio simoniaca fa per quodam beneficio, fuit dubitatum 24. Octobris 1544. per D. Prosperum, An simplicitas excusaret, iuxta terminos. cap. cum vniuersorum de rerum permutat. Et resolutum fuit quod non. tum quia in cap. cum vniuersorum, illa excusatio fuit ex gratia, vt ibi dicit glos. & DD. super ea, quæ gratia, ad Principem, & non ad Auditores pertinet. tum quia ratio text. est, vt decepptis

pris succurratur, & ne alius ex dolo reportet commodum, quod non erat in casu nostro, tamen quia ille reuertebatur ad ius suum quod non erat hic, in quo volebat beneficium retinere.

SVMMARIVM.

Regula reseruatoria Clementis octo mensium comprehendit beneficia, quæ ex forma statuti Placentini debentur certo generi personarum.

1 *Dirogatio statutorum, an sit necessaria quando Papa procedit per viam legis generalis.*

2 *Gratia de vacaturo, an comprehendat præbendam alteri ex consuetudine, vel statuto debitum.*

3 *Beneficium permutandum, an possit aliquo casu pertinere alteri quam compermutanti.*

4 *Permutatio, an impediatur per viam legis generalis.*

DECISIO CLX.

FVit dubitatum, coram D. Peregrino 24. Octobris 1544. in vna Placentina portionis pro Ferdinando Corneio, contra Didacum Ferdinandi, An regula reseruatoria Clementis octo mensium, caperet portionē Ecclesiæ Placentinæ, quæ ea forma statuti debetur certo generi personarum, puta seruitoribus chori benemeritis. Et post tres informationes, fuit resolutum quod sic. quia reserbat beneficia qualitercumque qualificata, & ad collationem quorumcumque collatorum. &c. Non obstat quod regula non deroget statuto. quia fuit dictum, quod da-
1 to quod non derogaret, tamen † quia Papa procedit per viam legis generalis, non est necessaria derogatio statutorum. ad not. per Felin. in c. nonnulli. de rescript. Non obstat glos. in cap. cum in Ecclesia sua. in glos. magna. de præben. in 6. dum vult quod gra-
2 tia † de vacaturo non comprehendit præbendam alteri, ex consuetudine vel statuto debitam, ita quod illa verba, ad collationē quorumcumque collatorum, videbantur intelligenda de collatione libera, non autem, ista arctata ad certos homines, quia fuit responsum quod illa glos. loquitur in gratia de vacaturo, quæ est ambitiosa, & odiosa. ad cap. ne captandæ. cum alijs. & iam constabat in d. gratia, quod Papa certæ personæ gratiam faciebat, & ideo non est verisimile quod præiudicare voluerit statuto certis personis beneficium tribuenti. hic autem agebatur de reseruatione inducta per regulam, quæ videbatur fauorabilis. ad not. per Federicum in tract. permut. q. 1. Card. consil. 16. in fin. Calder. consil. 3. de consuet. Domin. & Perus. in c. fin. §. in præbendis de consuet. in 6. Istud idem probatur per Perusinum. col. 2. super glos. in verbo auctori-
3 tate. de rer. permut. lib. 6. vbi licet † beneficium permutandū nulli alteri debeatur quā compermutantibus, & propterea propter reseruationes speciales, seu gratias expectatiuas, tales permutationes impediri nō possint; tamen per reseruationē motu proprio factam, aut factam per viam legis genera-
4 lis, † impeditur ipsa permutatio non obstante affectione prædicta secūdum Lap. & alios allegat. ibi per Perus. Item, in casu isto, reseruatio erat generalis, & non in fauorem certæ personæ facta. & ideo poterat Papa conferre qualificatis, iuxta formam statuti.

SVMMARIVM.

Bulla Leonina facultatis testandi comprehendit etiam bona mobilia.

DECISIO CLXI.

FVit resolutum in vna Romana societatis 600. ducatorum, coram D. Aquensi die 24. Octobris 1544. quod Bulla Leonina dans facultatem testandi etiam in spurios, comprehenderet etiam bona mobilia in Vrbe existentia. quia verba bullæ, istam interpretationem admittebant, dum postea quā, verbum fecit de bonis stabilibus, loquitur per verba generalia, & bonis alijs quibuslibet.

SVMMARIVM.

Sequestrum, etiam quod possessor non esset soluendo, non fuit concessum.

1 *Sequestrum iuxta Clem. vnicam, an detur quando non est prima sententia.*

2 *Et an detur in prima instantia ex æquitate, ne iuditium reddatur elusorium.*

3 *Sequestrum an detur ex conuersione fructuum in proprios vsus.*

DECISIO CLXII.

IN vna Tarantasiensi Monasterii, fuerat primo lata absolutoria in fauorem Petri de Bello forti, & postea, ex nouiter deductis, fuerat illa reuocata, & pronunciatum in fauorem Cardinalis de Bononia, & Cardinalis in ista secunda instantia, eo quia agebat contra monachum, petebat sibi decerni sequestrum. fuit dictum, quod iuxta formam Clem. ad compescendas, non poterat

dari

1 dari † quia non erat prima sententia, per ea quæ notat Cardinalis in d. Clem. vnica. de sequestr. possess. Petebat iterum Cardinalis, quod daretur sibi sequestrum, eo quia agebat contra monachum, & sic non existentem soluendo. Vnde ex isto capite, etiam
2 in prima † instãtia ex æquitate poterat dari, ne iudicium redderetur elusorium. iuxta dictum Io. And. in regula locupletari in mercurialibus. Fuit dictum, quod illud dictum non est simpliciter verum vt per Curtium in tract. de sequestr. col. 2. Et per ea quæ dicit ibi Curtius in tertia conclusione fuit dictum, quod licet iste esset non soluendo,
3 † si tamen non probabatur quod aliter vteretur fructibus, conuertendo eos in proprios vsus, quam fecisset in prima instantia, vel antequam moueretur lis, quod non debebat dari sequestrum; ita quod ex eo, quod non esset soluendo. nisi probaretur alia causa, vel dilapidatio, vel alia conuersio in proprios vsus, quam esset solitus facere, quod non daretur sequestrum, & faciunt not. per Abb. in cap. 2. & final. de sequestr. possess. & fruct. Fuit facta resolutio, coram D. Prospero 24. Octobris 1544.

SVMMARIVM.

Substitutio pupillaris, facta de extraneo in testamento minus solenni, non est valida.

DECISIO CLXIII.

Fuit resolutum, coram D. Fabio, in vna Romana de Palonibus, quod substitutio pupillaris facta de extraneo, tempore pestis cum quatuor testibus, non valeret, die 24. Octobris 1544. per ea quæ dicit Ias. in l. 2. colum. 5. versic. circa sextum requisitum. ff. de vulg. & pupill. Corn. consil. 95. colum. 3. num. 10. volum. 2. & 238. col. 4. volum. 4.

SVMMARIVM.

Citatio per edictum, requirit affixionem, & lectionem. & ex quibus verbis non fuit probata lectio.

1 *Remissoria concessa, est expectanda, & sententia non exequenda.*

DECISIO CLXIV.

Citatio per edictum requirit affixionem & lectionem, vt decis. 8. in titulo de dolo & contum. in nou. Cassad. decis. 4. de dolo & contum. in vna Hispalensi decimarum, coram me, dixerat notarius, in valuis Ecclesiæ Hispalensis, dum diuina celebrabãtur, affixi, & contra tales exequutus fui, & earum vigore citaui. Fuit dictum, quod per talia verba non probabatur lectio, quia licet diceret notarius, exequutus fui, & citaui, &c. intelligebatur per affixionem, & sic non apparebat de lectione. tamen, quia erat ex post facto, dixerunt Domini, quod sustinerem sententiam. Et quia data erat remissoria,
1 † quod non exequerer sententiam, nisi expectata remissoria 24. Octob. 1544. per me fuit proposita.

SVMMARIVM.

Mensis est exprimendus in noua prouisione per resignationem, quando resignans obijt infra viginti dies.

1 *Regula reseruatoria, loquens de vacatione per obitum, an possit verificari in vacatione ficta, & interpretatiua.*
2 *Per regulam de infirmis, an beneficium dicatur effectualiter vacare per resignationem.*

DECISIO CLXV.

Fuit alias resolutum, quod mẽsis, de quo in regula reseruatoria, erat exprimendus in nouis prouisionibus, coram D. Prospero, prout annotaui in primo libro annotationum mearum, decis. 433. fuit etiam resolutum, coram eodem D. Prospero, die 27. Octobris 1544. quod mensis esset exprimendus in noua prouisione per resignationem, quando resignatio non fuit sortita effectũ, prout erat in casu illo, in quo, in manibus Episcopi Salamantini, erat facta resignatio, & infra viginti dies decesserat, & erat obtenta noua prouisio, & per clausulas generales, siue præmisso. &c. resignatarius volebat capere beneficium. Fuit conclusum in vna Salamantina de Villoria, quod ex quo non expresserat mensem in noua prouisione quod obstabat regula de exprimẽdo mense. Non obstat fundamentum, quod pro parte negatiua fiebat. videlicet, quod licet beneficium, per regulam de infirmis, dicatur vacare per obitũ; tamen illa vacatio erat ficta, & interpretatiua, cum vere beneficium dicatur vacare per resignationem. ergo regu-
2 la reseruatoria, † loquens de vacatione per obitum, non poterat verificari in vacatione ficta, & interpretatiua. per ea quæ dicit Sarnen. in regula de infirmis. quæst. 30. Tres Domini, tres diuersas resolutiones dederũt. Primus dixit, quod ex quo in noua prouisione dicitur, siue præmisso, siue alio quouis modo.

modo &c. & propter ista verba volebat capere per obitum, quod ideo debebat exprimere mensem. Sed ista responsio non tollit obiectum, cum semper illa vacatio dicatur ficta. * Secundus dicebat, quod nõ est verum, quod dicatur ficte vacare, sed vere per obitum. & ponderabat regulam de infirmis, in illis verbis: collatio nulla fit. Sed fuit ei dictum, quod hoc nil erat. quia licet collatio per resignationem, esset nulla; nihilominus vacatio per obitum, erat ficta. Et hoc sentit regula, dum dicit vacare per obitum censeatur. Vnde ego dixi, quod Sarnensis non ita indistincte loquitur, sed cum grano salis. nam dicit, quod regulæ loquentes de vacatione per obitum, non verificabantur in ficta vacatione, sed regula reseruatoria non loquitur de vacatione per obitum, sed simpliciter. nam dicit, beneficia extra curiam vacatura. Et licet ibi ponat, præterquam per resignationem, dicebam, quod per regulam de infirmis, bene-
2 ficium † non dicebatur effectualiter per resignationem vacare, & licet illo modo non vacaret, tamen vere vacabat, nimirum si regula reseruatoria in eo locum habebat. Et ita fuit conclusum.

* Alia occurrit solutio nunc, quod licet de facto vere vacet per resignationem, tamẽ quo ad effectũ iuris, vere dicatur vacasse per obitũ. & in his quę sũt iuris, Princeps potest facere, quod vere dicatur vacare per obitum. per ea quæ dicit Bart. in l. si maritus. §. legis Iuliæ. ff. de adulter.

SVMMARIVM.

Fuit facta resolutio in causa Parmensi Vallium, de puncto hic scripto.

DECISIO CLXVI.

IN causa Parmensi Vallium, die 29. Octobris 1544. in qua dederam dubium, An ex pacto apposito in instrumento transactionis Dñi Corrigienses teneãtur ita defendere Comitem sancti Vitalis ex promissione per Ioannem Galeatium in instrumento donationis factæ Cassandræ, vt ipsi Domini Corrigienses non possint agere ad valles. Fuit resolutum, quod Domini Corrigienses non tenerentur ad defensionem. quia alias reseruatio iurium facta in fine primi capituli, dum dicitur, quod valles non veniant in præsenti transactione, & vtriq. parti salua sint iura, talis reseruatio esset infructuosa. quia si Corrigiensibus obstaret exceptio, quem de euictione tenet actio. &c. reseruatio ipsis erat inutilis. Non obstat, quod etiã in dicto capitulo reseruarentur iura, etiam Comiti sancti Vitalis, quia dicebatur, quod promissio facta in septimo capitulo, de debitis & oneribus, debebat intelligi de alijs debitis hæreditarijs, ne alias sequeretur dictum absurdum. quod etiam declarabatur per caudam octaui capituli, dum dicitur & parimente restano salue & illese le ragioni come di sopra. Fuit etiam dictum, quod Corrigienses non erant successores, nec iuris, nec facti Ioannis Galeatij.

SVMMARIVM.

Actus de quibus hic, coram eisdem testibus, loco, & notario facti, non præsumpti correspectiui.

1 *Contractus eodem die, notario, & testibus facti, an correspectiui.*
Simonia an inducatur in correspectiuis.
2 *Simonia an probetur ex vicinitate actuum. num. 3. 4. & 5.*
5 *Simonia an sit, si post ingressum beneficij aliquid detur, non præcedente pactione.*
6 *Simonia an probetur ex publica voce & fama, & ex testibus singularibus de confessione.*

DECISIO CLXVII.

IN vna Hispalensi canonicatus S. Saluatoris, in qua Franciscus dederat mandatum ad consentiendum coadiutoriæ, in fauorem Gynesii. Et eodem die, coram eisdem testibus, notario, & loco, idem Franciscus arrendauerat pro tribus annis eidem Gynesio fructus canonicatus pro tribus annis, anticipata solutione pro 300. ducatis. Dubitaui ego, quia causa pendebat coram me, die 7. Nouembris 1544. An mandatum coadiutoriæ & arrendamentum, eodem die, notario, & testibus factum, ita sint correspectiuata, vt ex hoc præsumatur mãdatũ coadiutoriæ illicitum. Et pro parte affirmatiua, allegabatur quod dicit Fel. in c. pa-
1 storalis. de rescript. Quod † contractus eodem die, notario, & testibus facti, præsumũtur correspectiui. & in correspectiuationibus manifestũ est induci simoniã. c. cũ pridẽ. & c. fin. de pact. Ad idem allegabatur decis. 12. Aegid. Et per ista, propter vicinitatem
2 actuũ, pluries Rota tenuerat † pro simonia, vt in mandatis ad cedendum, & retrocedẽdum eodem die, & coram eisdem testibus & notario factis. vt per Sarnensẽ in reg. de trien. quæst. 12. col. 3. Tamen istis non obstantibus, Rota, videlicet quinque ex septẽ, duobus contradicentibus, tenuit ista non fore correspectiuata, ita vt inducerent seu præsumi facerent mandatum coadiutoriæ simoniacum. & quia dicebatur, quod decisiones Rotæ, videlicet de mandatis ad cedẽdum, & retrocedendum, procedebant quan-
3 do † illa vicinitas actuum erat in eadem re, & quæ aliam causam habere non poterat. vt puta, quando facio mandatum ad cedendum, si statim facio ad retrocedendum, erant

erant ista mandata super eodem beneficio,
& secundum mandatum aliam causam habere non poterat, nisi quod fiebat respectu
praecedentis cessionis. & idem dicebatur in
casu decis. Aegidij. quod illa donatio incōtinenti facta, aliam causam habere non poterat, nisi causam ingressus. In casu autem
4 nostro isti dicebatur † q̄ isti actus dicebātur
super diuersa refacti. nam mandatum respiciebat coadiutoriam, & arrendamentū
respiciebat fructus. & cum vterque suam
causam haberet; nam ideo soluit 300. vt
fructus ad triennium perciperet: non poteramus dicere, quod isti contractus dicerentur ad inuicem correspectiui, ita vt diceremus vnum propter alium factum. alias sequeretur, quod si eadem die coram eisdem
testibus, notario, & loco, ego venderem domum, & dotem darem, quod isti contractus
dicerentur correspectiui, & vnus contractus propter alium factus. quod non est dicendū. Et pro ista parte allegabatur. c. tua
nos. cum gloss. cum qua videntur transire
DD. de simon. dum gloss. dicit, quod si sta-
5 tim post ingressum, † aliquid datur, dum tamen pactio non probetur, non videtur illud
illicite datum. & Cardinalis ibi dicit, quod
vicinitas, seu ex vicinitate non praesumitur
simonia. Et ista decisio est notanda, tamquā
declararoria aliarum decisionum Rotae hactenus factarum super ista correspectiui-
6 tate. testes † de publica voce, & fama de
simonia, & testes singulares de confessione
Gyacsii, non probabant simoniam. per text.
in c. tam litteris. de testib. & Dec. in c. veniens. col. 5. vers. non obstat text. &c. de
testib.

SVMMARIVM.

Causa appellationis, & nullitatis, vbi simul committitur, an causa nullitatis veniat principaliter.

DECISIO CLXVIII.

* Vide Pau. de Cast. cons. 288 ad primum respondetur. &c. col. 2 ver. circa secundū. &c. vol. 1. quod deserta causa appellationis, non censeatur deserta causa nullitatis. Nicontius in 2. part. allegationum suarum. alleg. 38. difficile effec. col. 5. nu. 44. ver. quo ad appellationem.

EAdem die 7. Nouembris 1544. coram D. Aquensi, fuit resolutum in vna Albiganensi, quod si quis committit * causam appellationis, & nullitatis, quod causa nullitatis venit principaliter, & non incidenter. ita vt deserta causa appellationis, non censeatur esse deserta causa nullitatis. quicquid senserit Ias. in l. contra maiores. C. de inoffic. test. Quia istam quaestionem ponit Franc. in c. dilecto. in 58. quęst. de appell. vbi relatis opinionib. tenet, quod verior sit opinio illa. quod si quis dixerit, dico sententiam nullā, & si qua est, appello, quod causa nullitatis veniat principaliter, & non incidenter. & ibi Dec. in fine commenti dicit, quod ista opinio est verior, & communis. allegando Alex. cōs. 2. vol. 3. vbi attestatur esse communem. Et idem est dicendum, quando committitur causa appellationis & nullitatis. cum copula, &, ęque principaliter copulet. vt per Ias. in l. 1. in 4. col. de iust. & iur. vbi in terminis istis loquitur. Et vide ad propositum istius quaestionis, quae ponit Franc. in c. dilecto. col. 5. in 6. quaest. de appellation.

SVMMARIVM.

Filius legitimus, ad effectum successionis, quomodo probatur.

1 *Filiatio an probetur ex sola fama.*
2 *Quid cum adminiculis ad effectum succedendi.*
3 *Filiatio in antiquis, an probetur ex leuioribus probationibus.*

DECISIO CLXIX.

FVit resolutum in vna Anagnina Castri
Scurculae, coram D. Sebastiano, die 7.
Nouembris 1544. quo ad probandum, Honoratum fuisse & esse filium legitimum Io.
Felicis ad effectum successionis, quia in
illo casu tractabatur de successione ipsius
Honorati, non autem ad effectum probandi
matrimonium inter patrem & eius matrē,
quod sufficiebat probatio per testes, qui dicebant. Io. Felix, & Magdalena reputabant
se ad inuicem pro coniugibus, & ab alijs re-
1 putabantur. nam licet alias † fama sola
non probet filiationem. vt per Ias. in l. neq.
professio. C. de testamentis. & per Felin. in
c. per tuas. nu. 15. de probation. tamen hic
vltra famam aderat tractatus parentum,
quia ita pro coniugibus se tractabant. quo
casu, fama cum alijs adminiculis ad effe-
2 ctum successionis † probat filium esse legitimum. vt per Alex. cons. 51. vol. 1. Dec. cōs.
54. & 153. Socin. cons. 89. Ias. cons. 168. in 4.
vol. Cur. Iun. cons. 52. Paris. cons. 13. col. 3.
vol. 3. & quia agebatur de matrimonio 80.
3 annorum, & sic antiquato. † quo casu leuiores probationes sufficiunt. vt per Alex. cōs.
25. col. pen. in fin. vol. 4.

SVMMARIVM.

Statutum Vrbis, quod post annum non possit agi de nullitate, non tollit exceptionem.

1 *Statutum tollens actionem post annum, an tollat exceptionem.*

DE-

DECISIO CLXX.

* Vide ad materiā Paul. de Castr. in l. Papinianus § si filius ff de inoffic. testam. Practicam Papiensem in forma libelli super forma exequut. sententiæ diffinitiuæ. in verbo, sapiēs, & egregius. colum.4. vers. quid si statuto caueatur, &cæt. fol.95. in parua impressione.

FVit resolutum, * die 10. Nouembris 1544. quod licet statutum Vrbis, sub rubrica, statuta concernentia Capitaneum appellationis, de iudice appellationis, & eius causis. c.157. in fine dicat, est additum, quod de cętero de nullitate sententiæ non possit agi post annum, à tempore sententiæ numerandum. quod licet statutum tollat actionem
1 post annum, † non tamen tollit exceptionem. per ea quæ dicit Francus in cap. dilecto. colum.40. in 54. quæst. de appellat. & Brunus in repertorio suo, in verbo nullitas fol.183. colum. 4. versic. item quæritur de quæstione singulari. Non obstant quæ habentur per Alexand. cons. 105. col.2. in 5. volum. & cons.225. in 6.vol. Calcan. cons. 16. num.44. & Ias.cons.200.col. 2.in 2.vol. Corn.cons.302. colum.fin. 1. vol. quia ista consilia loquuntur, quando statutum loquitur per verbum dicere, quod est aptum cōprehendere, & actionem, & exceptionem. secus si statutum loquatur per verbum, agere. Resolutio fuit facta, coram D.Io.Paulo, in vna Romana dotis, pro Curtio & fratribus de Matthæis, contra Vincentium de Albertonibus. Non obstat, quod statutum dicat, & pars super dicta nullitate nullatenus audiatur, quia intelligitur de nullitate intentata iuxta formam illius statuti in princ. quod dat certam instantiam iudicio nullitatis, post quam est intentatum, & vltima pars statuti loquitur circa initium inchoationis ipsius iudicij nullitatis.

SVMMARIVM.

Substitutio vocans masculos restricta ad certos gradus, seu certum genus personarum, est facta etiam ratione agnationis conseruandæ.

DECISIO CLXXI.

COla de Cardellis, diuisit bona sua in filios suos Sabbam, & Iulianum, æquis portionibus, & in diuisione fuit pactum appositum, quod si Sabbas moreretur sine filijs masculis moreretur Iuliano si superuixerit. alias ipsius Iuliani filijs legitimis, & naturalibus masculis. & si omnes filij masculi Sabbæ morerentur sine filijs masculis, q. moriātur Iuliano si superuixerit, alias ipsius Iuliani filijs masculis, & e contra. Dubitaui ego die 10. Nouemb. 1544. An ista dispositio, esset fundata in ratione agnationis conseruandæ. Et pro parte negatiua dicebatur, quod ex quo ista dispositio erat restricta ad certos gradus, quod tunc vocatio masculorum, non esset facta ratione agnationis conseruandæ. sed tunc consideratur conseruatio agnationis, quando masculi sunt in infinitum, & perpetuo vocati, vt quando dicitur descendentes, seu hæredes masculi. per ea quæ dicit Imol. in l. si vero. §. de viro. colum. final. versic. tu potes forte. matrimon. Albert. Brun. in tractat. de statutis excludent. f. fœminas propter masculos. artic. 3. prope finem. Sed istis non obstantibus fuit resolutum, quod etiam quo ad gradus expressos vocatio masculorum non esset facta nisi ratione agnationis conseruandæ. per ea quæ dicit idem Albert. Brun. in eodem tract. de mascul. excluden. fœminas. in 12. articulo. quæst. 16. colum.2. versic. si vero nulla sit expressa ratio. & colum. sequen. tenet, quod nulla alia ratio, etiam quando substitutio est restricta ad certum genus personarū, quam agnationis conseruandæ, potest considerari, & ibi reprobat Imol. in dicto §. de viro. Et sic voluit Rota, quod etiam isto casu, quo ad gradus expressos, substitutio vocans filios masculos, esset facta ratione conseruandæ agnationis. Resolutio fuit facta coram me in vna Romana hæreditatis de Cardellis.

SVMMARIVM.

Actio spolij, puta remedium Canon. redintegranda, est in rem scripta, & transit in singularem successorem ratione dominij.

2 *Remedium Canonis redintegranda, an competat contra omnem possessorem.*
3 *Spolij causa, quæ actiones nascantur aduersus spoliantem.*
4 *Actiones in rem scriptæ, & actiuæ & passiuæ, an transeant in singularē successorē.*
5 *Interdictum vnde vi, an in rem scriptum.*
6 *Actio in rem scripta, an cum dominio ambulare debeat.*
Spolij actio non transit, nisi specialiter dicatur.
7 *Spolij actio an censeatur concessa subrogato; si non fuerit specialiter concessa.*

DECISIO CLXXII.

ALbertus Scotus, voluit quod filius eius primogenitus succederet in Castro Sarmati, & quod de primogenito in primogenitum semper dictum Castrum ex eius descendentibus trāsiret. Iacobus filius primogenitus successit, & habuit possessionem dicti Castri, qua fuit spoliatus per Bartholomæum eius fratrē. Fuit dubitatum, coram D. Io.

D. Io. Paulo, & plories informatum in vna Placen. Caluci Sarmati, inter Comitem Oldericum ex vna, & Comitem Gasparem ex alia, omnes de Scotis, An actio spolij competens Iacobo primogenito ratione primogenituræ, transiret in eius filium primogenitum ratione primogenituræ. & die 14. Nouembris 1544. fuit resolutum, quod transiret. per. ea quæ dicit Socin. in l. cum quæ nobis. col. 5. de acquir. possess. dum vult, quod remedium canon. redintegranda, transit
1 ✝ in singularem successorem. Non obstat quod Ripa in cap. sæpe. de restitut. spoliat. col. 7. versiq. tertio dubitatur. & sequenti videatur reprobare Soc. quia Ripa nil firmat, & rationes eius friuolæ sunt, nam prima ratio sua nil valet, dum dicit, quod dubium est, an remedium canon. redintegrãda, competat contra omnem possessorem, cum ipse postea in sequenti colum. affirmet, quod communis
2 opinio est, quod ✝ competat: quam opinionem Rota amplexa est hoc tempore Cassad. decis. 7. de restit. spoliat. Secunda etiam ratio, dum dicit, quod competit pro damno de futuro, non autem de præterito, etiã non facit ad propositum, cum primogenitus semper dicatur damnum sentire, ex quo commodo possessionis est priuatus, & sic semper de futuro damnum sentit. Tertia etiam ratio non facit, cum ipse dicit, quod possessio nil commune habet cum proprietate. nam fateor quod ab initio ista actio spolij ratione possessionis datur, &
3 ratione ✝ illius possessionis causatur quædam actio personalis, quæ ipsi spoliato datur. sed etiam causatur quædam actio in rem scripta, quæ ratione dominij oritur, & cum dominio ambulat, vt dicit Bart. in l. si tertius. §. si prius. ff. de aqua pluu. arcen. per quam doctrinam Bartoli, Rota fuit mota ad tenendum istam partem. & quia
4 actiones in rem ✝ scriptæ, & actiue, & passiue, in singularem successorem transeunt, proue istam dicit communem. Iason. in l. prætor. §. hoc interdictum. ff. de nou. oper. nunciat. Non obstat tex. allegatus per Cuman. qui allegatur per Ias. in d. §. hoc interdictum. in l. cum fundum. & §. si plures. ff. de vi, & vi armat. quia primo dicebatur, quod illo iure, interdictum vnde vi, non
5 erat ✝ in rem scriptum. vt est tex. in l. cum a te. ff. de vi, & vi armat. Item in d. l. cum fundum, emptor ante traditionem non erat dominus, vnde nimirum si ibi actio non poterat cum dominio ambulare. Item quia nascebatur illa actio post venditionem factam, & sic nil ad propositum nostrum. hic a principio viuente Iacobo, actio ex delicto, vel quasi, orta erat, & contra omnem possessorem dabatur, ergo erat in
6 rem scripta. ✝ ergo cum dominio ambulare debebat, vt per Bart. in d. §. si tertius. Non obstat, quod actio spolij non transit nisi specialiter dicatur, vt per Aegid. decis. 351. quia fuit responsum, quod illa decisio loquitur in beneficialibus, quo casu, actio super dominio aliquo non potest requiescere, sed totum prouenit ex gratia concedentis.
7 Vnde si concedens non subroget ✝ etiam quo ad actionem spolij, talis actio non venit, non enim in beneficialibus datur successio iuris.

S V M M A R I V M.

Declaratoria censurarum per viam attentati reuocata, & per viam nullitatis fuit reuocata declaratoria.

S V M M A R I V M.

1 *Appellatio, an detur a declaratoria incursus censurarum.*

D E C I S I O C L X X I I I.

DEclaratoria censurarum lata * post inhibitionem per alterum Auditorem Cameræ, fuit reuocata per viam attentati. Nõ obstante quod dicit. §. 9. de appell. in nou. alias, 428. in addition. incipien. ex eodem facto. videatur sentire contrarium. quia illa decisio loquitur in Ordinario, qui ad nudum factum, non habens iuris ministerium post excommunicatione procedit, puta ad denunciationem, & alios actus non habentes iuris ministerium. prout dicũt DD. in c. pastoralis. §. verũ. de appell. Secus erat in casu nostro. in quo, in declaratoria ob non paritionẽ, requirebatur iuris ministerium, scilicet discutere, an paruisset vel nõ, & requirebatur citatio. & ab ista
1 ✝ declaratoria potest appellari, & appellatio suspẽdit, prout late ponit Felin. in c. Rodulphus. col. pen. vers. & appellari potest. de rescript. & vide decis. 379. * in nou. quæ videtur velle, quod possit per viam attentati reuocari.

* Coram D. Antonio Augustino, in vna Carthaginen. liquidationis fructuum die 26. Octobris 1548. in qua D. Fabius liquidauerat fructus, & pro eis declaratoriam censurarum in literis executorialibus ob non paritionem dictam, liquidat, tulerat, a qua liquidatione fuerat appellatum, & causa alteri cõmissa, fuit dictum, quod illa declaratoria erat nulla.

* alias 52. de appell.

S V M M A R I V M.

Priuilegia data ad assequutionem beneficiorum, non suffragantur quo ad regulam de publicandis.

1 *Publicatio resignationis, quid respiciat.*
2 *Argumentum a simili, vsus potestatis absolute, Pontificis concedere priuilegium, an valeat.*

D E C I S I O C L X X I V.

SEcretarij in assequutione beneficiorum, habent communicationem priuilegiorum,

quæ dantur Scriptoribus Apostolicis. Fuit resolutum in vna Valentina de Paterna, coram D. de Thanis, quod propter talem com munionem non habebât Secretarij priuilegiũ Scriptorũ, quod habent quod non teneentur ad publicationem suarum gratiarũ, quia publicatio nõ respicit assequutionem, cum per prouisionem & acceptationem sit ius quæsitum in beneficio, sed potius publi-
1 catio respicit ✝ retentionem. per ea quæ dicit Cassad. decis. 24. super regul. Cancell. Item, ab vsu patrisfamilias. nam tale priui-
2 legium ✝ solet specialiter concedi. Vnde vi demus, quod multa Collegia habent cõmunionem dictorũ priuilegiorum. & specialiter eis conceditur, vt non teneantur ad publicationẽ. vt in Genizeris, & Cubicularijs.

SVMMARIVM.

In feudo hæreditario sufficit esse hæredem primi inuestiti, mediate vel immediate, licet non sit hæres vltimo defuncti.

DECISIO CLXXV.

IN causa Parmensi Vallium, dedi dubium 14. Nouembris 1544. posito, quod Vallis sit concessa in feudum hæreditarium, An vt Domini Corrigienses in tota Valle hodie succedant, sufficiat docere se hæredes Gisberti senioris tritaui, mediãtibus personis abaui, aui, & patris, licet non succedant Io. Galeatio vltimo decedenti, quia nõ fuerunt instituti. Et fuit resolutum, quod sufficeret docere se hæredes primi inuestiti, mediate vel immediate, licet non essent hæredes vltimo decedentis. per ea quæ dicit Parif. con sil. 16. n. 19. & cons. 23. n. 185. vol. 1. cons. 65. n. 32. vol. 3. Curt. Iun. cons. 138. in fine, & Dec. cons. 208. in fine. Curt. Iun. in tract. de feud. in prima par. quæst. 8. dum tractat de feudo hæreditario. & cons. 1. col. 4. in 2. con clus. in finalibus verbis illius conclusionis.

SVMMARIVM.

Pro annua præstatione denegata, cõpetit possessorium.

1 *Pro annua præstatione personali, an detur officium iudicis.*

DECISIO CLXXVI.

ANtimus & Vincẽtius de Capisucchis, concesserunt macellum, & ius vendendi carnes, eis per antea vẽditũ ab Hebræis, Cõmunitati dictorum Hebræorum. & promiserunt soluere singulis mensibus scuta triginta. Dicta Communitas soluit per aliquos annos, dictos triginta scutos singulis mẽsibus, postea cessauit à solutione. Fuit dubitatum in vna Romana macelli Hebrẹorũ, corã D. Peregrino, die 17. Nouemb. 1544. an pro solutione substracta, daretur remedium possessoriũ. quia licet de iure canonico, per cap. querelam. de elect. detur; tamen quia Antimus & Vincẽtius, erant Romani, & Iudæi, & per consequens iuxta formam statuti inter eos erat seruandum ius ciuile, fuit dubitatũ an de iure ciuili daretur aliquod remedium possessorium. Et videbatur quod
1 non. quia pro personali ✝ præstatione, non datur remedium possessorium de iure ciuili. l. fin. vbi Bart. & alij. ff. quor. bonor. Testatur istam communem Abb. in c. peruenit. de censibus. Tamen fuit resolutum contrarium. quod hic non esset personalis præstatio, sed ratione rei. puta ratione macelli, & iuris macellandi dabatur, quo casu de iure
2 ciuili ✝ datur possessorium. secundum Bart. in l. non solent. §. non verum. col. fin. ff. de offic. proconsul. & legat. & Abb. in d. c. peruenit. & in c. querelam. & in hoc concordare legistas & canonistas dicit Afflict. decis. 395. pro decis. & c. col. 3. vers. sed ego dicebã. vbi tam in principio illius decisionis, quam in d. col. reperitur decisio istius casus. Item dicebatur, quod etiam de iure ciui
3 li pro annua præstatione personali ✝ dabatur officium iudicis. secundum Ang. & ibi Rip. in l. fin. ff. quor. bonor. Item, vbi constabat de bono iure, prout erat hic, dabatur etiam vtile interdictum. secundum Bart. in l. 3. §. vnde vi. ff. de vi, & vi armat.

SVMMARIVM.

Instantia quando transeat in singularem successorem.

DECISIO CLXXVII.

QVia supra decis. 172. hoc lib. 2. conclusum fuit, quod actio spolij transiret in singularem successorem, fuit dubitatum, An instãtia cœpta cum Iacobo spoliato, trãsiret in eius primogenitum ratione primogenituræ. Et quia vnus tantum informabat, omnes inclinarunt pro illo, vno tantum contradicente. per doctrinam Bart. communiter approbatam, in l. Lucius. §. rogatus. ff. ad Trebell. dum dicit, quod quando sumus in iudicio reali, & alienatio fit ex causa necessaria, instantia transit in hæredem singularem. & idem tenet Bart. in l. si eũ hominẽ. ff. de fideiuss. & ibi Paul. de Cast. & Ang. Et licet Imola ibi videatur cõtradicere Bart. tamen idem Imola in §. rogatus. vi-

videtur eum Bart. transire. & licet tex. in l. in iudicio. ff. famil. herc. non probet intentionem Bart. tamen glos. ibi probat intentionem Bart. Et ad text. in l. is à quo. ff. de rei vend. & in l. pen. ff. de pet. hæred. allegatos per Imol. in l. si eum. contra Bart. fuit dictum, quod non faciebant ad propositum. nam ideo ibi non transit instantia in illum, cui prius res adiudicatur, quia secundus qui venit ad causam, potest prose-
2 qui instantiam contra ✝ possessorem, postquam est sibi data cautio. prout dicit Bart. in d. l. pen. & ibi DD. Item, ibi dominium possessoris, non transit in illum cui res est adiudicata, immo potius declaratur quod possessor nô erat dominus; sed ille qui ab eo petebat, nimirū si instantia non transit, cū nil transiret à possessore in illum primum victorem. quod secus est in casu isto. in quo vt supra conclusum fuit, actio cōpetens Iacobo, erat translata in eius primogenitum ratione dominij. ergo transibat & instantia. Et hoc modo respondendo ad illa iura, cessat reprehensio Imolæ in d. l. si eum. contra Bart. & Barbat. in c. quia. G. col. 8. in fin. vers. pondera etiam circa illud dictum. &c. de iudic. dum per eadem iura Imol. nititur reprehendere Bart. quia illa iura nil faciūt. Item, poterat dici hic, quod instantia esset inchoata à Iacobo nomine primogenituræ, & sic dignitatis. nimirum si transit ad illum ad quem transit primogenitura, cum sit dignitas. vt dicunt Abb. & reliqui in d. c. quia. G.

SVMMARIVM.

Regula vltima Pauli, contra impetrantes certo modo, quomodo intellecta.

1 *Regula innouatoria regulæ de annali, an debeat regi secundum terminos legis innouatæ, & extensæ.*

DECISIO CLXXVIII.

Die 21. Nouembris 1544. in vna Calaguritana portionis de Palatio, coram D. Fabio, fuit resolutum, quod regula vltima Pauli, contra impetrantes beneficia certo modo, quæ est in impressis fol. 76. non tueretur illum qui non habebat titulum, nec pacificam possessionem. quia ad minus debebat habere pacificam possessionem ille, qui dicta regula se iuuare volebat. quia illa regula est innouatoria
1 regulæ ✝ de annali, & illam extendit. & ideo intelligi debet secundum terminos legis innouatæ & extensæ. vt sicut regula de annali, intelligitur de pacifico possessore, ita & ista innouans, & extendens. ad §. final. in authen. de fil. ante dot. inst. nat. & l. nihil. & ibi Bart. de coniungen. cum emancip. liber. per glos. in Clem. statutum. in verbo. consuetudinem. de electione. per Bald. in l. si prior. ff. solut. matrim. per Felin. in c. dilectus filius. el 2. col. antepen. vers. computantur dictæ. &c. de rescript. & per alia fundamenta de quibus in informatione.

SVMMARIVM.

Decretum irritans, quo casu operatum fuerit effectum, etiam quod super principali penderet lis.

1 *Decretum irritans, appositum super certo corpore in prophanis, quando operetur.*
2 *Motus proprius an excludat subreptionem.*
3 *Exequutio an impediatur, vbi quis ex gratia admittitur ad agendum.*
4 *Quasi possessio iuris macinandi an quæratur ex eo, quod pistores & furnarij ad molendum accesserint.*

DECISIO CLXXIX.

In vna Bononiensi iuris macinandi, in qua auctores Antonij Ghisilardi fuerunt in possessione ante annum 1520. admittendi omnes pistores & furnarios venientes ad molendum ad eorum molendinum, existens extra portam Bononiæ. & de anno 1520. fuit factum statutum per Communitatem Bononiæ, quod nullus pistor, seu furnarius, auderet accedere ad molendina extra portam Bononiæ. quod statutum per Leonem fuerat per bullam confirmatum cum decreto irritanti. & non obstante dicta bulla, auctores Antonij fuerant in possessione admittendi furnarios venientes. Super qua bulla, pro parte Antonij fuerat commissa causa in Rota, super subreptione, & obreptione bullæ, quia in bulla erat expressum, quod id fiebat ad vtilitatem publicam, & vt fraudibus obuiaretur. & Antonius prætendebat, quod istud non erat verum. Petebat Antonius, quod durante lite super dicta subreptione, manuteneretur in illa quasi possessione, qua sui auctores fuerant, admittendi furnarios venientes. Et licet pro parte negatiua, quod non esset manutenendus, diceretur; quod decretum irritans in bulla Leonis irritaret titulum & possessionem, & ideo non poterat dari manutentio. Tamen pro parte affirmatiua replicabatur, quod hic eramus in prophanis, in quibus tunc
1 demum decretum ✝ operatur, quando po-

ponitur super certo corpore, quod nullam coloratam disputationem recipit. prout in easu decis. Cassad. 12. super reg. cancell. in fin. prout ita etiam dicit Socin. in l. rem quæ nobis. in 9. quæst. principali. ff. de acquir. possess. Sed in casu nostro, decretum admittebat coloratam disputationem. quia Antonius dicebat, quod licet statutum, & eius cõfirmatio, esset generalis, tamen erat factum in odium eius speciale. & quia falsum erat, quod ex hoc bonum publicum læderetur. & ideo cum decretum esset super certo corpore, quod probabile dubium habebat quod non irritabat, sicut erat natura decreti. & alia fundamenta adducebantur, de quibus in informatione. Tamen me proponente, die 24. Nouembris 1544. fuit resolutum, quod non daretur manutentio. quia bulla erat expedita motu proprio, & ideo de iuris rigore Anto-
2 nius non poterat de eius ✝ subreptione dicere, cum motus proprius subreptionem excludat. Fuit ergo Antonius ex gratia admissus. vbi autem quis ex gratia admit-
3 titur, executio non impeditur. ✝ ad decis. Afflicti 341. & ita in casu nostro, videbatur quod decretum non debebat cessare propter litis pendentiam super bulla introductam, quin effectum suum operaretur, & sic irritare titulum, & possessionem, si quæ prius ipsi Antonio esset quæsita. Et quia dicebatur, quod ex eo quod pistores & furnarij ad molendum accessissent aliquo tem-
4 pore, non erat ✝ quæsita quasi possessio. per ea quæ ponit Ripa in l. quo minus. ff. de flumin. & ideo verba commissionis de manutenendo in possessione, non poterant verificari in casu isto. Item, quia ista causa videbatur sapere, seu habere, mixtum petitorium. & ideo vnum ab alio separari non poterat.

SVMMARIVM.

Iudex appellationis, quomodo pronunciare possit.

1 *Iudex appellationis, an possit pronunciare, prout in prima, vel debeat pronunciare sententiam iustam, vel iniustam.*
2 *Commissio specialis an requiratur, vt iudex appellationis possit pronunciare super negocio principali omisso negocio grauaminis.*
3 *Iudex appellationis, quomodo dicatur succedere in locum primi iudicis.*
4 *In iudicialibus an quis videatur deduxisse omne ius quod habere potest, vsque ad conclusionem.*
5 *Rota quando videat de bono iure, omisso negocio nullitatis.*

DECISIO CLXXX.

IOannes Solano in vna Gienuensi Scholastriæ, coram D. Verallo, obtinuerat canonizari in fauorem eius, ius prouueniens ex quadam expectatiua in causa appellationis, coram D. Io. Paulo, producto iure fortiori contra expectatiuam Ioannis Solano. Idem Ioannes habuit aliud ius fortius ex cessione Iuliani de Olmedo. & eo producto, D. Io. Paulus, non confirmando, seu infirmando primam sententiam, pronunciauit in fauorem Io. Solano, canonizando secundum ius ex cessione, prout in prima. coram D. Prospero, fuit dictum de nullitate sententiæ D. Io. Pauli. pro qua die 24. Nouembris 1544. in vna Giẽuensi Scholastriæ maior pars Dominorum inclinauit. tum quia, cum esset iudex
1 in secunda instantia, non poterat ✝ pronunciare, prout in prima, sed pronunciare sententiam, iustam vel iniustam. l. eos. C. de appell. quia Auditores, cum sint in pronunciando delegati. decis. 10. prope finem. de re iudic. non poterat pronunciare super negocio principali omisso negocio grauaminis. præcipue à sententijs aliorum coauditorum, Aegid. decis. 37. & propter Papæ
2 præsentiam ✝ requiritur commissio. Rot. decis. 19. de probation. in antiq. tum quia super nouo capitulo non dependente à primo, nec illud concernente, iudex appellationis cognoscere non potest. l. per hanc. vbi Bart. Salicet. Paul. & alij. C. de tempor. appellat. Et licet Rota * decis. 365. in nouis, dicat quod iudex appellationis * alias 19 de re iud.
3 succedat ✝ primo iudici, verum est in ijs, quæ coram primo sunt deducta. Item dum dicit quod potest addere, minuere, & supplere, verum est quo ad ea quæ sunt deducta, vel dependentia à primo iudicio. & ita loquitur illa decis. in princ. sed quo ad non deducta in causa appellationis, & non dependentia à primo nullam habet
4 iurisdictionem. Et licet in ✝ iudicialibus quis videatur deduxisse omne ius quod habere potest, vsque ad conclusionem. vt per decis. Aegidij 662. illud est verum ante prolationem sententiæ, sed postquam pronunciauit, ad illud ius videtur se astrinxisse. Et ideo iudex appellationis de illo cognoscere poterit. Fuit tamen dictum,
5 quod non ✝ annullaretur, sed videretur bonum ius.

SVMMARIVM.

Beneficij vacatio quomodo probetur.

DE-

DECISIO CLXXXI.

IN vna Abulensi, coram D. Peregrino, die 28. Nouembris 1544. fuit dictum quod ad docendum de vacatione beneficij contra possessorem, qui de aliquo titulo non docebat, quod sufficit probare possessionem defuncti, & publicam vocem, & famam, quod pro tali beneficiato reputaretur, licet non probaretur, quod per triennium possedisset. per decis. 209.* in nou. Non obstat quod dicit Cassador. decis. 22. de caus. possess. & propriet. quia est verum in casu quo quis tenetur iustificare titulum sui prædecessoris, aut vere, aut præsumptiue. vel ex eo quia beneficium sit litigiosum, vel propter concursum alterius tituli. vt Cassador. decis. 3. de caus. possess. & propriet. quæ cessabant in casu isto.

* alias 4. de rer. permut.

SVMMARIVM.

Sententia pro mortuo in beneficialibus non tenet.

1 *Sententia contra mortuum non valet. ita nec pro mortuo, & n. 2. & 4.*

3 *Mandatum in beneficialibus quando expiret per mortem mandantis, etiam lite contestata.*

DECISIO CLXXXII.

FVit resolutum, coram D. Prospero, in vna Hispalensi Cantoriæ, die 5. Decembris 1544. quod sententia lata pro mortuo in causa beneficiali, etiam quod daretur ignorantia mortis, esset nulla. nam sicut contra † mortuum lata non valet. vt est tex. in l. in summa. in fin. ff. de re iudic. & in l. Paulus la 1. ff. quæ senten. sine appell. rescin. ita nec † etiam pro mortuo. & ita tenet ibi Bart. & Ang. in d. l. in summa. Alex. & Iaf. in l. si decesserit. ff. qui satisdar. cogan. & in l. eius. §. quod si stipulatus. ff. si cert. pet. & ibi Paul. de Cast. Et ratio est, quia in beneficialibus, quando agitur super titulo beneficij, quamuis lis sit cotestata. per mortem mandantis † expirat mandatum. Clem. fin. de procurat. Non obstat quod dicit Anton. in c. quia. 5. circa fin. 2. col. de iudic. & Milis in verbo, sententia lata contra mortuum, dum volunt quod sententia lata pro mortuo valeat. quia ex supradictis patet de veritate. & quando dictum Antonij posset saluari, † forsan procederet in prophanis. quod secus est dicendum in beneficialibus.

(margin numbers in text: 1 at "cut contra", 2 at "appell. rescin.", 3 at "testata", 4 at "dictum Antonij")

SVMMARIVM.

Comes Palatinus cum amplissima potestate, non potest legitimare spurium absque causa.

DECISIO CLXXXIII.

IN vna Bononiensi legitimationis 10. Decembris 1544. coram D. Io. Paulo, fuit conclusum, quod Comes Palatinus habens plenam potestatem legitimandi, etiam spurios. &c. non posset vti illa potestate absque causa. de qua apparere debebat, & non erat standum eius assertioni. vt per Barif. cons. 6. vol. 4. vbi alios concordantes allegat.

SVMMARIVM.

Præscriptioni, an sit renunciatum per vnicum actum contrarium.

2 *Consensus qui ex facto colligitur, an se extendat vltra factum.*

3 *Præscriptioni, an dicatur renunciatum ex actu facto ad obtemperandum Superiori.*

DECISIO CLXXXIV.

CApitulū Mediolanense præscripsit, spatio quadraginta annorum, ius conferendi canonicatus, & prebendas Ecclesiæ Mediolanensis, priuatiue ad Archiepiscopū. Postea duæ partes ex tribus Capituli congregatæ, receperunt in canonicum quendā, cui Vicarius Archiepiscopi contulerat canonicatum, & prebendam. & illa receptio fuit sortita effectum, quia per alios canonicos non fuit impugnata. Fuit dubitatum coram D. Prospero, die 10. Decēbris 1544. an per illum actum capitulariter factum,
1 esset † renunciatum præscriptioni quo ad actus successiuos. Et pro parte affirmatiua, allegabatur Abb. in c. pro illorū. in vlt. not. de præb. de quo per Felin. in c. cum accessissent. col. 15. versi. primus casus. &c. & ibi Dec. de constit. Fuit resolutum pro negatiua. quia tantum quo ad illum actum receptionis esset præiudicatum, non autem quo
2 ad actus futuros. quia consensus, qui † ex facto colligitur, non se extendit vltra factum. & ita tenet Dec. in l. nemo. §. temporales. ff. de reg. iur. & in d. c. cum accessissent. credo in vlt. not. Item dicebatur, quod iste actus * non erat de directo contrarius præscriptioni. nam erat præscriptum circa ius con-

* Decimaquinta Decembris 1544. Fuit iterū causa posita, an illa receptio esset actus de directo con-

 fe-

contrarius. & fuit conclusum quod non. quia tunc de directo contrarius, si Capitulum vna cum Vicario contulisset, sicut est in receptione, quæ est facta. quam Capitulum voluit facere, vt prouiso vel Vicario complaceret. vel quia beneficiũ esset reseruatũ, vel quia mãdato superioris pro illa vice parere voluerũt. Item quia erat actus particularis, & præceptum erat generalis. ideo non erat actus contrarius quo ad actus futuros. secundum Dec. in d. col. pen. in vers. fic. retenta.

ferẽdi. & iste actus erat in recipiendo. & potius dicendum erat, quod canonici fecissent, vt mandato Superioris, videlicet Vicarij, obtempe-
3 raret, ✝ quam quod iuri eis quæsito renũctare vellent. vt dicit Abb. in d. c. pro illorum. in vlt. not. & Dec. in d. c. cum accessissent. col. pen. vers. quinto intelligitur. Et ibi dẽ, in principio dictæ pen. col. vers. reuera. &c. Decius ponit. quod nisi actus sit de directo cõtrarius, quod tunc non est renunciatum præscriptioni.

SVMMARIVM.

Pensionarius, quo casu pensionem à successore in beneficio, exigere non potuit.

1 *Pensionis solutio, in plures terminos quare fiat.*

2 *Pensio an debeat solui si nulli fructus percipiantur.*

3 *Pensiones præteritas an teneatur soluere successor in beneficio. Rota sequitur æquitatem.*

DECISIO CLXXXV.

PEnsio erat reseruata de mense Maij in fauorem Vberti Foglietta, de anno 38. soluenda * super fructibus Episcopatus Mazarien. in festo Sancti Io. Baptistæ, & Natiuitatis D. N. IESV CHRISTI. Episcopus qui consensit, moritur de mense Ianuarij 1543. & eius successor habuit possessionem Episcopatus de mense Decembris eiusdem anni 1543. Regia Curia Regni Siciliæ, ex consuetudine percepit fructus illius anni 1543. Vbertus agebat contra successorem ad terminum Natiuitatis 1544. dicens, quod ex quo, tẽpore quo venerat & cesserat dies, Episcopus modernus erat in possessione Episcopatus, quod ratione possessionis tenebatur ad pensionẽ. maxime cum in potestate ipsius pensionarij erat agere, vel contra nouum possessorem, vel hæredes defuncti. iuxta illud quod dicit Gigas in tract. de pension. in 39. quæst. Fuit tamen coram D. Mohedano, die 12. Decembris 1544. qui causam habebat, extra Rotam per maiorem partem Dominorum, dictum contrarium. quia ista pensio, ratione termini S. Ioãnis erat reseruata super fructibus futuris. pro termino autem Natiuitatis D. N. erat reseruata super fructibus præteritis. quia illa diuisio
1 terminorũ, ✝ erat facta gratia commodioris solutionis. Vnde, cum Episcopus successor non percepisset fructus præteritos, bona fides, & æquitas non patiebatur, vt ipse pro illis teneretur. Non obstat quod dicit Gigas in d. quæst. 39. quia id admittebat Rota, vt contra nouum possessorem posset agi, quãdo nouus possessor potest recurrere contra hæredes percipientis. sed quia in isto casu, Episcopus non poterat agere contra Regiam Curiam, quæ ex consuetudine recipiebat, ideo non videbatur honestum. vt ageretur contra Episcopum. Bene fuit dictum, quod Episcopus cederet actionem ipsi Vberto cõtra Regiam Curiam, & Vbertus ageret contra eam. Item, quia successor non tenetur ad solutionem pensionis eo casu quo eius prædecessor non tenetur. ita dicit Gigas in d. quest. 39. sed si prædeces-
2 for vixisset & nullos fructus ✝ percepisset, non teneretur, vt attestatur istam communem Gigas quæst. 62. Ergo nec etiam tenebitur successor, qui sine culpa eius aliquos fructus non percepit. Non obstat quod dicebatur, quod Gigas in d. quæst. 62. dicit, quod quando nulli sunt fructus non tenetur, est verum nisi fructus præcedentes, vel sequentes sint vberes: & ideo cum fructus Episcopatus essent valoris mille, erant sufficientes ad soluendum ducat. ducentum & vltra. quia dicebatur, quod Gigas debebat intelligi, quod fructus in sequenti anno essent plus solito vberes. & maior pars Do-
3 minorum, sequuti ✝ bonam fidem, & æquitatem, ne successor pro fructibus vnius anni ad tres solutiones teneretur, inclinauit in hanc partem, tanquam mitiorem.

* Ista causa fuit iterũ posita 15. Decembris 1544. & fuimus quatuor, & quatuor, quia vnus mutauit propter vbertatem fructuum. quia dicebatur, quod Ecclesia valebat quatuor mille ducat. Sed pro parte aliorum dicebatur, quod illud non erat vbertas, sed sufficientia fructuũ. Ideo fuit mandatum informari, quandó diceretur vbertas fructuum. 19. Decembris 1544. causa iterum posita, fuerunt quinque in voto, repugnantibus tribus, quod Episcopus teneretur. per ea quæ dicit Paul. de Cast. cons. 338. quia exceptiones. col. 1. vers. pro intellectu. vol. 1. & Gig. d. quæst. 62. num. 26.

SVMMARIVM.

Clausula, ex nunc prout ex tunc, & è contra, non est retrotractiua ad diẽ datæ, in præiudicium iuris alteri quæsiti medio tempore.

DECISIO CLXXXVI.

FVIt resolutum in vna Hispalensi Archidiaconatus de Carmona die 12. Decembris 1544. per decis. 3. de præben. Cassad. quod clausula, ex nunc prout ex tunc, & è contra, non esset retrotractiua ad diem datæ, in præiudicium iuris alteri medio tempore quæsiti. quicquid videatur sentire Felin. in c. licet causam. in 6. not. de probat. Nam Episcopus Balneoregiensis habebat gratiam ad beneficium, quod duxeric acceptandum cum clausula, ex nunc prout ex tunc, & è contra, conferimus. &c. antequam Episcopus beneficiũ acceptaret, Papa al-

alteri de beneficio vacanti prouidit, & postea Episcopus acceptauit. Dicebatur, quod post acceptationem, propter illam dictionē retrotractiuam, quod Episcopus erat præferendus. per ea quæ dicit Rota decis. 383. alias 12. de præben. in nou, & Card. in Clem. 1. in pen. col. in 15. opposit. de concess. præben. Sed fuit dictum, quod illæ decisiones loquuntur, quando est clausula retrotractiua expressa ad diem datæ. Item secundo, fuit dictum, quod illæ decisiones loquuntur in gratijs de vacaturo. & conditio ibi fuit purificata ante euentum vacationis; Sed in casu nostro, conditio non erat purificata tempore vacationis. ergo illæ decisiones non faciebant ad propositum.

S V M M A R I V M.

Regula de annali, quando post cessionem tueatur cedentem.

1 *Regula de annali, an tueatur detentorem etiam sine titulo.*

DECISIO CLXXXVII.

Licet per cessionem possessoris annalis, cesset regula de annali. vt per Cassad. decis. 17. super regul. Cancell. & Sarnen. in reg. de annali. quæst. 62. in fin. tamen id fuit intellectum in vna Valentina parochialium, inter Vincentium Bassa, & Ioannē de Gais, coram D. Io. Paulo, die 12. Decembris 1544. nisi annalis possessor, post cessionem maneat in possessione, prout erat in casu illo, & ageretur contra ipsum cedentem, non autē cessionarium. ratio quia tūc mors naturalis & ciuilis, non operabantur
1 eūdem effectum. & quia ✝ regula de annali tuebatur detentatorem etiam sine titulo.

S V M M A R I V M.

Statutum Vrbis, quod de nullitate dici non possit post annum, habet locum etiam si principaliter nullitas in iudicio deducatur.

1 *Nullitas quanto tempore possit proponi in iudicio.*

2 *Nullitas de sui natura, coram quo iudice debeat cognosci.*

DECISIO CLXXXVIII.

Decimaquinta Decembris 1544. fuit resolutum coram me, quod statutum Vrbis positum in primo libro, sub cap. 157. incipiens. causa nullitatis. &c. vt non possit dici de nullitate post annum. &c. haberet etiam locum, quando nullitas deducitur principaliter, & absque mixtura appellationis. quoniam illa præfixio termini, habet vim fatalis in causa nullitatis. licet de
1 iure communi, ✝ nullitas possit intra triginta annos proponi. vt per Paul. de Cast. cons. 288. ad primum respondetur. col. 2. vol. 1. Non obstat quod dicit Brun. in repertor. suo, in verbo. nullitas. super versic. si statutum, vel rescriptum. col. 9. in princ. vers. si vero queratur, an nullitas. &c. quia si bene aduertatur ad Brunum, ibi loquitur quando statutum disponit super appellatione & nullitate simul. quia tunc verum est, quod non habet locum in nullitate principaliter deducta. At in casu nostro, statutum tantum disponit super nullitate. &
2 ista nullitas non potest deduci ✝ de sui natura, nisi corā iudice appellationis. & ideo Brunus, nō solum considerat quod nullitas deducatur coram iudice appellationis, neq; quod rubrica statuti, loquatur de iudice appellationis; sed etiam vult, quod in nigro simul disponatur de appellatione, & nullitate. & rubrica istius statuti nil facit. quia dicit, statuta concernentia iudicem appellationis. & nullitas ipsum Capitaneū concernit. Item, quia in sequenti statuto disponitur simul de appellatione & nullitate.

S V M M A R I V M.

Minor, aduersus probationem omissam, quando sit restituendus.

DECISIO CLXXXIX.

Decimaquinta Decembris 1544. in vna Toletana matrimonij, coram D. Aquensi, fuit dictum, quod licet minor restituatur aduersus omissam probationem aliter non docto de læsione. per tex. in c. auditis. & ibi Abb. in 8. notab. & in c. suscitata. de in integr. restit. & Aret. consil. 66. viso puncto. col. 6. Aufred. in addit. ad Cappell. Tholos. quæst. 53. vers. & nota, quod aduersus. &c. Ias. in l. nam & postea. §. quod si minor. ff. de iureiur. & cum hac opinione videantur communiter transire DD. in dicto c. auditis. & in c. suscitata. tamen fuit dictum, quod est verum quando minor omnino omisit probationem facere, & sic nullam defensionem fecit. & ita loquuntur DD. canonistæ, dum dicunt, omisit necessariam defensionem. Secus fuit dictum, quando defensionem fecit. puta quia probationes fecit, testes examinauit. nam tunc non erat restituendus nisi causa cognita. prout ita distinguit Innoc. in

in dicto cap. auditis. & ibi Io. And. in princ. 3. col. & alij DD. in informatione iuris fuerunt allegati. quia postquam testes examinauit, præsumptio est quod meliores examinari fecerit. Et ideo causa non cognita, non est restituendus.

SVMMARIVM.

Suppressio dignitatum facta ex facultate concessa in bulla confirmationis.

DECISIO CXC.

IN causa Segobiensi de Parazzes, die 19. Decembris 1544. fuit resolutum, quod dignitates, & canonicatus, poterint supprimi vigore facultatis concessæ per Papam in bulla confirmationis, in illis verbis. illaque & prædicta, ac antiqua statuta corrigentes, emendantes, ac mutantes, liberam & plenam facultatem concedimus. Nam cum dignitates, & canonicatus, vigore statutorum essent erecti, si Papa dabat eisdem facultatem mutandi prædicta statuta; per consequens in specie dabat facultatem illa supprimendi. & sic non erat verum quod daretur facultas in genere.

SVMMARIVM.

Statutum Palauicinorum non ligauit Borasch um auum maternum.

1 *Statuta condere, an iurisdictionis, & ea cessante, an statuta nulla.*
2 *Statutum excludens fœminas stantibus masculis, an comprehendat clericos, vel heredes eorum.*

DECISIO CXCI.

DIe 9. Ianuarij 1545. in causa Parmensi pecuniaria, pro Michaele Casalio, contra Liuiam matrem. fuit datum dubium, præsupposito quod statuta Palauicinorum non ligent Dominos, an excludant Boraschum auum maternum, volentem succedere Io. Francisco nepoti. & fuit resolutum quod non. quia statuta erant condita per Rolandum fratrem Polydori,
1 & condominum. & statuere † est iurisdictionis. vnde circa personam, & bona Polydori, Rolandus nullam iurisdictionem habebat. ideo statutum, respectu ipsius Polydori, & bonorum eius, ex defectu iurisdictionis, non valebat. ergo non poterat afficere Boraschum forensem. Non obstat quod dicit Albert. Brun. in tractat. de statut. excluden. fœm. propter masculos, in 8. artic. in 2. quæst. dum ponit,
2 quod statutum excludens fœminas † stantibus masculis, licet non comprehendat clericos, tamen cōprehendit hæredes eius. ita esset dicendum in casu isto, quod licet statutum non comprehenderet Polydorum tanquam Dominum, tamen comprehenderat eius hæredem, ex quo tractatur de bonis eius post eius mortem. quia fuit responsum, quod in casu Bruni, statutum, & respectu bonorum & hæredum, erat validum, cum bona essent in iurisdictione statuentium. Vnde licet non comprehendat clericum, tamen comprehendit bona eius post eius mortem. Sed in casu nostro, respectu bonorum Polydori, statutum non valuit. Alia responsio fuit data per Aduocatum in informatione, quæ omnibus non placuit, sed ista omnibus placuit.

SVMMARIVM.

Instantia perempta, probationes an pereant.

1 *Sententia effectus, quando porrigatur ad singularem successorem.*
2 *Sententia effectus in fauorem hæredis, seu contra, an porrigatur ad fideicommissarium.*
3 *Testes non publicati, si sint mortui an faciant fidem. & num. 4.*

DECISIO CXCII.

FVit conclusum in causa Placentina Castri Sarmati, die 9. Ianuarij 1545. quod perēpta instantia*, remanerent tamen probationes in illa instantia factæ, & sic acta veritatis indagatoria. secundum Bart. in l. 2. col. pen. versic. quædam sunt acta quæ respiciunt veritatem. &c. & ibi omnes. C. de eden. Abb. in c. causam quæ. col. pen. prope finem, de testibus. & non erat verum, quod in illo casu essemus inter alios, quo casu etiam acta probatoria non faciunt fidem. secundum Felin. in d. c. causam quę. col. 5. in tertia regula. de testibus. quia immo secundum Bart. in d. l. 2. col. final. versic. sed an porrigatur. &c. & Abb. in d. c. causam quæ. col. 2. vers. secundo dubitatur circa hoc mēbrum. &c. ad quascunque personas porrigitur effectus sententiæ alicuius causæ ad easdē porrigitur effectus probationis, & effectus sententiæ. non erat dubium,
1 quod † porrigebatur ad Comitem Vldericum, vt particularem successorem. vt dicit Abb. in d. c. causam quæ. in d. vers. secundo-

* Vide Pa tit. in c. fraternitatis. col. 12. n. 13. vers. tu dicas. &c.

cundo dubitatur. Item, effectus ſententiæ
2 in fauorem hæredis, † ſeu coutra, porrigi-
tur ad fideicommiſſarium. ſecundum Alex.
in l. ſæpe. col. 5. verſ. & ſimiliter ſententia
lata contra hæredem. &c. ff. de re iudic.
Item, Comes Gaſpar erat ſucceſſor in vitio
ſpolij Comitis Bartholomæi. ergo ad eos
extendebatur effectus probationis. Et licet
probationes non eſſent publicatæ, tamen
3 quia teſtes † erant mortui, faciebant fidem
in alia inſtantia. ſecundum Felin. in d. c. cau
ſam quæ. col. 4. in fine. Fuit etiam dictum
per Ponentem, quod non erat verum, quod
probationes eſſent factæ coram arbitrato-
re, ſed coram iudicibus. quia ſi eſſent factæ
coram arbitratore, etiam quod teſtes eſ-
4 ſent mortui, † non facerent fidem in alio
iudicio. ſecundum Abb. Aret. & Felin. in c.
præſentata. de teſtibus.

SVMMARIVM.

An ſtatutum Peruſinum loquens ab inteſtato excludens fœminas temporaliter, locũ habeat in teſtamento valido, facto per patrem in quo filias in dote inſtituit.

1 *Teſtator an videatur ſe conformare cum diſpoſitione iuris municipalis. & n. 3.*
2 *Cauſa inteſtati an extendatur ad cauſam teſtati.*

DECISIO CXCIII.

* Ad materiam iſtius deciſ. vide Alex. cõſ. 15 lib. 4. Dec. conſ. 506. in fin. Vide aliquid ſupra deciſ. 119. hoc lib. 2.

IN cauſa Peruſina* hęreditatis, coram D. Io. Paulo, fuit 12. Ianuarij 1545. datũ dubium. An ſtatutum Peruſinũ de dotibus loquens, ab inteſtato excludens fœminas temporaliter, videlicet quandiu ſuperſint maſculi, habeat locum etiam in teſtamento valido facto per patrem, in quo filias in dote inſtituit, & prohibuit eas plus petere, maſculo vniuerſaliter inſtituto. Et pro parte negatiua fuit dictum, quod notata in l. final. ff. ad Tertull. per Bart. & alios, vbi iſta materia tractatur, non habẽt locũ in teſtamento in quo filia eſt inſtituta, ſed tantum quãdo eſt præterita. vt auctor eſt Alex. cõſ. 188. in 6. vol, Et ideo dicebatur, quod Alex. in conſ. 13. in 3. vol. non contradicebat. Nam licet in 2. col. verſ. circa ſecundum. &c. loquatur in Cola filia inſtituta in teſtamento paterno. tamen poſtea in pen. col. in 4. dubio, vbi tractat de reintegratione, agit de reintegratione ad bona materna, à quibus erat excluſa temporaliter. & tamen ibi nõ conſtat, quod mater deceſſiſſet cum teſtamento. & ideo dici nõ poterat, quod quo ad illa bona materna eſſet inſtituta. Et in eodem caſu conſuluit Socin. conſ. 92. in 1. vol.
Et ideo fuit dictum, quod male illa conſilia allegabantur per partem, dum dicebatur quod Alex. & Socin. in dictis conſilijs loquebantur in teſtamento, in quo filia erat inſtituta. Fuit etiam dictum, quod nec etiam Socin. conſ. 33. col. 2. verſ. circa ſecundũ. &c. vol. 3. nec Dec. conſ. 607. n. 15. & 16. loquebantur in teſtamento, in quo filia erat inſtituta. & diſcurrendo ea quæ ponit Alber. Brun. in tract. de ſtat. excluden. ſemin. propter maſcul. in 10. artic. in 5. quæſt. & Socin. conſ. 263. in princ. Paul. de Caſt. cõſil. 196. lib. 1. Anchar. conſ. 220. non reperitur in dictis locis, quod iſti DD. tractantes iſtam materiam, loquantur quando filia eſt inſtituta, ſed quando tantum eſt præterita. Et ratio videtur, quia quando eſt præterita cum ſtatutum viuentibus maſculis ſit cauſa excluſionis; eis ceſſantibus, cũ ceſſet cauſa, ſubintrat tũc reintegratio. quod non videtur dicendum vbi eſt filia inſtituta. quia cum tunc non excludatur per ſtatutum, niſi à ſupplemento legitimæ, ceſſantibus maſculis non poterit dari reintegratio, niſi ad ſupplementum legitimę. Sed ego dixi, quod licet magna ſit auctoritas Alex. tamen vbi eſſemus in caſu in quo tantum excluderet ab inteſtato temporaliter, cum nos habeamus pro comperto in iure,
1 quod teſtator † teſtando videatur ſe cõformare cum diſpoſitione iuris municipalis. vt per Bart. in l. hæredes mei. §. cum ita. ff. ad Trebell. in l. vt iuriſiur. §. ſi liberi. ff. de oper. liber. per Iaſ. in l. Lucius. ff. de vulg. & alibi ſæpe DD. ergo inſtituendo fœminas in minimo, id videtur feciſſe propter maſculos. & ideo illa excluſio temporaliter erat intelligenda. Et dicebam, quod per hoc non intelligebam, quod cauſa inteſtati extende-
2 retur ad cauſam teſtati, † prout quod non extendatur late conſuluit Socin. conſ. 30. in 8. col. verſ. ſupereſt ergo vt deſcẽdamus. vol. 1. & Bald. in l. quicumque. C. de ſeru. fugit. ſed dicebam, quod mortuis maſculis, fœmina ex tacita voluntate defuncti, ſuccedebat ex teſtamento ad portionem, ad quã propter filios erat excluſa. Et ſic non veniebat contra voluntatem, ſed ex voluntate teſtatoris. & hoc non inconueniebat, quod filia quæ pro parte temporis erat excluſa, poſtea ex teſtamento veniret vt hæres, quia in iſta materia DD. volunt, quod non procedatur iuxta strictas iuris regulas. & ideo omnes dicũt quãdo filia eſt præterita, quod filius dicitur eſſe hæres anomalus, vt ille qui fuit hæres deſinat eſſe hæres. ita dicamus in caſu noſtro, vt filia quæ pro modico ad tempus fuit hæres, poſtea efficiatur in maiori portione hæres. Et ita dicebam, quod ſi in iſto caſu tantum, fuiſſet ſtatutum ab inteſtato, ego propter iſtam rationem tenuiſſem, quod dato quod filia fuiſſet in te-

ſta-

ſtamento paterno in modico inſtituta, non ſolum ad legitimam, ſed etiam ad medietatem, à qua propter filium erat excluſa, reintegraretur. Et cũ mea opinione ſentiebant etiam duo alij ex Dominis, licet non reperirem doctorem hactenus hanc partem affirmantem. & prout dixi ſuperius contrarium ſentiat Alex. in d. conſ. 188. & Corne. conſ. 126. vol. 2. Paul. de Caſt. conſil. 279. 1. vol. in nouiſſima impreſſione. Sed quia huic rationi non videbam reſponſum, ab ea non poteram recedere. Sed dixi in dubio propoſito, quod quia in caſu noſtro erant in Ciuitate Peruſina duo ſtatuta, vnũ ab inteſtato, & alterum ex teſtamento, & ambo ſtatuta excludebant filias fœminas propter maſculos, tamen ſtatutum ex teſtamento ceſſantibus maſculis, non reintegrabat ad medietatem, ſed tantum ad legitimam, vt alias concluſum fuerat, quod iſto caſu ceſſabat argumentum. Nam licet verum ſit, quod teſtator, teſtando videatur ſe conformare cum diſpoſitione iu-
3 ris municipalis, dicebam quod ✝ confirmabat ſe cum diſpoſitione iuris municipalis ex teſtamento loquentis. Sed tale ſtatutum non reintegrat niſi ad legitimam non autem ad medietatem. ergo ſtatutum ab inteſtato, non poterat habere locum, quia vt ſupra dixi cauſa inteſtati non poteſt trahi ad cauſam teſtati. Et ita dicta die 12. Ianuarij 1545. poſt multas informationes fuit concluſum vno Domino contradicente, & alio, * qui remanſit dubius. Sex vero Domini tenuerunt iſtam concluſionem. Dicebam etiam, quod ea, quæ dicit Matth. de Vbaldis in repet. l. vnicæ. col. 26. vbi iſtam materiam tractat. C. de caduc. tollen. poterant ſaluari. nam ibi Matthæus loquitur quando ſtatutum ab inteſtato, & ex teſtamento excludit. & ſic à medietate, ſeu portione, à qua ab inteſtato erat ſucceſſura. In caſu autem noſtro, ſtatutum ex teſtamento non excludit à tota illa portione, ſed tantum à ſupplemento legitimæ, vel ſaltem ad illud reintegrat. Non obſtat, quod ſi ſtatutum ex teſtamento tantum reintegrat ad legitimam, quod videatur ſuperfluum, cum extantibus filijs maſculis, legitima debeatur per idem ſtatutum, & ſtatutum ab inteſtato. quia fuit alias reſponſum quod ſufficiebat quod aliquid operaretur. quia ſi filiæ non eſſet relictũ iure inſtitutionis, filia deficiẽtib. maſculis, reducebat rem ad cauſam inteſtati. & ſic ſatis ſtatutum operabatur.

* In audiẽtia ſequẽti ille dubius declarauit votũ, & fuit cũ alio contradicente. & ſic fuerũt ſex pro deciſ. & duo contrarij.

S V M M A R I V M.

Dimidius portionarius aſcendit ad integram portionem, & tempore aſcenſus non tenetur verificare narrata in prouiſione dimidiæ portionis alias ſibi facta.

1 *In aſcenſu an oporteat quod conſtet de bono iure in prima præbenda, à qua volebat diſcedere.*
2 *Iudultum Cardinalis an reſpiciat beneficia de nouo erecta.*

DECISIO CXCIV.

FVit reſolutum per maiorem partem in vna Burgenſi beneficij de Villafranca, die 16. Ianuarij. 1545. quod ſi dimidius portionarius volebat aſcendere ad integram portionem, iuxta conſuetudinem Eccleſiæ, in qua antiquior admittitur, non erat neceſſarium verificare narrata in prouiſione facta ſibi per Papam de dicta dimidia portione. ex quo per exequutorem, cui examen narratorum fuerat commiſſum, admiſſus erat non contradicentibus alijs filijs patrimonialibus. & quod ei ſufficiebat illa poſſeſſio in qua erat. quia per biennium fuerat tentus pro dimidio portionario, & fructus percipiendo Non obſtat deciſ. 5. Biſignet. de conſuetud.
1 vbi in aſcenſu, oportet quod ✝ conſtet de bono iure in prima prabenda à qua volebat diſcedere. quia ibi, prius fuerat declaratum, illi volenti aſcendere nullum ius competere, & ſic conſtabat de non iure, quod hic ſecus erat. nam non erat declaratum nullum ius competere ſuper dimidia portione. nec ſuper hoc lis erat, ſed tantum ſuper integra portione. Item fuit dictum, quod indultum Cardinalis Burgenſis non obſtabat prouiſioni Papæ quam fecerat de dicta dimidia portione. * Quia indultum
2 Cardinalis ✝ reſpicit beneficia vacantia, hic autem dimidia portio, erat de nouo erecta.

* Indultũ Card. Burgen. capit beneficia vacãtia, nõ aũt de nouo erecta.

S V M M A R I V M.

Durante lite ſuper qualitate requiſita à bulla Sixtina non currit tempus anni ad depoſitum faciendum.

1 *Ad deponendum quis an teneatur antequã declaretur, an qualitas à ſtatuto exigente depoſitum requiſita, ei competat.*

DE-

DECISIO CXCV.

IN terminis bullæ Sixtinæ, quod vicinus, seu consors, sit præferendus extraneo in emptione domus vicini, fuit tentum per * maiorem partem, die 16. Ianuarij 1545. coram D. Mohedano, in vna Romana domus, pro hæredibus Episcopi Sanctonensis, contra Claudiam de Sabellis, quod Episcopus Sanctonensis, qui commiserat causam super portione eius, & dederat articulos, deducendo dominium suum, & sic litem tacite contestatus fuerat, quod per talem sustentationē litis, diceretur Claudia præstitisse impedimentum Episcopo, vt dato quod durante lite, infra annum depositum non fecisset pro redemptione alterius partis, quam iure retractus volebat habere, nō diceretur Episcopus esse in mora. per ea quæ dicit Bald. in l. contra maiores. C. de inoff. testam. de agnato alienante. &c. & quia bulla vult, quod vicino, seu consorti fiat venditio. quamdiu ergo litigatur super eo, an sit vicinus, vel consors, non debet currere terminus anni, præfixus ad reemendum. quia prius verificari debent verba bullæ, vt sit locus dispositioni eius. Non obstant verba bullæ, dùm dicunt vicino instante per Magistros stratarum emptor cogatur vendere. & sic videtur, quod bulla præsupponat litem, & tamen vult, quod fiat depositum quia præsupponit litem quo ad articulum emptionis, non autem quo ad articulum vicinitatis, siue qualitatis à statuto requisitæ. Et profecto durum esset, quod 1 quis teneretur ad depositum + antequam declaretur, an qualitas à statuto requisita conueniat ei. Hanc partem tenuerūt quinque, repugnantibus tribus.

* Vigesimasexta Ianuarij 1545. causa iterū posita, voluerunt quinque ex Dominis, tribus reluctantibus, quod quia Episcopus cumulauerat duo iudicia, videlicet petendo partem suam, & partem Claudiæ, quod pro illa parte Claudiæ debuisset facere depositū. sicut dicimus in appellatione, & nullitate simul intentata, vt tempora in vtraque currant. secundum Ias. in l. contra maiores. C. de inoff. testam. Et quia ista iudicia non erant cōtraria. & ideo tempora currebant. secundū Io. Fab. in d. l. contra maiores. Alij vero tres Dñi dicebant, quod dato quod ista iudicia essent cumulata, quod iuris ordine debebat praecedere iudicium super qualitate vicinitatis. quia aliter non erat locus statuto, & ideo diceretur alteri iudicio contrarium. Vide infra decis. 221. hoc lib. 2.

SVMMARIVM.

An distinctio præbendarum, probet annexionem, & sufficiant decem anni ad inducendam consuetudinem optandi.

1 *Præbendæ an videantur annexæ canonicatibus, quando est certus numerus canonicorum & præbendarum.*

DECISIO CXCVI.

IN vna Mediolanensi optionis, coram D. Peregrino, fuit datum dubium præsumpta distinctione præbendarum, An præbendæ * sint vnitæ, & annexæ canonicatibus, ita quod non sufficiant decem anni ad præscribendum consuetudinem optandi. Et licet in isto casu, esset per testes probatum, quod erat certus numerus canonicorum & 1 præbendarum, & ideo + præbendæ viderentur annexæ canonicatibus. per ea quæ videtur sentire Abb. in c. maioribus. de præben. & ideo esset necessariū tempus quadraginta annorū; tamen maior pars Dominorū noluit recedere a decis. 17. Cassad. de præben. Ex cuius dictis paret; quod sola distinctio non probat annexionem. & ideo necessarium erat probare, quod tituli vna cum præbendis mutarentur, vel præbendæ essent tituli spirituales. & ideo, non probata tali annexione, ex dicta distinctione, quod sufficeret tempus decem annorum ad inducendam consuetudinem.

* Quæ dicatur præbēda distincta. Vide Abbat. in c. dilectus filius. col. 3 vers. in eadē. glo. ibi. &c. de præben.

SVMMARIVM.

Patientia permittentis examinari testes post rem iudicatam, nocet rei iudicatæ.

1 *Princeps an per rescriptum, sententiam latam reuocare possit.*

DECISIO CXCVII.

FVit resolutum, coram D. Io. Paulo, in Placentina Castri Sarmati, 16. Ianuarij 1545. quod quia post laudum, quod dicebatur transisse in rem iudicatam, Comes Bartholomæus passus fuerat examinari testes, per quos apparebat de iniustitia sententiæ, quod videretur renunciatum rei iudicatæ: per ea quæ dicit Ias. in l. patre furioso. col. 5. ff. de his qui sunt sui, vel alien. iur. Aliqui 1 etiam dicebant, quod Princeps + potuerat per suum rescriptum, illam sententiam reuocare, prout fecerat. per dictum Bald. in l. fin. vers. quæro quid si in rescripto. C. sen ten. rescin. non posse. Sed illud dictum Bal. reprehenditur à Iasone in l. fin. col. 2. vers. septimo singulariter. C. si contra ius. & per Steph. Bertrand. cons. 15. col. 3. num. 9. vol. 1. Non obstabat protestatio rei iudicatæ per Bartholomæum facta. quia fuit alias resolutum, quod non obstante tali protestatione, fuerat à re indicata recessum.

SVMMARIVM.

Sufficit quod commissio deroget statuto Vrbis, licet non deroget regulæ de non tollendo ius quæsitum.

Prin-

2 *Principis rescriptum contra legem, quando valeat.*

DECISIO CXCVIII.

FVit resolutum coram me, in vna Romana dotis, seu nullitatis, quod commissio derogans statuto Vrbis, videlicet quod nullitatis causa, post annu posset intentari, valeret, licet in ea non esset derogatum regulæ de non tollendo ius quæsitum. licet in contrarium allegaretur Sarnen. in reg. de non tollendo ius quæsitum. quæst. 15. in fine. & quæst. 10. vbi loquitur de exceptione peremptoria. de qua, quando tollitur, est facienda mentio: prout est ista, quæ est litis ingressum impeditiua. & etiam allegabatur Sarnen. in proœmio regularum. fol. 11. vers. tamen contraria opinio. Ratio decisionis fuit, quia inter Romanos, primo seruantur statuta. & deinde ius ciuile. postea ius canonicum. & de iure ciuili quādo scribitur contra legem, ✝ sufficit quod Princeps sit certus, quod contra legem scribit, & non obstante ea vult rescribere, per not. in l. fin. C. si contra ius, vel vtilitat. public. Et fuit dictum, quod ita obseruabatur in curia Capitolina. & causa erat inter Romanos. videlicet Georgiū de Nobilibus, & Seraphinum de Iannottis. Resolutio fuit facta coram me, die 18. Ianuarij 1545.

SVMMARIVM.

Supplicatio resignationis in fauorem vnius, ex causa permutationis porrecta, potest iterum in fauorem alterius porrigi, & pro illo consensus præstari.

DECISIO CXCIX.

IN vna Salamantina decanatus, in qua, die 16. Ianuarij 1545. dedi dubium, præsupposito quod probetur concordia, & quod supplicatio permutationis, ac regressus, & pensionis, fuerit per procuratorē Petri Sarmento, porrecta, An anteaquam Fraciscus Pereyra consenserit coram notario regressui, & pensioni, potuerit D. Petrus principalis in fauorem alterius resignare. Et fuit resolutum quod potuerit, quia licet per porrectionem cēseatur perfecta gratia, itaut consensus coram notario non veniat nisi ad exequutionem; tamen non perficit gratiam irreuocabiliter, sed tantum reuocabiliter, quia rigor. §. quidam. de renūc. in curia non seruatur. vt ibi per Anton. & ideo in multis casibus tenuimus, quod porrecta supplicatione, possit pluries eam porrigere, & in fauorem alterius coram notario consentire. Et ita licet Petrus per procuratorem porrexisset, tamen irreuocabiliter non erat ab eo ius abdicatum, quare potuit in fauorem alterius resignare.

SVMMARIVM.

Pœna conuentionali apposita in instrumento emphiteusis non obstante, potest agi ad pœnam caducitatis.

DECISIO CC.

FVit resolutum 19. Ianuarij 1545. in vna Bononiensi de Bologninis, coram D. Prospero, quod non obstante appositione pœnæ conuentionalis in instrumento emphiteusis, possit agi ad pœnam caduciraris. secundum Alexan. consil. 132. post princip. versic. circa secundum dubium. volum. 4.

SVMMARIVM.

Pro sponsa de futuro, non datur sponso restitutio. secus si per verba de præsenti.

DECISIO CCI.

PRo sponsa de futuro, quæ à sponso recessit, non datur sponso restitutio. secus est quando est sponsa per verba de præsenti. Ita fuit resolutum in vna Senensi sponsalium, coram Domino Aquensi, die 19. Ianuarij 1545. per not. per Abb. in cap. ex parte. colum. pen. versic. item si sunt. &c. de restitut. spoliat. & est gloss. in verbo legitimus. vbi Bald. & alij, in cap. ex transmissa. de restitut. spoliat.

SVMMARIVM.

Gratia Episcopi Solis ad primum vacaturum, seu quod tu si malueris duxeris acceptandum, quomodo interpretata.

DECISIO CCII.

HAbebat Episcopus Solis in diœcesi Hispalensi, gratiā de prouidendo ad primum beneficium vacaturū, vel quod tu, si malueris, duxeris acceptandum. vacauit primo Scholastria, quā Episcopus acceptauit, & de

& de ea petijt sibi prouideri. sed quia fuit compertum quod non cadebat sub gratia vacauit secundo loco Archidiaconatus, quē Episcopus acceptauit in genere deducendo ad speciem, vt solet fieri, & etiam petijt sibi prouideri. Sed antequam fieret acceptatio Papa alteri de eo prouidit. & impetrans dicebat, quod ex quo Episcopus totiens acceptauerat, quod videbatur elegisse secundā partem gratiæ. & ideo cum ante acceptationem, ex quo secunda pars gratiæ erat cō ditionalis. per decis. 3. de præb. Cassad. & per Clem. 1. de concess. præb. quod potuit per Papam præueniri. Fuit tamen, coram D. Aquensi, die 19. Ianuarii 1545. resolutū, quod ex quo gratia erat alternatiua, quod electio erat gratiati. & cum beneficium, vt præsupponebatur, erat primum quod vacauerat, q vigore primæ partis gratiæ illud capere poterat. nam secunda pars gratiæ tunc intrabat quando esset renunciatum primæ, vt quia noluisset, seu illi parti renunciasset, sed cum istud esset primo vacans, & illud Episcopus volebat, certe non poterat illud nisi vigore primæ partis gratiæ, acceptare. Non obstat quod diceretur, illi primæ parti per acceptationem renunciasse. quia dicebatur, quod per hoc non poterat Episcopus formam, seu naturam gratiæ mutare, cum non posset hoc facere, & acceptatio quæ ad cautelam erat inducta, non debebat sibi nocere. nam ideo Episcopus acceptabat, vt si primum beneficium vacans non sibi placeret, posset secundum, & tertium acceptare, quod ante vacationem eligi non poterat. si ideo vacāte primo illud volebat, certe non poterat, nisi vigore primæ partis capere, & cum in prima parte gratia esset pura, non potuit per impetrantem præueniri.

SVMMARIVM.

Supplicatio, & reuisio non impediunt exequutionem sententiæ.

DECISIO CCIII.

IN vna Toletana iurisdictionis, coram D. Io. Paulo, die 19. Ianuarii 1545. fuit resolutum, quod quando quis auditur per viam supplicationis post decem dies, vel per viam reuisionis aduersus sententiam quæ transiuerat in rem iudicatam, quod sententia, tali casu, esset mandanda exequutioni, nec talis reuisio impediret exequutionem sententiæ. per text. iuncta glos. & ibi Ias. in authen. quæ supplicatio. C. de precib. Imperat. offeren. & per Afflict. decis. 341.

SVMMARIVM.

Verba enunciatiua posita in duobus instrumentis antiquis probant vnionem.

1 *Tempus nonagintanouem annorum, an antiquum, & num. 5.*
2 *Vnio an probetur per præscriptionem immemorabilem.*
3 *In immemorabili probāda quid requiratur.*
4 *Enunciatiua, in antiquis in materia odiosa, an probent. Vnionis materia an odiosa.*

DECISIO CCIV.

IN vna Bononiensi Montis Cereris, contra Episcopum Feltrensem, pro vno de Grassis, coram D. Mohedano, die 19. Ianuarii 1545. fuit conclusum, quod per verba enunciatiua, posita in vno instrumento etiā excedenti centum annos, vt ibi eramus in instrumento vnius collationis factæ de anno 1423. in quo instrumento enunciatiue dicebatur, quod Archipresbyteratui Bononiensi erat vnita Plebania Montis Cereris, quod per illud vnicum instrumentū habens talia verba enūciatiua, nō probaretur vnio. secus si essent duo instrumenta antiquissima,
1 vt erat † in illo casu aliud instrumentum nonaginta annorū * in quo etiā erat talis enunciatiua vnionis, per illud quod dicit Aret. in c. cum causam. col. 4. in fin. versic. sed quæritur quid de instrumētis, & melius col. seq. vers. debes etiam in prædicta conclusione. de probat. & ibidem Fel. col. 2. versic. est verum, &c. & maxime in fine illius col. Et licet Aret. ibidem dicat quod est arbitrarium iudici, attentis qualitatibus, certe Rota in hanc partem inclinansit, ex quo erant alia instrumenta enunciatia vnionē quæ tamen non erant antiqua. & non obstat
2 quod dicebatur, quod vnio probatur † per præscriptionem immemorabilē, vt per Fel. in c. causam quæ de præscript. & in immemo
3 rabili probanda requiritur † probatio 40. ann. de visu per not. in c. 1. de præscript. in 6. & hic talis possessio nō probabatur, quia dicebatur, quod illud est verum, quādo quis vellet probare vnionē, per illā viam præscriptionis, sed hic non illa via, sed via verborum enunciatiuorum talem vnionē probare intendebat. Itē non obstat quod verba enū
4 ciatiua † in antiquis, non probant in materia odiosa. vt per Ias. in l. ex his. col. 3. C. de test. milit. & hic eramus in materia vnionis, & sic materia odiosa, quia fuit responsum quod Iason ibi allegat. Bal. in l. 2. C. de necessa. ser. qui Bald. loquitur in vno instrumento, & etiam non loquitur in antiquis. Il
5 lud etiam notandum † est, quod Rota in instrumentis, tenuit tempus 99. ann. pro antiquo.

* Tēpus nonaginta nouem annorum reputatur pro antiquo in instrumētis.

SVMMARIVM.

Bulla Honorij an fuerit iudicata quod foret in forma probanti.

1 *Instrumenta antiqua habentia originem à personis suspectis, an probent.*
2 *Episcopus, & Vicarius eius, an sit iudex cōpetens in causa pertinente ad Episcopatū.*
Transumptum an probet si in eo non interuenit citatio.
3 *Solennitatis præsumptio quando cesset in antiquis in transumptatione scripturarum, & num. 5.*
Exemplum an propter antiquitatē probet.
4 *Solennitas in antiquis, an præsumatur si non enuncietur.*
5 *Citatio in antiquis in transumptatione scripturarum, an præsumatur.*
6 *Solennitas intrinseca, si non apponatur an eo ipso probetur non interuenisse per exhibitionem actus gesti. & quid in extrinseca.*

DECISIO CCV.

* Causa iterum posita 13. Febr. 1545. super sequenti dubio, an bulla Honorij iunctis conformitate litterarum, plumborum, transumpto, & duob. instrumentis vltimo productis, absque dicto testis, probet & faciat fidem, vltra instrumentū productum in processu de partib. 1518. & Domini, licet non multum mouerēur ex conformitate litterarum, & plumborum, tamen propter transumptum, & verba enunciatiua triū instrumentorū, pro maiori parte, videlicet ex octo votib. seu duobus tantum fremantibus, tenuerunt, quod faceret fidem; & licet instrumentū positum in processu de partibus, sit exemplum, tamen propter Innocentianam eicre ditur.

IN vna Parmensi * Castri Colurni, pro Cardinale S. Florę, contra
Comitissam Caiassi, in qua, die 23.
Ianuarij 1545. dedi dubium, An bul
la Honorij, iunctis transumpto, con-
formitate litterarū, ac sententia ori
ginali vltimo producta, lata de an-
no 1389. probet, idest sit in forma
probanti. Duo dimissa cōparatione
litterarum, ex tribus voluerūt quod
esset in forma probanti. primū vide
licet ex transumpto d. bullæ facto de
anno 1300. Nec obstat ꝙ illud tran-
sumptū erat suspectum, ex quo erat
factum corā Vicario Episcopi Par-
mensis instāte syndico Episcopatus,
1 prout in instrumentis † antiquis ha
bētibus originē à personis suspectis,
ꝙ non probent ponit Soc. cons. 194.
col. fin. vers. præterea dico. & Corn.
cons. 24. col. pen. vol. 4. quia fuit di-
ctum ꝙ Vicarius Episcopi, & ipse Episco-
pus in causa pertinente ad Episcopatū, est
2 cōpetens † iudex, & non suspectus. Item di-
cebatur, quod transumptum non probabat,
quia in eo nō interuenerat * citatio. & præ
sumptio solennitatis nō præsumitur interue
3 nisse in antiquis † quando in scriptura quæ
producitur, apparet citationē non interue-
nisse. vt per Dec. cons. 445. col. pen. vers. nō
obstat quod exēplum propter antiquitatem
nō probet, & idem Dec. in authētica si quis
in aliquo. col. 6. prope finē. vers. nec obstat si
dicatur. vult quod solennitates in antiquis
4 non præsumantur † nisi enuncientur. & facit
quod dicit Corn. cons. 24. col. 5. vol. 4. Sed
hoc non obstante fuit dictū, quod citatio in
5 antiquis, & maxime † antiquissimis, prout
in casu nostro, præsumeretur. per not. per
Purpur. in anthetico si quis in aliquo. col. 3.
vers. vltimo an talis citatio. &c. C. de eden.
vbi multa ad propositum ponit. Non obstat
quod nō constet in actu de citatione, ergo
probatur non interuenisse. quia, ex quo po-
tuit interuenisse & non interuenisse, præsu-
mitur quod interuenerit. quia nō semper in
omni actu est de essentia, quod in transum-
pto ponatur citatio. Nam illę solennitates
6 quæ † sunt intrinsecæ actus, si non opponun-
tur, eo ipso probatur ꝙ non interuenerunt.
vt puta quando producitur totus processus
& non apparet de citatione. Sed quando su
mus in solennitate extrinseca, quæ non solet
semper cum ipso actu apponi, quia aliunde
probādo actus est validus; tunc, ex eo quod
nō sit illa solēnitas in actu descripta, ex hoc
non probatur quod non interuenit. Secunda
etiā præsumptio quod bulla esset in forma
probanti, fuit sumpta ex narratiua senten-
tiæ, latæ de anno 1398. vbi enunciatiue fit
mentio de bulla Honorij, continente senten-
tiam inter Epizonū Episcopum Parmēsem,
& Cōmune. & enūciatiua verba in antiquis
probant. Tertia præsumptio, fuit sumpta ex
dicto vnius testis, qui deponit, ꝙ vidit bullā
sunt 50. anni, cum plumbo appenso, cum cor
dulis sericei croceiq; coloris. & vidit quan-
do illud plumbū, propter vetustatem, cecidit
à cordulis, & fuit insutum in ipsa bulla. &
quod illam bullam, & transumptum, vidit in
Archiuio Parmensi. Et sic ex istis tribus, Ro-
ta resoluit, ꝙ bulla esset in forma probanti.

* In antiquis cuē plit an præsumatur ꝙ interuenerit citatio. vide in 1. lib. annotat. meorū. decis. 155. & vide inf. decis. 327. lib. 2.

SVMMARIVM.

Verba in inuestitura Corrigiensium, prout prædecessores vestri possederunt, &c. quomodo intellecta.

DECISIO CCVI.

IN causa Parmensi Vallium, in qua fuit datum dubium, An Domini Corrigiēses teneantur verificare possessionem prędecessorum, & inuestitorum, Principi narratam; ita vt illa verba in narratiua & dispositiua, prout prædecessores possederunt, &cæt. stent causaliter, fuit resolutum, die 23. Ianuarij 1545. quod quia inuestitura erat certa, nā continebat quid certum, videlicet Vallem cum nemoribus, pascuis, &cæt. & erat facta ex certa scientia, & sano procerum consilio, & per consequens cum causæ cognitione, & non in forma communi, quod illa verba, prout prædecessores possederunt, &c. starent causaliter, & non conditionaliter. per not. per Bart. in extrauáganti, ad reprimendum

mendum in verbo prout. & non fuit considerasum quod ista confirmatio fuerit facta, ad supplicationem partis ponendo in narratiua illa verba, prout, ex quo eramus in priuilegijs, & fuit allegatum cons. Paul. de Castro 17. vol. 2. & text. in c. Abbate sane. de re iudic. in 6. Decium cons. 169.

SVMMARIVM.

Citatio sine die est valida.

DECISIO CCVII.

Vigesimatertia Ianuarij 1545. Fuit resolutum in vna Calagurritana de Iaguella, & altera Hispalensi dimidiæ portionis, coram D. Thoma de Thanis, quod citatio sine die valeret. quia intelligebatur ad primam, vel quam citius comparere poterat per ea quæ dicit Alex. in l. liber homo. la secunda. §. decem. num. 5. ff. de verb. obligat. & ibi Iason. col fin. Felin. in c. consuluit. colum. 3. de offic. delegat. Præpositus in c. cum parati. col. 3. de appell. Et non fuit attenta distinctio quam facit Francus in d. c. cum parati. col. 4. dum distinguit, an valeat ad mulctam imponendam, non autem ad expeditionem actus. quia fuit dictum quod simpliciter talis citatio tenet. vt per Alex. in d. l. liber homo. §. decem. & ideo in illa Hispalensi erat facta citatio vna die præcedenti vltimã audientiã, de mense Iulij ad sententiam declaratoriam sine die. fuit dictum, quod intelligebatur de prima die iuridica.

SVMMARIVM.

Clausula, quod de obreptione & subreptione gratiæ dici non possit, intelligitur veris existentibus narratis, in gratia ad petitionem partis concessa.

1 *Gratia semper intelligitur veris existentibus narratis.*

Gratia principalis si corruit, corruunt etiam clausulæ accessoria.

DECISIO CCVIII.

Fvit resolutũ in vna Calaguritana prioratus de lo Grongno, coram D. Peregrino, die 23. Ianuarii 1545. quod quando gratia vt erat in illo casu in coadiutoria, & accessu in euentum vacationis, quæ coadiutoria dicebatur habere falsam narratiuam, vt erat probatum, quod si coadiutoria, propter illã falsam narratiuam, erat nulla, & etiam accessus, etiam propter illã falsam narratiuã, quod clausula in coadiutoria posita, quod de obreptione & subreptione dici nõ posset, in quo gratia erat ad petitionem partis, & nõ motu proprio, quod nihil operabatur. quia illa clausula intelligenda erat, veris existen-

1 tibus narratis, & sicut gratia † principalis corruebat, ita & clausulæ illæ accessoriæ. & fuit allegatus Abb. in c. 1. col. 2. de confirmat. vtil. facit glos. in l. si patronum. §. patronum. ff. de bon. libert.

SVMMARIVM.

Ex scientia, & patientia cum actu positiuo inducitur mandatum.

DECISIO CCIX.

EX scientia, & patientia Episcopi Canariensis, scientis & patientis quod quidam Ioannes ageret nomine suo; & vltra dictã scientiam & patientiam, probabatur quod ille taliter agens, habebat iura in manibus facientia ad causam, fuit iudicatum in vna Canariensi iurisdictionis, coram D. Peregrino, die 23. Ian. 1545. quod esset inductum mandatum. quia hic non erat sola scientia & patientia, quo casu dictum Innoc. communiter reprobatur. vt dicit Barbat. in cap. ex parte Decani. de rescrip. col. 12. sed etiã interuenerat actus positiuus. quo casu videtur dari mandatum, vt ibi dicit Felin.

SVMMARIVM.

Regula reuocatoria vnionum Pauli Secundi reuocauit vnionem de qua hic.

DECISIO CCX.

COram D. Sebastiano in vna Præceptoriæ * S. Ioannis Hierosolymitani. Fuit resolutum 23. Ian. 1545. quod Regula Pauli II. reuocatoria vnionum, factarum nedum auctoritate Apostolica, verum etiã quacumq; alia, reuocaret vnionem factam per Capitulum prouinciale de quadam Præceptoria S. Ioannis Hierosolymitani.

* Fuit causa iterum posita 21. Feb. 1545. & idem resolutum nonobstante quod privilegio sit priuilegiata, & quod non fit mentio de priuilegio non censetur esse sublatum vt per Cyn. in l. vnica. C. quando Imperat. inter pupillum, & vidu. per Roman. consil. 456. vers. sup. principalis ratio. & 499. vers. tertia ratio. quia fuit dictum, quod dispositio generalis comprehendit priuilegiatos, nisi habeãt priuilegium super re de qua agitur. l. in fraudem. § final. & ibi Bal. ff. de milit. testam.

SVMMARIVM.

Consensus quo casu potuerit præstari per procuratorem post obitum.

1 *Consensus quem procurator præstat, & retinet penes se cartham super qua consensus præstatur, toleratur de stylo.*

2 *Consensus non extensus infra tempus decem dierum, quare inualidus & nullus.*

DECISIO CCXI.

FVit resolutum in vna Barchinonensi, seu Tarraconensi beneficiorum, coram D. Aquen-

D. Aquensi, die 23. Ianuarij 1545. quod cõsensus poterat præstari per procuratorem post obitum, quia semel, seu bis, in vita præstiterat cõsensum super quodam memoriali, licet non super supplicatione. Et licet memoriale, super quo erat præstitus consensus per procuratorem, esset retentus, quia stylus Curiæ id tolerabat, quod procurator
1 præstet cõsensum, † & retineat penes se cartam super qua consensus præstatur. nec erat verum quod esset hic voluntas imperfecta, quia consensus erat valide præstitus, & perfectus. Sed quia infra tempus decẽ die-
2 rum non erat † extensus per regulam erat inualidus, & nullus, & ex actu nullo colligi tur consensus, & voluntas.

SVMMARIVM.

Protestatio, quod non intendit acceptare nisi in illa causa, non sufficit quod fiat tempore productionis.

1 *Procurator si non vult acceptare mãdatum generaliter ad omnes causas mãdantis, sed in particulari, quid debeat facere.*
2 *Procurator producens mandatum generale ad vnam causam tantum, est nihilominus procurator generalis ad omnes & quare.*
3 *Procuratores cauti producunt mandata per compulsum, & in causa particulari, quam acceptant sunt procuratores, & non in alijs.*

DECISIO CCXII.

IN vna Mantuana Succarorum, coram D. Prospero, fuit resolutum, die 26. Ianuarij 1545. quod Sylla Gorius, qui produxerat mandatũ in actis, dicendo quod acceptabat onus ad effectum substituendi tantũ quod non obstante tali protestatione tunc temporis, videlicet tempore productionis factæ, quod potuisset citari ad sententiam, & sententia esset valida, quia non constabat
1 quod tempore receptionis † mandati fuisset protestatus, prout necessariũ est. ad tex. in Clem. 1. de procurat. nam certum est, quod si Sylla produxit, quod ante illam productionem habuerat mandatum. & per retentionem, absq; alia productione, visus est acceptasse. & D. Io. Paulus testatus fuit q alias, coram bo. me. Nicolao Aragonia fuerat, quod procurator generalis, qui produ-
2 xerat † mandatum ad istam causam tantũ, ex quo non dicebat quod tempore receptionis fuisset protestatus, quod diceretur generaliter acceptasse, & ideo cauti procurato-
3 res producunt † mandata per compulsum, & postea in illa causa tantum acceptant.

SVMMARIVM.

Protestatio vnica, pro conseruatione iuris sui, quando sufficiat.

DECISIO CCXIII.

FVit dictum in causa Placentina Castri Sarmati, die 26. Ianuarij 1545. quod licet in extraiudicialibus, vnica tantũ protestatio sufficiat pro conseruatione iuris sui, & nõ requiratur pluries protestari. per not. per Bart. in l. de pupillo. si quis ipsi Prætori in 3. opposit. ff. de nou. oper. nunc. eum quo DD. cõmuniter transeunt, & asserit cõmunem Io. Ant. Alex. in l. non solum, §. morte. col. 49. ff. de nou. oper. nunciat. tamẽ quod istud non procedit in iudicialibus. quia si quis protestetur, & non obstante protestatione, faciat aliquem actum, & iudex illum admittat, quod tunc vitiatur protestatio, & valet actus contrarius protestationi, prout istam asserit magis communem Alex. in l. non solũ. §. morte. col. 5. ff. de nou. oper. nũc. Et ideo fuit conclusum, quod quia in illo casu procurator Bartholomæi comparuerat post rem iudicatam, licet protestatus fuisset de re iudicata, & quod non intendebat illi præiudicare; tamen quia aliquos actus positiuos fecit, & iudex illos admiserat, quod per processum ad vlteriora, esset suæ rei iudicatæ præiudicatum.

SVMMARIVM.

Publicatione non obstante, quando testis dixit nil scire, an alij testes sint examinandi.

1 *Testis, non obstante publicatione, quando examinari possit.*
2 *Consito de damno dato pro quantitate, an iudex ex officio possit examinare.*
Iudex an ex officio post publicationem examinare possit.
3 *Damno probato super quantitate, an admittantur testes inhabiles.*
4 *Testium publicatio, an obstet, quando proceditur de æquitate, & quando testis habet concomitantiam instrumenti.*

DECISIO CCXIV.

IN vna Rhodiensi, linorum & coriorum in qua pro parte Furnariorum, contra Religionem, in prima instantia, in tertio articulo erat articulatũ, quod in naui per Religionẽ tempore obsidionis Rhodi retenta erant tot ballæ linorum, & coriorum, & q fuerãt appositę pro defensione ad męnia, & reparos Vrbis. Testes dixerant quod verum erat quod multæ ballæ linorum, & coriorũ fuerant pro defensione ad męnia appositę, tamen nesciebant quantitatem, & fuerat

habita

habita publicatio testium. post publicationem, Furuarij voluerunt examinare super quantitate. Dubitaui ego, die 30. Ianuarij 1545. An stante publicatione, posset testis super quantitate examinari. Et pro affirmatiua adducebatur, quod quando testis examinatus super articulo dicit nil; scire tūc
1 non obstāte publicatione, † potest testis examinari, per ea quæ dicit Socin. in tract. fallen. regula 403. in 2. fallentia. tamen fuit dictum, quod illud intelligitur, prout declarat Bald. in cap. 1. §. 1. quid sit inuestit. quando testes in prima instantia, odio, amore, vel precio, fuerunt substracti, quod hic secus erat, quia habuerat remissoriam pro illo teste examinando, & non curauerat eum examinare, & ideo Iacob. allegat. per Soc. in dicta 2. fallen. reprehendit Aretin. in cap. fraternitatem. colum. 3. versic. posita tamen communi. num. 11. de testib. vbi allegat Io. Andreā, & Antonium tenentes contrarium, & ibi Felin. colum. 5. vers. sed vltra ipsos. Fuit tamen conclusum in isto casu, quod ex quo constabat de debito, videlicet de damno dato, & quod necessarium erat quod adesset quātitas, quod
2 ego ex officio meo † debebam examinare testem. per not. per DD. in cap. cum clamor de testib. & Paul. de Castr. cons. 246. vers. item non obstat. volum. 2. vbi dicit, quod benefacit iudex, si ex officio post publicationem examinat, ad quem pertinet vndique veritatem indagare, & sicut dicimus, quod probato damno admittuntur testes alias in-
3 habiles † super quantitate, vt puta domestici. iuxta not. in l. si quando. C. vnde vi, quia tunc proceditur potius ex quadam æquitate, quam de rigore, ita & hic. & istud sentit Bald. in d. cap. 1. §. 1. quid sit inuestit. quod quando proceditur de æqui-
4 tate, † non obstet publicatio. & quando testis habet concomitantiam instrumēti, tunc non obstante publicatione debet examinari. vt per Anton. in c. feries. de testib. Roman. sing. 80. Afflictus decis. 33. vers. item quia. Dec. consil. 216. colum. fin. Alexand. cons. 213. in fin. volum. 2. Hic autem testis habebat concomitantiam debiti probati, ergo debebat examinari.

SVMMARIVM.

Procurator substitutus in negocio exequutiuo factus dominus litis potest substituere.

1 *Instantia an detur in exequutiuis, & num. 3.*
2 *Instantia & lis, an differant.*
3 *Instantia licet non detur, an possit tamen dari lis.*

DECISIO CCXV.

Fvit resolutum in vna Hispalensi dimidiæ portionis, corā D. Thoma de Thanis, die 30. Ianuarij 1545. quod procurator substitutus, qui in negocio exequutionis fecerat talia quę sapiebant litis contestationem, potuerat, vt dominus litis substituere.
1 quia licet, vt Domini inclinabant in † exequutiuis non detur instantia, quicquid dixerint Alex. & Ias. in l. properandum. in prin. C. de iudic. reputantes pro tunc opinionem contrariam veriorem, quam multi DD. per eos relati tenent, tamen negari non potest
2 quin sit lis: nam ista sunt diuersa † instātia, & lis vt per Alex. in l. causas. C. de transact. Gemin. in cap. 1. §. si quis. col. 1. de senten. excom. lib. 6. Et licet in exequutiuis non de-
3 tur instantia, † datur tamen lis. vt per omnes, in l. properandum. C. de iudic. & per Sarnen. in reg. de annali, q. 44. Cum igitur detur lis, ad primum actum vbi lis contestaretur, procurator efficitur dominus, & per consequens efficitur dominus litis, & substituere potuit.

SVMMARIVM.

Vnio non docto de erectione beneficij tribuit titulum coloratum.

1 *Titulus coloratus quando dicatur.*
2 *Prælatus agens spolio recuperandæ pro aliqua re sua Ecclesiæ, an excludatur si non ostēdat plene suam canonicā institutionē.*
3 *Decimis spoliatus, agens ad restitutionem, quando debeat probare de titulo.*

DECISIO CCXVI.

IN vna Toletana spolij S. Sebastiani, Oppidi de Madrid, fuit resolutum die 4. Februarij 1545. quod vnio beneficij facta Collegio de Alcala, dato q̄ de erectione dicti beneficij non constaret, quod præstaret titulū coloratum ad restitutionem decimarū quibus spoliati fuerant dicti Collegiales, quia
1 titulus † coloratus dicitur, quando est habitus ab habente auctoritatem. vt per Fel. in c. in nostra. in 36. corollario. de rescrip. Non obstat, quod non cōstaret de erectione beneficii vniti Collegio, quia dicebatur q̄ istud respiciebat petitoriū. Non obstat quod si Prælatus agit possessorio recuperādæ pro
2 aliqua re Ecclesiæ suæ, excludatur † nisi ostē dat plene suam canonicā institutionē, vt per Iacob. in l. si de vi. col. pen. vers. decimotertio fallit. de iudic. quia illud erat verū qn̄ Prælatus nō fuit in possessione illius rei, at in casu nostro fuerat Collegiū per 30. ann. in possessione percipiēdi istas decimas. Non obst. q̄ hic agebatur de decimis in parochia

 aliena,

aliena, & ideo legitime debebat de titulo Col
legiũ docere, ꝙ non fiebat quando docebatur
3 tantum de vnione, † non docto de erectio-
ne, ad text. in cap. ad decimas. de reſtit. ſpo
liat. in 6. quia reſpondebatur, quod ille tex.
procedit quando rector ſpoliaſſet, ſed hic
erat tertius qui ſpoliauerat; puta inſtitutus
ab Ordinario; & ideo non eramus in ter-
minis illius decretalis.

SVMMARIVM.

Legitimatio, ſeu diſpenſatio filij facta ex-
tra territorium legitimantis eſt va-
lida, patre ratificante.

1 *Legitimatio per patrem, an cenſeatur rati-
ficata ex inſtitutione filij, vt legitimati.*

DECISIO CCXVII.

IN vna Regienſi bonorum, 4. Februarij
1545. coram D. Pighino, fuit reſolutum
quod ſicut legitimatio, ſeu verius, vt erat
in caſu illo, diſpenſatio, quia tractabatur de
legitimatione filij ſpurij nati ex presbytero
facta per Papam de conſenſu patris valeret,
etiam quo ad bona exiſtentia in territorio
Cæſaris. quia DD. concludunt quod patre
inſtante, ſeu conſentiente, ſit valida. vt per
Crot. in §. & quid ſi tantum. colum. pen.
ita etiam valeret ſi non eſſet facta patre pe-
tente, ſed legitimationem ratificante. vt
per Curt. Iuniorem. conſ. 157. colum. pen.
Aretin. in l. Gallus §. & ſi forſitan. ff. de li-
ber. & poſthum. & quod pater diceretur
1 ratificaſſe † legitimationem, ex quo in teſta
mento inſtituerat filium vt legitimatum.
per conſ. Iaſ. 202. in 2. volum.

SVMMARIVM.

Adminiſtrator Eccleſiæ ad tempus depu-
tatus, an cenſeatur ordinarius,
vel delegatus.

1 *Iuriſdictio data quando faciat quem dele-
gatum, & quando ordinarium. & n. 2.*
3 *Adminiſtrator datus Eccleſiæ, an poſſit Vi-
carium deputare, & num. 7. & 8.
Vicarius Vicarium non deputat.*
4 *Locum tenens an poſſit alium deputare.*
5 *Induſtria perſonæ ſi eſt electa, non poteſt al-
teri iniunctum demandari.*
6 *Induſtria perſonæ quando cenſeatur electa.*
9 *Ordinarius, an poſſit totam ſuam ordina-
riam poteſtatem in alium transferre.*

DECISIO CCXVIII.

EPiſcopus Caſtoricenſis fuit deputatus
adminiſtrator Eccleſiæ Caurienſis, do-
nec, Carolus de Lanois, vigeſimumquin-
tum annum ætatis ſuæ attigiſſet. Fuit dubi-
tatum 4. Februarij 1545. in vna Caurienſi
del Caſar, inter Epiſcopum Solis, & Franci-
ſcum Caruaial, coram D. Aquenſi, An talis
adminiſtrator, diceretur ordinarius vel de-
legatus. Et quod cenſeretur delegatus mul-
tum vrgebat quod dicit Bald. in l. 1. in 9.
quæſt. ff. de offic. conſul. dum dicit quod
1 iuriſdictio † temporaliter data facit quem
delegatum. ſecus ſi perpetua. quia ſicut or-
dinarius non poteſt deputari ad certas cau-
ſas, ita nec ad certum tempus, arguendo de
re ad tempus, & illam deciſ. ſequuntur mo-
derni, videlicet Claud. Aquen. & Purpur. in
l. more, & ibi Rimin. ff. de iuriſdict. omn.
iudic. Felin. in cap. licet in corrigendis de
offic. ordin. Tamen ad iſtud fuit reſponſum
quod illud procederet, quando iuriſdictio
concederetur non habenti iuriſdictionem.
ſecus quando conceditur habenti, vt erat in
caſu iſto, in quo conceſſio erat facta Epiſco-
po Caſtoricenſi, qui in ſua Diœceſi Ordina-
rius eſt, prout ita declarat Claud. in d. l.
more. colum. 3. in princ. verſ. & inter cæte-
ra dicit cum duabus limitationibus ſequen
tibus, & Purpur. col. 7. verſic. ſecundo limi
tatur. & verſ. & ex hac concluſione, &cæt.
2 Et ideo fuit reſolutum, quod talis † admini
ſtrator ſic deputatus diceretur habere ordi-
nariam, prout ita firmat gloſ. in cap. is cui
procuratio in verbo confirmatus. de elect.
in 6. & ibi gloſ. ſequuntur Doctor.

Secundo fuit dubitatum, an iſte * admi-
niſtrator, potuiſſet vicarium generalem
3 deputare † eum poteſtate conferendi bene-
ficia, & videbatur quod non. per text. in c.
clericos. de offic. vicar. & deciſ. 4. de offic.
Vicar. in nouis. vbi habetur quod vicarius
vicarium non deputat. Ergo adminiſtra-
tor, tamquam gerens vices alterius, vica-
rium deputare non poterit, ſicut etiam di-
4 cimus in locumtenente, † qui alium locum
tenentem deputare non poteſt, vt per Bald.
in l. 1. §. à præfectis. ff. de leg. 3. Item pon-
derabatur, quod in breui illo, erat electa in-
duſtria perſonæ, quia in eo dicebatur, con-
fidentes quod tu ſicut alias Eccleſiam præ-
dictam fideliter rexiſti, ita & in poſterum id
facere debeas. & ſic propter talẽ induſtriã
5 electam. † videbatur, quod alteri non pote-
rat demandare ad not. per Abb. & alios in
cap. fin. §. 1. de offic. deleg. Item quia in ge
nerali, ſeu in vniuerſitate cauſarum deman
6 data, ſemper cẽſetur † electa induſtria per-
ſonæ. vt dicit Abb. in c. clericos. de offic. vi
carij. & Alex. in l. quod quis. C. de procur.
Iſtis tamen non obſtantibus fuit reſolutum

* Adminiſtrator Eccleſiæ deputatus, an poſſit Vicarium generalẽ deputare.

9. Fe-

9. Februarij in eadem causa, coram eo-
dem Aquensi, quod Episcopus Castoricen-
sis administrator deputatus, vicarium
generalem ad cognoscendum in causis ciui-
7 libus, & criminalibus, † & ad conferendũ
beneficia potuisset deputare, tum quia in ca
su cap. is cui. ibi administrator erat deputa
tus ad vniuersitatem causarum, & sic erat
electa industria personæ, & nihilominus
text. dicit, quod potest omnia quæ electus
confirmatus potest. sed talis electus, potest
deputare vicarium, ergo & administrator.
& sic non obstat id quod dicitur de electio-
ne industriæ. Non obstat etiam, quod vica-
8 rius † nõ potest vicarium deputare, nec lo-
cumtenens locumtenentem: quia illud ve-
rum est in totum à se iurisdictionem abdicã
do, & alium ordinarium faciendo, prout
ita intelligunt Alexan, in l. à iudice. col. 2.
vers. recepit tamen hæc conclusio, & ibidẽ
Ias, colum. 3. vers. secundo fallit in delega-
to. C. de iudic. & Bald. in l. aliquando. ff. de
offic. proconsult. & legat. At in casu nostro
non in totum à se abdicauerat iurisdictio-
nem, quia tantum commiserat cognitionem
causarum ciuilium, & criminalium, & colla-
tionem beneficiorum, vnde collectionem
fructuum in se retinuerat, & alia. sicut nec
9 ordinarius † posset totam suam ordinariã
potestatem transferre, & alium ordinarium
facere sine principis auctoritate. ad l. pen.
ff. de offic. præsid. vt etiam loquitur Abb.
in cap. clericos. de offic. vicar. vers. sed ob-
stat prædictis. ibi, dummodo non ex toto
committat vices suas, &c.

SVMMARIVM.

Quæ verba non fuerit posita de stylo.

1 *Stylus debet probari de illo tempore quo proponitur.*
2 *Notarius censetur rogatus apponere clausulas de stylo, & si non apposuit eas tenetur apponere.*
3 *Clausulæ de stylo positæ, an censeantur de voluntate partium apposita.*
4 *Verba in inuestitura feudali, vestri prædecessores possederunt, & vos possidetis, an intelligantur conditionaliter, & limitatiue.*
5 *Recognoscens rem in feudum, an contra talem recognitionem venire possit.*
6 *Recognoscens rem propriam ab alio, an sibi præiudicet.*
7 *Successor an possit venire contra id quod non poterat venire eius auctor.*
Conductor si non potest refricare quæstionem dominij, an possit eius hæres.

DECISIO CCXIX.

IN causa Parmensi Vallium, die 9. Fe-
bruarij 1545. dedi dubium, An stanti-
bus inuestituris Maximiliani, & Caroli, il-
la verba, prout prædecessores vestri tenue-
runt, & possiderunt, & vos tenetis, & possi-
detis sint de stylo officialium Imperatoris
apposita, itaut nil operentur. Et fuit reso-
lutum, quod non. quia inuestituræ Maximi-
liani, & Caroli, non poterant probare stylũ
1 de tempore Federici, quia de illo † tempo-
re stylus probandus erat. per ea quæ dicit
Alexand. cons. 26. colum. penult. vol. 3. &
Socin. in l. Gallus. §. si eius. colum. penult.
in fin. de lib. & posthum. Immo quando es-
sent de stylo operarentur, & Notarius sim-
2 pliciter † rogatus, de eis censetur rogatus,
itaut si non apposuit, eas apponere tenetur
iuxta glos. in l. fin. C. de fideiuss. & per Dec.
in l. vt liberis, C. de collat. & in l. certi con-
dictio. §. si nummos. ff. si cert. pet. & quod
dicit Bart. in l. 1. ff. de iur. codicill. quod
3 clausulæ † de stylo positæ, non censentur de
voluntate partium appositæ, & nil operan-
tur; cõmuniter reprobatur. vt per Dec. con-
sil. 490. quicquid dixerit Curt. Iun. cõs. 111.
Et ideo dicebatur, quod illa verba in inuesti
tura Federici, stabant causaliter, quia de
contrario non constabat: sed in inuestitu-
ris Maximiliani, & Caroli, quia de contra-
4 ria constabat, starent cõditionaliter, † seu
limitatiue. idest si possidetis, vel quatenus
possidetis. Item, in alia parte dubij, in qua
dicebam, an Comes de Sala, posset contra
inuestituram de anno 1452. venire, aliqui
ex Dominis, dixerunt quod non. quia Nico
laus accipiendo illam inuestituram, eam ra
tificando, in qua dixerat quod dependebat
in feudum à sacro Romano Imperio, ex quo
non solum erat cõfessio eius, * sed erat etiã * Confessio, & recognitio rei differunt.
5 recognitio, nam recognouit eam † vt feuda
lem, contra talem recognitionem venire nõ
poterat, licet contra simplicem cõfessionem
probando contrarium. vt dicit Bart. in
l. cum falsa. C. de iur. & fact. ignor. quod se-
cus est in recognitione. nam tunc non potest
venire contra: cum recognoscendo rem ab
6 alio, † licet esset propria, videatur donare.
vt per Bald. & Paul. de Castr. in dicta l.
cum falsa. circa finem. C. de iur. & fact.
ignor. Et ideo, sicut Nicolaus non poterat
7 venire † contra, ita nec eius successor se-
cundum Felin. in cap. inter dilectos. colum.
penult. de fid. instrum. dum dicit quod si-
cut principalis conductor non potest refri-
care quæstionem dominij, ita nec eius hę-
res. Alij non dederunt votum quia non sui
prosequntus propter lapsum temporis.

SVMMARIVM.

Subrogato in omni iure, & ad omne ius, non debentur fructus nisi à die cessionis, licet de sequestro fructuum sit facta mentio in supplicatione.

1 *Subrogatus ad omne ius, an censeatur subrogatus ad possessionem.*
3 *Possessio quæsita, an iuris.*
Fructus an quid proximum, vel diuersum à beneficio.
4 *Dictio, in, quid importet.*
5 *Fructus beneficij percepti, an sint ius in Ecclesia, vel ad Ecclesiam.*
6 *Lis super beneficio, an faciat quod sit lis super fructibus principaliter.*
Fructuum condemnatio in beneficialibus, an accessoriè dicatur venire.
7 *Fructus an possint alienari pendente lite super beneficio.*

DECISIO CCXX.

SVbrogatus in omni iure,* & ad omne ius, quod alicui in Ecclesia, & ad Ecclesiam competit, & etiam in lite, etiam quod in supplicatione fiat mentio de sequestro fructuum, tamen per hoc non censetur subrogatus ad fructus qui competebant ce-
1 denti ante cessionem. †sed necessarium erat, quod fructus expresse cederentur. Ita fuit resolutum in vna Tarnisina S. Helenæ, corã D. Aquensi, pro Cardinali Pisano, contra Vincentium Quirinũ, die 6. Februarii 1545. Non obstat decis. Aegid. 351. vbi subro-
2 rogatus ad omne ius, † censetur subrogatus ad possessionem, quando de possessione est facta mentio in supplicatione. quia illud est,
3 quod possessio † postquam est quæsita, est ius. item est ius proximum ipsi beneficio, sed fructus non sunt quid proximum ipsi beneficio, sed penitus quid diuersum. & subrogatio erat ad omne ius, quod in Eccle-
4 sia. & dictio, in, † dicit intrinsicitatem in Ecclesia. l. 1. §. hoc autem edictum. ff. de non. oper. nun. Corn. cons. 338. num. 6. vol. 1. Item, illa verba, vel ad Ecclesiam, denotant quid extrinsecum à re ipsa, proximum tamen ipsi rei. l. quidam Hyberus. ff. de seruit. rust. præd. Corn. cons. 41. n. 18. vol. 2. Sed quis dubitat, quod fructus iam perce-
5 pti, †nõ sunt ius in Ecclesia, nec ad Ecclesiã. Non obstat dec. Aegid. 366. quia ibi erat lis non solum super Ecclesia, sed etiam super fructibus, & ideo veniunt in subrogatione, in casu autem nostro, erat lis super beneficio. & licet in condemnatione veniant fructus, tamen per hoc non est verum dicere,
6 quod lis sit super fructibus, † sed veniunt in condemnatione accessoriè. Et quod ex isto non dicatur esse lis super fructibus, patet: quia lite pendente super beneficio, fructus
7 possũt alienari. †qui tamẽ si essent litigiosi, non possent. per titulum de litigiosis. & quod possint alienari, operatur commodũ possessionis.

* Vide in 3. lib. annotat. meorũ. decis. 199. incipit quãdo lis. &c. quę videtur huic contrariari.

SVMMARIVM.

Duo iudicia simul cumulata, quando procedant.

DECISIO CCXXI.

IN causa Romana * domus, pro Claudia Sabella, contra hæredes Episcopi Sanctonensis, de qua decis. 195. hoc lib. de mense Februarij 1545. 4. aut 6. eiusdem mensis, maior pars Dominorum inclinauit, quod si Episcopus prosequutus fuisset vtrumque iudicium, videlicet cumulando, & petendo primo partem suam, & etiam petendo partem Thomæ Claudiæ venditam, ratione, quia consors: ex quo duo iudicia, quorum vnum alteri præiudicat ratione ordinis. Item duo iudicia, quæ sic se habent, quod absolutoria lata in vna, præiudicat in alia præcedenti, ista duo iudicia cumulando parte non opponẽte. vt per Bar. in l. edita. col. 7. vers. expeditis generibus. C. de eden. quod Episcopus, ex quo cumulauerãt ista duo iudicia, & pars non opposuerat, quod præiudicasset sibi non deponendo infra annum. quia not. in l. contra maiores, procedunt quando ratione contrarietatis, duo iudicia non possunt cumulari, etiam parte non opponente. vt dicit Bart. in d. l. edita. in loco superius allegato.

* Vigesimaseptima Febr. 1545. fuit propositum dubium, An ex cumulatione vtriusq. iudicij, ante sententiã Episcopus dicatur ita certus de iure suo, vt currat sibi tempus. & maior pars tenuit, quod non, quia sola cumulatio non reddit certum. nam licet actor debeat esse certus de iuribus suis. l. qui in alterius. de regul. iur, & sic præsumptiue. item re ipsa. quia Episcopus succedebat ex testamento, de quo certus erat. tamen fuit dictũ, quod ista certitudo, quæ est quo ad eum, nõ sufficit. quin etiam, & parti sustinẽti iudicium, & iudici qui pronuntiare debebat, certum fieri debebat. & tunc non potest dici certũ nisi per sententiam. iuxta gloss. in l. cum quidam. ff. de bon. possess. & nimis durum videretur, quod durante lite super qualitate, curreret tempus. Et quod dicitur, quod quando iudicia sunt cõpatibilia, si cumulantur tempus currit. vt in l. scire oportet. §. scire. ff. de excusat. tut. respondetur, quod ille text. procedit vbi tempus est assignatum ad proponendum. nos autem sumus, vbi non solum oportet proponere, sed etiã verificare qualitatem, quod non fit, nisi per sententiam. pro ista resolutione facit decis. Guid. Papæ 257. cauetur.

SVMMARIVM.

Ius patronatus clerico competens, an sit laicale, vel Ecclesiasticum.

DE-

DECISIO CCXXII.

IN vna Placentina canonicatus, & præbendæ, coram D. de Thanis, de mense Februarij in qua clericus fundauerat beneficium, & reseruauerat sibi iuspatronatus, fuit dubitatum, An tale iuspatronatus esset laicale, seu ecclesiasticum. cum iuspatronatus per clericum retentum, qui ex suo patrimonio Ecclesiam fundauit, construxit, vel dotauit, habetur pro iurepatronatus laicali. iuxta glos. in Clem. plures. in verbo, præsentare. de iurepatr. Abb. in cap. cum te, & in c. illud, & in c. cum dilectus. eod. tit. Et pro resolutione fuit dictum, quod quando non constat, quod bona in dotem data, sint quæsita ante vel post promotionem, & laici sunt in possessione, tunc iuspatronatus est laicale, & præsumitur ex bonis patrimonialibus beneficium dotatum. nam difficultates DD. procedunt, quando ponitur pro constanti, quod bona sint post clericatum quæsita. nam alias Ecclesia nil potest prætendere. vt per Anton. de Butr. in c. vt vnusquisque. de pecul. cleric. ante finem vbi dicit quod hoc casu non videt Ecclesiam habere aliquod fundamentum. & tenet Abb. ibi, in fine. & in repet. cap. cum esses. in tertia principali quæst. vers. secundo casu. Card. Alex. in cap. sint manifeste. in fin. 12. quæst. 1. Salicet. in authent. licentiam. C. de Episc. & cleric. Barbat. in c. cum in officijs. col. 6. vers. 7. sed dubium esset. de testam. & Roman. consi. 159. vers. 3. casu principali. Itē, fuit allegatum, consi. Alex. 107. in princ. in 7. volum. vbi vult, quod præsumptiones pro Ecclesia, & DD. procedunt quando est contentio cum ipsa Ecclesia. sed quando est contentio cum alio, vt erat in illo casu cum prouiso per Papam, tunc præsumitur pro hęredibus clerici, qui tūc sunt in quasi possessione præsentandi. Sed quia Ponens dixit, quod in casu per eum posito heredes clerici, non erant in quasi possessione præsentandi, & quod constabat, bona esse quæsita post clericatum ideo fuit iudicatum iuspatronatus ecclesiasticum.

SVMMARIVM.

Possessio capta vigore supplicationis si quis ea spolietur est restituibilis.

1 *Possessio, an possit capi vigore supplicationis.*
2 *Litterarum expeditio, an requiratur ad esse possessionis.*
3 *Possessio sine titulo, an possit esse vera, & iusta.*
4 *Possessio iniusta, an possit effici iusta.*

DECISIO CCXXIII.

POssessio capta vigore supplicationis,
1 prout * potest capi † secundum Sarnensē in regula de non iudic. iux. for. sup. quæst. 5. si ea quis spoliatur, est restituibilis, quia ad esse possessionis, non requiritur
2 expeditio † litterarum, vt per eumdem Sarnen. in d. loco. immo dicit Abb. in c. cum nostris. col. 2. num. 6. de concess. præbendæ.
3 quod potest esse vera † possessio sine titulo, licet non sit iusta, & ideo si superueniret titulus ante spolium, de iniusta foret effecta
4 iusta. † secundum Socin. in l. 3. §. ex pluribus. ff. de acquir. possess. & ideo restituibilis. Et ita fuit conclusum, coram D. Prospero, in vna Asculana parochialis S. Ioannis de Salara, die 23. Februarij 1545.

* Non obstat decit. 65. alias 5 de testit spoliatorum. antiq. quæ intelligitur secundum notat. per Innoc. in loco quem allegat.

SVMMARIVM.

Procurator substituens, & vigore clausulę vnum quoque omnibusq; melioribus, &c. an videatur etiam substituere, vt dominus litis effectus.

1 *Dictionis, &, potentia & natura.*
2 *Clausula, omni meliori modo, an comprehendat omne caput ex quo actus potest sustineri.*

DECISIO CCXXIV.

SEbastianus Martius substituit Syllam Gorium hoc modo. Presens, & personaliter constitutus prouidus vir Sebastianus Martius in Romana Curia procurator, & suorum principalium procurator, prout in actis causæ huiusmodi, & vigore clausulæ vnum quoque. &c. sponte, & ex eius certa scientia, omnibusque melioribus, modo via. &c. substituit. &c. Fuit dubitatum an substitutio valeret, ex quo Sebastianus non habebat potestatem substituendi in mandato, sed erat effectus dominus litis. & dicebatur quod non. quia clausula, omnibusq; melioribus. &c. refertur ad expressa. Hoc tamen non obstante, in vna vigintimillium ducatorum, pro Illustrissima Domina, contra Creditores Cardinalis de Medices, Reuerendissimus Crescentius & ego, inclinabamus q. valeret ex illo capite ex quo poterat sustineri, quia dictio, † &, est copulatiua, & additiua. si ergo additur, ergo includit illud caput ex quo mandatum poterat sustineri. & ad ita dicendum, mouebamur ex cons. Dec. 14. & 77. & ex iis quę dicit Galiau. in l. 1. §. si quis ita. ff. de verb. oblig. dum tractat de clausula, omni meliori modo. &c. dum dicit quod † si alterum caput non excluditur, quod sub dictis verbis comprehenditur omne caput, ex quo actus potest sustineri.

SVM-

SVMMARIVM.

Possessio tertij, an præsumatur continuata.

DECISIO CCXXV.

IN causa Parmensi Vallium, dubitaui die 27. Februarii 1545. An ex instrumentis pro parte Comitis de Sala productis, probetur possessio Hominum Villæ Campiginis, contra narratiuam inuestituræ, de anno 1452. super quo dubio, pro parte Comitis fuerunt datæ tres informationes, vna procuratoris, & altera D. Antonii Gabrielis, quæ nil faciebant ad punctum. sed tantum dicebant, quod ex instrumento de anno 1143. & altero de anno 1459. probabatur, quod in Valle erant particularium possessiones, & ideo inuestitura tantum erat intelligenda de iurisdictione Vallis, non autem de proprietate. Informatio autem D. Petri Pauli, magis propius ad punctum accedebat & dicebat, quod contra verba inuestituræ poterat probari de errore narratiuæ, qui error probabatur ex instrumento de anno 1144. in quo Corrigienses protestantur, quod per locationem factam de anno 1143. non censeatur præiudicatum possessioni Hominum; quam in dicta Valle habent. Sed fuit responsum, quod cum ista possessio esset ex confessione, item esset possessio tertii, non præsumeretur continuata nisi probetur. per ea quæ dicit Felin. in c. scribebam. in fine. de præsumpt. & Ripa, qui vtramque limitationem ponit, in c. cum Ecclesia Sutrina. col. 8. vers. secundo intellige. de caus. possess. & proprietat. Non obstat, quod attenta cõfessione, de qua in instrumento de anno 1143. & altero instrumento cõfecto de anno 1452. inter Fratres S. Ioannis Hierosolymitani, & Homines Villæ Campiginis, in qua enunciatur homines Vallem possidere pro sua. &c. quod probetur continuatio, quia probatis extremis media præsumuntur. quia fuit dictum, quod illa verba enunciatiua, de quibus in instrumento de anno 1452. cum essent inter alios, non probabant. quia verba enunciatiua inter alios, non probant, nisi quando sumus in antiquis. At ab anno 1452. vsq. ad annum 15.17. quo tempore fuit incepta lis, non dicimur esse in antiquis.

***

SVMMARIVM.

Prouisio, seu collatio, facta occulto criminoso, est valida.

DECISIO CCXXVI.

IN vna Astoricensi beneficiorum, coram D. Thoma, die 27. Februarii 1545. fuit resolutum, quod prouisio facta occulto criminoso, & sic ante inquisitionem, & antequam nomen eius esset delatum inter reos, vt erat in illo casu, in quodam Didaco, qui fuit inquisitus, & condemnatus de falso, quod prouisio ante inquisitionem esset valida. per text. in c. omnipotens. de accusat. & ibi Abb. & Felin. Bart. in l. reus delatus. ff. de mun. & honor. in c. accusatũ. de simon. in c. accedens. de accusat. Dynus in regula infamibus. de regul. iur. in 6. Et licet Salinas fabricasset falsas acceptationes, ad effectũ vt Ioanni resignanti in fauorem ipsius Salinas, quæreretur, propter quod videbatur quod ex resignatione per clausulas generales, nil poterat Salinas quæri. fuit responsũ, quod si acceptationes erant falso fabricatæ, nil per illas erat quæsitum Ioanni resignanti. & ideo nil resignabat, sed per clausulas generales Salinas capiebat. Et de collatione facta criminoso, an sit nulla, vide Felin. in c. 2. de rescript.

SVMMARIVM.

De homicidio condemnatus, non est priuatus beneficio, nisi sententia priuet.

1 *Criminis exceptio, an obstet in petitorio, in beneficialibus.*

DECISIO CCXXVII.

EAdem die, in vna Fauentina, coram D. Aquensi, fuit resolutum, quod condemnatus de homicidio, ex quo in sententia non erat posita priuatio beneficiorum antea obtentorum, non esset priuatus iure sibi in beneficio ante homicidium, & condemnationem competente. per ea quæ dicit
1 Felin. in c. inquisitionis. col. 11. de accusat. & ideo poterat agere ad ius in beneficio competens contra possessorem. per ea quæ dicit Abb. in c. item cum quis. col. 3. in fin. de rest.
1 spol. vbi etiam in † petitorio non obstat exceptio criminis. & licet esset beneficium curatum, & non curam exerceret. quia administrare non poterat per se, tamen interim poterat per alium, & poterat cum eo dispensari.

SVM-

SVMMARIVM.

Clausula codicillaris si non valet, vel valebit, an operetur posthumo ignoranter præterito.

1 *Clausula codicillaris, an operetur fideicommissum.*

2 *Clausula codicillaris quid operetur, quando testator superuixit, & non mutauit testamentum.*

DECISIO CCXXVIII.

Vigesimaseptima Febr. 1545. in vna Forolitiensi hæreditatis, * coram D. Io. Paulo, fuit dubitatum, An posthumus, natus post testamentum, & in eo præteritus, ex clausula codicillari, si non valet, seu valebit, sit fideicommisso grauatus. Et licet quando est ignoranter præteritus, prout erat in casu illo, Bart. in l. 1. in 6. quęst. ff. de iure codicill. ponat opinionem antiquorum, & postea suam, & opinio Bart. ab aliquibus approbetur, ab aliis vero reprobetur. vt per Barbat. cons. 60. in 2. vol. & late Ias. in authen. ex causa col. 14. vers. sed succedit alta. &c. C. de liber. præter. vbi attestatur de communi opinione pro vtraque parte. Tamen Domini pro tunc inclinabant in opinionem Bartoli, tanquã magis æquam. Sed quia in illo casu de quo tunc agebatur, testator post testamentum factum, & posthumum susceptum, post testamentum tanto tempore vixerat, quod potuerat testamentum mutare, & non mutarit. Item, quia erat institutus alius filius ipsius testatoris, non autem extraneus, Rota nemine discrepante tenuit, 1 † quod clausula codicillaris operetur fideicommissum. per ea, quæ late ponit Ias. in d. authen. ex causa. colum. penult. & melius Dec. cons. 490. vbi attestatur communem opinionem esse, quod si testator tãto tempore superuixit, quod mutare potuit, & non fecit, quod clausula operetur. 2 † & quod dicit Bart. cons. 210. omne illud. & cons. 235. Lapus fecit. vbi ponit quando filius est institutus, & non extraneus. & sequitur Paris. cons. 60. prima facie in primo dubio, in 2. volum. Et licet Io. Ant. Alexan. cons. 125. dicat quod communis opinio est, quod si potuit mutare. &c. tamen clausula non operetur, quia videtur voluisse decedere cum testamento reuocato. Fuit dictum, quod ista ratio est friuola, quia licet testamentum sit reuocatum, tamen manet clausula codicillaris, & ab intestato posthumus grauatur.

* Causa iterum posita, die 13. Martij 1545. maior pars fuit cum resolutione hic facta. & fuerunt sex ex Dominis. ego vero, cũ duobus alijs dixi, quod licet ego concurrissem cũ alijs in resolutione facta, quando filius erat institutus, & quando testator tanto tempore superuixit, quod potuit mutare, & non mutauit per decis. hic allegat. tamen, quia in facto præsupponebatur quod testator, post susceptum posthumum, vixerat anno, & quod post annum satis iuuenis morte repentina, vtpote interfectus interierat, quod non esset in consideratione, quod potuisset mutare. quia sperabat se diu viuere, & in infirmitate constitutus testamentum mutare. quod secus est quando morte repentina obijt, prout ita considerat Aret. cõs. fin. col. 4. vers. quid plura. Fuit etiam dictum, quod licet Bart. cons. 210. & 235. teneat, quod quando alter filius est institutus, quod clausula operetur posthumo ignoranter præterito. Tamen, quod contra Bart. tenet Bal. in l. si totas. C. de inoffic. donat. & cons. 156. colum. 4. vol. 2. Ang. cons. 111. in 4. dubio. Card. cons. 19. circa finem, versic. quarto sic. Et ideo Domini, ad euitandum istas contrarias opiniones, tenuerunt sed ea ipsis, vt supra dixi, quod istis duobus concurrentibus, quod alter filius erat institutus, & vixisset tanto tempore quod potuerat mutare, & non mutauisset. & etiam vnus ea eia considerauit, quod hodie non agebatur cum posthumo, sed cum hæredibus relictis à posthumo, qui erant extranei respectu testatoris. nam si fuisset actum cum posthumo, dicebat quod concurrisset in opinionem meam propter vitandam inæqualitatem.

Causa iterum posita 13. Nouembris 1545. vnus ex sex qui alias tenuerat pro fideicommisso, mutauit votum suum, & dixit, quod quia agebatur de fideicommisso, & sic de totali patrimonio, & alter filius non erat grauatus, quod ex mente testatoris non censeretur inductum fideicommissum, propter æqualitatem inter filios. per ea quæ dicit Bal. in l. Titiua. & ibi Aret. col. 3. vers. restat igitur nunc videre. ff. de lib. & posthum. dum vult, quod legata debeãtur posthumo ignoranter præterito, quando filius natus fuit grauatus legatis, quia si natum voluit grauare, idem & fortius in nascituro, & sic vt æqualitas seruetur. & iste qui mutauit votum, fuit D. Fabius. & sic fuimus quatuor contra fideicommissum, & quinque pro fideicommisso. quia licet in ista positione non interuenisset D. Sebastianus. cuius votum quid tunc sentiret ignoratur, tamen in Rota superuenit D. Ant. Augustinus, qui tenuit pro fideicommisso.

SVMMARIVM.

Statutum Placentinum, an det ius considerabile, itaut de eo debeat fieri mentio in expectatiua.

1 *Reseruationes, an capiant beneficia alteri debita, vt puta Doctoris, vel Magistro in Theologia.*

2 *In beneficijs patrimonialibus, an filijs patrimonialibus quæratur aliquod ius considerabile.*

3 *Per clausulas non obstantiarum, an videatur consuetudini derogatum.*

DECISIO CCXXIX.

Statutum est in Ciuitate Placentiæ, quod vacantibus canonicatibus, assumatur per Episcopum & Capitulum, de portionarijs. quod statutum, vt alias dixi, fuit iudicatum personale. Fuit dubitatum in vna Placentina canonicatus, * coram D. Thoma 27. Februarii 1545. An ex tali statuto diceretur esse quæsitum ius considerabile Ecclesiæ, seu portionariis, ad hoc vt debeat de eo fieri mentio in expectatiua. Et maior pars fuit pro parte affirmatiua. per glos.

* Die 6. Martij 1545. causa posita, an glos. in cap. cum in Ecclesia de præben. in 6. obstet expectan. in casu isto, fuit conclusum per maiorem partem, quod sic, dum glos. facit generalem, illationẽ consuetudini. ergo per quã al.

teri debetur, non intẽdit Papa præiudicare. ponderãdo, quod dicitur debetur, & nõ est dubium, quod incertus de certis potest agere, quando eligens est in mora. vt dicit Bart. in l. cum quidã. col. fin. ff. de legat. 2. Item ponderabatur gl. dum dicit, si vni præbendæ est onus magisterij annexum, & tamen possunt esse decem, & viginti magistri in vna Ecclesia. immo, etiam quod non sit in Ecclesia aliquis magister, certe magistro debetur. & sic sumus in incertis de certis. & tamen glos. ibi vult, quod quia magistro debetur, non censetur Papa derogare. ita & hic, vbi debetur portionario. quia non est maior ratio de vno ad aliũ. Non obstat, quod portionario non sit aliquod ius quæsitũ. prout dicit decis. 18. Cass. de præb. quia fuit responsum, quod hic nõ tractamus, an sit ius in re, vel ad rem, sed tantum quod debeatur. & ex quo portionarius potest agere post moram Episcopi, & Capituli vt sibi cõferatur. ergo illi iuri Papa non intendit derogare.

* alias 17. de præb. in nouis.

gloss. in c. cum Ecclesia. de præbend.
in 6. per quã dicit Aeneas de Falcon.
in tract. reseruat. in 3. quæst. post
prælndia. pag. 18. quod reseruatio-
1 nes nõ capiunt † beneficia alteri de-
bita, vt puta Doctori, vel Magistro
in Theologia. quia gloss. dicit, quod
consuetudini, per quam alteri debe-
tur, non derogat Papa. Non obstat,
quod illa glos. debeat intelligi, quã-
do alteri, idest certe personæ, non
autem in casu nostro vbi sumus in
incerto de certis. quia istud confun-
ditur ex Aenea in dicto loco, dum
exemplificat in Magistro, vel Docto-
re, & tamen in eadem Ecclesia pos-
sunt esse plures magistri vel docto-
res. Non obstat decis. 18. Cassad. in
titulo de præben. dum vult, quod in
2 beneficiis † patrimonialibus non
quæratur filiis patrimonialibus ali-
quod ius considerabile, & tñ eis de-
betur .. quia illa decis. loquitur
in gratia de vacanti, nos autem
sumus in gratia de vacaturo. ra-
tio differentiæ est, quia vbi sumus
in beneficio de vacanti, Papa, qui
omnia potest, libere confert. & pro-
pter clausulas non obstantiarum
3 videtur † consuetudini derogare.
iuxta decis. nostrã 244. licet de mo-
re. * sed in gratia de vacaturo, quę
est odiosa, Papa non libere confert,
sed confert ea in euentum vacatio-
nis, quæ pertinent ad collationem
Episcopi. & cum gratia sit odiosa
videtur intelligenda de collatione
libera, non aũt de ea per quã cõsue-
tudini per gratiã alteri debetur prę
iudicaretur. & hoc modo tollitur fun
damentum, quod statutum est per-
sonale, & Papam nõ comprehendit.
quia fatebat, quod Papa de eo, al-
teri quam portionario prouidere
potest. & valet gratia propter clau-
sulas. Sed quando concedit gra-
tiam præuentiuam, non potest dici,
quod ad tale beneficium se extẽdat.
quia sic iuri alterius derogaretur.

S V M M A R I V M.

In causa Parmensi Vallium.

DECISIO CCXXX.

IN causa Parmensi Valliũ, 2. Mart. 1545. dedi dubium, An ex instrumentis de annis 1145. & 1459. probetur particulares habuisse proprietates intra Vallem, de qua in inuestitura dato puncto, & altercantibus procuratoribus coram me, Nicolaus procurator Comitis, nesciuit fundamentis alterius partis respondere. & ideo dedit mihi tantum informationem. aliis autem Dominis non dedit. & in informatione mihi data aliud concludebat, quam in dubio. nam dicebatur pro parte Nicolai, quod in instrumento de anno 1143. dabantur tria confinia ab vno latere, Calernus, siue fontana, ab alio Castrũ Montanariæ, ab alio via publica. In instrumẽto aũt 1459. ab vno latere dabatur Calernus, ab alio autem latere nõ dabatur nec Castrum Montanariæ, nec via publica, sed dabantur particulares homines pro cõfinibus. vnde dicebat D. Antonius procurator Corrigiensium, quod si particulares homines erant confines Vallis de qua agitur, non erant ergo intra Vallem, sed extra. & ideo in informatione postea mihi transmissa per ipsum Nicolaum, ipse aliter mutauit. & dixit, quod de anno 1143. erat maior Vallis, quam Vallis quæ confinabatur de anno 1459. & hoc iam fuerat per D. Antonium confessatum. quia D. Antonius dicebat, quod agebatur nunc de illa parte Vallis, quæ per testes denominabatur Vallis Campiginis, non autem de tota Valle.

S V M M A R I V M.

Dispositio, de qua hic, cuius fuerit Colæ, an filiorum.

1 *Temporis initium, vel illud in quo dispositio confertur, an attendendum.*
2 *Patri disponenti attribuitur dispositio de consensu filiorum facta.*

DECISIO CCXXXI.

COla de Cardellis diuisit bona sua, in Sabbam, & Iulianum filios, modo & forma infrascriptis. & sequitur diuisio, dãdo vnicuique eorum portionem suã. postea circa medium instrumenti, facta assignatione portionum, dicitur in instrumento. cum his pactis, & conditionibus inter ipsos Dominos Sabbam, & Iulianum solenni stipulatione vallatis, videlicet. &c. & sequuntur pacta. & inter alia est vnum, quod si Sabbas decederet sine filijs masculis, & filij eorum sine filijs masculis, venirent ad hæreditatem Sabbæ seu eius filiorum, Iulianus viueret, aut eius filij. & è conuerso. quia erat pactum reciprocum. Dubitaui ego, die 2. Martij 1545. An filii masculi Sabbæ vocati in euentum, quod filii Iuliani masculi moriantur sine filiis legitimis & naturalibus masculis, veniant ex voluntate & dispositione Colæ, an ex pacto ipsorum Sabbæ, & Iuliani. Et fuit per maiorem partem resolutum, quod venirent ex dispositione, & volun-

luntate Colæ, non autem fratrum. quia Cola diuidit, modo & forma infrascriptis: ergo quãdo postea dicitur, cum pactis inter Sabbam & Iulianum illa, pacta fuerũt principaliter per Colam apposita, non autem per fratres. sed ideo voluit Cola stipulatione fratrum vallati, vt maioris roboris & firmitatis illa pacta essent, propter legitimam, & Trebellianicam, de qua in euentum mortis alterius ex filijs sine filijs masculis, disponebatur. Item, quia inter pacta reperiebatur vnum pactum, quod non poterat nisi dispositioni patris conuenire, vt est illud pactum. itẽ, & casu quo D. Sabbas remaneret in domo, seu Cola viuente reuerteretur. &c. & ideo sicut illud pactum vallatum stipulatione fratrum, non potest dici nisi voluntas & dispositio patris, ita & alia pacta apposita, ne eadem res diuerso iure censeretur. Non obstat, quod in pacto successionis disponeretur de legitima, & Trebellianica, de qua pater, scilicet Cola disponere non poterat, cum respectu legitimæ, & Trebellianicæ dispositio conferretur in tempus post mortẽ ipsius Colæ, quo tempore disponere de ea non poterat. ergo dicenda erat ista dispositio filiorum, non autem patris, quia respondebatur, quod in

1 casu isto, initium † & non tempus illud in quod dispositio confertur, attenditur. vt est text. in l. fin. & ibi DD. & signanter Dec. in 5. not. C. de pact. Nam si tempus in quod dispositio confertur, attendendum esset, futuri successores, vel filii, potuissent disponere in vita illius cui succedere debent de eius hæreditate, conferendo dispositionem post eius mortem. & in contrarium decidit text. in d. l. fin. C. de pact. Item fuerunt datæ aliæ responsiones, de quibus in informatione, ad quam me remitto. Itaque maior pars Dominorũ conclusit, quod principaliter pater in ista diuisione disponeret. & quod filii ei disponenti consentirent, cum filii viuente patre, in legitima nullum ius haberent, & ideo patre viuente non poterant de eo di-

2 sponere. Vnde filii consentientes † patri disponenti, dispositio attribuitur patri, non autem filio. per not. per Dec. in l. fin. col. 5. vers. in gloss. in verbo, accommodauerit. C. de pact. & alia in informatione iuris allegantur, ad quæ me remitto.

SVMMARIVM.

Committitur vbi causa appellationis & negotij principalis, quando valeat sententia lata super negotio principali, aliter non docto de appellatione.

DECISIO CCXXXII.

FVit cõclusum in vna Conchensi diuisionis fructuum, coram D. Peregrino, die 2. Martii 1545. q ꝑ committitur in curia causa appellationis à diffinitiua, totiusq. negocii principalis, quod valet sententia lata super negotio principali, non aliter producta appellatiõne. per decis. Aegidii 48. Non obstat decisio eiusdẽ Aegidii 419. quia loquitur vbi committitur causa appellationis à grauamine, vna cũ negotio principali, quia tunc non valet sententia lata in negotio principali, nisi docto de grauamine, & illius appellatione.

SVMMARIVM.

Vicaria perpetua non potest institui in Ecclesia per Vicarium non habentem speciale mandatum, & Episcopus potest ex causa tantum.

1 *Vicarius perpetuus, quando possit constitui per Episcopum. & nu. 2.*

DECISIO CCXXXIII.

SEcunda Martii 1545. fuit resolutum in vna Mediolanensi Vicariatus, quod Vicariatus perpetuus non poterat institui in Ecclesia per Vicarium Episcopi non habentem speciale mandatum. per text. in c. ad hæc. de offic. vicarii. vbi Cardin. post Ost. in principio dicit, quod in deputatione Vicarii perpetui agitur de Vicaria de nouo instituenda, & de certa portione redditnum eidem assignanda. & vt ibi not. talis Vicarius, non dicitur habere pensionem, sed beneficiũ, quod non potest fieri per Vicarinm. Cald. cõs. 3. de off. vicarii. Præterea Vicarius

1 perpetuus † non potest etiam per Episcopũ constitui, nisi propter annexationẽ alterius curati. vt not. gloss. in c. extirpandę. §. quia vero in perpetuum. de pręb. & ideo deputatio fuit nulla. Et quod requiratur auctoritas Episcopalis, & nõ sufficiat generale mãdatũ, dicit Ant. de But. in d. c. ad hæc. in vlt.

2 not. Et quod Episcopus † nõ possit absq. causa, tenet Ost. in summa de off. vicar. §. aliquibus. in ver. ex præmissis. dum dicit, quod Episcopus non debet consentire, nisi vbicunque causa subsit, & æquitas ipsum moueri enumerando causas. de quibus etiam Abb. in §. qui vero. col. 3.

SVMMARIVM.

Commissa causa, & decreto citationis obtento, potest idem, iudici de partibus eãdem causam committere, & valebit processus factus coram secundo iudice.

1 *Causa semel ad curiam deuoluta, non potest amplius à curia extrahi, quomodo procedat.*

2 *Lis an per commissionem dicatur pendere, quo ad committentem, ante citationem exequutam. Quid quo ad deuolutionem.*
3 *Appellatio non intimata, an deuoluat.*
4 *Lis in praeiudicium committentis dicitur pendere quo ad attentata qmõ procedat.*
5 *Causa eadem, an possit pluribus iudicibus committi.*
6 *Rescriptum subreptitium, an tribuat iurisdictionem.*
7 *Post commissionem causae, an possit pars renunciare exequutioni citationis.*

DECISIO CCXXXIV.

IN vna Bononiensi Castri Liani, coram D. Fabio pro parte illorum de Gozadinis, contra Communitatem Bononiae, erat commissa causa in Curia, & obtentum decretum citationis, postea ad instantiam eorundem de Gozadinis non aliter exequuta citatione, fuit obtentum rescriptum directũ Gubernatori Bononiae. & vigore illius in partibus Communitas citata, & processum. Dicebatur pro parte communitatis, quod stante prima commissione in curia, & decreto citationis obtento, quicquid vigore secundi rescripti erat factum in partibus, erat nulliter factum, & sic processus nullus quia quo ad ipsos Gozadinos, qui causam in curia commiserant, & decretum citationis obtinuerant, lis dicebatur in curia pendere. quicquid ergo postea factũ fuit, respectu ipsorum committentium dicebatur esse attentatum, vt sunt plures decisiones nostrae
1 Secundo, quia ex quo causa † semel ad curiam erat deuoluta, non poterat à curia extrahi sine consensu Papae. Bisign. decis. 13. de rescript. & decis. 48. de rescript. in antiquis, alias 387. Sed istae decis. loquuntur in causa deuoluta, sed in casu nostro, licet lis per commissionem, & decretum citationis, quo
2 ad committentem dicatur pendere, † tamen non dicitur deuoluta causa ante citationem Item, pro ista parte allegabãtur decis. Aegidii 46. & 419. vbi in dubio, Papa non videtur auocare iurisdictionem à primo iudice nisi de certa scientia id faciat, ita etiam hic. Sed illae decisiones nõ obstant. tum quia loquuntur de auocatione causae à primo iudice, & in casu nostro non sumus in auocatione. tum quia illae decisiones, quando causa pro vtraque parte erat introducta corã aliquo iudice, quod non est hic. Non obstat, quod decis. 13. Bisig. de rescript. & 48. de rescript. in antiquis dicant, & appellatio forsan, à parte approbata. ergo etiam quod non sit parti intimata, deuoluit. ergo ita debemus dicere in casu isto. quia est aduertendum, quod dictae decisiones dicunt, à parte non approbata. per hoc tamen decisiones non excluduntur, quod non sit appellatio intimata, vel pars citata, & tunc fateor quod causa dicitur deuoluta, quia appella-
3 tio non † intimata. licet deuoluat quo ad appellantem, non tamen quo ad appellatũ. Aegid. decis. 273. & Bonifac. in Clem. causam, in §. intimatio num. 17. de electión. vbi Bonifacius dicit, quod quando appellatio non est intimata, tunc appellans potest impetrare iudicem extra curiam. Non obstat,
4 quod † in praeiudicium committentis lis dicatur pendere, & ideo quicquid fit dicatur attentatum in praeiudicium litis pendentiae ad decis. 75. * in nou. cum multis alijs. quia respondetur, quod illud procederet quando aliquid fieret lite sic pendente extraiudicialiter. vt puta si interim nouam gratiam impetraret, vel possessionem quaereret, vel quid simile. secus vbi quis facit quod à iure permittitur. vtputa alium iudicem impe-
5 trare ab eodem Principe. † quia eadem causa pluribus iudicibus potest committi, & potest eoram quocumque causa expediri, si nõ excipiatur. secundum Innoc. in cap. cum M. Ferrariensis. de constit. & quia rescriptum
6 etiam † subreptitium tribuit iurisdictionem. cap. ex tenore. de rescript. parte non opponente. nec fuit habitum pro legitima exceptione, quod procurator communitatis comparendo dixerit, praesente procuratore communitatis, & non consentiente, nisi in parte & partibus. quia procurator debebat opponere de litis pendentia in curia. Et pro ista parte, quam fuit sequuta maior pars dominorum, facit decis. Aegid.
7 456. & 462. quia pars potest † post commissionem causae, renunciare exequutioni citationis. fuit facta resolutio per maiorem partem 2. Martij 1545.

* Alias 4. vt lit. penden.

SUMMARIUM.

Sententia lata virtute commissionis impetratae contra formam cap. oblatae si opponitur est nulla.

1 *Rescriptum subreptitium, an tribuat iurisdictionem, & num. 2.*

DECISIO CCXXXV.

SEcunda Martij 1545. fuit resolutũ quod ex quo pars appellata praeuenerat in committendo causam appellationis, quam commiserat decimonono die à die appellationis, quod inciderat in cap. oblatae. de appellat. & quia in partibus fuerat oppositum, quod sententia esset nulla, quia
1 tales litterae sunt subreptitiae, † quae tribuunt iurisdictionẽ si pars nõ opponit secus quãdo opponit. vt dicit Perus. in d.c. oblatae colum.

col.penult. verſ. pro quo etiam text. hic & deciſ. Biſig. 13. de reſcript. & 48. de reſcrip. in antiquis, prout eſt regula, quod litteræ
2 ſubreptitiæ † dant iuriſdictionem, niſi oppo natur. Felin. in c. ad audientiam. 2. col. 14. de reſcript. Fuit reſolutum coram d. Proſpero, in vna Valentina matrimonii.

S V M M A R I V M.

Lis quo caſu conſiderata.

1 *In audientia contradictarum citantur omnes intereſſe putantes.*
2 *Lis an dicatur introducta ex citatione facta contra tamquam intereſſe putantem, citato comparente.*
3 *Reus voluntarius quando quis dicatur.*

D E C I S I O   C C X X X V I.

EAdem die 2. Martij 1545. in quadam cauſa Segobienſi, * coram D. Pighino in qua erat commiſſa cauſa contra certos, & inter ipſos contra Didacum Vaſchez, & procedebatur contra vnum per audientiam
1 contradictarum, in qua citantur etiã † omnes intereſſe putantes, & in termino ad ſen tentiam, comparuit Didacus, & proteſtatus fuit nil fieri, niſi ipſo, de termino in terminum citato, & pro intereſſe verificando pro duxit iura. fuit dubitatum, An inter actorẽ & dictum Didacum, fuiſſet per talem actum lis, & fuit concluſum per maiorem partem
2 quod ſic. quia licet citatio † intereſſe putantium, non ſit arctatoria, tamen ex quo ipſe in termino comparuerat, & docuerat de intereſſe ſuo, quod eſſet introducta lis per illam comparitionem præcedente illa citatiõ
3 ne generali, & diceretur † reus volũtarius.

* Fuit iterum po ſita 31. Martij, 1545. & vno excepto per alios, fuit tentum, quod eſſet lis.

S V M M A R I V M.

Bona fides in præſentante, ex quo præſentatus in poſſeſſione per vigintiquinque annos fuit, præſumpta.

D E C I S I O   C C X X X V I I.

SExta Martii 1545. coram me, in vna Salamantina Capellaniæ de Alua, fuit concluſum, * quod ex vnica præſentatione, ex qua præſentatus, fuit in poſſeſſione per vigintiquinque annos probaretur bona fides præſentantium. per ea quæ dicit Ripa in ca pit. cum Eccleſia Sutrina. colum. 22. verſ. quinta, curſus longi temporis, de cauſa poſſeſſion. Et quia Ordinarius inſtituerat, & in inſtitutione atteſtabatur, quod capellania, ex dotatione & fundatione ad præſentantẽ ſpectabat, ꝙ ſi non fuiſſet verũ, nec inſtituiſſet, nec tanto tempore toleraſſet.

* Vide in 1. lib. annotat. mearũ deciſ. 186.

S V M M - A R I V M.

In regulam de exprimendo valorem ſecundum taxam, quando quis inciderit.

D E C I S I O   C C X X X V I I I.

EAdem die, coram me, in vna Oppideuſi monaſterii, in qua monaſterium erat taxatum in libris, ad ſexaginta ſex florenos & duos tertios qui triplicati conſtituunt du catos auri de Camera. 200. & in impetratione expreſſerat valorem ad ducatos 200. Dubitaui an talis impetrans, incidiſſet in pœnam regulæ, de non exprimente va lorem ſecundum taxam in libris deſcriptã. Et fuit dictum quod ſic, tum quia quãdo beneficium eſt conſiſtoriale, vt erat iſtud, ex quo erat taxatum ad ſexaginta ſex, & tertios duos, quod expeditio ſpectabat ad cer tos officiales, inter quos ſunt Cardinales, & Papa; ſed quando exprimitur verus valor, ſeu communis expeditio, pertinet ad alios, & ideo in hoc fraudabantur Papa, & Cardi nales. Item, quia quando expeditur conſiſtorialiter tunc licet taxa aſcendat ad ducentum ducatos, tamen maior impenſa fit quam quando exprimitur communis valor, & ita etiam in hoc eſt fraus.

S V M M A R I V M.

Lis, quo caſu habita pro extincta, & calumnioſa.

1 *Lis calumnioſa, an habeat effectum litis.*
2 *Coadiutor ſucceſſor, an teneatur iuſtificare titulum ſui prædeceſſoris.*

D E C I S I O   C C X X X I X.

IN vna Compoſtellana * Canonicatus, in qua, coram D. Petro Vorſtio, docebatur de commiſſione cauſæ, & exequutione citationis tantum. & non obſtante exequutione, poſſeſſor citatus fuit per trigintaquinque annos ante obitum: fuit dictum, quod ex quo tanto tempore, committens tacuerat, quod videretur tacite liti renunciaſſe, & ſicut ſi expreſſe renunciaret lis eſſet extin cta, ita & iſto caſu tacite, pront con ſiderat Caſſador. deciſ. 5. vt lit. pendẽn. Item, dicebatur, quod ex quo tã to tempore tacuerat, videbatur diffiſus de iure ſuo, & lis diceretur ca-
1 lũnioſa. & † lis calumnioſa non habet effectus litis ſecundum Biſig. deciſ. 2. de rer. permut. ſecundum eũdem Caſſad. in d. deciſ. 5. Et ideo,

* Et in vna Hiſpalenſi Canonicatus & præben. contra canonicũ Canarĩẽcẽ, coram D. Anton. Aug. fuit reſolutũ, quod ex quo ille, qui mouerat litem, tacuerat per quindecim annos, & ex actis conſtabat de non iure ipſius qui moueret litẽ, quod talis lis iudicaretur calumnioſa, & illa taciturnitas, inducebatur ex eo, quia timebat ne ſententia ferretur, cõtra cũ, ideo tacebat, & ideo, propter calũniam ipſius, de qua in actis, ex quo cõſtabat de non iure ipſius, apparebat, non erat honeſtũ, quod beneficium tanto tempore eſſet litigioſum, & iſta reſolutio fuit facta

de anno 1547. de mense Maij, seu Iunij, nã calumnia videtur, quando quis non probat id quod asseruit, per glos. in l. 1. C. de aduocat. diuers. iudic. & fuit etiam tũc dictum quod sufficerent decem anni.

quia prædecessor concesserat coadiutoriã, fuit conclusum; quod ipse coadiutor † successor. nõ tenebatur iustificare titulum sui prædecessoris videlicet, an esset dispensatus ad tenendum canonicatum, quem pater prius possederat, non obstante dicta lite allegata. resolutio facta 6. Martij 1545.

SVMMARIVM.

Iudex appellationis, confirmando primam sententiam in qua non erat condemnatio expensarum, & condemnans victum in expensis, in causa huiusmodi videtur condemnare in expensis, & primæ & secundæ instantiæ.

DECISIO CCXL.

IN vna Cæsaranguſtana liquidationis, coram D. Sebastiano, die 6. Martii 1545. fuit dictum, quod si primus iudex omisit victum condẽnare in expensis, dum tamen nõ absoluat, si postea iudex appellationis, confirmando primam sententiam dicat, victum in causa huiusmodi in expensis condemnamus, intelligitur, tã de expensis primæ, quã secundæ instantiæ. ita Fel. in c. significauerunt. col. 7. n. 7. de except. Et consideratio, quam facit ibi Felin. an in prima instantia habuerit iustam causam litigandi non militat in Rota quæ semper condennat in expensis. & omissio in prima, videtur ex causa obliuionis, vel quia non petita.

SVMMARIVM.

In beneficialibus sufficit mandatum generale.

DECISIO CCXLI.

COram D. Thoma de Tanis, die 6. Martii 1545. fuit resolutum, quod ad agẽdum in beneficialibus, non requiritur mandatũ speciale, * sed sufficit generale per decis. Rotæ 27. de procur. in non. alias 357. licet cõtrarium videatur sentire decis. 789. in antiquis. * Tamen fuit dictum quod si erat procurator constitutus ad causas ciuiles. * & criminales. non censebatur cõstitutus ad causas beneficiales secundum Franc. in cap. qui ad agendum. §. procurator. colum. 3. vers. 30. an in beneficialibus. de procurat. in 6.

* Est de cis. 5. Aeg.

* alias 15. de procur.

* Procurator ad causas ciuiles, & criminales, nõ habet ad beneficiales.

SVMMARIVM.

Resignans sub conditione regressus, quem scit esse nullum, non abdicat à se ius, nisi valido existente regressu.

DECISIO CCXLII.

IN vna Carthaginiensi canonicatus, coram D. Fabio, die 9. Martii 1545. in qua Sebastianus Clanio resignauerat canonicatum, & præbendam in fauorem cuiusdam Didaci, reseruato sibi regressu sine consensu Didaci. qui regressus præsupponebatur nullus, propter priuilegium cleri Hispaniæ annullans regressus sine consensu. fuit dubitatum supposita scientia Sebastiani de dicto priuilegio annullante regressus, An Ius remãserit penes ipsum, data nullitate regressus. Et fuit conclusum quod sic quia conclusio est, quod resignans sub conditione regressus pensionis, aut similiter: resignasse non censetur, nec à se ius abdicasse, nisi regressus, pensio, aut similia validum possint sortiri effectum, ad not. per Abb. in cap. cum pridem, de pact. & per Paul. de Castr. in l. cum qui. ff. de inoffic. testam.

SVMMARIVM.

In subscriptione sententiæ, an pars sit citanda.

DECISIO CCXLIII.

CArdinalis de Cæsarinis, arbiter super certis computis. prout de iure, pronunciauerat, prout in cedula, & morte præuentus non subscripserat, & erat incertũ in fauorem cuius pronunciauerat. fuit cõmissum D. Mohedano, vt subscriberet sententiã prout de iure. dictum fuit, ꝙ ex quo Petrus Valero contra quem fuerat subscripta sententia fuerat citatus ad dicendũ contra cõmissionem, & pluries in causa citatus fuerat quia negocium plene D. Mohedanus discusserat, ꝙ propter plenam huiusmodi negotii discussionem non erat citandus in subscriptione Petrus. Et licet contrarium fuerat antea iudicatum in causa Florẽtina pro Episcopo Sanctonensi: illud ideo fuit, quia corã subrogato deputato ad subscribendum, pars non fuerat citata ad dicendum contra commissionem, nec negocium, coram eo fuerat discussum. resolutio facta 9. Martii 1545.

SVMMARIVM.

Regulæ de publicandis quo casu non fuerit locus.

DECISIO CCXLIV.

REgula de publicandis, non habet locũ nisi tribus cõcurrentib. videlicet quod resigna-

resignatio non fuerit publicata, possessio nō perita, & quod resignans decesserit in possessione, vt per Sarnensē super regula de publicand. quæst. 17. & ideo fuit dictum in vna Tranensi, coram D. Fabio, quod si resignatarius accepit possessionem viuente resignante, licet illa possessio non fuerit publica si tamen non probatur quod resignans, post illam possessionem sic captam, continuauerit suam primam possessionem, quod cum per resignationem desinat resignans possidere, quod tunc non dicetur decedere in possessione. & ideo non erit locus regulæ de publicandis. resolutio facta 9. Martij 1545.

S V M M A R I V M.

Possessio præsentandi, ex quo actu non fuerit quæsita.

1 *Quasi possessio iuris præsentandi, an sit quæsita ex possessione vigintiquinque annorum, non constito de mandato præsentatis.*
2 *Ordinario in pertinentibus ad eius officium creditur, in quibus procedat vel non.*
3 *Narratiua ordinary, quando non credendum.*
4 *Mandatum speciale an requiratur ad præsentandum.*

DECISIO CCXLV.

IN causa Salamantina Capellaniæ de Alua, die 13. Martij 1545. dedi dubium, An quia beneficiū fuit possessum per vigintiquinque annos, vt de iure patronatus,
1 sed † non constat de mandato procuratoris præsentantis, sit quæsita quasi possessio illis quorum nomine fuit præsentatio facta. Fuit resolutum, quod nō esset quæsita quasi possessio. Primo, quia non constabat, quod illi quorum nomine præsentabatur, seu assertus procurator præsentabat, essent patroni.
2 Secūdo quia licet Ordinario † in pertinentibus ad eius officium crederetur, vt est instituere, conferre, & præsentare, & alia quę coram eo geri possunt. secundum Rot. decis. 22. * in nou. sed quod quis vt procurator præsentauerit, istud non spectat ad officium Ordinarij, sed extrinsecus venit à facto con-
3 stituentis. † & ideo tali narratiuæ non est standum, præsertim cum mandatum genera-
4 le non sufficiat sed † speciale. secundum Rochum in tract. de iure patr. in verbo honorificum. & ideo ne tot specialia inducerentur, fuit conclusum, quod ex tali actu non esset quæsita quasi possessio.

* 1. de probat.

S V M M A R I V M.

Datio in solutum non præcedente subhastatione, nulla.

1 *Pignora quando possint dari in solutum.*
2 *Causa cognitio quando præsumatur adhibita.*

DECISIO CCXLVI.

DIe 13. Martij 1545. in vna Tiburtina * Castri Arsularum coram D. Io. Paulo, fuit dictum, quod datio in solutum duarum partium Castri, non præcedente subhastatione, non valeret. per ea quæ dicit Salicet. in l. ordo. circa principium. C. de exequutione rei iudic.
1 & quia pignora tunc demum † dari possunt in solutum, quando emptorem non inueniunt. l. à Diuo Pio. §. si pignora. ff. de re iudic. l. fin. C. de iur. dom. impetr. Non obstabat, quod ex quo erant data in solutum, præsumebatur quod præcesserit æstimatio iudicis. quia in ijs quę habent interuallum temporis, præsu-
2 mitur causæ cognitio, † vt per Bart. in l. prolatam. circa finem. C. de senten. dum loquitur de sententia lata sine probationibus, aut fuit lata ex interuallo, aut in breui tempore. quia primo fuit dictum, quod doctrina Bartol. ibi, procedit in ijs quæ respiciunt conscientiam iudicis, vt est materia probatoria. nam in illis militat præsumptio, sed in his quæ cōcernunt ordinem iudicii, secus est vt dicit Bart. in d. l. prolatam, col. 2. cum in datione requiratur subhastatio. per iura superius allegata ergo. facit decis. Afflicti 358.

* 16. Martij, 1545. fuit etiā cōclusum, quod non valeret datio insolutum non præcedente subhastatione per l. 1. & 2. C. de fide instrumen. & iur. hastæ fisc vbi Bart. etiam dicit quod non præsumitur. fuit tamē dictum, quod cū subhastatio inuēta fuerit ad euitandum fraudes quod si probari posset, quod tempore adiudicationis, etiam per viā subhastationis res non potuisset vendi pluris quā quod fuerit insolutū data, quod ex quadam æquitate datio insolutum sustineri poterat. nā licet subhastatio sit de forma, tamen quia talis forma est inuēta ad aliquem effectum, tunc sufficit, quod impleatur per æquipollens, vt not. Bal. in l. si quis mihi bona. §. sed si mandauit. ff. de acquir. hæred. & ideo licet conditio regulariter importet formā. vt not. Bal. in l. 1. in fine. ff. de lib. & posthum. tamen si conditio respicit rei effectum, non refert an impleatur in modo expresso, vel alio. l. Gallus. §. & quid si tantum. vbi Bart. & alij. ff. de lib. & posthum. in l. si mater. C. de institut. & substitutionibus.

S V M M A R I V M.

Dispositio quæ tenet de iure speciali inter filios, in qua adest inæqualitas, an teneat.

DECISIO CCXLVII.

IN vna Romana, seu Venetiarum * corā D. Vorstio, die 13. Martij 1545.

* Fuit iterum posita, die 16.

tij 1545. fuit resolutum, quod dato quod codicilli in casu illo facti, sustinerentur de iure speciali, tamen non valerent, etiam quod esset magna inæqualitas inter filios masculos, & fœminam institutam in dote, quæ erat mille ducatorum, cum tamen hæreditas esset maxima. per ea quæ dicit Antonius Natta in repet. §. ex imperfecto l. hac consultissima. C. de testam. iuncto quod tractabatur de conseruanda agnatione. nam ex quo erant ab vna parte masculi, ab alia fœmina, inæqualitas non erat habenda in consideratione, propter agnationem conseruandam. & sic cessabat suspitio falsitatis, & fuit dictum, quod maius dubium fuisset, si illa inæqualitas fuisset inter masculos. quia tunc esset considerandum, an esset tenenda distinctio quam facit ibi Curtius Iunior.

Martij 1545. & dabatur inæqualitas respectu cuiusdā masculi Archiepiscopi, cui nil erat relictum. nihilominus etiā respectu eius fuit dictum, quod valeret non obstante prætensa inæqualitate. quia clericus, & sic ex causa, & ideo idem erat dicendum de eo, quod dictum fuit de masculis, & fœmina. Item, in casu isto fuit dictum, quod quia pars aduersa produxerat istam dispositionem, & sic fatebatur eam esse factam, & sic constabat de dispositione patris per confessionem partis, quod cessabat suspitio falsitatis. & ideo etiam isto casu non erat curanda, etiam maxima inæqualitas, ex quo cessabat ratio doctorum distinguētium inter magnam, vel paruam inæqualitatem. Sed fuit dictū, quod dubitatio DD. procedebat quando erant tantum duo testes, & erat maxima inæqualitas. quo casu, propter præsumptionem æqualitatis seruandæ, erat suspitio falsitatis. & tunc æqua videtur illa distinctio, quam tenet Ias. in l. hac consultissima. col. 3. C. qui test. fac. poss. & Curt Iun. in d. §. ex imperfecto, & Io. Ant. Alexand. cons. 6. Et ita ego cum duobus alijs, tenebamus hanc partem, propter auctoritatem istorum trium. quicquid dicat Natta. in d. §. ex imperfecto. sed omnes alij inclinabant in contrarium. per text. in l. filij patris. C. de inoffic. test. quem text. ego dicebam procedere, vbi clare constabat de voluntate testatoris.

S V M M A R I V M.

Regula de publicandis acceptationibus locum habet in mandato de prouidendo.

DECISIO CCXLVIII.

EAdem die, coram D. Vorstio, in vna Taruisina S. Helenæ, fuit tentum, quod regula de publicandis acceptationibus haberet locum in mandato de prouidendo. sequuti decisionem Cassador. 25. firmum hoc est, &c. super Regul. Cancell. & non obstat decisionem illam non procedere in gratiis habentibus obligationem obtinendi nouam prouisionem infra sex menses, prout habebat mandatum in casu de quo agebatur. quia tunc per particularem formam traditam in mandato, videbatur recessum à generali forma tradita per legem. quia dicebatur quod omnes gratiæ pingues, habent dictam formā, quod in beneficiis excedentib. 24. debeant nouas prouisiones. &c. Item fuit dictum, quod erat diuersa forma tradita à regula, & ab homine in mandato in tempore. nam vna infra tres, & alia infra sex menses. item, vna ad vnum finem. videlicet finis regulæ, vt Ordinarii scirent quibus beneficia essent collata. & finis mandati est propter iura Officialium.

S V M M A R I V M.

Sequestrum reputatum iniustum in isto casu non autem nullum.

DECISIO CCXLIX.

SEquestrum non fuit iudicatum nullum eo quia erat latum post duas sentētias in petitorio, & in tertia, ille qui reportauerat duas sententias cōtra suspenderat petitorium, & reportauerat vnam sententiam in possessorio, & pro eo erat decretum sequestrum, nam licet non debuisset dari tale sequestrum. secundum opinionem DD. in Clem. vnica de sequestrat. possession. & fruct. tamen datum non erat contra d. Clemen. licet esset contra doctrinam DD. & ideo ex defectu iurisdictionis, non poterat dici nullum. licet fuerit dictum, quod erat iniustum. & quia non fuerat appellatum immo pars concordauerat de iudice, & erat modicum præiudicium, fuit dictum quod procederetur in meritis causæ.

S V M M A R I V M.

Dux Ferrariæ vendens iura Vallis, an teneatur ad restitutionem pretij valle euicta.

DECISIO CCL.

1 *Promittens de dato & facto suo, re euicta an teneatur de euictione.*

2 *Emens scienter rem alienam, vel alteri obligatam, an agat de euictione.*

VIgesima Martii 1545. proposui in causa Parmensi Vallium, an interesse Ducis ortum ex instrumento venditionis factæ in personam Nicolai de anno 1503. sit tale, quod impediat sententiam ferendam contra Comitem de Sala. Et pro parte Corrigiensium dicebatur, quod Dux, qui vendiderat iura Vallis, & iusta ex causa ignorabat. Vallem esse alienam, & iura eius tantū vendiderat, & pro suo dato, & facto pro iuribus tantum suis, & non vltra, teneri voluerat, quod re euicta, non tenebatur, † nec
1 de euictione, nec etiam ad precium. per Alexan. in l. locus. col. 1. ff. de acquir. possess. Ias.

Iaf.post Alex.in l.si sic.§.1.in fine. ff.de legat.1. Afflict.in c.1.de inuestit. de re alien. tact. col. 7. vers. & prædicta. Item, qui
2 emit † scienter rem alienam, vel alteri obligatam, non agit de euictione, nec etiam ad precium. l.si fundum. vbi gloss. C.de euict. & ibi Bart.& Bald.in l.non dubitatur. C.de euiction.& in l.qui libertatis.ff.de euiction. Pau.de Castr.& Iaf.in l.2.§.fin.C.coram.de legat. Sed Nicolaus tempore emptionis, quæ fuit de anno 1505. sciebat Vallem esse feudalem, cum eam prius ab Imperatore recognouerat de anno 1498. ergo non poterat agere. Istis non obstantibus, fuit contrarium decisum. quia non erat verum, quod per recognitionem factam à Nicolao, ex hoc constaret quod tempore emptionis ipse sciret rem esse feudalem, & ideo Ducem nullum ius in Valle habere. nam licet tempore recognitionis, Nicolaus crederet Vallem esse feudalem, postea dubitans de iuribus Ducis, iura ipsius habere voluit, vt iura iuribus cumularet. Item, dicebatur, quod illa recognitio Nicolai, non inferebat ad nullitatem iuris ipsius Ducis. nam etsi Nicolaus recognouerat Vallem feudalem, talis tamen recognitio non nocebat iuribus ipsius Ducis. & ideo si non nocebat, Dux qui promiserat, Nicolaum & eius successores in iuribus suis defendere, defendere tenebatur. alias erat obligatus ad damna, & interesse, prout in obligatione. Item, in quantum Corrigienses volebant precium Vallis deponere, restituendum Duci in euentum in quem ipse Dux teneretur Comiti de Sala, dictum fuit, quod non erat sufficiens depositum. quia adhuc remanebant iura Ducis respectu pretensorum melioramentorum, in quibus Dux tenebatur defendere. Item, erat illa donatio illius pluris quam Vallis valebat. & fuit dictum, quod quia pro parte Ducis, nullum verbum super isto vltimo capite erat factum, informaretur an per depositum, Corrigienses possent excludere Ducem Ferrariæ.

SVMMARIVM.

Publicatio testium super interrogatorijs, non impedit quin possit dare articulos continentes id quod erat in interrogatorijs.

DECISIO CCLI.

IN vna Pennensi Abbatiæ, coram D.Prospero, contra D.Cæsarem, fuit resolutum die 20. Martii 1545. Quod si quis dedit interrogatoria pro examine testium partis aduersæ, habita postea publicatione, non impediretur postea dare articulos, continentes idem quod dicta interrogatoria, & super illis examinare testes. per id quod dicit Felin. in c. cum Ioannes. col.8. vers. & si diceretur quod hoc capitulum. &c.de fid.instrum. vbi vult, quod c. fraternitatis. habeat locum in capitulis. Item, quia non videbatur eadem ratio in interrogatoriis. quia non est in potestate interrogantis, scire quid testes velint dicere. Quod secus est pro parte inducentis testes super articulis. & sic maior est timor subornationis. prout ita considerat Felin. in d. c. cum Ioannes.

SVMMARIVM.

Possessio, quo casu iudicata attentata.

DECISIO CCLII.

LItigabant contra Galaorem intrusum, Alphonsus Diaz, Didacus de Vega, & Didacus della Carrera, super vna parochiali. Alphonsus obtinuit sententiam contra Didacum de Vega, quæ transiuit in rem iudicatam, & contra Didacum della Carrera, à qua ipse Didacus appellauit. & postea intelligens quod Galaor possessor, erat defunctus, obtinuit sententiam, citatis interesse putantibus, & exequutoriales. vigore quarum Alphonsus Diaz ingressus est possessionem. Didacus della Carrera dicebat, quod illa possessio erat attentata. quia cum per litem introductam contra Galaorem, beneficium & possessio esset litigiosa, quando ipse obtinuit sententiam citatis interesse putantibus, illa sententia super possessione vacanti, non poterat præiudicare ipsi Didaco certo contradictori, & ideo erat ipse citandus. ad not.in c. fin. de election, lib.6. quod cum factum non fuisset, fuit conclusum, quod erat attentatum. die 20. Martii 1545. in vna Astericensi beneficiorum, coram D.Thoma de Thanis.

SVMMARIVM.

Clausula minuendo, & diuidendo quomodo intellecta.

DECISIO CCLIII. 1

IN vna * Pusginatensi prioratus S.Angeli, in qua Petrus Paulus Venacius impetrauerat, per resignationem patrui sui, prioratum S.Angeli, cuius fructus quinquaginta quinque, & canonicatum & præbendam Ecclesiæ Aesinæ, cuius fructus vigin-

* Aduerte, quod ista causa fuit remissa ad expeditores. & coram ... de mense Ian. 1547. fuit resolutum pro parte negatiua. vi delicet, quod non poterat capere aliquid ex fructibus ulterius beneficij.

viginti quatuor non excedunt, in vna & eadem supplicatione. & in fine erat clausula, augendo vel minuendo, & diuidendo, vsq; ad verum valorem. Sed dictio, augēdo, erat per Datarium cancellata, & remanserant illa verba, minuendo, & diuidendo. Fuit dubitatum per me, die 29. Martij 1545. An per illa verba, diuidendo, posset Petrus Paulus in expeditione bullæ, ita diuidere fructus expressos, vt summæ quinquaginta-quinque ducatorum expressorum in fructib. prioratus, posset addere summam decem, vel viginti ex fructibus canonicatus. & dicebatur quod nō. nam ex quo semel diuiserat exprimendo sigillatim fructus, non poterat amplius diuidere. & quia illa clausula, tantum operabatur quando fructus plurium beneficiorum simul expressi forent, non autem quādo diuisim, vt erat in casu isto. Istis non obstantibus, fuit conclusum quod potuisset diuidere. nam licet diuisio esset facta in supplicatione, tamen per illam clausulam, Papa dabat licentiam iterum diuidendi vsque ad verum valorem, non excedentem tamen expressum, quia illud esset augere, quod per cancellariam erat prohibitum, alias illa clausula, diuidēdo, nil operaretur.

S V M M A R I V M.

Non potest quis eodem tempore, habitum suscipere, professionem emittere, & in Abbatem eligi.

D E C I S I O CCLIV.

FVit resolutum in vna Melitensi Monasterij pro Reuerendissimo Parisio, corā D. Fabio 23. Martij 1545. quod eodem tempore, non poterat quis suscipere habitum, professionem emittere, & in Abbatem eligi, quia qui non nouerat esse discipulus, non poterat esse magister, per text. in c. officij in fine de election. & non obstat quod poterat ante susceptionē esse instructus in Regula, & ideo in Abbatē poterat eligi, quia non sufficit, quod quis sit instructus, sed prius debet discere subesse, quā preesse, vt ibi dicit text.

S V M M A R I V M.

Beneficium reseruatum non potest in manibus Ordinarij permutari.

1 *Reseruatio per cessum vel decessum an capiat beneficium per cessionem ex causa permutationis, & num. 2.*

Cessio ex causa permutationis, an simplex cessio.

2 *Clausula, vel alio quouis modo, virtus.*

3 *Dispositio loquens in venditione an habeat locum in permutatione.*

D E C I S I O CCLV.

IN vna Ilerdensi, coram D. Io. Paulo, die 17. Aprilis 1545. maior pars Dominorum tenuit, quod beneficium reseruatū non potuerit permutari in manibus Ordinarij, per decis. 23. * in 2. dubio in nou. Franc. in cap. 1. de rer. permut. in 6. Aeneas de Falcon. in tract. reseruat. in 4. quæst. in tertio effectu. & in hoc omnes Domini conuenerunt. Sed maior pars dominorum tenuit, quod beneficium reseruatum * per cessum, & decessum talis, comprehenderet cessionē ex causa permutationis, quia verum est dicere, quod vacat per cessum cum permutatio incipiat à cessione, & in hoc allegabant dictam decis. 23. in nou. Non obstat cap. 1. de rer. permutat. in 6. quia cum illud cap. fundetur in æquitate, locum habet tantum in illo casu, scilicet in expectante, & ratio est, quia expectans si non capit illud poterit postea aliud capere, at hic si non caperet reseruatio istud beneficium vacans per cessionem ex causa permutationis, illa reseruatio esset frustratoria. * Ego vero, & D. Aquensis, tenuimus quod beneficium reseruatum per cessum, & decessum non 1 caperet beneficiū per cessionem † ex causa permutationis, cum illa cessio dicatur qualificata, & non simpliciter cessio, & 2 reseruatio non habebat clausulam, quouis † alio modo ad not. in cap. susceptum. de rescript. in 6. & iste modus vacandi ex causa permutationis, differt nomine & re, ab alijs vacandi modis. secundum Bal. in cap. 1. de vasal. decrep. ætat. & probatur ex diuersitate rubricarum, & statutum etiam contra ius 3 cōmune de venditione, † non habet locum in permutatione, etiam quod videatur habere similitudinem. Bal. in l. 1. C. de rer. permut. colum. 3. in fine. Alex. cons. 76. col. 1. & 2. 3. vol. Et sicut in casu cap. 1. de rer. permut. 4 in 6. expectans poterat † suam gratiam in alio beneficio adimplere, ita etiam in casu isto, vt reseruatiuus posset suum intentum consequi, quandocumq; beneficium per simplicem cessionem vacaret.

(margin notes:)
* Alias 2. de rer. permut.
* Reseruatio per cessum, & decessum talis, capit beneficiū per cessum eiusdē, ex causa permutationis.
* Fuit & allegatum pro ista parte. consil. Pet. de Anchar. 388. i casu, &c. quod nil facit ad propositum.

S V M M A R I V M.

Appellatione filiorum in casu isto, an veniant nepotes.

1 *Contractus habens vim vltimæ voluntatis, an sit regulandus, prout vltima voluntas.*

2 *Filiorum appellatione, an veniant nepotes, & num. 3. & 5.*

4 *Agnationis ratio habita in certis gradibus, an faciat vt extra illos non sit habenda.*

DECI-

DECISIO CCLVI.

IN causa Romana hæreditatis de Cardellis, dubitaui ego, die 20. Aprilis 1545. præsuppoſito quod diſpoſitio Colæ inter filios, ſit contractus habens vim vltimæ voluntatis, & quod filij Sabbæ vocati in euentum, &c. ſint principaliter vocati ex diſpoſitione Colæ, & quod in ea in gradibus expreſſis ſit habita ratio agnationis conſeruandæ. An appellatione filiorum Sabbæ in euentum vocatorum, veniant nepotes. Et pro parte negatiua dicebatur, quod eramus in contractu, in quo appellatione filiorum non veniunt nepotes. ſed reſpondebatur, quod non eramus in mero cõtractu, ſed era-
1 mus in contractu † habente vim vltimæ voluntatis, & ideo diſpoſitio erat regulanda prout in vltima voluntate: l. tale pactum. §. pater, & ibi Bal. Angel. Paul. & Alexan. & alij Moder. ff. de pact. & videtur text. in l. ſi certis, & in l fin. C. de pact. Secũdo pro parte negatiua dicebatur, quod poſito quod eſſemus in vltima voluntate; tamen quia in ſubſtitutione erant vocati Sabbas ſi ſuperuixeret, ſi non eſſent eius filij, propter illam dictionẽ eius, eſſent, vocati certi filij.
2 & tunc † appellatione filiorum non veniũt nepotes. ad Bart. in l. Gallus. §. instituens. in fine, & ibi Soc. & Iaſ. dum dicunt, quod ſi teſtator vocat filios ſuos, tunc non veniũt nepotes. ff. de liber. & poſthum. Fuit reſponſum pro parte affirmatiua, quod doctrina Bart. confundit id quod dicunt Soc. & Iaſ. nam Bart. vult quod vltra pronomen, meũ ſit dictio demonſtratiua iſtũ. & ideo meos, & ſuos, non facit quod appellatione filiorũ non veniant nepotes. Sed quando eſt alia dictio demonſtratiua, quæ demonſtrat certum filium. Tertio dicebatur pro parte ne-
3 gatiua, quod eramus † in fideicommiſſo. in quo appellatione filiorum non veniunt nepotes, ſed reſpondebatur, quod illud eſt verum vbi tractatur de filijs grauatis, ſecus vbi tractatur de filijs honoratis, prout eſt in caſu iſto ſecundum Dec. conſ. 191. col. 2. Alexan. conſ. 9. col. 3. in 1. vol. Iaſ. in §. inſtituens. col. 5. Gozad. conſil. 59. colum. 2. num. 12. Iaſ. conſ. 51. in 3. vol. Quarto dicebatur, quod ratio agnationis erat habita in
4 certis gradibus † ergo non debebat eos excedere, & ideo non debebat fieri extenſio ad alium caſum. Fuit reſponſum, quod etiã quod ratio ſit habita quo ad certos gradus in ſucceſſione aſcendentium fit extenſio ad alios gradus, vt per Alber. Brun. in tract. de ſtat. excluden. fœminas. propter maſculos in 12. artic. quæſt. 16. & Dec. conſ. 372. vbi dicit iſtam eſſe communem. Et pro par
5 te affirmatiua, † quod appellatione filiorũ venirent nepotes fuit dictum quod quando filij vocantur in futurum euentum, iu quem eſt incertum an ſint filij vel nepotes, appellatione filiorum veniunt nepotes, prout iſtã dicit communem Curt. Iun. conſ. 139. col. fin. verſic. & quod fortius, &c. Et pro iſta parte affirmatiua, quod iſto caſu venirent, fuit facta reſolutio per quatuor ex Dominis votantibus, duobus reclamantibus.

SVMMARIVM.

Regulæ de non tollendo ius quæſitum, quando ſit derogandum.

1 *Regula de iure quæſito, an habeat ſolum locum in iure quæſito radicato, & incorporato, vel in iure in ſpe, & conditionaliter, & num. 4.*
2 *Regula de iure quæſito, an ſit derogandum quando agitur de iure in ſpe, & conditionaliter.*
3 *De iure tertij, etiam ad rem an debeat fieri mentio.*
Principis conceſsio, an ſemper intelligenda ſine præiudicio tertij.
5 *Regula de iure quæſito nõ tollendo, vt ſufficienter dicatur derogatum quid requiratur, & num 6.*
7 *Regula de infirmis non ſolet derogari paſſim per Papam.*

DECISIO CCLVII.

COncluſum fuit alias in cauſa Placentina canonicatus & præbendæ, quod ex ſtatuto Eccleſiæ Placentinæ, eſſet quæſitum portionariis ius conſiderabile quo ad canonicatus, & præbendas vacantes dubitanit D. Thomas, die 20. Aprilis 1545. in eadem cauſa Placentina canonicatus inter Io. Solano, & Garziam Catauaial, præſuppoſito quod ex ſtatuto Placentino quæſitum ſit ius conſiderabile, & ſtante regula D. Noſtri Papæ, de non tollendo iure quæſito expectatiua Ioannis de Solano iuncta cum priuilegiis ſcriptorũ, quæ priuilegia pro tunc præſupponebatur, quod propter pinguedinem clauſularum, derogarent iuri dictorum portionariorum caperet beneficium, ſeu canonicatum de quo agebatur non derogando aliter regulæ de non tollendo iure quæſito. Et fuit reſolutum eadem die, quod regula de non tollendo ius quæſitum locum haberet
1 in iure † quæſito radicato, & incorporato. vt per Roman. conſ. 250. in fine, portionario autem, ex illo ſtatuto erat ius quæſitum in ſpe, & conditionaliter, & erat potius ius quærendum, & non quæſitum, & ideo non
2 erat neceſſaria derogatio regulæ † de non tollendo quæ loquitur in iure perfecto, & de præterito quæſito, vt dicit Sarnen. ſuper regula de non tollendo iure quæſ. nu. 13. in 4. quæſt.

4.quæst. Et licet de iure tertii etiam ad rem
3 debeat fieri mentio, † & etiam in specie, quia alias concessio Principis non valeret, & semper intelligitur facta sine præiudicio tertii. per multa quæ ponit Dec. in cap. super eo. de offic. deleg. Dicebatur, quod in ista iam erat facta mentio de iure tertii, dum præsupponebatur, quod in priuilegiis Scriptorum caueretur, quod possit accipere talem canonicatum, non obstante quod portionario deberetur. sed quod differentia erat an necesse esset, quod derogaret iuri tertii. Et quod specialiter fieret mentio de regula de non tollendo ius quæsitum. quæ tunc est ne-
4 cessaria, † quando tollitur ius quæsitum radicatum, & incorporatum. vt per Sarnen. in d. 4. quæst. nu. 13. & 14. Fuit etiam dictũ,
5 quod * ad derogandum † regulæ de non tollendo iure quæsito, non sufficiebat, quod Papa in priuilegio Scriptorum diceret, non obstãtibus præmissis, ac de publicandis resignationibus infra sex menses, ac de infirmis resignantibus, ac aliis similibus vel dissimilibus, per nos, & prædecessores præfatos editis, & edendis, cãcellariæ regulis. &c. quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti suspensione derogatione, vel modificatione, de illis, eorumq. totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda esset, cum obseruatione certarum aliarum formarum, seu declaratione facienda, eorumque consensus collegialiter habendus foret, tenores huiusmodi, ac illorum formas & effectus, præsentibus. &c. Quia fuit dictum, quod dictæ regulæ de non tollendo iure quæsito. erat specialiter, & in indiuiduo derogandũ. & quod sub generalibus verbis non veniebat illa
6 derogatio † regulæ, cui Papa non erat solitus derogare. prout est regula de non tollẽdo iure quæsito, cui Papa non solet, nisi specialiter derogare. Et fuit dictum, quod ita alias fuerat conclusum in vna Cæsaraugustana Capellaniæ de la Infanta, pro Thoma Fort. Sed vide illam decis. supra decis. 144. in qua decisione ista ratio non fuit considerata. immo in ista. talis ratio nõ est in consideratione. nam hic derogatur regulæ de
7 infirmis, cui Papa passim † non solet derogare primo, cum dicatur similibus. &c. Veniet ergo derogatio regularum aliarum, quibus Papa non est solitus derogare. Et in contrarium videtur facere, quod dicit Sarnensis in proœmio regularum. quæst. 6. n. 8. & ideo ista secunda ratio non est multum attendenda, ex quo prima ratio, quia hic nõ eramus in iure radicato, decidit, dubiũ.

* Specialis derogatio an sit necessaria, vt censeatur derogatum regulæ de non tollendo ius quæsitum. & quod sit in indiuiduo derogãdũ, ponit Sar. in reg. de non tollendo ius quæsitũ. quæst. 15. in fine. Sarn. in proœmio quæstione 6. nu. 2. Gozad. cõs. 41. col. pen. ver. sexto quoties. &c.

SVMMARIVM.

Legatus de latere potest conferre beneficia ad Papam deuoluta, etiam ex propria negligentia.

DECISIO CCLVIII.

LEgatus * de latere in vna Tudertina parochialis, coram D. Mohedano, die 24. Aprilis 1545. quod posset conferre beneficia deuoluta ad Papam, fuit conclusum. per gloss. in c. 1. in verbo ampliorẽ. de offic. legat. in 6. & ibi Phil. Prob. col. 3. vers. nunc quero. Et etiam deuoluta ex propria negligentia ipsius Legati ad Papam per ea quæ dicit Io. de Selua in tract. de benef. in 2. par. quæst. 3. col. fin. vers. item circa istum articulum. Non obstãte, quod in hoc cõtrarium dicat Bonif. in Clem. si de beneficio. col. 5. vers. conclude quod Legatus de latere. &c. de præben. Et hoc tenuit maior pars.

* Causa fuit iterum posita 27. Aprilis 1545. & iterum resolutum, quod Legatus possit conferre etiã deuoluta ex propria negligentia. per not. per Card. in Clem. si de beneficio. in 5. q. de præb. & Selua in loco hic allegato. & ratio est, quia sicut, quando deuoluitur ad Archiepiscopum ex propria negligẽtia, Legatus concurrit cum eo, ita quando deuoluitur ad Papam, etiam Legatus iure legationis concurret cum Papa. & fuit allegatus Gundisi. Villad. in tractat. de Legato. quæstione 9. col. 3. vers. sed illud semestre. cum sequenti. col. qui auctoritate decis. 313. in nou. alias 1 de supp. negl. prælat. ductus, de ista decis. dubitat. sed non obstante sua dubitatione. ita fuit conclusum per auctoritatem istorum Doctorum hic allegatorum.

SVMMARIVM.

Voluntas quando dicatur sufficienter mutata, vt consensus non possit præstari, post obitum principalis.

1 *Voluntas nulla, vt sit reuocatoria prima, an sufficiat quod sit tacita, vel requiratur expressa.*
2 *Actus nullus inter viuos, an reuocet priorem dispositionem validam.*
3 *Procurator, quando censeatur reuocatus per appositionem manus domini.*
Procurator, an censeatur reuocatus per constitutionem secundi procuratoris nullam.

DECISIO CCLIX.

IN vna Abulensi pensionis, coram D. Aquensi die 24. Aprilis 1545. præsupponebatur, quod procurator constitutus ad resignandum, seu ad transferendum pensionem, supplicationẽ porrexisset in fauorem Ortunii Iunioris. postea principalis, existẽs in partibus, in articulo mortis, nulliter transtulit illam pensionem in fauorem Frã-

cisci

cisci de San Roman & mortuus est, procurator Ortunii senioris sui principalis præstitit consensum in fauorem Ortunii iunioris. fuit dubitatum, An valeret illa præstatio consensus post obitum principalis vigore bullæ Alexandrinæ, ex quo illa mutatio voluntatis fuit nulla, quia dicebatur quod non sufficiebat per text. in l. si iure. ff. de legat. 3. vbi vt secunda voluntas nulla
1 sit reuocatoria † primæ, non sufficit quod sit tacita, sed requiritur quod sit expressa, vt dicit ibi Bart. & tunc est expressa quando dixisset legatum, quod tali legaui, alteri lego l. & si transferam. ff. de adim. leg. l. si pluribus. vbi Alexan. & Ias. ff. de legat. 1. Ias. in l. re coniuncti. in 5. colum. in 2. oppositione. ff. de legat. 3. Alex. in l. si fortidianum. C. de legat. Fuit contrarium decisum, quia licet in vltima voluntate, ista procedant, non tamen procedunt vbi sumus
2 in actu inter viuos, † quia licet sit nullus reuocat tamen priorem dispositionem validam. l. legatû. §. pater hortos. ff. de adim. leg. Et ita declarat Alex. in l. plane quam legit cum l. si pluribus in vers. item nota ex text. l. plane &c. ff. de leg. 1. & Ias. in d. l. plane. col. 2. vers. 3. limita istum text. Item & secundo, cum procurator per solam porrectionem actum non perfecerit, videtur postea, quod dominus apponendo manum, ip-
3 sum † reuocauerit. ad cap. si duo de procurat. in 6. & per constitutionem secundi procuratoris, etiam nullam, videtur primus reuocatus, prout dicit Bertach. in tract. de Episcopo. in 7. par. 4. lib. q. 21. col. 2. vers. verum etiam si constitutio secunda Bal. in si quis cum procuratorio. §. Iulianus. in penult. quæst. ff. de procurator. Item, quia lex si iure loquitur in voluntate perfecta, hic autem ante consensum præstitum resignatio per solam porrectionem non est perfecta. ergo illa iura non faciunt ad propositum.

SVMMARIVM.

Stante commissione cum derogatione regulæ, dummodo litteræ expediantur ante terminum ad articulandum litteris non expeditis ante terminum, gesta medio tempore non veniunt per viam attentati, reuocanda.

SVMMARIVM.

1 *Iurisdictio data sub conditione, an ea cessante, intret defectus iurisdictionis.*
2 *Derogatio limitata non seruata limitatione, an valeat.*

DECISIO CCLX.

SI causa fuit commissa cum derogatione regulæ, de committendis causis litteris non expeditis, vsque ad initium ad articulandum, & interim non fit vera lis, si exequuta citatione in partibus contra reum, reus capiat beneficij possessionem, & postea actor in Curia seruet terminum ad articulandum bene, & litteras non expediuerit, & petat per viam attentatorû reuocari quod in partibus fuit per reum gestum. Fuit dubitatum in vna Hypporegiensi administratus, coram D. Thoma die 30. Aprilis, 1545. An talia sic gesta, essent per viam attentatorum reuocanda. Et fuit conclusum quod nô. quia iurisdictio iudici fuit data sub côditione, dummodo expediuerit litteras ante terminum ad articulandum. licet ergo ante illum terminum sit iurisdictio, tamen seruato illo termino, quia conditio deficit, deficit
1 & iurisdictio. † ergo cum ex defectu iurisdictionis non adsit lis, non erunt & attentata. quod etiam vult regula dum dicit, nullius roboris, vel momenti, cum ergo derogatio sit limitata, non seruata limitatione, illa citatio, vigore illius commissionis limi-
2 tatæ, † nullum effectum producere potest. & istud voluit Sarnensis in compendio vtriusque Signaturæ, super regula de non iudic. iux. form. supplic. fol. 83. col. 2. vers. sed vltra illa quæ dixi, est vnum aliud notandum, &c.

SVMMARIVM.

Remedium l. is à quo. ff. de rei vend. quo casu locum non habuerit.

DECISIO CCLXI.

FVit resolutum in vna Astoricensi beneficiorum, coram D. Thoma, die 30. Aprilis 1545. quod quando duo agunt contra possessorem beneficij, & etiam intra se, quod licet vnus eorum habeat sententiam contra possessorem, quæ in rem transiuerit iudicatam, quod tamen non erit mandanda exequutioni côtra possessorem, data cautione. l. is à quo. ff. de rei vendic. quia quando petitor infringit competitorem tunc dicta lex locum non habet. vt per Alex. in addit. ad Bart. in d. l. is à quo. & per Felin. in cap. cum super. colum. 4. in tertia fallentia de re iudicat.

SVMMARIVM.

Producens iura postquam citauit contra, non potest productionem reuocare.

DECISIO CCLXII.

LIcet Baldus & Paulus de Castro, in l. iubemus. C. de iud. dicant ꝙ pars producens

ducens iura, possit reuocare productionem ipsorum; tamen in vna Parmensi pecuniaria, pro Michaele Casalio, contra Luiam matrem eius, die 4. Maij, coram me, fuit intellectum, nisi pars esset citata ad dicendum contra. quia ex quo, per citationem iura fuerunt effecta communia, non potest amplius pars quae produxit, productionem reuocare.

SVMMARIVM.

Gratia si neutri non praesupponit titulum.

DECISIO CCLXIII.

QVarta Maij 1545. fuit resolutum in vna Pampilonensi beneficiorum, corā D. Thoma, quod gratia, si neutri non esset subreptitia, & suffragaretur producenti eam, dato quod non doceret de aliquo titulo, quia licet aliud sit in noua prouisione, vt per Sarnen. in reg. de subrog. collitig. quaest. 19. num. 5. & in reg. de ann. quaest. 27. num. 4. ex quo noua prouisio praesupponit titulum praecedentem, licet inualidum; tamen secus est in gratia, si neutri, in qua non fit mentio de titulo praecedenti, sed tantum committitur Auditori, quod in euentum in quem sibi constiterit, &c.

SVMMARIVM.

De commenda temporali, quando de ea in sequenti prouisione fieri debet mentio.

DECISIO CCLXIV.

IN vna Brixiensi parochialis de Azanon. pro Reuerendiss. Gambara, contra Patriarcham Constantinopolitanum fuit resolutum, coram D. Thoma de Tanis, die 15. Maij 1545. quod si commenda temporalis est facta contemplatione Ecclesiae, tunc verum est quod in sequenti prouisione de ea non debet fieri mentio. quia quando est facta contemplatione Ecclesiae, est depositum, & de nullius praeiudicio tractatur. nimirum si de ea non debet fieri mētio. secus est quādo est commenda temporalis ad vtilitatem commendatarij, quod est quando est cum perceptione fructuum. quia tunc talis commenda, habet vim tituli. & ideo si in prouisione sequenti non fit mentio de ea, prouisio est subreptitia. vt latius potest videri in informatione iuris.

SVMMARIVM.

Venditio facta per Ducem Ferrariae, an intelligatur de iuribus, an de dominio directo.

1 *Vendens solum ius, si nullum ius habeat, an teneatur de euictione, & num. 3.*

2 *Dominium rei, ex quibus dicatur esse venditum.*

DECISIO CCLXV.

IN causa Parmensi Vallium, in qua dedi dubium, An ex instrumento venditionis factae per Ducem Nicolao Corrigiensi, constaret quod essent vendita iura Vallis tantum, an vero dominium directum Vallis. Et pro parte Corrigiensiū dicebatur, quod instrumentum venditionis dicebat, quod Dux vendebat Vallem pro eo iure tantum, quod in ea habebat, & non vltra. ergo tantum erat venditum ius Vallis non autem
1 Vallis. ita quod vendens iura Vallis, † etiā quod nullum ius haberet tamen non tenebatur de euictione, vt per Ias. in l. si sic. §. 1. in fine. ff. de legat. 1. per Alex. in l. locus. ff. de acquir. possess. & in multis partibus illius instrumenti fiebat mentio de iuribus Vallis pro quibus tantum Dux teneri volebat. Tamen his non obstantibus, die 15. Maij 1545. per maiorem partem Dominorum, fuit resolutum, quod esset venditum dominium directum Vallis. Primo propter narratiuam, in qua fit mentio de dominio
2 vtili. † dum ergo postea Dux vendit Vallē pro eo iure quod in ea habet, intelligendū est de dominio directo, post quam iam vtile alienauerat; de quo in principio fit mētio. Item, quia clare dixit, & volens dominium dictae rei transferre. ergo patet, quod Dux dominium intendebat vendere, non autem ius, quod habebat in genere. Ita ut diceremur esse in doctrina Aret. in l. si quis vi. §. differentia. col. 3. ff. de acquirem possess. & Claud. in l. locus. ff. de acquir. possess. quod
3 quando † venditur certum ius, tunc venditio non est conditionalis. & si non competit illud, agitur pro recuperatione precij. ꝙ secus est quando venditur ius in genere.

SVMMARIVM.

Statutum Vrbis, quod de nullitate sententiae, &c. fuit intellectum de omni sententia.

1 *Additio, an intelligatur secundum dispositionem cui principaliter adijcitur.*

2 *Interloquutoria, an dicatur decidere causam illius articuli, super quo fertur.*

3 Sen-

3 *Sententia appellatione, an solum veniat diffinitiua, & quid de interlocutoria, & num. 5.*

4 *Vtilitas publica est vt causa cito expediatur.*

DECISIO CCLXVI.

DIe 15. Maij 1545. fuit resolutum, coram me, in vna Romana discussionis hæreditatis, quod statutum Vrbis 57. incipiens. causa nullitatis, &c. in fine. dum dicit, & est additum quod de nullitate sententiæ dici debeat, &c. intelligeretur de omni sententia, tam interloquutoria quã diffinitiua, quia statutum generaliter loquitur tam in principio, dum dicit causa nullitatis & sic de omni nullitate indifferenter loquitur. ita & etiam additio indifferenter de sententia loquẽs intelligeretur de omni sen-
1 tentia, vt additio intelligeretur † secundũ dispositionem cui principaliter adijciebatur, & licet in dispositione diceretur infra quindecim dies terminetur, & sic videretur loqui de sententia diffinitiua principalis dispositio, ita & additio. Fuit dictum quod
2 etiam sententia † interloquutoria, respectu eius articuli super quo sit, dicitur causam decidere, seu determinare. Non obstat,
3 quod appellatione sententiæ † venit diffinitiua, vt per Felin. in rub. de re iudic. & Alexan. in rubr. eadem Socin. conf. 39. capio primũ. col. 2. verf. præterea, vt inquit, &c. vol. 4. & glos. in l. 1. §. biduum. ff. quando appellat. fit quia vbi est eadem ratio etiam venit interloquutoria. vt per Felin. in d. loco, at hic non potest alia ratio assignari, quam celeritas expeditionis, quæ ratio re-
4 spicit † publicam vtilitatem, vt in l. properandum. in princ. C. de iudic. & incouueniens esset, quod quis teneretur dicere de nullitate sententiæ diffinitiuæ infra annum, de nullitate vero interloquutoriæ posset dicere infra longius tempus, & quod in materia etiam exorbitanti fauorabili appellatio-
5 ne † sententiæ, veniat etiam interloquutoria. Alex. conf. 50. vol. 2.

SVMMARIVM.

Articulos dans, sufficit quod iuret, quod credit illos esse veros quando sunt de facto alieno.

DECISIO CCLXVII.

IN vna Hispalensi Archidiaconatus de Carmona, coram D. Aquensi, fuit resolutum 15. Maij 1545. quod is qui dabat articulos, si articuli erant de facto alieno, quod sufficit, quod iuraret credere, articulos esse veros secundum eius scientiam, & conscientiam. secus si articuli concernebant factum proprium, quia debebat iurare per iuramentum veritatis. Et licet text. in cap. præsentium. de testibus. in 6. dicat iuret de veritate dicenda tam ponendo, quam respondendo. fuit dictum, quod sicut illi text. satisfit respondendo positionibus per verbum credit. ita etiam ponendo, satisfit iurando de credulitate, vt par sit ratio vtriusque, & per hoc fuit allegat. Ostien. in tit. de iuramen. calumn. in summa in §. & quoniam. Quod sufficiat iuramentum credulitatis, ponit Paul. de Cast. in l. 2. §. quod obseruari. col. penult. num. 17. C. de iur. calunn.

SVMMARIVM.

Titulum coloratum in spolio, præstat impetratio certo modo.

1 *In attentatis non requiritur tituli exhibitio.*

DECISIO CCLXVIII.

IMpetratio certo modo, non aliter verificato modo vacandi, præstat titulum coloratum in spolio, ita die 18. Maij 1545. fuit resolutum in vna Terdonensi Archipresbyteratus, coram D. Reomano. in qua Gregorius Aueraldus dicebat se spoliatum dicto Archipresbyteratu à Iulio Gentili, & probabat possessionem per tres menses continuatam, & pro titulo colorato docebat de dicta impetratione certo modo. & ea non aliter verificata, fuit conclusum, quod restitueretur, quia verificatio respectu certi modi vacandi, non erat facienda in isto iudicio, sed in petitorio, & sufficiebat docere de titulo à superiori habito, & tanto magis debebatur restitutio, ex quo erat spoliatus post inhibitionem à Rota emanatam
1 quo casu, in attentatis † nõ requiritur titulli exhibitio. vt sunt decisiones nostræ claræ.

SVMMARIVM.

Acceptans primum beneficium, illo dimisso, potest acceptare secundum, quando notorie constat, quod nullum habet ius etiam non expectata sententia.

1 *Familiaritatis narratiua non verificata, an vitiet gratiam.*

DECISIO CCLXIX.

ACceptans beneficium cum solita protestatione, si videt quod alius habet

melius ius potest primum beneficium acceptatum relinquere, & aliud acceptare. non expectata sententia super primo beneficio. secundum Io.And. in cap. cum in multis de rescript. in 6. solitum teneri, vt per Cassador. decis.10.de concess.præb. Tamen istud esse verum conclusit Rota in vna Valentina, de Paterna, coram D. de Tanis, die 18.Maij 1545. quando notorie apparet de non iure acceptantis primum beneficium, & ideo in illo casu, cum Remigius acceptasset primo vnam parochialem, & docebat quod quo ad illam parochialem Ioannes del Mila habebat gratiam fortiorem cum acceptatione, vt puta suspensiuam omnium aliarum gratiarum, tamen quia non docebatur de habilitatibus Ioannis del Mila, nec verificata narratiua familiaritatis quæ erat in gratia
1 Ioannis, cum sola familiaritas † vitiet gratiam secundum Gemin.consl. 128. Item quia gratia Ludouici non prouidebat, sed mandabat prouideri. & ideo cum ex productione talis gratiæ, non expectata aliter sententia, notorie non diceretur constare de non iure Remigii, quo ad primum beneficium acceptatum, ideo non potuit secundum acceptare. secundum Rotam. decis. 5. de concess. præben. in antiquis.

SVMMARIVM.

Aegidianæ quo casu locus fuerit.

1 *Appellari an possit in possessorio habente annexam causam proprietatis.*
2 *Persona, legitimanda est in quocunque possessorio.*
Legitimatione personæ facta in possessorio, an nihilominus possit appellari.
3 *Possessorium merum si est intentatum si in eo fuerit deducta causa illegitimitatis, an liceat appellare.*

DECISIO CCLXX.

In vna Anagnina * castri Scurculæ, pro Honorato Caetano, contra Io. Bernardinum de Crispoltis, coram D. Io.Paulo, in qua Honoratus petebat se restitui ad possessionem dicti castri, in qua eius Pater fuerat, & de qua fuerat spoliatus. Et pro parte Io.Bernardini fuit oppositum, quod Honoratus erat spurius, & ideo actio spolii, tanquam illegitimo, non competebat. & probato per ipsum Honoratum, quod ipse esset legitimus, tandem fuit pronunciatum per D.Pighinum, ipsum Honoratum vt legitimum esse restituendum ad possessionem dicti castri.fuit dubitatum, die 18.Maii 1545. An in isto casu locũ haberet * Aegidiana. Et pro parte negatiua dicebatur, quod quando causa possessorii habet † annexam causam proprietatis, potest appellari. non obstante dispositione. l.1.C.si de momen.poss. Bal. consl.141. in fine.& 379. circa finẽ vol.1. Angel.in l.incerti. circa finem. C. de interdict. Lanfranc. in cap. quoniam contra. vers.hic tractabimus. Soc.in reg. 24.in 20. fallen. Guid. Papæ sing. 357. & Iason. consl. 187. colum. 1. volum.2. Sed hic causa possessorii, habet annexam causam proprietatis, quia fuit necessarium discutere super illegitimitate. ergo iis non obstantibus fuit conclusum contrarium per omnes. quia in omni possessorio quantumcum-
2 que summario, † prius persona legitimari debet. iuxta not. in l. 2. C. de edict. Diu. Adrian. tollen.& nihilominus, non obstante tali legitimatione, in tali possessorio appellari non potest.vt per text. in l.quisquis. C.quor. appellat. non recip. Secundo, quia hic principaliter fuit actũ super mero pos-
3 sessorio. & licet incidenter † fuerit deducta causa illegitimitatis, per hoc tamen non est locus appellationi. per ea quæ dicit Dec. in l.1. colum.2. versic. & retenta ista communi opinione, &cæt. C. de bonor. possess. secund. tabul. Et pro ista parte, bene facit quod dicit Bal. in l. vnica. colum. 2. circa princ. vers. omnimodo hic quæritur, &cæt. C. si de momen. possess.

* Et vide de inf decis. 285. lib. 2.

SVMMARIVM.

Citatio ad sententiam domi facta, quando teneat.

1 *Mulieres cum difficultate citantur, ideo an citatio facta domi, valeat.*

DECISIO CCLXXI.

In vna Romana domus, coram D.Aquensi, die 18. Maii 1545. fuit lata decis. Rotæ 48. * cum sua additione in nouis. & 396. * in antiquis. quod citatio facta domi ad sententiam postquam quis fuit personaliter citatus, vel semel in iudicio comparuit esset valida, stante difficultate citandi, vt erat in casu illo. in quo agebatur contra vxorem Francisci Galeani. quia mulieres
1 cum † difficultate citari possunt.

* Alias 1. de dol. & contum.

* Alias 8. de dol. & cõtum.

SVMMARIVM.

Regula de verisimili, an habeat locum in gratia subrogationis cum gratia si neutri, impetrata.

1 *Regula de verisimili quare inuenta.*
2 *Subrogationis gratia, an comprehensa in gratia, si neutri, ex clausulis generalibus.*

3 *Ambi-*

3 *Ambitiosus in impetratione beneficij qui dicatur.*
4 *Beneficium mortui impetrare ante scientiam mortis, an valeat.*
5 *Subrogatio an innitatur iustitia, vel gratia.*

DECISIO CCLXXII.

FVit bis in vna Conchensi Parochialis de la Motilla, & tertio loco, videlicet die 22. Maij 1545. per D. Peregrinum dubitatum, * An regula de verisimili haberet locum in subrogatione. Et causa bis votata semper fuimus diuisi, videlicet quatuor, & quatuor; nam vna pars dicebat, quod saltē ratio ambitionis, propter quam inter alias regula inuenta erat, euitari non poterat, quia non poterat dici non ambitiosus, qui antequam sit certus de obitu, impetrat beneficium. Item, & secundo pro ista parte, quod regula habeat locum in subrogatione videbatur decisio in terminis Rotæ, vt per Cassad. decis. 29. super regulis Cancell. & Sarnen. quæst. 3. in reg. de verisimili, quando prouidetur alicui per resignationem Titij, cum clausula quouis alio modo, si Titius prius obierat quod regula obstet.

(* Vide ad istam dec. Aym. Crauett. consil. 88. quæritur. & c. col. 3. nu. 9. vers. sed hic quæritur. & c)

Alij vero quatuor de quorū numero eram, dicebant quod regula locum non habebat, nā
1 rationes propter quas regula inuēta † erat videlicet, fraudis, ambitionis, & votum captandæ mortis non militabant isto casu, nā frans nulla esse poterat, nam cum pendente lite inter duos colliciigantes; vnus ex col-
2 litigantibus impetrat gratiam si neutri † in qua gratia propter clausulas poni solitas, ponitur clausula subrogationis per obitum, nulla videtur esse fraus. ex quo iste collitigans post obitum habebat mensem ad impetrandum, & nullus alius de beneficio prouideri poterat. Et ideo cum principale intentum attendendum sit, & non id quod in consequentiam venit, nulla fraus videtur inesse in casu isto, ex quo à principio licite gratiam si neutri impetrabat, & ei, eueniente casu obitus beneficium debitum erat, nonetiam militabat ratio ambitionis, propter eamdem rationem, cum non principaliter, sed incidenter clausula, quouis modo, caperet vacationem per obitum. bene ergo faterer quod si principaliter esset facta gratia subrogationis, nō autem in gratia si neutri, quod tunc si esset facta talis impetratio ante verisimilem notitiam, quod tunc ambitio
3 euitari non posset, † non enim posset non ambitiosus esse qui antequam verisimiliter sciret mortem alicuius, peteret se in eius beneficium subrogari, sed quando non principaliter, sed incidenter petitur, tunc talis ambitio euitatur. Item non militat votum captandæ mortis, quia de iure communi lici-
4 tum est beneficium † mortui impetrare ante scientiam mortis, & prouisio valet, vt est text. in cap. 2. de conceß. præben. & sic si regula non obstaret, gratia valeret. tunc enim obstat votum captandæ mortis iuxt. text. in cap. ne captandæ. de conceß. præb. in 6. quando quis beneficium viuentis impetrat. Secus si mortui licet mortem ignoraret. Ad decisionem Cassad. & Sarnen. respōdebant isti quatuor, quod præter id quod illa decisio habuerit cōtradictores viros summæ auctoritatis, quos ibi refert Sarnen. tamen dicebatur per dictos quatuor, quod illa decisio loquebatur in diuersis terminis, videlicet in resignatione, quæ præsupponit resignantem viuere, nimirum si Papa sciuisset, quod esset mortuus tempore quo fecit gratiam, non dedisset clausulā quouis alio modo, at in casu nostro impetrando gratiam si neutri non præsupponitur vita, & origo gratiæ est licita, imputandum est concedenti, qui clausulas generales in gratia concedit per quas gratia quemcumque casum cōprehendere potest. maxime cessantibus rationib. ipsius regulæ. Itē dicebant isti quatuor quod regula loquebatur de gratia. Sed
5 subrogatio † potius innitur iustitię per c. 2. vt lit. penden. in 6. quam gratię, ergo cessantibus verbis regulæ, debebat cessare dispositio, alia fundamenta poterunt videri in informationibus.

SVMMARIVM.

Possessio percipiendi non quæritur ex solutione pensionis factæ per clausulam sine retardatione solutionis.

1 *Superioris mandato obediens, timore, an constituat aduersarij in quasi possessione.*
2 *Quasi possessio in incorporalibus, vt acquiratur quid requiritur, & num. 3.*
Patientia in incorporalibus, an habeat vim traditionis.

DECISIO CCLXXIII.

IN vna Hispalensi pensionis inter Didacum Vasquez ex vna, & Alphonsum Abarez ex alia, dubitaui ego, die 27. Maij 1545. An ex solutione pensionum decursarum, propter clausulam sine retardatione solutionis, &c. esset quæsita quasi possessio percipiendi Didaco, & fuit resolutum, quod non, per text. in cap. olim de restitut. spoliat. & ibi Innoc. & omnes. nam ille,
1 qui paret mandatis † superioris non animo obediendi, sed timore, non constituit aduersarium in quasi possessione iuris incorporalis, vt inquit Innoc. in d. cap. olim. in gl. fin. quæ incipit abstinuit, & idē declarat. glos. ordin. super verbo timore sentētię,

& ibi Abb. col. 4. vers. 4. & vltimo, & ratio est secundum Abb. & alios, quia quasi pos-
2 sessio in incorporalibus † non aequiritur ex solo animo acquirere volentis, sed necessaria est patientia, quia patientia in istis habet vim traditionis. l. quotiens. ff. de seruitut. titul. gen. Nec isto casu adaptari potest illa distinctio ex mente Ostien. quam adducit ibi Abb. col. 3. vers. secunda principalis solutio, &c. An videlicet excommunicatio sit iusta, vel iniusta, adhoc vt diceretur inferre iustum metum, vel iniustum. quia illud cōsideratur respectu iusti metus, vel iniusti, non autem dicit Ostien. quod solnens, propter iustam excommunicationem dicatur aduersarium in possessione percipiē di constituere, quia non adest patientia ip-
3 sius, † quae in istis incorporalibus requiritur dicta l. quotiens. Item, & secundo, quia in casu isto, cum penderet causa nullitatis super pensione. non poterat ante sententiam super ipso articulo nullitatis iudicari, an excommunicatio ipsa, esset iusta vel iniusta.

SVMMARIVM.

Citatus ad totam causam cum comminatione, quod procedetur ad sententiam, non debet iterum citari, nisi comparuerit in causa.

1 *Citatio ad videndum iurare testes sine termino, pro quo die intelligatur.*

DECISIO CCLXXIV.

Citatus ad totam causam cum cōminatione, quod procedetur ad sentētiam si comparuit per se, vel procuratorem debet citari secundum Franeum, in c. * cum qui col. fin. de dolo, & contum. in 6. Ita fuit resolutum in vna Calaguritana beneficij de Ianguela, coram D. Thoma de Tanis die 27. Maij 1545. & dictum quod licet pro curator à certis grauaminibus appellasset, quod tamen non eramus in terminis d. cap. cum qui. nam text. intelligitur quando recessit appellans, itaut nolit amplius in illa causa, coram illo iudice comparere secundum Alex. in l. contumacia. col. 2. vers. nec huic textui obstat, &c. de re iud. alias cum procuratores ab omni grauamine appellēt esset locus illi decret. quod esset absurdum, & licet in casu isto procurator esset reuocatus, tamen constabat, quod alium procuratorem constituerat, & sic constabat, quod habebat animum comparendi. Item, fuit
1 dictum quod illa † citatio ad videndum iurare testes in actis facta die vndecima cū esset sine termino, intelligebatur, pro die decimaquinta, qui erat finis termini probatorij, & ideo cum die duodecima, & sic sequenti fuerat procurator apud acta constitutus quod ille debebat citari.

* Text. in c. cum qui de dol. & cōtum. in 6 quomodo intellectus.

SVMMARIVM.

Adiudicatio ab initio nulla, quo casu fuerit saluata.

1 *Iurisdictione data sub conditione, ea non verificata, quod gestum est nihil valet.*

2 *Datio in solutum non praecedente subhastatione, an valeat.*

3 *Iudex procedens vt in notorio, si non habeat probationes de notorio, tamen notorium sit, an teneat sententia super eo lata.*

DECISIO CCLXXV.

Die 27. Maij 1545. in vna Tiburtina Castri Arsuli pro Zambeccarijs cōtra Robertum de Arsulo, coram D. Io. Paulo in qua Guilermus Cassadorus non praecedente excussione aliorū bonorum, pront ex forma mandati, & rescripti tenebatur, & sic iuris-
1 dictio † sub conditione erat data, & ideo ante conditionem purificatam, quod gestū erat nil valebat, vt per Rotam decis. 317. in * fin. in nou. cap. olim de offic. delegat. & l. diligenter. ff. mandati. Item licet adiudicasset Castrum Arsuli pro duabus partibus dictis Zambeccarijs non praece-
2 dente subhastatione quae ex iuris † dispositione praecedere debet, vt dicit Bal. in l. ordo vers. sed tu, & ibi Salicet. in 1. not. C. de exequut. rei iudic. tamen quia tempore quo fuit dictum de nullitate dictae adiudicationis, per cōmissionem impetratā per ipsum Robertū de Zābeccarijs probarunt, quod tpe adiudicationis factae, alia bona non extabāt, & quod res illo tēpore non valebat plusquam illud precium, pro quo fuit adiudicata, & sic de laesione non constabat. Sustinuerunt dictam adiudicationem, & voluerunt quod esset valida, per ea quae dicit Innoc. in cap. tua. in fine de cohabit. cler. & mulier. vbi dicit quod si iudex processit velut
3 in notorio, † tamen tunc non habebat pro bationes de notorio. Tamen tenet irreuocabiliter sententia, si vere erat notorium, & hoc postea apparet, & quod dicit Archidiacon. in cap. cum plures. circa finem. vers. credo, &c. de offic. deleg. in 6. & est decis. Rotae 57. * in antiquis.

* Alias 10 de cons ced. preb.

* Alias 15 fid. instrum.

SVMMARIVM.

Non dicitur notorie constare de non iure ante conclusionem in causa. Et restitutio datur, etiam quod notorie ex actis constet de non iure.

1 *Possessorium iurisdictionis, an dicatur habere mixtam causam proprietatis.*

2 *Possess-*

2 *Possessio præcaria, an per statutum, vel decretum, continuetur in hæredem.*

3 *Restituendus an sit ad possessionem ille, de cuius non iure notorie constat, & nu. 5.*

4 *Notorietas non iuris in petitorio, ex quo nõ non dicatur constare.*

Rota restituit cum expectatiua reuocata.

DECISIO CCLXXVI.

IN vna Parmensi pecuniaria, coram me, in qua dum ageretur petitorio, & possessorio, erant productæ inuestituræ ad excludendum Michaelem Casalium, agentem ex decreto Mediolani ad continuationem possessionis iurisdictionis Castri Monticellorum, ex eo quod diceretur, quod iurisdictio esset feudalis, & Michael non erat de comprehensis in inuestitura. & Michael videns quod in iudicio petitorio inuestituræ, sibi obstabant, suspendit petitorium, & agebat solo possessorio vigore decreti ad possessionem iurisdictionis. & quia possessoriũ
1 iurisdictionis † habet mixtam * causam proprietatis, cum non habeatur nisi ex concessione Principis. secundum Aegid. decis. 433. Balb. in tract. præscript. colum. 4. in 2. notat. Bal. in l. si solennibus. C. de fid. instrum. & in l. ius eius. in fin. C. de probat. Cassad. decis. 1. num. 10. de restit. spoliat. & alias præsumitur præcaria secundum Bald. in l. 2. colum. 5. in 9. quæst. C. de seruit. &
2 aqua. & ista pręcaria possessio † per decretum, non continuatur in hæredem. secundum Ias. cons. 147. col. 10. vers. item vltra prædicta. &c. volum. 2. & 152. vera & iuridica, &c. vol. 4. Et ideo Casalius, suspenso petitorio, in iudicio possessorio repetijt inuestituras, ad excludendum præcarium pro colore tituli tantum. qua repetitione facta, dicebatur pro parte contraria contra Casalium; quod ex actis constabat notorie de non iure ipsius Casalij, & ideo non erat ad
3 possessionem † restituendus. & allegabatur in terminis decis. Aegid. 404. * quam nititur defendere Carol. Ruin. in l. 1. col. 8. vers. post hæc Bart. hic quærit. ff. de nou. oper. nunc. Tamen Domini de mense Maij circa finem dicti mensis, anni 1545. tenuerunt, quod ex probationibus in actis factis, non resultaret tale notorium ante cõclusionem in causa, propter quod restitutio impediretur. vt voluit Rota decis. 393. * in nouis. Cassad. decis. 1. de restitut. spoliat. Sarnen. in regula de non iudicando iuxta formam supplicationis. quæst. 5. in fin. Staphil. in tractatu litterarum gratiæ, &cæt. fol. 178. pag. 2. Ex quo ergo in casu nostro
4 non erat conclusum in petitorio, † immo erat suspensum, dicebant quod illa iura non faciebant notoriũ, vt dicit dicta decis. 393. & voluit Felin. in cap. significauerunt. super glos. in verbo liquere de testib. dum dicit q illam glos. sequuntur omnes DD. & licet ipse ibi distinguat commutabiliter, &c. dicebatur, quod satis erat, quod ante conclusionem non faceret incommutabiliter, cum illud notorium per productionem aliorum iurium, tolli possit. immo fuit dictum, quod li
5 cet ex actis constet notorie † de non iure, tamen datur restitutio. vt per Cassad. Sarnen. & Staphil. in locis superius allegatis. Hinc videmus, quod Rota restituit cum expectatiua reuocata, & tamen reuocatio facit quod notorie dicatur apparere de non iure.

* Habet mixtã causam, &c. Nicol. Boer. decis. sua 130. Sed, quia &c. n. 10.

* Vide ad ista decis Aegid. 404. & decis. 393. alias 16. de restit. spoliat. in nou. quæ posui in 3. lib. annot. meorum. decis 29.

* Alias 16. de restit. spol.

SVMMARIVM.

Restitutio in integrum, quando non impediat exequutionem sententiæ.

DECISIO CCLXXVII.

DIe prima Iunii 1545. in vna Oxomensi, coram me, fuit dictum quod licet restitutio in integrum petita, impediat exequutionem sententiæ. vt per Ias. in l. 4. §. condemnatum. col. 6. in princ. vers. subdit Bart. & ibi Ripa. col. penult. successiue tamen, quod illud est verum, nisi quando esset petita exequutio, prout ita dicit Ripa in dicto loco, circa finem penult. col. versic. aliquando petitur restitutio, &c. & Alex. consil. 62. egregie. col. 2. vers. nam præsupponitur. vol. 6. At in casu per me posito, non solum erat petita exequutio, sed erat deuentum ad omnes censuras. Et ideo fuit dictum quod non audiretur super restitutione in integrum petita, nisi parito iudicato.

SVMMARIVM.

Religiosus non potest esse procurator ad iudicia, nec negocia.

DECISIO CCLXXVIII.

IN vna Senensi pensionis, coram D. Io. Paulo, die 1. Iunii 1545. fuit resolutum quod religiosus non poterat, siue ad iudicia siue ad negocia, constitui vel substitui procurator, & quod ita dicebat Vitalinus in Clem. religiosus. circa princ. de procurat. quicquid diceret ibidem Cardin. in 12. oppositione, quia ratio subtractionis à diuinis, pariter in vtroq; casu militabat.

*

SVMMARIVM.

Minuta discordante à Breui, quando sit recurrendum ad minutam.

1 *Breue, an sit remittẽdum ad corrigendum, si discordet à minuta.*
Minuta quæ non habet signaturam aliquã Cardinalis, vel expeditoris, an dicatur originalis, & num. 3.
2 *Breue sigillatum per Papam, est originale.*

DECISIO CCLXXIX.

IN vna Legionensi canonicatus, coram D.Fabio, prima Iunii 1545. fuit resolutum, quod etiam si constaret de minuta discrepante à Breui, signato & sigillato per
1 Papam; quod † Breue non erat remittendũ ad corrigendum. quia minuta, quæ non habet signaturam aliquam Cardinalis, vel alicuius expeditoris, non dicitur originalis, sed
2 Breue sigillatum † dicitur originale. quia tunc gratia est perfecta, quando per Papam sigillatur, antea autem conficitur minuta, & additur, vel detrahitur. quod secus est, quando est minuta habens signaturam expe-
3 ditoris; † quia illa diceretur matrix, & originalis. & ille articulus fuit decisus pro Matthęo Iofre, contra Don Franciscum de Toledo.

SVMMARIVM.

Confessio coram incompetenti, valet in vim confessionis extraiudicialis.

DECISIO CCLXXX.

IN vna Burgensi iuris dandi pacem, coram D. Reomano, prima Iunii 1545. fuit dictum, quod confessio facta coram iudice incompetenti, valeret saltem in vim confessionis extraiudicialis, vt ex ea posset quis condemnari. & tanto magis in illo casu, in quo non constabat de incompetentia iudicis. Et quod actus * ex frequentia, & modo, & forma dandi, vt erat in illo casu, in quo capellani pluries per turnum præstiterant pacem canonicis, fuerunt iudicati non meræ facultatis. secundum Innoc. in c. bona. de postul. prælat. Et ideo fuit data restitutio canonicis ad possessionem, qua per capellanos in nolendo dare pacem, fuerant spoliati.

* Ex frequentia actuũ, & modo, & forma præstãdi actus iudicatur non meræ facultatis.

SVMMARIVM.

Mater & filia, vbi simul stipulantur rem in emphyteusim, quomodo stipulatio intelligatur.

1 *Emphyteusis accepta a patre, pro se & filys, an intelligatur ordine successiuo.*

DECISIO CCLXXXI.

IN vna Romana domus, coram D.Thoma de Tanis, prima Iunii 1545. fuit cõclusum, quod licet quando pater stipulatur
1 rem in emphyteusim pro se † & filiis, stipulatio intelligatur ordine successiuo. iuxta not. in §. quidam recte. cum aliis vulgatis. tamen secus est, vt erat in casu illo, vbi mater & filia acceperãt rem in emphyteusim, & simul stipulatæ fuerant. quia propter illam simultaneam stipulationem, non intelligebatur ordine successiuo, sed simultanee. per text. in l. reos. §. cum in tabulis. ff. de duobus reis. quod augebatur in casu illo. in quo mater & filia, simul tenebatur facere melioramenta, & simul soluere pensionem domus.

SVMMARIVM.

In causa Parmensi Vallium.

1 *Promissio de dato, & facto suo, an intelligi debeat copulatiue.*
2 *Verba præteriti temporis, an possint extendi ad casum de futuro.*
3 *Nouatio nõ inducitur, nisi expresse agatur.*
Nouatio, an sit inducta, quando secunda promissio sit sub commemoratione primæ.
4 *Posteriora quando derogent prioribus.*

DECISIO CCLXXXII.

IN causa Parmensi vallium, in qua die 5. Iunii 1545. dedi dubium, præsupposito quod Dux Ferrariæ promiserit defensionẽ simpliciter quando vendidit vtile dominium matri Nicolai, cuius Nicolaus est hæres, & quod deinde in venditione iuriũ, vel directi dominii facta ipsi Nicolao, voluerit Dux teneri defendere vallem pro suo dato, & facto, & pro iuribus suis tantum, & non vltra. Verum ex præmissis, si vallem ipse non alienauit, vel ante prædictam venditionem non grauauit, teneatur in iudicio de quo agitur, vallem defendere. Et fuit re-
1 solutum, quod illa verba pro dato, † & facto, & iuribus suis tantum, intelligebantur copulatiue, pro vt & alias resolutum fuerat. videlicet, quod debebant cõcurrere copulati-

pulatiue, factum vel datum Ducis, & pro
iuribus suis, & sensus erat, quod volebat te
neri pro dato, & facto suo occasione iuriũ
suorum. quia illa promissio dati, & facti
non poterat diuidi à sequẽtibus verbis, pro
iuribus suis, cum promissio pro facto suo,
& dato tantum, nihil esset. Item fuit di-
ctum, quod illa verba pro dato, & facto. cũ
essent verba præteriti temporis, non pote-
2 rant † extendi ad casum de futuro. l. ver-
bum oportebit. de verb. signific. & ideo
si Dux hodie non defenderet, non teneretur
de euictione. sed tunc teneretur, quando ali-
quid dedisset vel fecisset ante venditionem.
Fuit etiam conclusum, quod per sequentem
promissionem euictionis, in venditione dire
cti dominii, de facto, & dato, non esset reces-
sum à priori simplici promissione, quia ho-
3 die nouatio non inducitur, † nisi expresse
agatur. l. fin. C. de nouat. Non obstat, quod
quando secunda promissio, fit sub comme-
moratione primæ, tũc inducitur nouatio se-
cundum Alex. in l. qui bis idem. ff. de verb.
obligat. quia fuit responsum, quod procede
ret quando fieret circa idem. sed hic fit cir
ca diuersa. Item, non obstat quod saltem
promissio de euictione simpliciter facta, &
sub conditione, & limitata, essent contraria.
4 vnde cum non se compatiantur † tunc poste
riora derogent prioribus. secundum Dec. in
l. pacta nouissima. C. de pact. quia fuit di-
ctum, quando circa idem. secus si circa di-
uersa vt hic.

S V M M A R I V M.

In causa Rhodiensi Linorum.

1 *Probatio per coniecturas, quandq admitta-
tur.*
*Debito probata, quantitas an possit probari
per coniecturas.*
2 *Mutuo probato, ad probandam quantita-
tem, an sufficiant coniectura.*

DECISIO CCLXXXIII.

IN causa Rhodiẽsi linorum, & coriorum
in qua, die 5. Iunij 1545. dedi dubium,
An ex coniecturis, de quibus in actis, proba-
tur quantitas linorum, & coriorum petita,
Et fuit resolutum quod non. nam prima cõ-
iectura de cedula præsentata Rhodi magno
Magistro, & quod non contradixisset immo
quod fuit subscripta per vnum religiosum,
fuit dictum, quod non probabatur quod ce
dula fuisset præsentata magno Magistro, &
quod eam legisset, immo magnus Magister
remisit eos ad procuratores thesauri. Item
non erat verum, quod esset per vnum sub-
scripta, cum manus adhuc nõ esset recogni-
ta. secũda coniectura, de petitione facta Ni-
ciæ, & quantitati petitæ non esset contra-
dictum; fuit dictum quod immo in exceptio-
nibus, procuratores thesauri dixerunt, quod
petitio erat inciuilis, & inhonesta. Tertia
cõiectura, de petitione facta Melitę, & quod
etiam magnus Magister non contradixisset
immo procuratores ad alias exceptiones di
uertissent; fuit dictum quod procuratores
dixerunt, in euentum in quem cedula proba
ret. & sic cedula primò & ante omnia, fuit
negata, & postea ad alias exceptiones de-
currerunt. Quarta coniectura, de teste Scri-
ba nauis nouissime examinato, dum per ver
bũ, si bene recordatur, & salua veritate, de-
ponit de sacchis noningentis, & quod ad
Chium fuerunt transportati sexcenti; fuit di
ctum, quod iste testis habebat alium testem
contrarium, per ipsosmet Furnarios exami-
natum. qui dicit de sacchis 400. in 300. &
sic, si erant recuperati sacchi 600. ergo om-
nes recuperauerant. Item, iste testis dicit
quod ex illis linis, vna pars erat in magaze-
no; alia commodata particularibus, alia po
sita ad menia, & non dicit quod omnes illi sac
chi qui erãt in magazeno positi, fuissent sal
uati. Item, est alius testis pro parte Furna-
riorum, qui dicit quod aliqui sacchi, ante ca
pturam Rhodi, fuerunt venditi. ergo & isti
poterant esse ex illis quos Dominicus pete-
bat. Item, erat vnus testis pro parte Reli-
gionis, qui dicit, quod sacchi recuperati &
ad Chium transportati poterant esse 200.
ergo malefacit iste, modo petere sacchos
290. cum Scriba nauis deponat quod sacchi
fuerunt ad Chium transportati ad instan-
tiam, & vtilitatem Dominici. Item, duo te-
stes pro parte Religionis dicunt, quod lina
transportata ad Chium, erant in sacchis, &
petijs, & quod illa petia dicebantur quod
fuerant posita ad męnia. Item fuit dictum
quod dictum Bart. in l. si quando, circa finẽ
1 C. vnde vi, dum vult quod quantitas † de-
biti, potest probari per coniecturas, proce-
dit quando sumus in re de sui natura diffi-
cilis probationis, vt in casu Bart. secus erat
in casu nostro. nam dum sacchi capiebantur
pro męnijs, nulla violentia inferebatur, &
sacchi erant sub custodia patroni nauis. Im
putandũ ergo fuit ipsi Dominico, qui à prin
cipio de aliqua specie probationis sibi non
prouidit. Item, ad dictum Bart. in l. admo-
2 nendi de eo qui probato mutuo probat † po
stea quantitatem mutui per coniecturas.
dictum fuit, quod procedit quando conie-
cturæ sunt ex actu vicino actui mutui;
hic autem non sumus in talibus coniectu-
ris. Item sacchi linorum erant diuersarum
personarum.

SVM-

SVMMARIVM.

Compensatio licet non admittatur in debito iurato, admittitur tamen retentio.

1 *Compensatio vbi directe non admittitur, an admittatur indirecte ex iure retentionis.*
2 *Caducitas an euitetur pro credito soluere debentis, ex ui retentionis.*
3 *Excommunicatus si non potest compensare, an possit retinere.*

DECISIO CCLXXXIV.

IN vna Bononiensi locationis Villæ fontanæ fuit resolutum, die 5. Iunij 1545. coram D. Fabio pro D. Francisco Casalio, quod licet in debito iurato non admittatur compensatio, tamen vbi non admittitur
1 directa † compensatio admittitur indirecta ex iure retentionis ex Abbat. post Cinum in cap. bona fides. in fine. depos. Et ideo fuit dictum, quod liceat conductoribus retinere pagas, quas debebant soluere sub iuramento occasione affictuum Communitati Villæ fontanæ. eo quia habebant apud eos nomen Communitatis obligatum, & hypothecatum pro eorum credito, & ex consensu expresso dictæ Communitatis. ac per hoc eosdem
2 conductores excusari à caducitate, † & in cursu penarum per cons. Corn. 61. lib. 3. colum. 9. & Soc. cons. 143. col. pen. cum differentia sit, inter compẽsare & retinere. Hinc dicimus, quod excommunicatus non potest
3 compensare, † quia esset petere, tamen potest excipere, & sic retinere. secũdum Canonist. in c. intelleximus. de iudic. & Dec. consil. 300. num. 10. & 398. num. 4. dum dicit quod ille qui prohibetur petere, non prohibetur retinere.

SVMMARIVM.

Aegidianæ an fuerit locus.

1 *Remedium canonis, redintegrãda, an competat singulari successori ratione dominij.*
2 *Appellatio an detur in possessorio intentato ratione dominij, & num. 3.*
3 *Interdictum cum competit ratione dominij, an dicatur habere mixtam causam proprietatis.*
4 *Appellari an possit in inter dictis, habentibus mixtam causam proprietatis.*
5 *Appellari an possit in possessorio, quando fuit cumulatum cum petitorio.*
6 *Appellari an possit in petitorio, vbi ratio appellandi est in promptu.*
7 *Appellatio prohibita per statutum, an intelligatur etiam prohibita in casibus in quibus de iure appellatio permittitur.*
8 *Aegidiana est locus quando dominium limitate & incidenter deducitur respectu possessorij.*

DECISIO CCLXXXV.

IN causa Placentina * Castri Sarmati, coram D. Peregrino, die 5. Iunij 1545. fuit dubitatum, An in illo casu esset locus Aegidianæ. & dubiũ fuit ex quo resolutum fuit, ꝙ Canon, redintegranda, non daretur Comiti Olderico, nisi ratione primogenituræ. * Vide sup. decis. 270. lib. 2.
1 & sic † ratione dominij competeret ei tanquam singulari successori. per doctr. Bart. in l. si prius. §. si tertius. ff. de aqua plu. Vnde, cum ratione dominij tale remedium daretur;
2 sequitur quod in tali possessorio † appellari liceret. per dictum Angeli. in l. incerti circa finem. C. de interdict. quod sequitur Decius cons. 28. col. pen. circa finem. versic. 4. &c. dum dicit quando interdictum nõ potest competere nisi domino, tunc à tali possessorio potest appellari. sed aduerte quia Angelus infideliter recitatur à Decio. Nam Angelus dicit, quod interdictum quod competit ratione dominij dicitur habere causam proprietatis mixtam, & non sequitur habet causam proprietatis mixtam. ergo non potest appellari, quia idem Dec. limitat, quando limitate dominium deduci-
3 tur ad effectum possessorij. † quia tunc, & tali casu potest appellari. secundum Dec. in l. 1. col. 2. de bon. possess. secundũ tab. & in cons. 28. col. 3. vers. si vero limitate agatur. &c. Et ideo cum isto casu dominium incidenter deductum fuerit, ergo non potuit appellari à tali possessorio. alias in remedio quorum bonorum, quorum legatorum, & in remedio possessionis ex edicto diui Adr. tollendo, in quo ad obtinendum oportet probare se hæredem, & sic dominium, semper posset appellari. Illud autem quod dicitur, ꝙ
4 in interdictis † habentibus causam mixtam proprietatis, quod possit appellari, intelligitur vbi causa possessorij non potest sine causa proprietatis terminari. pro vt exemplificat gloss. in l. vnica. in verbo momento. C. si de possess. momen. in terminis. l. si quis in tantã. Secundo dicebatur, ꝙ hic erat pro nnnciatũ super vtroque. ergo poterat appellari. per Aufredũ in addit. ad decis. Capellæ
5 Tolosanæ 500. fuit respõsum ꝙ licet † vtrũque esset cumulatum, tamen quod in possessorio non poterat appellari. per ea quæ dicit Cin. in l. incerti. col. 2. versic. iuxta hoc quæro. C. de interd. & Abb. in c. cum dilectus. col. pen. versic. vlterius circa hanc. &c. de cau. possess. & propriet. & Aufredus nil allegabat. Tertio dicebatur, quod vbi ratio est in

6 est in promptu appellandi † in possessorio
tunc potest appellari, vt per eũdem Aufredum in dicto loco. Iason. cons. 187. col. 2. vol. 2. at hie ratio erat in promptu appellandi: cum Comes Oldericus petierat totũ id, quod Comes Gaspar possidebat, & tamẽ pro parte obtinuerat, & in alia parte Comes Gaspar non fuerat absolutus, & ideo quia pro illa parte non absoluerat, iudex notoriè grauauerat, ergo sentẽtia iniusta. Fuit dictum quod eramus in summarijs, & quod attenditur petitio, quæ fit statim ante sententiam, & licet pro Comite Olderico fuerit allegatum dictum Neguf. in tract. de pignor. in 1. memb. 8. part. princ. dum dicit
7 quod si statutum † prohibet appellationem
intelligitur etiam prohibere in casibus in quibus de iure appellatio permittitur, ne statutum fit superfluum, & infert ad constitutionem Aegidianam. fuit dictum quod illud dictum non facit ad propositum, quia loquitur de Iure Ciuili, quo casu non appellatur. At hic eramus in foro Canonico in quo datur appellatio, & satis statutum operetur si tollit appellationem, sed fuit conclusum pro Comite Olderico, quod esset lo-
8 cus Aegidianę ex quo dominiũ † limitate,
& incidenter erat deductum respectu possessorij, & ex quo grauamen poterat reparari in petitorio. & ideo fuit dictum, quod à petitorio daretur appellatio, à possessorio non.

SVMMARIVM.

Procurator quando in causa contra constituentem examinari possit.

DECISIO CCLXXXVI.

* Vide Paris. cons. 70 pro resolutione vol. 4. vbi late concludit, q possit examinari. Io. And. in additioni. ad Specular. in tt. de teste. in §. quæ possunt contra testes oppon. col. 23. in addit. incipien. l. fin. Steph Aufre. in tract. de reprobat. test um in § adhęrentes ver. Aduocatus inserto in 9. vol. tractat.

DIcebatur in vna Romana Domus * coram Domino Rauellen. die 8. Iunij 1545. & in isto voto ego eram licet alius contradixerit, & propterea nil conclusum quod procurator qui tractat causam non potest inuitus non solum pro constituente, sed etiam contra constituentem examinari, vt testis in causa, per dictum Bar. in l. deferre. circa principium. ff. de iure fisci, sed Bart. circa finem. 1. col. in vers. hoc verum est. &c. contradicit his, quæ supra dixit, dum dicit, quod contra constituentẽ inuitus, potest produci testis: non obstat. glos. in c. fin. de testib. in 6. & glos. in l. fin. ff. de testib. quia glos. in d. c. fin. iunct. tex. intelligitur in eo qui fuit procurator in prima instantia, & desijt esse in secunda, prout intelligit ibi Domin. vel in secunda non tractat causam, prout clare videtur sentire, tex. & eodem modo loquitur. glos. in l. fin. cum text. secundum quem debet intelligi dicat præstitit patrocinium, & sic de præterito nõ autem de præsenti, & ratio. Bar. in d. l. deferre efficax est quia cũ procurator tractãs causam reputetur pro principali, sicut principalis non examinatur in causa, ita nec procurator, sed debet respondere positionibus.

Et vide decis. Guid. Pap. 45. quæ videtur tenere quod possit procurator inuitus examinari. ipse allegat Bart. in l. deferre ergo intelligendus est secundum dict. Bar.

SVMMARIVM.

Procurator si nihil fecit in vita resignantis, licet principalis supplicationem porrexerit ad signandum, tamen non potest consentire post obitum.

DECISIO CCLXXXVII.

IN vna Palentina Scholastrię, die 8. Iunij 1545. fuit resolutum coram D. Reomano, quod licet principalis dederit supplicationem resignationis ad signandum, si procurator nihil fecit in vita resignantis, quod post obitum resignantis, non poterit præstare consensum, quia re integra expirat mandatum procuratoris, & decis. Cassad. 1. de renunciat. loquitur quando procurator aliquid fecit in vita resignantis, & non sufficit quod ipse principalis fecerit.

SVMMARIVM.

In causa Parmensi pro D. Liuia, contra Michaelem Casalium, fuit conclusum, quod descendentia erat probanda.

DECISIO CCLXXXVIII.

IN causa Parmen. pro Michaele Casalio, contra Liuiam in qua dubitaui, die 12. Iunij 1545. An ex inuestituris reproductis cesset presumptio præcarię quoad Polidorum, & fuit dictum, quod cum inuestituræ essent concessæ pro Vberto, & descẽdentibus quod non probato, quod Polidorus esset de descendentibus Vberti, quod ex dictis inuestituris non tollebatur præsumptio præcariæ, ita quod necessarium erat probare quod Polidorus esset de descendentibus Vberti, alias Polidorus præsumeretur possidere præcario ab Imperatore.

SVM-

SVMMARIVM.

Merces venales distractæ non veniunt in generali obligatione.

DECISIO CCLXXXIX.

IN vna Romana Pannorũ, pro Bartholomeo Ruspoli, cõtra Hieronymũ Spannochium fuit conclusum, die 15. Iunij 1545. quod licet in generali obligatione veniant merces venales, pro vt dicit Bart. in l. vxori. §. generali. ff. de vsufruct. legat. & Alex. in l. si constãte col. 10. ff. solut. matrim. & ibi Crot. col. 46. & sequen. vbi dicit communem Ias. in l. qui Romæ. §. Calimachus. col. 5. vbi etiam dicit istam magis communem. ff. de verb. obligat. tamen non est verum vbi merces venales sunt distractæ. quia tunc solum competit actio ad precium ex illis redactum, siue ad merces loco illarum subrogatas, vt est casus, in l. cum tabernã. in princ. & ibi Salic. in 2. not. ff. de pignor. ita quod actio huiusmodi restringitur ad illas merces tantum, quæ reperiuntur apud debitorem obligantem., tempore quo actio oritur, vel tempore moti iudicij, vt per Bal. in l. vbi adhuc. col. 5. vers. in contrarium videtur. C. de iure dot. per Bart. in l. si constante. in 3. quæst. 3. quæst. princ. ff. solut. matr. per Ias. in §. Item seruiana vers. reperio itaque instit. de act. & per Negus. in tract. de pign. in 1. membro secundæ partis principalis. num. 23. vers. item, & secundo prædicta. & ratio est, quia in venalibus videtur ab initio tacite contractum, quod merces venales obligatæ, attenta qualitate personarum possint vendi, & aliæ subrogari, vt per Bal. in d. l. cum tabernam, & per Negus. in d. tractat. in loco superius allegato, nec decisio. d. l. cum tabernam. restringi debet ad casum quando aliæ merces fuerunt subrogatæ in locum venditarum. quia sufficit quod potuerint subrogari attenta qualitate personarũ, & mercium, prout apertissime colligitur ex illo text. dum in fine ibidem dicitur, quod ea quæ mortis tempore debitoris in taberna inuenta sunt, pignori obligata esse videntur; adeo quod non obstante narrata subrogatione mercium in locum venditarum. illæ solum remanent in obligatione quæ tempore mortis debitoris in taberna reperiuntur, & ideo non fuit tentum quod dicit Aret. in §. item seruiana. colum. 1. instit. de act. non obstat, quod dicit Bal. in l. vbi adhuc col. 6. vers. magis videtur dicendum, vbi concludit quod debitore incipiente male vti substantia sua, quo casu est orta actio, tunc merces alienatæ reuocari possint, quia Bal. loquitur, quando quis habet notitiam, quod maritus incipit vergere ad inopiam, & fauore dotis, at hic nulla dabatur scientia in emptore, quod ille mercator male inciperet, vtire sua, & nullus fauor erat. Non obstat, quod vnus testis diceret, quod post protestationes venditor reputabatur pro non soluẽte. quia dixerunt Domini quod erat vnicus testis. Item quod si erat publicum, quod venditor incipiebat decoquere, quod in pari culpa erat Hieronymus creditor, sicut & emptor, & ideo melior erat conditio ipsius emptoris, qui reperiebatur in possessione.

SVMMARIVM.

Spoliatus qui non est integraliter restitutus potest petitorium suspendere in quacumque parte illius, & dicere quod vlterius non cognoscatur, nisi facta restitutione.

1 *Sententia lata in possessorio potest esse iusta. licet constet de bono iure alterius in petitorio.*

DECISIO CCXC.

IN vna Assisinatensi, coram D. Rauellensi die 15. Iunij 1545. fuit resolutum, quod antequam spoliator audiatur in petitorio debet omnia, vsque ad vnum quadrantem restituere spoliato, etiã quod spoliatus permisisset causam instrui in petitorio, quia per hoc non diceretur renunciasse rei iudicatæ, quam habebat in possessorio. cum ista sint iudicia diuersa, nec obstat quod dicit Ias. in l. patre furioso de ijs qui sunt. &cæt. & Dec. in l. res iudicata. ff. de reg. iur. dum dicũt, quod si constat de bono iure, quod sententia non est exequenda, quia licet con-
1 staret de bono iure in petitorio † non sequitur, quod sententia lata in possessorio sit iniusta cum ista possint simul stare. Item non dicitur constare de bono iure, donec sit conclusum, & ideo spoliatus, qui non est integraliter restitutus, potest in quacumque parte petitorij suspendere illud, & petere quod integraliter restituatur in odium spoliantis.

SVMMARIVM.

Clausula gratificationis non tollit priuilegium possessionis.

DECISIO CCXCI.

IN vna Panormitana canonicatus, coram D. Fabio de mense Iunij 1545. in qua fuerat datum dubium, an clausula gratificationis tolleret priuilegium possessoris, & fuit resolutum, quod non, quia possessio quan-

quando beneficium est collatum à diuersis, facit quod præsumatur quod illa collatio sit prior, & ideo clausula gratificationis nõ habet locum, quæ non operatur nisi stante paritate gratiarũ. Vnde cum possessor pro-uisus ab Ordinario, præsumatur in data prior, iam clausula gratificationis in gratia Papę, tamquam posteriori, nihil poterit operari. Nõ obstat quod dicit Cassad. decis. 2. num. 2. de renunc. nam solum dicit, quod nõ data gratificatione respicietur possessio, nec aperit qualis esset gratificatio. & etiam loquitur in prouisis ab eodem Papa, in quibus dispositio capit. si à sede, non attenditur. prout ibidẽ declarat Gemin. & Franc. Et in prouisis ab eodem, verum est quod attenditur prius gratificatio, quia non inducitur præuentionis præsumptio, sed solum datur absolutio possessori. in prouisis vero à diuersis, præsumitur anterioritas, & datur canonizatoria tituli vt prioris, & pariter respondetur ad not. per Rebuff. in tract. de pacif. possess. fol. 59. num. 300. in 12. limitatione. quia etiam loquitur in impetratione facta ab eodem, cum clausula gratificationis.

SVMMARIVM.

Castri redintegratio vbi datur, datur & iurisdictionis redintegratio, vbi Castrum est exemptum, & separatum.

1 *Iurisdictio, in dubio an præsumatur realis.*

DECISIO CCXCII.

Item in vna Parmensi iurisdictionis * coram me, inter D. Liuiam de Pallauicinis, & Michaelem de Casalibus, fuit resolutum, die veneris 18. Iunij, seu 19. 1545. in qua fuit datum dubium, præsupposito quod probetur Polydorum possidere castrum Monticellorum, An vigore decreti, possessio eius continnetur in Michaelẽ, & vna cum castro, iurisdictio quam exercebat Polidorus in ca-
1 stro. & fuit dictum, † quod iurisdictio præsumebatur, in dubio, realis. per not. per Bar. in l. inter eos. ff. de acquir. re. domin. Si ergo iurisdictio cohærebat castro, ergo transibat, tamquam accessoria, cum eo. Et ex quo castrum erat separatum, & distinctum habens territorium ab alijs Ciuitatibus, & nulli Ciuitati subiectum, ergo iurisdictio ei competebat. & ex quo eam administrabat sciente Principe, eramus in illo casu in quo dicitur, concesso castro, conceditur & iurisdictio.

* Vide infra decisio. 311. hoc lib. 2.

SVMMARIVM.

Nullitas vbi deducitur per viam replicationis, ita præscribitur anno, sicut quando intentatur per viam actionis.

1 *Nullitas incidenter quando dicatur proposita.*
2 *Replicatio an sit temporalis sicut actio, & illius naturæ.*
3 *De nullitate per viam exceptionis, an perpetuo agi possit.*

DECISIO CCXCIII.

Iulius de Podio, egerat in Curia Capitolina contra Marianum Mamma, spolio, & obtinuit. a qua sententia fuit appellatum pro parte Mariani. sed quia in Curia Capitolina, non appellatur a sententia in possessorio, & procedebatur ad vlteriora, fuit cõmissa causa attentatorum per eumdem Marianum. & fuit inhibitum. & non obstante inhibitione, fuit facta exequutio in domo, & sic Iulius fuit immissus in possessionem. petebatur tractu temporis succedente, pro parte Gregoriæ Mammæ, filiæ & hæredis dicti Mariani, quod dicta exequutio facta stante inhibitione, reuocaretur per viam attentati. Pro parte autem Iulij dicebatur, quod etsi ipse processerat ad vlteriorẽ exequutionem non obstante inhibitione, quod illud fecerat vigore rei iudicatæ. de qua re iudicata, in commissione attentatorum non erat facta mentio, & per consequens commissio erat subreptitia, quæ in Curia Capitolii vigore statutorum nullam iurisdictionem tribuebat, & per consequens inhibitio nõ obstabat. Replicabatur pro parte Gregoriæ, quod illa res iudicata, erat nulla. & sic de ea non erat facienda mentio, ex quo nũc non constabat de processu illius rei indicatæ. & sic non constabat de citatione, nec aliis necessariis. Opponebat tunc Iulius, quod de nullitate vigore statuti, post annũ dicere non poterat. & cum in casu isto, non solũ annus, sed vigintinouẽ anni lapsi erant, quod hodie non poterat de nullitate dici. Sed pro parte Gregoriæ dicebatur, quod illud erat verum si de nullitate ageretur. at in hoc casu, de nullitate dicebatur per viam exceptionis, non autem actionis, quo casu semper de nullitate excipi potest. Ideo ego 22. Iunii 1545. dubitaui, an isto casu diceretur de nullitate per viam actionis, an per viam exceptionis, ad effectum vt cognoscatur an sit locus statuto Vrbis. Pro parte Gregoriæ quod diceretur de nullitate per viam exceptionis, allegabatur Paul. de Castr. in l. 1. colum. 2. C. de ord. iud. vbi dicit, quod si agitur super hæreditate ab intestato, & alius produ-

producat testamentum, & dicatur pro parte illius, contra quem testamentum produ-
1 citur, illud esse nullum, † quod isto casu dicatur agi de nullitate incidenter, non autē principaliter. item allegabatur Bar. in l. si expressim. col. 6. vers. nunc aliqua videamus. ff. de appell. vbi declarat quando dicatur agi principaliter, vel incidenter de nullitate. Ergo in isto casu, cum non principaliter petatur sententiam nullam declarari, sed petatur attentata reuocari non obstante re iudicata nulla. ergo de nullitate diceb atur incidenter non autem principaliter. Sed pro alia parte, pro qua fuit facta resolutio, fuit dictum, quod licet incidenter diceretur de nullitate, tamen per hoc non poterat dici quod illa nullitas perpetuo possit opponi. quia negari non poterat quin ista nullitas, per viam replicationis deduce-
2 retur. † quo casu replicatio est temporalis sicut. & actio. & est illius naturæ, cuius est actio. l. quęsitum. §. in dolo. ff. de pecu. Bar. in l. exceptio. ff. de except. & in l. si pactum. C. de except. Cin. in l. licet. ver. 2. quæro. C. de except. Sicut ergo non potest agi per viam actionis de nullitate, nisi infra annum, ita nec per viam replicationis. & si aliter diceremus, statutum Capitolinū redderetur elusorium. cum semper ille, qui haberet rem iudicatam contra, peteret de nouo. & si opponeretur ei de re iudicata, replicaret de nullitate. & sic diceret, quod per viam exceptionis quandocumq; opponere posset. & fuit allegatus Pau. de Castr. in l. Papinianus. §. si filius. ff. de inoff. testam.
3 vbi declarat quando † de nullitate per viā exceptionis possit dici perpetuo.

SVMMARIVM.

Regula de annali, non habet locum in impetratione facta ab inferiori à Papa. & procedit etiam in regula de annali moderna.

DECISIO CCXCIV.

Regula de annali, non habet locum in prouisione certo modo impetrata à Legato, vel Ordinario. prout ita tenet Sarnen. & nos fuimus sequuti 22. Iunij 1545. in vna Aninionensi beneficiaturæ, coram D. Io. Paulo. & ita tenet Sarnen. super reg. de annali. quæst. 9. In qua etiam diximus, quod regula Pauli moderna, innouatoria regulæ de annali, tantum habebat locum in impetratione certo modo facta à Sede Apostolica. licet dicat, quod subrogationes non seruata forma, de qua in regula, factæ etiam per Legatum, sint nullæ. Item in eadem diximus, quod licet regula de annali, annullet prouisiones omnes simplices, tamen non intelligeretur annullare prouisionem de consensu eius, contra quem facta fuerat impetratio certo modo, prout erat in casu illo, in quo impetrans certo modo. mota lite contra possessorem. cessit iuri, liti, & causæ in fauorem possessoris, & possessor consensit regressui in fauorem impetrantis. Tenuimus, quod ex quo ille regressus erat de consensu, quod valeret.

SVMMARIVM.

Procurator post litem contestatam quando possit reuocari.

1 *Procuratoris reuocatio in praeiudicium domini, an teneat absq; consensu procuratoris.*

DECISIO CCXCV.

Procurator post litem contestatam, nisi volens per dominum reuocari non potest. & sic requiritur consensus expressus, vel tacitus. ita quod absens, & ignorans reuocari non potest, secundum Franc. in c. si quem. §. secus. in fin. 1. col. de procurat. in 6. Pau. de Castr. in l. ante litem. col. 1. vers. in tex. ibi. inuito. &c. ff. de procurat. verum est quod in præiudicium domini re-
1 uocantis, tenet † reuocatio absq; consensu procuratoris, per id quod dicit Abb. in c. mandato. in 1. not. de procurat. & glos. in c. quamuis. in verbo, reuocari. de procur. in 6. dum in principio dicit, quod ex mente Ostien. reuocatio indistincte tenet in præiudicium reuocantis, & postea distinguit an ante litem contestatam, vel post. & ita procedunt secundum iudicium meum. Vide omnino Cassad. decis. 2. de appellat. pag. 5. num. 13. cum sequentibus.

SVMMARIVM.

Inhibitio vigore commissionis, prout de iure, quia reputata calumniosa, non annullauit actum post inhibitionem factum.

DECISIO CCXCVI.

Die 7. Octobris 1545. in vna * Lucana nullitatis carcerationis, pro Petro Colini, contra Vincentium Freddi, quam ego proposui. in qua erat dubiū, An carceratio post inhibitionem facta, esset attentata. Factum sic se habebat. erat facta concordia inter Petrum, & Vincentiū, in qua Vincentius obligauerat se soluere pensiones decursas

* Vide infr. deci. 185. lib. 2.

cursas in forma Cameræ. & cum Vincentius non seruaret promissa, fuit processum ad cõfessionem debiti, & postea ad declaratoriã. à declaratoria Vincẽtius appellauit. & post appellationem, pro parte Vincentij fuit præsẽtata inhibitio D. Io. Paulo, qui tulerat declaratoriam super beneficio alternatiuo, & sic fatebatur Vincentius debitum. postea idẽ Vincentius obtulit, facto deposito vnius iulij, soluere reliquum quando esset liquidatum. item obtulit soluere valorem grani super quo agebatur, secundum valorem curię Lupanæ. & sic ter, post appellationem à declaratoria interposita, confessus fuerat debitum. postea 29. Iunij idem Vincentius præsentat mihi commissionem appellationis à sententia, seu vim diffinitiuæ habentis. in qua quia narrabatur, quod erat appellatum à die notitię, commissio erat signata, prout de iure, tamen ea nõ statim fuit vsus. postea 11. Augusti idem Vincentius præsentat cõmissionem D. Io. Paulo, & citauit partem ad videndum inhiberi, & absolui. vigore cuius fuit inhibitum. Tamen D. Io. Paulus non absoluit. & sic per istos actus, certum est quod iste Vincentius renunciauit appellationi interpositæ. & Petrus Colini postea in fine mẽsis Augusti, obtinuit decerni brachium sęculare. quo decreto, timẽs Vincentius ne vigore illius, fieret contra eum executio, die 26. Septembris fecit Petrum citari ad dicendum contra commissionem mihi pręsentatam. videlicet illam quę mihi cõmittebat causã appellationis à diffinitiua, seu vim diffinitiuę habentis, quæ erat signata, prout de iure. & videndum inhiberi. vigore cuius ego inhibui. & postea Vincentius fuit, non obstante dicta inhibitione, carceratus. Dubitaui ego, an dicta carceratio esset attentata, & Domini dixerunt, quod dato quod inhibitio esset, prout de iure, & quod stãte renunciatione appellationis per illos actus, de quibus supra dixi, quod nihilominus inhibitio afficiebat Petrũ, vt Petrus nihil potuisset agere, donec fuisset cognitũ, an de iure inhibitio afficeret, vel non. propter stylum Rotæ, qui habet, quod dato quod inhibitio procedat sine causę cognitione, tamen sẽper seruãda est, donec sit moderata, vel sit declaratũ non afficere. Tamen quia in casu isto, Domini dicebãt quod inhibitio erat calũniosa propter tot cõfessiones, ideo voluerũt, quod carceratio, post talem inhibitionem, non esset attentata.

SVMMARIVM.

Remissoria in causa beneficiali in prima instãtia, pro testibus senibus & valetudinarijs, quomodo cõcessa.

1 *Periculi ratione, multa permittuntur contra regulas iuris.*
2 *Testium nomina, an regulariter danda.*
3 *Remissoria quando detur sine retardatione processus.*
4 *Remissoria in beneficialibus non datur in prima instantia.*

DECISIO CCXCVII.

EAdem die 7. Octobris 1545. fuit dubitatum, coram D. Io. Paulo, An in causa beneficiali esset danda remissoria in prima instantia, pro testibus senibus & valetudinarijs. Et fuit conclusum quod sic. quia
1 ratione periculi multa † permittebantur cõtra regulas iuris. prout de examine testium, in cap. quoniam frequenter. in princ. vt lit. non contest. Tamen per maiorem partem fuit conclusum, ad euitandum timorem calumniæ, quod petens eam, debebat edere nomina testium senum & valetudinariorũ. & pro illis sic nominatis, daretur remissoria ne esset in potestate partis alios examinare, & sic stylum Rotæ eludere. per ea quæ dicit Bald. in l. fin. colum. pen. versic. extra glos. quæritur. C. de edẽn. & Dec. in cap. 1. col. pen. versic. octauo fallit. de probat. vbi vult
2 quod nomina † testium, regulariter sunt edenda. Et dum dicebatur, quod ignorabat talia nomina, & ideo propter periculum debebat decerni remissoria; replicabatur, quod nullũ erat periculum. per decis. Rotæ * 110. in antiquis. Item dictum fuit, quod dicta * al. alias 9. de testib.
3 remissoria † debebat dari sine retardatione processus. nam ideo dabatur in prima instantia, vt euitaretur periculum. sed non debebat retardari processus, propter stylum
4 nostrum. qui non damus † remissoriam in causa beneficiali in prima instantia, & ne in futurum, sub isto prætextu, extorquerentur remissoriæ à nobis.

SVMMARIVM.

Sententia lata contra minorem, cui est deputatus curator, licet curator nullas defensiones fecerit, non est nulla, sed venit restituendus.

1 *Sententia contra minorem indefensum lata, est nulla.*
Minor indefensus quando dicatur.
2 *Curatorem non habere, vel habere illum, qui non vult comparere, an paria.*

DECISIO CCXCVIII.

EAdem die in vna * Regiensi dotis, pro Domina Camilla Gonzaga, contra D. Camillũ etiam de Gonzaga, Rota inclinauit, quia tantum præfata Domina Camilla informauit, quod sententia quæ erat lata contra minorem, deputato ei curatore, dato quod curator nunquam in causa comparuisset, nec aliquid fecisset, quod per hoc non esset nulla; quia solennia iudicij erant seruata. prout ita dicit Bar. & Salic. in l. eum & minores vos. C. si aduers. rem iudic. Nec per hoc quod curator non comparuisset, minor non poterat dici indefensus. quo
1 casu ✝ sententia esser nulla. prout dicit text. in d. l. cum & minores vos. & in l. contra pupillum. ff. de re iudic. Nam tunc minor diceretur indefensus, quando expediuisset eum defendere, & non fuisset defensus. secundum Rebuff. in repet. l. quod iussit. in 2. not. nu. 206. de re iud. sed in illo casu, non expediebat defendere minorem, quia nullam defensionẽ habebat. ergo non erat indefensus. Non obstat quod satis diceretur minor indefensus, quando nullus pro eo comparuit. quia paria
2 sunt ✝ non habere curatorem, vel habere illum si non vult comparere. per not. per Bart. & ibi Salic. in d. l. cum & minores vos. quia respondebatur quod æquiparatio procedir, quando minori competunt defensiones, quæ per non comparitionem curatoris, fuerunt omissæ. secus autem quando comparendo, nihil poterat deducere, vt erat in casu illo, in quo curator nullas defensiones habebat. Non obstat, quod quando nullus comparuit, neque in principio, nec medio, nec fine, pro minore, tunc sententia dicitur nulla. vt per Bart. & DD. in d. l. cum & minores. quia vel istud est intelligendum, quod minor non fuit defensus in principio, medio, & fine, quia non fuir datus curator ei cum quo solennia iudicij exercerentur; vel si minor curatorem habebat, curator talis non fuit citatus, quia prout ibi dicit Bal. in 2. colum. versic. nunc venio ad quæstionem. pone quod minor sit in principio per curatorem defensus, & postea in medio non sit defensus, idest in probationibus, tamen eas haberet, & noluit facere, an sententia postea lata sit aliqua. & concludit quod est aliqua, & necessaria est restitutio in integrum. ecce quod statim quod seruata sunt solennia iudicij, licet curator non fecerit defensionem in veritatis indagatione, nihilominus iudicium est validum, & necessaria est restitutio. & ita tenet ibi Odofr. Paul. de Cast. & Bar. & idem Bart. in l. contra pupillum. in 3. not. de re iudic. & ibi Paul. de Cast. & Iacobin. de sancto Geor. in d. l. cum & minores. Et si aliter diceretur, locus esset calumnijs, cum nunquam ferri posset sententia contra minores, & practica curiæ, quæ inuenit deputationem curatoris fieri debere minoribus, rueret. Et ideo concludebatur per omnes, quod sententia non esset nulla, quæ esset lata contra minorem, cui erat deputatus curator, licet curator nullas defensionis fecerit.

* Aduerte quia contra istam decisionem videtur cons. Caroli Ruini 36. primo circa nullitatem. col. 2. vers. sed præmissis non obstantibus. vol. 5.

Causa iterum posita die 23. Octobris 1545. fuit informatum pro parte Comitis Camilli minoris, & Domina Camilla non informauit. & Rota inclinauit in oppositum eius, quod scriptum est. & dicebant quod si curator minoris non comparuit in principio, medio, & fine, etiam quod citatus fuerit in omnibus actibus, quod sententia esset nulla. & quod istud tenet Bart. in d. l. cum & minores vos. in versic. quæritur. glos. quid si tutor, & curator. & cum Bart. transeunt ibi DD. & ibi Iacobin. vers. si vero fuisset defensus. & ibi Odofred. & ibi Salicet. colum. penult. versic. interdum citationes legitimæ. Hoc etiam sentit ibi Paul. de Cast. in versic. in glos. ibi. sed dicit contra. & ibi Abb. & Bald. qui ibidem in 2. columna videbatur dicere contrarium. si bene inspiciatur est intelligendus quando ab initio comparuit, sed non in medio. at in casu isto præsupponebatur contumacia omni tempore. Et ratio differentiæ videtur esse, quia quando curator comparuit, licet nil fecerit, videtur nil fecisse, ex eo quod lex præsumit, quod minorem non defendit, quia ei defensiones non competebant. quæ præsumptio cessat, vbi nunquam comparuit in causa.

Die 26. Octobris 1545. causa iterum posita, Domini voluerunt, quod propter generalem modum procedendi, qui nobis notorius erat, & ideo alius stylus non erat probandus, sententia valeret. & aliqui dicebant, quod etiam de iure sententia sustineri poterat. quia dicta in d. l. cum & minores vos. quod quando aliquis curator non comparuit in principio, medio, & fine, debebat intelligi, quod ex quo curator non comparuit in principio, idest ad contestandam litem. & ideo non erat mirum si iudizium erat nullum. At in casu nostro, non erat necessaria litis contestatio. quia vigore commissionis procedebatur, prout in summarijs. Item allegabatur glos. in l. stcta. parag. final. ff. de re iudic. in verbo: non habentes; vel habentes sed adesse nolentes. & allegat. l. 1. paragr. & quidem. ff. cuiusque vniuersit. nom. vbi dicitur. actor dicitur non adesse quando est impeditus. & sic debet intelligi, quod curator non adfuit, quia impeditus fuit. Sed tu poteris considerare, an ista conueniant ad ea, quæ dicuntur per DD. in d. l. cum & minores vos. & licet in summarijs non fiat litis contestatio. tamen primus actus in quo incipiunt tractari merita causæ habetur pro litis contestatione. & ideo in illo principio, vel post illud principium, deberet curator liti assistere. etsi ista ibi ponderentur, apparebit quod ista non sunt multum releuantia. & ideo dicui, quod tantum generalis modus procedendi, erat in consideratione, ne tot processus ruerent.

SVMMARIVM.

Regressum ad canonicatum habens, an videatur illi renunciare per ademptionem canonicatus in eadem Ecclesia.

DECISIO CCXCIX.

IN vna Calaguritana canonicatus & prębendæ, coram D. Thoma de Tanis, 9. Octobris 1545. Fuit dubitatum An habens * regressum ad canonicatum & præbendam in Ecclesia Calaguritana, si in-

* Vide quæ dicta Philipp. Prob. in c. 4. col. 5.

verf. necessfiue quaro. &c. de confuetud. in 6.

interim assequatur alius canonicatum & præben. in eadem Ecclesia, An censeretur renunciasse regressui. Et maior pars inclinabat quod sic. per tex. in Clem. gratiæ. de rescript. Sed aliqui dicebant, quod ille tex. habcret locum in gratijs omnino incertis. veputa in expectatiuis, & reseruationibus, quæ sunt gratiæ generales. sed in regressu, cum simus in gratia super certo corpore beneficij, quod ille text. non procederet. Item, quia talis gratia est ex causa de præterito, & diceretur dependens à prima gratia. Sicut ergo si canonicatum non resignasset, & obtinuisset alium canonicatum, non censeretur renunciatum primo canonicatui, nisi possessionem secundi canonicatus fuisset adeptus vna cum primo; ita in isto casu, vt idem sit iudicium de gratia dependenti, quod est de gratia principali. Fuit dictum, quod melius informaretur pro illa parte quæ instabat, quod non censeretur renunciatum. quia multum obstabat d. Clem. gratiæ. Et iterum, dato puncto pro sequenti audientia, pars illa quæ debebat respondere dictæ Clem. non informauit, prætedens, vt dixit Auditor, quod inuenisset dispensationem retinendi regressum vna cum canonicatu.

SVMMARIVM.

Renunciatio exceptionis rei non traditæ, in casu isto ad quem effectum posita.

1 *Possessionem apprehendēdi propria auctoritate facultas, per qua verba censeatur data.*

2 *Fideicommisso re subiecta non apparente, an teneatur fideicommissarius & hæres eius ad restitutionem.*

DECISIO CCC.

PRoposui ego, die 9. Octobris 1545. in causa Romana hæreditatis de Cardellis. An stante instrumento, in quo Iulianus appellat se bene contentum, & renunciat exceptioni rei non habitæ, nec traditæ, hæredes Iuliani possint opponere, res contentas in diuisione tangente partem Iuliani, non fuisse Iuliano traditas. Et tres ex Dominis dicebant, quod ex quo Iulianus renunciauerat exceptioni non habitorum, non traditorum, &cæt. quod eius hæredes non poterant opponere, cum hæres non possit venire contra factum defuncti. ad l. cum à matre. C. de rei vendic. sed bene quod ipsi hæredes possent probare, res non esse traditas. quattuor vero dixerunt, quod attendenda erat causa, quare dicta renunciatio erat facta. & certe erat facta, vt diuisio suum effectum sortiretur. & ne vnus alterum in portione sibi assignata molestare posset. vt ex verbis instrumenti colligebatur. limitata ergo causa, limitatum effectum producere habebat. ad istum ergo effectum, vt diuisio firma & solida maneret, renunciatio operari tantum debebat, non autem vt deberet extendi illa renunciatio ad illum casum in quem restitutio fieri debebat. cum istæ essent clausulæ accessoriæ. nec erat verisimile, patrem filios voluisse grauare ad restitutionem bonorum, quæ quis non habuisset. 12. Octobris eiusdem anni, causa iterum posita, vnus ex tribus mutauit votum suum, & fuit cum alijs quattuor. & dixit, quod propter illam renunciationem factam in instrumento per Iulianum, hæredes eius non tenerentur ad restitutionem. Item, eadem die per omnes fuit conclusum, quod dum dicebatur, quod cum per illa verba posita in diuisione. Cola dedit, tradidit, &
1 assignauit. esset data + facultas apprehendendi possessionem rerum diuisarum Iuliano. vt dicunt Bart. Paul. Angel. Alexand. & alij in l. prædia. ff. de acquiren. possess. Ias. in l. si ex stipulatione. in prima limitat. de acquir. possess. & Socin. consil. 55. in 4. volum. & etiam in instrumento diuisionis, esset data facultas apprehendendi propria auctoritate, quod cum Iulianus habuisset facultatem apprehendendi & non apprehendisset, quod si res fideicommissa non appareat, quod Iulia-
2 nus + & eius hæredes, tenerentur ad restitutionem. per text. in l. cum res. §. ita que si Stichus. ff. de legat. 1. adeo quod si culpa, etiam leuissima, res fideicommissa non appareret, tenebatur hæres. vt est tex. in d. l. cum res. §. culpa. & ibi Bart. Paul. Alexan. & Ias. Sed fuit responsum ad illum text. quod procedit, quando hæreditas fuisset adita. quia tunc hæres non apprehendendo, erat in culpa. ex quo legatarius non poterat capere nisi de manu eius. in casu autem nostro, dicebant: hæredes Iuliani, quod Iulianus non immiscuerat se hæreditati: & ideo per ius accrescēdi, portio sibi assignata accreuerat Sabbæ. vnde erat ei imputandum, si dicta bona non apprehenderet.

SVMMARIVM.

Quasi possessio præsentandi quæsita per resignationem, extenditur ad quasi possessionem præsentãdi per obitum, quando alius non erat in possessione præsentandi, & ius cõmune non resistebat.

1 *Possessio in vno actu, an extendatur ad aliũ.*

DECISIO CCCI.

IN vna Elnensi prioratus de Corneliano, coram D. Rauellensi, fuit conclusum die 12. Octobris 1545. quod quasi possessio præsentandi, quæsita per resignationem, extenderetur ad quasi possessionem præsentandi per obitum, quando alius non erat in possessione præsentandi per illam vacationem per obitum, vel ius commune non resistebat. Et licet pro ista parte fuerit allegatum consil. Abb. 54. in prima parte. in 1. colum. vers. 3. & in permutatione. vol. 1. tamen fuit dictũ, quod Abb. nihil allegabat. Item, fuit allegatum quod dicit Roch. in tract. iurispat. in verbo. competens. quæst. 15. Fuit dictum, quod illa opinio Rochi reprehẽdebatur per Lamb. in tract. iurispat. in 20. artic. 3. q. primæ part. secundi lib. fol. 186. Pro conclusione fuit allegatum quod dicit Felin. in cap. auditis. col. 8. versic. secunda declaratio. cum sequenti. col. dum loquitur de partibus coæquis, & eiusdem generis. de præscrip. & Abb. in cap. 1. circa princ. de relig. dom. Non obstat quod dicit Dec. con sil. 149. col. 3. & cons. 124. col. 3. dum dicit 1 quod possessio in vno ✝ actu, non extenditur ad alium. quia intelligitur quando alius est in possessione, vel quando resistit ius commune. Item non obstat consil. Rom. 368. ad finem. quia loquitur in possessione vnius rei ad aliam rem. Bene fuit dictum, quod in isto casu informaretur, an alius esset in possessione, ex quo reperiebantur multæ collationes Papæ factæ per obitum. & an ius commune in isto casu resisteret.

SVMMARIVM.

An lis sit finita per sententiam quæ transiuit in rem iudicatam, itaut pendente exequutione super possessione, actor possit resignare in manibus Ordinarij beneficium.

DECISIO CCCII.

IN vna Calaguritana eremitorij S. Adriani, coram D. Aquensi, fuit dubitatum die 16. Octobris 1545. an actor qui habuerat tres sententias, & exequutoriales super beneficio super quo fuerat lis, potuerit illud cedere in manibus Nuncij in partibus Hispaniæ existẽtis, & sic in manibus Ordinarij. Et aliqui, inter quos ego eram vnus ex Dominis dicebant quod sic. quia per sententiam quæ transiuit in rem iudicatam dicitur esse finita lis. secundum decis. 10. vt lit. penden. in nou. & videtur text. in cap. 1. de lit. contest. in 6. vbi exceptio rei iudicatæ, est exceptio litis finitæ. & ideo cum lis per rem iudicatam diceretur finita, potuit in manibus Ordinarij fieri cessio talis beneficij. Non obstat quod dicit Sarnen. quæst. 44. super reg. de annali. dum dicit quod tunc lis dicitur esse finita, quando sententia, quæ transiuit in rem iudicatam, est mandata exequutioni, quia antequam mandetur exequutioni, dicuntur durare reliquiæ litis. Quia dicebatur, quod istud poterat procedere respectu ipsius possessoris, & in odium ipsius, ne ex sua inobedientia lucrum reportaret. & ideo, ne ipse possessor qui non vult parere, diceretur pacificus, & ad effectus tendentes in fauorem eius diceretur adhuc lis durare donec sententia mandaretur exequutioni. alias sequeretur quod si pendente articulo exequutiuo decederet actor, quod reus, per regulam de subrogandis, posset petere subrogationem. quod quã sit absurdũ, nemo est qui nesciat. 1 sed ad effectum dictæ regulæ respondebatur per alios Dominos, quod erat prouisum per stylum. quod lis diceretur finita. & tali casu non datur subrogatio. Et cum ista opinione, quod isto casu lis dicatur finita, tenet Sarnen. quæst. 14. in regula de subrogandis. Maior pars tamen Dominorum tenuit, quod lis isto casu non diceretur finita. & quod actor non potuisset in partibus, in manibus Nuncij, seu Ordinarij renunciare. per dictum Ioan. Fab. in l. 2. C. de litigios. de quo meminit Sarnen. in d. quæst. 44. & idem Sarnen. quæst. 53. pag. finali. super regula de triennali. Et ex quo ex stylo Rotæ talis interpretatio erat data, quod lis non finiretur per sententiam, nisi quando esset exequutioni demandata, quod talis interpretatio erat sequenda. Et quod lis duraret fuit demonstratum. quia si quis, pendente articulo exequutiuo, possessionem beneficij ingrediatur, diceretur attentare. ergo lis dicebatur adhuc pendere. Et fuit dictum, quod paucis diebus ante effluxis, ita fuerat decisũ in vna Abu-

Abulensi, seu Salamãtina de Rabba, per duas sententias. quarum vnam tulit D. Rauellensis, secundam D. Prosper.

SVMMARIVM.

Respondens præparatorijs, fatendo vnam qualitatem, reliquas interogatas videtur exclusisse.

DECISIO CCCIII.

DIe 19. Octobris in causa Romana de Cardellis, proposui dubium, An ex cõfessione facta ad præparatoria, probetur Iulianum possedisse bona diuisa. & in præparatorijs interrogabantur Nicolaus & Pompilia coniuges, an ipsi possiderent vnam domum in regione Parionis, cõfinatam prout cõtinebatur in interrogatorio, ex successione Iuliani & Colæ, patris, & aui, & quã olim habitabat Ambrosius Searparius, nũc vero eam conductam tenet quidam Io. Petrus de Varesio. Nicolaus & Pompilia dixerunt, se possidere domum, quam conductam tenet Io. Petrus de Varesio pro parte Iulij de Cardellis. prætendebatur, quod per talem confessionẽ, viderentur coniuges confessos fuisse totum interrogatorium. quia quotiens quis interrogatur, vt respondeat facto qualificato pluribus qualitatibus, affirmando vnam ex eis, nõ negãdo alias, videbatur omnes alias affirmare. per ea quæ dicit Iaf. in l. si eui serui. §. 1. vbi attestatur de communi. ff. de legat. 1. Contrarium fuit decisum, in fauorem Nicolai & Pompiliæ. & dictum quod allegata per Iaf. in d. l. si eui serui. §. 1. procedunt quando responsio est simplex. & ita loquitur tex. in l. si defensor. §. qui interrogatus. ff. de interrogat. act. & in §. præterea. Inst. de inutil. stipul. & in l. quæro. §. fin. ff. de ædil. edict. & ita sentit etiam Iaf. ibi dum dicit, contrarium tenent omnes DD. quia simpliciter respondendo. &c. Et certe si videantur iura, ex quibus DD. istam communẽ affirmant, omnia loquuntur in simplici responsione. secus autem est, quando responsio est facta cum vna qualitate. quia vnam affirmando, videtur alias negasse. cap. non ne. de præsumption. & tenet Bart. expresse in l. 1. C. de diuersis rescript. Et consil. Socin. 89. colum. 2. versic. confirmetur hoc. &cæt. in 1. volum. loquitur quando responsio est facta relatiue. videlicet dicendo, dictam petiam.

SVMMARIVM.

Statutum Bononiense concedens facultatem testandi damnatis ad mortem, an præseruet testamentum prius per condemnatum factum.

DECISIO CCCIV.

1 STatutum Bononiæ concedit damnatis ad * mortem, facultatem testandi. Antonius de Confortis, qui prius fecerat testamentum, postea à curia Bononiensi, propter capitale crimen, post testamentum perpetratum, fuit captus, & morti damnatus. Fuit dubitatum per D. Thomam die 19. Octobris 1545. in vna Bononiensi testamẽtaria. An dictum testamentum prius conditum, per statutum Bononiense esset conseruarum. Et fuit dictum quod sic. per tex. in l. si quis. §. irritum. & ibi Bart. & Paul. de Cast. ff. de iniust. rupt. & irrit. testam. Paul. de Cast. in l. vt militibus. C. de test. milit. Iaf. in l. quominus. in 21. quæstione. ff. de flumin. Hippolyt. de Marsil. in l. quæstionis. nu. 45. ff. de quæst. & facit text. & quod Alex. ibi in l. fin. C. de posth. hæred. instit. Tamen fuit dictum quod supradicta procedunt quando damnatus voluit decedere cum illo testamento prius facto, vel nihil dicit. prout dicit Bart. in d. §. irritum. & Iaf. in d. l. quo minus. in 21. quæst. sed quia in isto casu Antonius postquam fuit condẽnatus, secundum testamentum fecit, licet esset nullum, tamen ex hoc apparebat, quod noluerat eum primo testamento decedere. & ex actu nullo voluntas colligitur. Et ideo fuit dictum, quod super isto vltimo motiuo si pars voluisset, debebat informare.

* Quod damnatus ad mortẽ non possit testari.ponit Paris. cons. 46. in 3. vol.

SVMMARIVM.

Fructus pendentes tempore sententiæ, veniunt in restitutione rei.

1 *Fructus existentes in area, an pendentes, vel percepti.*
2 *Fructus pendentes, in restitutione rei quando non veniant.*
3 *Fructus pendentes pars rei esse dicuntur.*
4 *Fructus quãdo restituãtur deducto semine.*

DECISIO CCCV.

IN vna Placentina castri Sarmati, D. Io. Paulus condemnauerat Comitem Gasparem, ad restituendum certam partem dicti castri, Comiti Olderico, cum condemnatione fructuum perceptorum. Fuit in eadem

dubitatum coram D.Peregrino. die 19.Oc-
tobris 1545. Nunquid fructus pẽdentes tẽ-
pore sententiæ, & post præsentationẽ man-
dati exequutiui factam exequutori, à solo
separati, & in area adhuc penes colonos exi
stentes, deberẽtur Comiti Olderico. Et du-
bium faciebat, quod Aduocati Comitis Ga-
sparis dicebãt, quod tempus exequutionis,
non autem sententię, erat inspiciendum. quo
inspecto, cum tẽpore exequutionis, fructus
1 non essent ✝ pendentes, sed dicerentur per-
cepti licet in area essent. secundum tex. in
l. si vsufructuarius messẽ. ff. quib. mod. vsus-
fruct. ammit. Ratione ergo possessionis, di
cebantur esse Comitis Gasparis. & licet fo-
ret condemnatus in restitutione fructuum,
tamen à tali sententia, seu condemnatione
2 fructuum, ✝ potest appellari. & appellatio
pendebat. ergo in restitutione rei, tales fru-
ctus pendentes tempore sententiæ non ve-
niebant. Hoc non obstante fuit conclusum,
quod tales fructus pendentes, venirent in
restitutione rei, & non comprehenderentur
sub appellatione à condemnatione fructuũ
3 facta. quia fructus ✝ pendentes pars rei esse
censentur. l. fructus pendentes. ff. de rei vẽ-
dic. l. fin. §. fructus. ff. quæ in fraud. credit.
Alias si fructus in restitutione rei non veni-
rent, dicebatur quod cũ Comes Gaspar fuis
set condẽnatus in fructibus perceptis, quod
vigore talis condẽnationis, isti fructus pen
dentes nõ veniebãt. Nõ veniebãt etiã cum
restitutione rei secundum istos. ergo Co-
mes Gaspar tales fructus lucrabatur, vel de
nouo erat super ipsis nouum iudiciũ inten-
tandum. quod quam esset absurdum nullus
ignorabat. Et ideo, quia veniunt in restitu-
tione rei, ideo nunquam de ipsis in senten-
tia mentionem facimus. Fuit * etiam in
eadem causa dubitatum, an saltem Comes
Gaspar, de ipsis fructibus semina detrahere
4 habebat. ✝ & fuit conclusum quod sic. per
tex. in l. fundus qui. in princ. ff. fam. herc.
Lancellot. Dec. in l. in vsufructu. ff. de vsu-
fruct. legat. & pulchre Aym. cons. 87. col. 1.

* Semina debẽtur male fidei possessori ex fructibus perceptis.

SVMMARIVM.

Fructus, an in casu isto sint debiti cessionario.

1 *Fructus beneficiati defuncti, an sint Ecclesiæ ex iuris dispositione.*
Quid ex dispositione Bullæ Pauli iij. & n. 2.

DECISIO CCCVI.

IOannes Valdes possederat certa præsti-
monia, de quibus fuit spoliatus de anno
1533. de anno 1536. cessit in fauorem Al-
phonsi Diaz, qui fuit subrogatus, etiam quo
ad actionem spolij. vigore cuius subrogatio-
nis obtinuit in spolio, cum condemnatione
fructuum. & in liquidatione eorũ, fuit du-
bitatum in vna Carthaginiẽsi beneficiorũ,
coram D. Fabio, An cessionario subrogato,
etiam quo ad prosequutionem spolij, debe-
rentur fructus decursi post spolium, & ante
cessionem mortuo cedẽte. Et fuit conclusũ,
quod vigore subrogationis, nihil ei debere-
tur. quia in ea, nulla mentio de fructibus.
sed quia beneficia erant simplicia, quod li-
cet cedens, de ipsis testari non potuisset, ta-
1 men ✝ quia ab intestato erat mortuus, quod
illi fructus essent Ecclesiæ. secundum glos. in
c. præsenti. de offic. ord. in 6. Et ideo debe
rentur cessionario tanquam successori in
ipsis beneficijs. vel potius isti fructus ex bul
la Pauli super spolijs, essent Pontificis. quia
2 in ✝ istis simplicibus non propeie dicitur
successor in beneficio.

SVMMARIVM.

Aegidiana ita habet locum, quando sententia est lata contra actorem, sicut quando est lata contra reum in spolio.

DECISIO CCCVII.

IN vna Assasinatensi bonorum, coram D. Fabio, fuit conclusum, quod sicut Ægidiana habet locum, quando sententia est lata contra spoliatorem, sic etiam haberet locum, quando lata esset contra spoliatum. nam ratio quare in sententia lata super possessorio non liceat appellare, ea est, quia talis sententia est modici præiudicij, & potest reparari præiudicium in petitorio. Ista ratio ita militat in actore, sicut in reo. immo multo fortius militat in actore, ex quo ab eo nil aufertur, sed bene aufertur per sententiam à reo condemnato. Si ergo in eo non habet locum appellatio, à fortiori non debet habere locum in actore condemnato. Non obstat, quod allegaretur Bart. faciens differentiam inter actorem & reum, in l. 2. col. 2. ff. de appell. recip. & Paul. de Cast. cons. 39. in 1. vol. nouissime impresso. vbi secundum istos, Bart. & Paul. videntur facere differentiam. quia fuit dictum, quod recte intelligendo, Bart. ibi loquitur in actore, vt possit appellare quando ei nullum subest auxilium. & idem est in reo. Nec obstat quod dicebatur, quod actor in casu isto, super dominio nullas habebat probationes. ergo poterat appellare cum ei deficeret auxilium in petitorio. quia fuit dictum, quod isto modo non erat intelligendus Bart. quia si actor non habet probationes, hoc ei imputandum est. sed erat intelligendus Bart.

quan-

quando ex natura causæ, si actor vel reus succumbēs in possessorio, nullum habet refugium quo possit conuolare ad petitoriū, vt sunt multi casus: tunc à sententia lata in possessorio potest appellare.

SVMMARIVM.

Testes, pendente dilatione ad dandum interrogatoria examinati, sunt repetendi.

DECISIO CCCVIII.

IN vna Vercellensi, coram me, die 19. Octobris 1545. in qua decreueram remissoriam. & pars citata ad constituendū procuratorem ad interessendum exequutioni remissoriæ, non constituit procuratorem. ille vero in cuius fauorem erat decreta remissoria, incœpit procedere in partibus per affixionem ad valuas cathedralis, & citauit die quarta illum, contra quem erat decreta remissoria, ad videndum iurare testes ad primam, quæ erat dies quinta, & dandum interrogatoria per illam, & sequentem dies. & pendente dilatione ad dandum interrogatoria. puta die quinta examinari fecit testes. Dubitaui ego, an tale examen esset nullum, quia pendente dilatione ad dandum interrogatoria factum. & ratio dubij fuit, quia ille citatus ad dandum interrogatoria, non constituerat procuratorem. cum ergo non haberet procuratorem, non erat expectanda dilatio, Fuit resolutum, quod examen non esset nullum. prout alias iam resolutum fuit, quod testes examinati sine interrogatorijs quæ data fuerunt, non sunt nulliter examinati, sed testes erant repetendi expensis illius qui nimium præcurrerat. Quia dicebant Domini, quod dato quod procurator non fuisset constitutus, poterat tamen aliquis, nomine eius contra quem erat decreta remissoria, interrogatoria dedisse.

SVMMARIVM.

Exequutio facta per exequutorem contra ordinem. §. in venditione, non est nulla, sed iniusta.

1 *Exequutor quando dicatur excedere fines mandati iudicis.*

DECISIO CCCIX.

IN vna Tiburtina castri, coram D. Io Paulo, in qua bo. mem. Cassadorus, iuxta formā motus proprij præsentati in actis, dederat mandatum exequutiuum; in quo mandabatur exequutori iuxta formam dicti motus proprij, in subsidium quādo aliūde satisfieri non possit, seu non satisfieret super ratis castri, exequamini. & exequutor non facta aliter discussione, immo post exequutionem, probato quod extabant bona mobilia, immiserat in possessionem dicti castri. Fuit dubitatum die 23. Octobris 1545. post multas informationes. An dicta exequutio fuisset nulla, vel iniusta. & tres ex Dominis, videlicet Puteus, Reomanus, & Aquensis dicebant, quod licet communis sit, quod præposteratio ordinis non inducat nullitatem. vt per Bar. in l. à Diuo Pio. §. in venditione. ff. de re iud. cuius opinionē dicit communem ibi Ias. tamen istud procedit in iudice. de quo lex confidit, quod ex causa permutet ordinem. & ideo si à peruersione non appelletur, actus non est nullus. secus tamen dicebamus esse in exequu-
1 tore, cum exequutor aliter ┼ faciendo quā sibi demandatum per iudicem fuerit, videatur excessisse fines mandati. & ita allegabatur tenere Alex. cons. 5. col. 2. vol. 2. Abb. cōs. 3. vol. 2. col. 10. vers. vndecima quæstio vbi dicit hanc cōmunē Paul. de Cast. cons. 321. vol. col. 2. in fin. vers. secundo fuit præposteratio, quia littera mandat. &c. * Maior pars* Dominorum tenuit contrarium. intelligentes. §. in venditione, tam in iudice, quam exequutore. & ideo quod auctoritates superius adductæ, erant contra communem opinionem, de qua per Bart. in d. §. in venditione. & dicebant, quod Alex. in d. cons. 5. istud pro constanti non ponebat.

* Decisio Aiiidi 158
* Quæ Maior pars excessit 1 duobus votis, quorū vnº multū sub inuolucro verborū loquebatur.

SVMMARIVM.

Translatio pensionis, facta prout in memoriali, si memoriale non apparet, instrumentum translationis est nullum.

DECISIO CCCX.

IN causa Hispalensi pensionis, pro Alphōso Aluares, contra Didacū Vasquez, proposui ego, die 23. Octobris 1545. præsupposito quod translatio fuerit facta, prout in memoriali quod nō fuit integraliter lectū, An instrumentum translationis, propter nō exhibitionem illius memorialis, sit nullum. Et fuit resolutū, quod ex quo translatio erat facta, prout in memoriali, quia Garzias non erat sequutus fidem notarij, sed voluerat transferre, prout in illo memoriali, quod si memoriale nō exhibebatur, quod instrumentum erat nullum. ex quo non constabat de illo ad quod fiebat relatio. fuit allegatus Iacobin. de sancto Georgio in l. fin. n. 28. C. de edict. Diu. Adr. tollen. Casan. cons. 63. n. 31.

SVM-

SVMMARIVM.

Qui infra annum citat partem tantum ad videndum prorogari fatalia, nil dicitur in causa facere, & ideo causa est deserta.

DECISIO CCCXI.

FVit decisum per maiorem partem corā D. Peregrino, in vna Valētina beneficij. die 26. Octobris 1545. quod si pars quæ appellauit, præsentauit commissionem, & infra annum nil fecit, nisi seruare terminum ad videndum prorogari fatalia: quod nihil in causa fecisse diceretur, & ideo esset causa deserta. per ea quæ dicit Fastol. causa 17. dubio 37. vbi vult, quod infra annum debet aliquid in causa facere. at istud non est facere in termino, & infra fatale aliquid in causa, sed potius fatale velle prorogare.

SVMMARIVM.

Volens admitti ad beneficium. c. peruenit. debet confiteri debitum.

DECISIO CCCXII.

FVit decisio eadem die 26. Octobris, in vna Romana prætensæ trāslationis pēsionis 40. ducat. coram D. Fabio. Quod is, qui petebat se admitti ad beneficium. c. peruenit. de fideiussor. debebat expresse confiteri debitum. sicut dicimus in eo, qui vult admitti ad beneficiū cessionis, & c. Odoardus. secūdum glos. & DD. in d. c. Odoardus.

SVMMARIVM.

Castri separati, vbi possessio vigore decreti continuatur, & cum eo possessio iurisdictionis, quæ de iure communi competit.

1 *Castra quæ subsunt præsidi prouinciæ quā iurisdictionem habeat.*

DECISIO CCCXIII.

IN causa Parmensi pecuniaria, seu bonorum, pro Casalibus, dubitaui ego die 26. Octobris 1545. præsupposito quod territorium Monticellorum, sit separatū à territorio quarumcumq; Ciuitatum, & quod nullæ extiterint inuestituræ, An castrū Monticelli continuetur, & vna cum castro, merū & mixtum imperium, & iurisdictio. Et Domini pro prima vice inclinabant, quod cum secundum Bart. in l. 1. ff. de damn. infect.
& in extrauagā. ad reprimendum in verbo Lombardię. & cons. 184. castra separata, quæ tantum subsunt præsidi prouinciæ,
1 habeant ✝ tantum illam iurisdictionem, quæ competit defensoribus ciuitatum, non autem merum & mixtum imperium. quod si possessio castri, vigore decreti, * cōtinuari debebat, quod vna cum castro transiret illa iurisdictio, tanquam castro separato de iure communi competens, non autem merum & mixtum imperium.

* Hoc vide aliquid supra dec. 292. lib. 2.

SVMMARIVM.

In causa Britonoriensi castri Polentæ.

1 *Romandiola tota pertinet ad Sedem Apostolicam, & omnia castra intra eam existentia.*

2 *Dominus territorij an sit dominus omniū existentium intra fines. & n. 3.*

3 *Dominus alicuius territorij, an habeat intentionem fundatam quo ad dominium ciuitatum, & castrorum. Et quid quo ad dominium rerum particularium.*

4 *Principis narratiua si non probat, an saltem transferat onus probādi contrarium, in aduersarium.*

DECISIO CCCXIV.

IN vna Britonoriensi castri Polentæ, die 30. Octobris 1545. in qua Clemens VII. concesserat Illustri Leonello Pio, multa castra: & inter cetera Castrum Polentæ. & in concessione Clemens asserebat dicta castra pleno iure spectare ad Sedem Apostolicam. Dubitaui ego an ex hoc quod ipse Leonellus probauerat, castra ipsa esse in Romandiola, & quod Romandiola pertineret ad Sedē Apostolicam, ex hoc intentio Illustris Leonelli esset verificata, quod dicta castra pertinerēt ad Sedem Apostolicam. Pro parte Illustris Leonelli, allegabatur Specul. in tit. de rescrip. præsent. circa finem. vbi
1 dicit, quod tota Romandiola ✝ pertinet ad Sedem Apostolicam, & omnia castra existētia intra Romandiolam. Sed pro parte contraria replicabatur, quod non est verum, quod * quicquid est intra fines territorij alicuius dominij, pertineat ad dominiū illius
2 territorij. ✝ vt per Abb. in c. si diligenti. in 2. not. de præscrip. & ibi Paris. Paul. de Cast. cons. 179. incipit. In causa quam magnificus dominus. col. 1. vol. 1. Corne. cons. 247. in fin. vol. 2. Paul. de Cast. & Soc. in l. 1. ff. de acquir. possess. Sed ad istud fuit responsum,
3 quod istud est verum ✝ quo ad dominiū rerum particularium existentiū infra territoriū, secus autē est quo ad dominiū castrorū, & iu-

* Quicquid est intra fines territorij. an præsumatur ad Dām territorij pertinere.

& iurisdictionem, & illi annexa. nam dominus alicuius territorij, fundatam habet intentionem, quo ad dominium ciuitatum & castrorum, ac illorum iurisdictionem, non autem quo ad dominium rerum particularium existentium infra fines illius castri, & quod ista videbatur esse mens. Abb. in c. nimis. de iureiur. Dec. cons. 117. & aliorum pro parte aduersa allegatorum. Secundo, pro parte Illustris Leonelli dicebatur, quod in actis erat bulla Pauli II. de anno 1465. in qua Papa inuestiẽdo de dictis castris, Robertum de Malatestis, ex certa scientia etiã attestabatur dicta castra spectare ad sedem Apostolicam. & illa inuestitura erat sortita effectum suum. vnde narratiua Principis etiam motu proprio, prout etiam fecerat Leo quando concessit dicta castra Alberto, super qua se fundat princeps, etiam quod esset de facto
4 ✝ alieno, licet non probaret saltem transferret onus probandi in aduersarium. per not. in Clem. 1. de probat. & multa allegat Aymo Crauetta cons. 135. nu. 42. Et ita dicta die fuit resolutũ, quod transferretur onus probandi in aduersarium.

SVMMARIVM.

Decisio 22. alias 1. de probat. in nou. habet etiam locum quando prouisio Legati est certa, & non suspecta.

1 *Prouisio Ordinarij contra prouisionem Apostolici, si non habet notarium & testes, quare non valeat.*

DECISIO CCCXV.

IN vna Vasionensi parochialis de Falcono, die 30. Octobris 1545. dicebant Domini, quod decis. 22. in nou. alias 1. de prob. quæ loquitur contra impetrantem Apostolicum, haberet etiam locum in prouisione Ordinarij cõtra prouisionem legati quando illa prouisio Legati esset certa, & clara, & non esset etiam suspecta. vtpote cum sigillo Legati, notario, & testibus. nam ideo pro
1 uisio ✝ Ordinarij, contra prouisionem Apostolici, si non habet notarium & testes, non valet, quia prouisio Papæ propter plumbũ, & tot solennitates, est certa, & nullam suspicionem habere potest. non debet ergo per prouisionẽ Ordinarij suspectam, infringi. eadem ratio militat in prouisione Legati, quando est certa, vt eius fides non infringatur per prouisionem Ordinarij, quæ esset suspecta. vtpota, quia sine notario & testibus. Secus dixerunt Domini, quando prouisio Legati esset pariter suspecta. quia nil Catilina Cethego. & ita Domini pro prima vice, quæ causa fuit posita, inclinarunt. tamen non fuit posita pro firma decisione.

SVMMARIVM.

Clausula, & quatenus de iure patronatus existit, non fecit, vt sit recessum à cõfessione iurispatronatus, facta in narratiua supplicationis.

DECISIO CCCXVI.

IN vna Salamantina capellaniæ, corã me, in qua Ioannes de Guideia in quadã noua prouisione, in narratiua nouæ prouisionis dicebat, quod capellania erat de iure patr. laicorũ. & postea in clausulis dicebat. & quatenus capellania de iure patronat. existat. videlicet laicorũ, & ex fũdatione. &c. pro medietate alias in totum. Dubitaui ego die 4. Nouembris 1545. An illa confessio Ioannis ei noceret, itaut contra eum probaret, capellaniã esse de iure patronatus. Et pro parte Ioãnis dicebatur quod nõ. quia dato quod in narratiua fuisset posita confessio, tamen nil videbatur affirmare, ex quo postea in clausulis dicebat conditionaliter. & quatenus sit de iure patronatus. & sic sequẽtia, vi debantur declarare præcedentia. Hoc non obstante fuit resolutum contrariũ, quod illa cõfessio facta coram Principe, ei nocere debebat. nec obstat clausula. & quatenus, quia fuit posita ad effectũ, vt pro parte, vel in totum, derogatio fieri deberet. nõ autem per hoc videtur ipse Ioannes à sua prima confessione recedere.

SVMMARIVM.

Restitutio in spolio post tres conformes, fuit negata ratione scãdali, & publicæ vtilitatis. dum tamen materiæ incontinenti probarentur.

1 *Cautioni de qua in l. si is à quo. de rei vendicatione, quare non sit locus.*
2 *Tertius veniens in petitorio, an possit impedire restitutionem.*
3 *Restitutio in spolio quando impediatur. & num. 4. & 5.*
6 *Restitutio ratione peccati euitandi, quando impediatur, & quomodo.*

DECISIO CCCXVII.

QVarta Nouembris 1545. in vna Columbriensi monasterij de Loruan, in qua Philippa Deza habuerat tres sententias cõtra Annam Cotingham, super spolio violento contra ipsam Philippam commisso. & dum procederetur contra Annam ad censuras, eo quia non paruerat litteris exequu-

quotorialibus, comparuit Rex Portugalliæ tanquam patronus dicti monasterij, & petijt se admitti pro interesse suo. petēs quod Philippa nō restitueretur, eo quia erat persona scandalosa, malæ famæ, & vitæ, & dilapidatrix bonorum monasterij. Dicebatur pro parte Philippæ, quod Rex non erat audiendus, tanquam tertius, ad impediendum exequutionem trium conformium. & quod ei etiam non erat danda cautio. iuxta l. si is à quo. de rei vend. ex quo ante rem iudicatā Rex non fuerat in lite. & quia Rex & Philippa nūc erant collitigantes. & vbi petitio vnius ex collitigantibus, infringit intentionem alterius collitigantis, tunc etiā
1 non est locus cautioni, ┼ de qua in d. l. si is à quo. prout istas duas limitationes ponit Felin. in cap. veniens. in 3. conclus. de testibus. & idem in c. cum super. colum. 3. in fin. de re iudic. Et licet Felin. in d. c. veniens. in 4. conclus. dicat, quod tertius ve-
2 niens in petitorio, potest impedire ┼ restitutionem, allegans quasdam decis. Rotæ; fuit dictum, quod illæ decis. loquuntur ante sententiam restitutoriam. & quod Felin. male allegat eas. & ideo cum hic essent latæ sententiæ restitutoriæ tres, quod amplius Rex non erat audiendus, itaut exequutionem deberet impedire. Hoc non obstante, fuit conclusum quod Rex audiretur, dummodo probaret, incontinenti in curia, materias quas dabat ad probandum vitam
3 scandalosam, & malam famam. quia ┼ ratione scandali * non fit restitutio illi, qui alias de iure restituendus est, per text. iuncta. glos. in c. ad petitionem. de accus. vbi allegat optimum tex. in cap. hæc quippe 3. quæst. 6. Cland. Aquen. in §. nihil communе. col. 3. vers. item circa quintam. & versic. bene fateor quod quando. &cæt. & ibi Hormanot. num. 95. vers. quinta limitatio est. &cæt. col. 12. Item, quando restitutio
4 est contraria iuri ┼ publico, non debet fieri. vt per Iacobin. in l. si de vi. col. 7. in 14. fallen. ff. de iudic. & Corset. in tract. quando spoliat. sit restituendus. col. 2. in 13. limitatione. Et hoc fuit dictum, dum tamen incontinenti probaret. per ea quæ dicit Abb. in c. litteras. col. 1. vers. nota & tene menti. de restitut. spoliat. Nec illa ratio placuit in casu nostro, dū dicebatur, quod etiā
5 ratione ┼ peccati euitandi, restitutio debet impediri. secundum Abbat. in loco proxime allegato. & ponit Corset. in d. tract. col. 4. in fallentia 36. & Innoc. in rubr. de spons. duorum. & Iacobin. in d. l. si de vi. colum. 6. in 5. fallentia. quia fuit dictum, quod illud procedit, quando omnino est certum, quod erit peccatum si quis in petitorio vincit. prout est in exemplo de duobus petentibus mulierem in vxorē. quia si primo vincenti plene restitueretur. si secundus vinceret certe peccatum iam esset, per primū virum, cōmissum. quod secus erat in casu nostro. nam, dato quod materiæ probarentur, non inferebant de necessitate peccatum. & ideo restitutio fuit negata tantum ratione scandali, & publicæ vtilitatis. ex quo Rex se opposuerat, dum tamen materiæ incontinenti probarentur. Et fuit dictum, quod Anna quæ erat cōdemnata, omnino removeretur. & si materiæ probarentur, quod tunc possessio monasterij sequestraretur, si autem non probarentur, quod restitueretur tunc Philippa.

* Ratione scandali, quod nō fiat restitutio. Vide Card. Alexādrin. in c. quod restitutio. col. 21. versic. in ead. glo. &c. n. 30. 1. q. 1. Rip. in pa- ragr. nihil commune. n. 76.

SVMMARIVM.

Regula de triennali quo casu locum habuit.

1 *Beneficium an dicatur litigiosum propter reliquias litis.*
2 *Lis an sit extincta post rem iudicatam, & exequutionē factam in possessione beneficij.*
Beneficium non fit litigiosum ob litem pendentem super fructibus, & expensis.
3 *Regula de triennali, impedito an obstet.*
4 *Impedimētum extare non sufficit, nisi opera datur, quod fuerit curata remotio impedimenti.*

DECISIO CCCXVIII.

IN vna Cæsaraugustana parochialis de Toralua, in qua Petrus Valerius fuerat cōdēnatus per tres, vt restitueret possessionē 1 Bartholomæo Fortunio. sed quia Petrus Valerius, voluit litigare per tres super liquidatione fructuū, & interim Bartholomæus fuit effectus possessor triēnalis, postea quādo Petrus Valerius cōmisit causam restitutionis cōtra Bartholomęū, Bartholomęus dedit de regula de triēnali. Valerius primo opposuit, quod, ex quo fuerat lis super fructibus, quod
1 propter reliquias ┼ litis, beneficiū diceretur litigiosum. iuxta ea, quæ dicit Sarnen. super reg. de annali. quæst. 44. Sed fuit decisum quod ex quo erat paritum quo ad possessio-
2 nem, quod per rem iudicatam, & exequutionem factam in possessione beneficij, ┼ quod lis esset extincta. & lis pendens super fructi- 2 bus & expensis, nō faceret beneficiū litigiosum. Secundo dicebat Valerius, quod ex quo propter liquidationē fructuum, fuerat ipse impeditus agere super beneficio donec fructus fuissent liquidati, quod impedito, regulæ
3 de ┼ triennali nō debebat obstare, cū dicta regula sit quædam præscriptio. Fuit decisum 4. Nouembris 1545. quod dictum impedimentū non releuabat Valeriū, ex quo eius facto peruenerat, nec curauerat illud re-
4 mouere. quia nō sufficit ┼ impedimētū extare, sed debet curare impedimēti remotionē, ad

ad c. fin. de elect. quod potuisset facere restituendo fructus per eum perceptos. vel faciendo vnam commissionem, quod tempus regulæ ei non curreret. vel habita com missione, quod facto deposito cum obligatione de soluendo quidquid liquidatum foret, quod posset agere. Fuit decisum coram D. Thoma de Tanis.

SVMMARIVM.

Clausula, appellatione remota, quē effectum operetur.

1 *Clausula, appellatione remota, an operetur quod possit fieri exequutio, qua non veniat reuocanda, vt attentata.*
2 *Clausula, appellatione remota, posita in litteris conquæstus per contradictas, an aliquid operetur.*
3 *Clausula, appellatione remota, tūc operatur, quando est concessa cum causæ cognitione.*

DECISIO CCCXIX.

IN vna Hispalensi Donadei, coram D. Peregrino, die 6. Nouembris 1545. dixerunt Domini, quod licet clausula, appellatione remota, in rescripto Principis apposita, nō operetur quo ad caput deuolutiuū, sed bene quo ad caput exequutiuum, vt in-
1 terim fieri possit ✝ exequutio, nec veniat per viam attentati reuocanda. prout ita dicit tenere Fran. omnes. in c. pastoralis. col. lum. 3. de appellat. & Dec. in c. vt debitus. n. 11. vbi testatur communem etiamde appellat. tamen dixerunt quod clausula, appel
2 latione ✝ remota, apposita in litteris conquæstus, quæ expediuntur per contradictas, ex quo datur sine aliqua causæ cognitione, & passim in omnibus litteris talis clausula apponitur, quod isto casu, esset tenenda opinio Ostien. de qua per Card. Alex. in d. c. pastoralis. col. 5. in fin. vers. fallit primo. dum dicit, quod de consuetudine nihil operetur. quia cum Princeps, seu signatura
3 talem clausulam non apponat, ✝ nisi cum causæ cognitione, tunc bene operabitur. secus autem est in litteris de quibus supra. Alias fuit dictum, quod si Rota isto casu sequuta fuisset communem opinionem, quod omnes recurrerent ad officium contradictarum, omisso Principe.

SVMMARIVM.

Capitulum, sede vacante, non potest admittere permutationes beneficiorum spectantium ad collationē solius Episcopi.

DECISIO CCCXX.

IN vna Ilerdensi, coram D. Reomano, 6. Nouembris 1545. fuit decisum, quod Sede vacante, Capitulum non posset admittere permutationes beneficiorum, spectantium ad collationem solius Episcopi. per decis. 311. * in nou. & glos. in Clem. 1. in verbo. conferantur. de rer. permut. glos. in c. eum olim. & ibi Felin. de maior. & obed. (* alias 6. de rer. per mut.)

SVMMARIVM.

Notarius, qui est rogatus de instrumento simoniaco, non potest eo se iuuare contra contrahentes.

1 *Notarius non debet se rogare de instrumento illicito.*

DECISIO CCCXXI.

IN vna Toletana de Alpedrete, coram D. Prospero, fuit dictum, quod notarius * qui fuerat rogatus de instrumento simoniaco, non poterat se iuuare eo cōtra cō trahētes, vt puta quia ipse impetrauerat gratiā, si neutri, litigando contra vnum ex cōtrahentibus, & docuerat de simonia, per instrumētum de quo fuerat ipse rogatus. Fuit dictum, quod nō poterat se dicto instrumēto iuuare, ex quo sie turpitudinem detegebat. per not. per Abb. in c. ex litteris. n. 4.
1 de transact. nam notarius non ✝ debet se rogare de instrumēto illicito. l. iubemus. §. ijs tabellionibus. C. de sacros. Eccl. Clem. 1. de vsur. & Bald. in rubr. res inter alios acta. in fin. & dicitur periurus, quia venit cōtra id quod in principio officij promisit.

(* Fuit ite rum posita 30. Nouem bris 1545. & iterū vo tata, quod notarius nō poterat se eo instrumento iuuare, quia sic tur pitudinem suam dete gebat.)

SVMMARIVM.

Diuisio cabimetorū, ex quib. fuit iudicata inter Empostanos, & Catalanos.

DECISIO CCCXXII.

DIe 6. Nouembris 1545. in causa Cæsaraugustana cabimentorum, inter milites Castellaniæ Empostæ, & milites Catalanos, proposui dubiū, stāte separatione prioratus Cataloniæ, & Castellaniæ Empostæ, diuisione tractatuū circa cōgregationes, & sententia Magni Magistri. An ex eo probetur diuisio cabimētorū. Et fuit resolutū, quod separatio prioratus à Castellania, nō de necessitate inferebat diuisionē cabimētorū. quoniā in religione sub eadē lingua, multi prioratus erāt separati in eadē lingua, & tamen ex hoc nō arguebatur diuisio cabimētorū. prout in lingua Italica, in qua erāt septē prioratus li mitibus diuisi, tamen ex hoc nō sequitur di-

ui-

uisio cabimētorū. & in lingua Prouinciæ, in qua ex Prioratu S. Aegidij, erat extractus Prioratus Tholosanæ; & tamen talis diuisio non inducebat diuisionem cabimentorum. Sententia vero Magni Magistri, lata de anno 1422. in qua orta differentia inter Raphaelem Zaplana, & milites empostanos asserente ipso Raphaele, quod erat miles Castellaniæ; empostanis autem asserentibus, quod ipse erat Catalanus. & tribus procuratoribus linguæ Cataloniæ asserentibus, quod ipse Raphael non erat Catalanus. Magnus Magister cum conuentu pronunciauit, quod Raphael esset Catalanus, & quod deberet habere cabimentum in prioratu Cataloniæ. Ex ista ergo sententia inferebatur bene, quod cabimenta erant diuisa. tamen fuit dictum, quod dicta sententia non erat in forma probanti. ex vltimo fuit resolutum, quod diuisio cabimētorum probaretur, videlicet ex congregationibus separatis. nam ex testibus probabatur, quod prioratus facientes congregationes separatas, erant separati etiam quo ad cabimenta. & quod Catalani & Empostani habebant congregationes separatas, & etiam reputabantur separati quo ad cabimenta. Et licet ex istis testibus, vnus deponeret de quadraginta annis, alius de 38. & alius de 28. & alij de minori tempore, quia pro parte Catalanorum præsupponebatur, quod iis esset introducta super communione cabimentorum erant plusquam quadraginta anni, & ideo post dictam litem introductā, forent introductæ dictæ cōgregationes separatæ. Ideo pro parte Empostanorum, fuerunt producta aliqua instrumenta, in quibus apparebat, quod de anno 1465. Catalani fecerant quandam cōgregationem separatam super quadam antianitate. Item de anno 1469. fecerant cōgregationem separatam, super quadam vnione. Item, producebant duo instrumenta, in qua sub eadē die de anno 1478. Empostani separatim fecerant congregationem separatā, super quadam antianitate, & quadam vnione. Et ex istis actibus, stāte depositione testium, quod prioratus iudicantur distincti etiam in cabimentis, quando separatas habent congregationes, fuit dictum, quod cabimenta essent separata. Vnde fuit dictum, quod daretur dubium, an stantibus prouisionibus, post erectionē prioratus factis, an tolleretur ista diuisio cabimentorum, quæ ex istis congregationibus separatis inducebatur.

SVMMARIVM.

Diuisio cabimentorum, ex congregationibus separatis præsupposita, an tolleretur ex prouisionibus Catalanorum.

1 *Ex præsenti, quando præsumatur in præteritum.*

2 *Gratia an præsumatur, maxime in ijs quæ de facili non conceduntur.*

DECISIO CCCXXIII.

Decimatertia Nouembris 1545. in causa Cæsaraugustana cabimentorū, proposui dubium, præsupposito quod ex diuisione prioratuum, & cōgregationibus separatis, probētur cabimēta esse distincta, An huiusmodi probatio tollatur per prouisiones, pro parte Catalanorū productas. Et adducebātur viginti, seu vigintiquinq; prouisiones, in quibus præsupponebatur, quod vigintiquinq; milites Catalani erant prouisi per Magnū magistrū de præceptorijs in Castellania. ergo cabimenta erant communia. Dicebatur pro parte Empostanorum, primo quod licet probaretur, quod hodie essent in Catalonia familiæ illorum militum nominatorum in dictis prouisionibus; tamen non sequebatur, quod illæ familiæ essent in Catalonia tempore prouisionis. Sed respondebatur pro parte Catalanorum, quod in materia contingenti, 1 ┼ vbi præsens status potest concurrere cū veritate naturali, ex præsenti præsumitur in præteritum. vt per Bal. in l. ex persona. col. 2. C. de prob. & per Cassad. decis. 4. in 3. pag. de probat. & decis. fin. de iure pat. Item, quando illa probatio non foret sufficiens, petebatur remissoria. Itē & secundo, dicebatur pro parte Empostanorū, quod non erat quæstio, an natus in prioratu Cataloniæ, posset habere cabimentū in Castellania. cū ipsi fatebantur quod nati in Catalonia, dū tamen essent recepti in Castellania, poterant habere ibi cabimentū. prout docebant de aliquibus Catalanis receptis in Castellania, & ibi cabitis. & ideo Catalani debebāt probare, quod non solū illi Catalani prouisi, erant milites in Catalonia nati, sed etiam quod nō erāt in Castellania recepti. cum potuisset esse, quod fuissent & ibi recepti, sicut & erant alij recepti, vt ostēdebant. Sed fuit responsū pro parte Catalanorū, quod receptio non fit nisi ex gratia, idest oībus de Castellania consentientibus: 2 & gratia ┼ non præsumitur. & maxime vbi sumus in ijs, quæ de facili nō conceduntur. vt per Abb. in c. cū Ecclesia. de rest. spol. & in c. bonę. 2. de postul. prælator. Et in hanc partē Domini inclinabāt pro illa prima vice. quia ex quo receptio est gratia, quod ipsi Empostani tenebātur eā probare. Secundo, Catalani docebāt, quod quidā Dalmatius Raymūdus de Chiamar obtinuerat primo in Catalonia Baiuliā Maioricarū de anno 1413. & de anno 1421. præceptoria de Oscha in Castellania, ergo cabimēta cōia. Et dū Empostani dicebāt, quod illa præceptoria maioricar. erat ex gratia, ex quo ibi dicebatur de cōsil.

Prio-

Prioris Capuæ, & aliorum Priorum,& procerum nobis assistentium, quia videbatur quod ex quo de consensu illorum erat collata, quod esset ex gratia. fuit replicatum, & bene,pro parte Cathelanorum,quod dicetur ex gratia, quando diceret de consensu fratrum Prioratus, seu Castellaniæ. nam, quia miles vnius Prioratus diuisi, nō potest habere etiam præceptoriam ex gratia in alio Prioratu, nisi de consensu omnium fratrum illius Prioratus, quod debebat dicere de consensu fratrum Castellaniæ.& ideo dicebant Cathelani,quod dicta clausula,apponebatur de stylo Religionis. & ideo adducebant duas alias collationes,quæ erant factæ Fratribus capacibus,& tamen erat similis clausula. cum consilio & assensu Priorum.&c. vt in illa prouisione fratris Caroli de Torellis,quæ est bulla 7. & erat frater Empostanus, & in bulla 14. vbi confertur Ludouico de Gallis Cathelano, & apponitur illa clausula. Tertio,Cathelani adducebant multas collationes,in quibus ex narratiua ipsarum, apparebat quod vnus & idem miles,habuerat in Castellania, & Prioratu. Sed quia de ipsis non constabat,nisi ex narratiua, & non constabat de prouisione, & cum illæ prouisiones potuissent esse, vel ex gratia, vel à Pontifice, ideo fuit dictum, quod exhiberentur.

SVMMARIVM.

Remissoria in causa Toletana decimarum, seu Gadicensi, decreta.

DECISIO CCCXXIV.

Die 16. Nouembris 1545. in causa Toletana, seu Gadicensi decimarum,pro Illustrissimo Duce de Alua, contra Decanū, & Capitulum Toletanum, & litis consortes dedi dubium. An litteræ priores Alexandri de anno 1494. concedentes Regibus illas partes decimarum in Regno Granatæ, quas prædecessores Pontifices concesserunt Regibus in Regnis Castellæ,& Legionis præsumantur impetratę à Regibus,ad effectum inducendi subreptionem posteriorum litterarum eiusdem Alexandri, de anno 1501. concedentis eisdem Regibus in dicto Regno Granatæ,duas partes decimarū.cum prętendatur,ꝙ in posterioribus litteris nō fiat mētio de prioribus.Et fuit resolutum ꝙ,cū gratia esset facta Regi absenti motuproprio, & non ad instantiā Regis quod ad probandum subreptionē,debebat probari acceptatio Regis. Et licet quādo gratia fit ad instantiam alicuius fiat distinctio,an actus requirat modicā vel magnam impensam, tamen isto casu,non erat necessaria ista distinctio. cū appareret quod gratia erat facta motu proprio, & cum non appareret quis impensam fecisset,potuisset esse ꝙ Alexāder qui gratiā motu proprio fecerat,etiā fecisset & gratiā motu proprio expediri, cum expeditio esset mandata fieri gratis. Alij etiā ex Dominis volebant quod dato,quod dato quod fuisset impensa quinque vel sex ducatorum,tamen nō esset magna respectu agentium istorum Regum.qui multotiens multa expediunt sine mandato, dato quod aliqua notabilis impensa requiratur. Sed maior pars in hoc cōuenit, quod quia agentes pro Duce dicebāt quod ipsi volebant probare non vsum illius gratiæ, & quod Rex eam non acceptauerit, immo quod fuerat præiudicialis Regi, attento quod ab anno 1494. vsque ad annum 1501. Mauri nō fuerunt conuersi in Regno Granatæ ad fidem, & ideo Reges integras decimas percipiebāt. & quia eramus in materia profana, vbi sine sumo datur remissoria, quod daretur remissoria ad probandum ista, & etiam in negocio principali.

SVMMARIVM.

Abbas in erectione Collegiatæ de Medina speciale caput collegiatæ.

1 *Episcopus caput Cleri, sed speciale sui capituli.*
Archipresbyter, an contineatur in Capitulo.

DECISIO CCCXXV.

Eadem die, in causa Salamantina præeminentiarum,proposui dubium. præsupposito quod Capitulum maius,ante erectionem Collegiatæ ab immemorabili tempore consueuerit habere præeminentias,seu iura Cathedralis, & Collegiatæ, & Archipresbyterum vt caput, qui Archipresbyteratus in erectione Collegiatæ fuit suppressus, & Abbas de nouo creatus. An post dictam erectionem,talis possessio, & consuetudo,eidem Capitulo suffragetur. & an Abbas sit caput Capituli vel collegiatæ,& incipiendo ab isto vltimo, fuit resolutum quod Abbas esset speciale caput Collegiatæ, licet etiam esset caput Capituli maioris, & cleri per verba bullæ in illis verbis, necnon parochialem Ecclesiam. & in alijs verbis,nec non Abbas & Capitulum. & sicut dicimus 1 in Episcopo, qui † licet sit caput cleri, tamen speciale caput est sui Capituli. Abb. in c.cum non liceat in 3.not. de præscript. Et licet Abbas habeat iurisdictionem vna cum capitulo maiori,& debeat eligi à clero, per hoc non desinit esse speciale caput Collegiatæ. Super primo dubio fuit facta quædam distinctio quam omnes sequuti fuere. quod aut istæ præeminentiæ & iura,

5 riorum recognoscerentur. † nec sufficiebat
legalitas, quia tantum attestabatur quod il
li notarij essent legales, non autem quod
scriptura esset a manibus illorum.

SVMMARIVM.

Sententia sine actis quo casu probauerit.

DECISIO CCCXXVIII.

EAdem die in vna Bononiensi hæreditatis de Papazonibus, coram D. Antonio Augustino, fuit dubitatum, An sententia sine processu probaret, & quia agebatur de sententia lata iam quinquaginta annis præteritis, tenuerũt Domini per decis. Cassad. 3. de procurat. in 1. pag. dum loquitur de triginta, vel quadraginta annis, quod esset in forma probanti. & sic sequuti sunt Cassad. Et si aduersarius volebat sententiam ex aliquo defectu impugnare, quod debebat producere processum.

SVMMARIVM.

Beneficia Protonotariorum reseruata, non obstante quod in litteris dicatur. volumus quod antequam insignia sumas, iuramentum præstes, & ex impensa præsumitur acceptatio.

1 *Gratia, vel priuilegium an absenti quaratur ante acceptationem.*
2 *Reseruatum an possit dici beneficium ante scientiam, & acceptationem, & num. 4.*
Protonotariatus si à Papa conceditur, soluitur compositio centum ducatorum.
3 *Bulla licet gratis expediatur, tamen requiritur impensa.*
5 *Protonotariatus officium an dicatur concernere publicam vtilitatem, & quare.*

DECISIO CCCXXIX.

IN vna Valentina Parochialis de Torrët fuit dubitatum per D. Io. Paulũ, die 20. Nouemb. 1545. An beneficium sit reseruatũ ratione Protonotariatus, attenta forma litterarum. Et in litteris dicebatur. Volumus autem quod antequam insignia Protonotariatus sumas, iuramentum in manibus talium præstes. &c. & tamen non cõstabat de iuramento. Et fuit dictum, quod ista verba tãtum respiciebant assumptionem insigniũ. & ideo gratia Protonotariatus non vitiabatur, quæ erat pura & perfecta. Secundo dicebatur, quod ista gratia, erat facta absenti. & ideo ante notitiam & acceptationẽ, non
1 erat † gratia, seu priuilegium quæsitũ per ea
quæ dicit Felin. in c. 2. col. 3. vers. tertio limita de constit. & ideo beneficium ante scien-
2 tiã, † & acceptationẽ, non potest dici reseruatum. sicut dicitur de familiaritate. secundũ Ancbar. cons. 398. & secundum Præpos. in c. per principalem. in fine princ. 1. q. 1. Ad istud fundamẽtum fuit responsum quod acceptatio præsũmebatur propter cõpositionẽ quæ soluitur. nam cum esset Protonotariatus à Papa concessus, soluitur cõpositio centum ducat. Item, licet bulla esset gratis
3 expedita, † tamen requiritur impensa saltẽ
vnius ducati, & illa est in consideratione in priuato. quod secus fuit dictũ supra, in causa Toletana decimarum, in sollicitatore Regis. Itẽ & secundo, dicebatur per decis. 11. de præb. in nou. alias 207. & 15. eodem tit. in antiq. alias num. 700. quod etiã inducebatur
4 tur † reseruatio ante acceptationẽ, quas de
cisiones dicit veras Aeneas de Falconibus in tract. reseruationũ in 3. q. principali post præludia pag. 13. vers. quid autẽ si Papa. & Cassad. decis. vnica. de verb. signif. vbi distinguit inter officia quæ concernunt publicam vtilitatem, & illa quæ non concernunt, & videbatur quod Protonotariatus concerneret
5 publicam † vtilitatem cum sint deputati ad
scribendum gesta martyrum. sed magis placuit alia ratio, quia Protonotarij participantes, videntur ad istud deputari.

SVMMARIVM.

Lis per decretum citationis quo ad committentem quo casu non fuerit iudicata.

DECISIO CCCXXX.

IN vna Cæsaraugustana, * coram D. Thoma, casus erat ꝙ Bartholomæus Fortunius cõmisit causam super parochiali de Toralua de los Cisenos, contra Petrum Duenas Intrusum, omnesq; alios, &c. & obtento decreto citationis ad partes, nõ fuit citatus Petrus Duenas, quia non erat possessor, sed Petrus Valero, & cõtra eum fuit processum, & Bartholomæus contra eum reportauit tres sententias. aduersus quas Petrus Valero, obtinuit restitutionẽ, & in negocio restitutionis. Bartholomęus allegat se triennalẽ, contra quem Valero replicat, quod nõ est pacificus, attenta lite quæ remansit contra Petrum Duenas quæ nõ est extincta, & licet nõ foret Duenas citatus, tamẽ quo ad committentem; erat lis vt est in terminis decis. quæ alias allegatur 6. Cassad. super reg. Cancellariæ. qua nõ obstante, fuit contrarium resolutũ attentamẽte Bartholomæi. qui causam tãtũ cõmiserat ad effectũ vt intrusũ vincere posset ꝙ declarabatur ex eo, ꝙ cũ Pet. Duenas, tẽpore commissionis esset in curia, & ante & post numquam eum citauit. immo decretum ci-

* Aduerte, quod in causa Hispalensi, quã habeo pro Alphõso de Angnaia, videtur maius dubiũ, quia ibi nõ apparet, quod tempore decreti citationis ad partes, ille, contra quem vt intrusum erat causa commissa, esset præsens in Curia. nam istud fuit præcipuum fundamentum istius decisio. videlicet, quia quando fuit petitum decretum ad partes, Petrus erat præsens in Curia, & numquam fuit citatus. nam dicebam, quod illa qualitas, intrusum, non multum faciebat ad demonstrandũ, quod noluerit committere contra Petrum, nisi vt intrusum.

tationis ad partes obtinuit, quod decretum attento quod Duenas erat præsens in curia, non erat necessarium, declarabatur ergo mens Bartholomæi, quod vigore illius decreti nolebat cõtra Petrum Duenas, sed contra Valeriũ pcedere. & ideo nulla erat lis.

SVMMARIVM.

Petitorium potest quis suspendere, etiam quod probationes sint factę.

1 *Petitorium pluries suspendi an possit secundum stylum Rotę.*

DECISIO CCCXXXI.

* Vide ad propositam quæ posui in 3. lib. annot. mearũ decis. 29.

IN vna Bononiensi Castri Liani * pro Gozadinis, contra Communitatem, coram D. Fabio, die 20. Nouemb. 1545. fuit dictum, quod licet agens petitorio & possessorio, ptæfixerit terminũ Cõmunitati ad probandum quicquid vellet & posset, & Cõmunitas suas probationes fecisset, quod nihilominus Gozadini non obstante cap. 1. de restit. spoliat. poterant suspendere petitoriũ, & procedere in possessorio propter plures decisiones Rotę quæ dicũt q potest plu-
1 ries quis † suspẽdere petitoriũ, & illæ decisiones prẽsupponũt etiã, q sint factę probationes. quia donec sit cõclusũ altera pars nõ excluditur à sua probatione, & quia ita est stylus Rotæ. Sed cõtra istã decis. facit decis. Rotæ 69. * in antiquis. Non obstat decis. 382. * in nou. vbi habetur, quod in causa pluries potest suspendi petitoriũ. quoniam illa decisio loquitur, secundũ sũmariũ ibi, in causa beneficiali, & hic non eramus in causa beneficiali, & in alia, vt ibi dicit summariũ non habet locũ, & hic eramus in causa profana. Itẽ ibi non dicit, quod per probationes constaret de iure rei. Ideo istã decisionem non firmo, quia tantum semel fuit posita, & non bene informatum, nec etiam Domini bene omnia viderant. Et videatur Ripa in §. nihil cõmune. l. naturaliter. n. 32. de acquir. possess. vbi vult, quod non solum expressus consensus, sed etiã tacitus sufficit.

* Alias 4. de cau. poss. & pro priet.

* Alias 8. de cau. poss. & pro priet.

SVMMARIVM.

Clausula transferendi, non censetur per quascumq; clausulas generales concessa.

DECISIO CCCXXXII.

IOanni Petro de Lapis fuerat reseruata pensio quadraginta ducat. super fructus canonicatus & præbendæ, quos possidebat Petrus Hieronymus quo cessante in solutione vigore regressus, Io. Petrus habuit sententiã, quæ transiuit in rem iudicatã, & sic dicta pensio, propter consolidationẽ canonicatus in personã Io. Petri, expirauit. fuit iterũ inter eos cõcordatũ, vt noua pensio quadraginta ducatorũ super eisdẽ fructib. reseruaretur cũ alia pensione 25. super fructus aliorum beneficiorũ cum eisdẽ clausulis, prout erat in prima reseruatione, & perinde ac prima pensio nõ esset expirata. Fuit dubitatum, die 27. Nouẽb. 1545. corã D. Fabio, in vna Romana pensionis quadraginta ducat. an sicut in prima reseruatione erat clausula transferendi, ita & etiã censeretur apposita in secunda. Et fuit resolutum quod non, quia ex quo Papa circa clausulam transferendi, reddit se difficilem, quod erat specialis mẽtio de tali clausula facienda, & quod per quascumque clausulas generales, non veniret dicta clausula, & quod illæ clausulæ generales, respiciebant validitatem secundæ pensionis reseruatæ.

SVMMARIVM.

Constat ex processu producto, quod Liuia fuit vsa decreto de quo. agitur & sicut D. Liuia fuit eo vsa, ita Michael contra eam, eo vti poterit.

1 *Numerus pluralis, an pro singulari ponatur.*
2 *Demonstrationes duæ, sufficit quod concurrant in re.*
3 *Clausula omni meliori modo, quando solum referatur ad expressa.*
4 *Confessio procuratoris semper reuocanda secundum stylum Palatij.*
Confessio procuratoris an noceat domino in alio iudicio.
5 *Retorquentio iuris quomodo fiat. & nu. 6.*
7 *Possessio non titulata, an possit continuari, vel præsumatur precaria.*

DECISIO CCCXXXIII.

IN causa Parmensi bonorũ, pro Michaele Casalio, contra Matrẽ, videlicet D. Liuiã dubitaui ego die 2. Decẽb. 1545. An ex processu de partib. producto pro parte Michaelis, constet pro parte D. Liuię intentatũ fore remedium decreti de quo agitur, & si sic, an D. Michael possit hodie vti eodẽ decreto contra D. Liuiam. Et fuit resolutum q constaret. præsupposito tamen, quod per testes esset probata obseruantia decreti de quo agitur, in Ciuitate Placentina, & istud in primis apparebat ex petitione procuratoris, dũ dicit quod intendit vti remedio decretorum, quibus vti intendit quo ad oẽs iuris effectus, & sic patet quod intentauit dictum decretum, quod continuat quo ad omnes effectus. Item & secundo, dum procurator subdit, quod decretum annullat possessionem medio tempore per alium captam, ergo intelligendum est de dicto decreto Mediolani, quod annullat possessionem. Nõ obstat

ſtat dum dicit,qnod procurator dixit,quod
intendebat vti decretis,& ſic in plurali; er-
go non decreto tantum Mediolani, ſed alio
vti voluit. quia fuit reſponſum, quod ſæpe
1 numero, numerus pluralis † pro ſingulari
ponitur, vt ſunt iura vulgata. Item,quia in
fine procurator ſcipſum declatat, dũ dicit,
quod decretum annullat poſſeſſionem. ap-
paret ergo, quod illam pluritatem ad ſingu
laritatem dedncere voluit. Non obſtat quod
procurator dixerit,quod intendebat vti de
cretis immediate continuantibus in hære-
dem, & tamen decretum Mediolani non im
mediate in hæredem, ſed in hæreditatem cõ
einuat. quia dupliciter fuit reſponſum. pri-
mo,quod ex ſequentibus duabus demõſtra-
tionibus conſtabat, quod procurator in il-
la demõſtratione. immediate in hæredẽ,&c.
etrauerat, & ſufficit quod res per duas de-
monſtrationes conuenientes demõſtraretur
2 licet in vna † non conueniret. ſecundũ Bar.
in l. demõſtratio falſa. ff. de condict. & de-
monſtrat. Non obſtat quod procurator in
eãdem petitione ſubiuuxiſſet elauſulam. om
niq; meliori modo,&c. & ſic apparebat, ꝙ
non ſolum virtute decretorum, ſed etiã om-
ni meliori modo,poſſeſſionem habere volue
rat,quia fuit dictum quod elauſula illa. om
niq; meliori modo,&c. erat appoſita ad aſ-
ſociationem nuncij, propter tollenda ſcãda
la, non autem reſpiciebat continuationem
poſſeſſionis ex decretis prouenientẽ. Secun-
do,pro reſolntione fuit conſideratum, ꝙ Iu
dex in ſua interloquutoria, tantũ fundabat
ſe in decretis, & ibi non erat clauſula. om-
niq; meliori modo, ſed tantum clauſula. om
3 ni meliori modo. ſine illa copula, † &, quæ
tunc refertur ad expreſſa. ſecundum Fel. in
c. cum ſuper. col. pen. de offic. delegat. Et li-
cet iudex ibi dicat, decretis continuantibus
in hæredem, tamen intelligenda illa verba
erant, ſecundum petitionem procuratoris,
& quod iſtud ſit verum,quod & procurator
in petitione, & iudex in ſententia interlo-
quutoria, intellexerit de decreto, de quo agi
tur, non autẽ de aliquo ſtatuto, de quo non
apparebat in actis, patet. quia ſẽper fuit ap
poſitum verbum. decretis, & decretũ differt
à ſtatuto, ſecundum conſuetudinẽ loquendi.
Et licet omnia ſupradicta potuiſſent euitari
cum forent facta per procuratorẽ, reuocan-
4 do † confeſſionẽ procuratoris, prout eſt de
more Palatij. Itẽ quia confeſſio procurato-
ris non nocet domino in alio iudicio. prout
dicit Alex. & Dec. in l. 2. C. de eden. & Felin.
in c. cauſam quæ. de teſtib. Tamen fuit dictũ
quod omnia iſta ceſſabant ex confeſſione ip
ſius Liuiæ, reſultante ex breui per eã à Cle
mente obtento. vbi fatetur, ꝙ vigore decre-
torum continuantiũ in hæredem poſſeſſionẽ
defuncti, obtinuerat, & ibi fatetur, ꝙ talia
decreta in Ciuitate Placentinę vigent. Non
obſtat, ꝙ etiam breue loquatur de ſtatuto in
hæredem, quia fuit dictum, ꝙ ex quo obſer-
uantia iſtius decreti Mediolani, in Ciuitate
Placentiæ erat probata, de illo decreto intel
ligebatur, quia pluralitas non præſumitur.
& tanto magis, cum rubrica decreti Medio-
lani, etiã tantum dicat de poſſeſſione conti-
nuanda in hæredem, licet in nigro dicat de
poſſeſſione continuanda in hæteditatẽ, & de
hæreditate in hæredẽ. Non obſtat ꝙ diceba
tur, & iura municipalia, ergo erat intelligẽ
dum de ſtatuto Placentinę, quia fuit dictũ,
ꝙ cum non conſtaret de alio ſtatuto Placẽti
no, ꝙ propter obſeruantiã decreti receptam
ſatis poterat dici illud decretũ receptũ, ius
mnnicipale. Omnes tamen Domini dixerũt
quod ſi produceretur ſtatutũ Placẽtinũ con
tinuans in hæredẽ, quod forſan aliud dice-
rẽt. Ad ſecũdũ dubiũ fuit reſolutũ, quod per
viã retorqnutionis Michael d. decreto non
poterat vti contra Liuiã. per dictum Angeli
quod à nemine reprobatur. in l. fin. ff. quod
5 quiſque iuris. vbi † retorquutio * ſit firmo * Retorquutio Iuris iniqui, quando fieri nõ poſſit.
manente iure impetrato, vt ibi per eũ. etſi
retorquutio fieret contra Liuiã, ab ea auſer
retur illud ꝙ obtinuerat. Fit ergo in aliis
retorquutio, non autẽ in iure illo impetra-
to. Itẽ & ſecundo fuit dictũ, quod retorquu-
tio non habebat locũ, niſi reſpectu illorum,
quos habui tp̃e impetrationis pro aduer-
ſariis. iuxta cõmunem opinionẽ. de qua per
Alex. in l. 3. §. hæc pęna. ff. quod quiſq; iuris.
Vnde cum Michael tunc nõ fuiſſet aduerſa-
rius Liuiæ, ergo nõ poterat vti retorquutio-
ne cõtra eam. Nec obſtat quod ratione vſus
ex quo nunc vtebatur illo iure poterat fieri
6 retorquutio. † iuxta text. in l. 3. in princ.
alias l. ſi quis iniquum. ff. quod quiſque iur,
quia fuit dictnm, quod Liuia nunc nõ funda
bat intentionẽ ſuam contra Michaelẽ in de-
creto Mediolani, & ſic eo non vtebatur, ſed
Michaelẽ excludebat ex non iure ſuo, dicẽs
quod poſſeſſio Polydori erat Præcaria, ex
quo non erat titulata, & ideo continuari nõ
poterat. Sed fuit dictũ, quod ex quo Liuia in
breui fatebatur decretũ eſſe in Ciuitate Pla-
cẽtiæ, & eo vſa fuerat, & ſic fatebatur illius
obſeruantiã, quod etiam Michael eo, contra
eã vti poterat, quia ex confeſſione Liuiæ ap
parebat de decreto, & illius obſeruantia, &
iſtud procedet reſpectu Caſtri, quia reſpe-
ctu meri & mixti imperii, cũ poſſeſſio nõ ſit
7 titulata, non poteſt continuari † cum præſu
matur præcaria. per dictũ Bal. in l. 2. in 9. q.
C. de ſeruit. Et licet illo decreto Liuia in par
tibus vſa fuerit, etiã quo ad merum & mix-
tum Imperium, cuius reſpectu etiam poſſeſ-
ſio Polydori præſumitur præcaria, cum non
fuerit probatum, Polydorum eſſe de deſcen
dentibus Vberti, tamen illud ius foret ini-
quum. Et per ſuperius dicta, fuit reſolutum
quod non daretur retorquutio.

Ee 3 SVM-

SVMMARIVM.

Translatio pensionis facta per militem S. Petri coram exequutore, non exhibitis priuilegijs militum, valida.

1 *Militum S. Petri priuilegium de transferendis pensionibus. & num. 2.*
3 *Pensionis litteræ reseruationis, quando coram exequutore præsentari debeant ad effectum transferendi.*
4 *Via vna electa, an alteri censeatur renunciatum, in ys quæ pendent ex voluntate nostra.*
5 *Regula qđ potui nolui, quomodo procedat.*
6 *Regula, si non valet quod ago vt ago, valeat vt valere potest, quomodo intellecta.*

DECISIO CCCXXXIV.

MIles S. Petri existẽs in partibus, cui
erat reseruata pensio in manibus cu-
iusdam exequutoris, videlicet cuiusdam
Archidiaconi, quem ad hoc elegit, transtu-
lit pensionem non exhibitis priuilegijs. &
præsupponẽdum est, quod Milites ex forma
1 priuilegiorum, † habent, quod possunt trãs-
ferre pensiones, vsque ad summam 150. du-
catorum, etiam coram notario, & testibus.
Dubitauit D. Prosper in vna Fauentina pen
sionis, inter Franciscum Sparagio ex vna,
& Bonauogliam de Bonaguidis ex altera.
An translatio pensionis facta, vigore priui-
legiorum militum S. Petri, valeat non exhi-
bitis illis coram exequutore, per transfe-
rentem electo ad hoc. Et die secunda De-
cembris 1545. fuit resolutum, quod trans-
latio esset valida. Quia milites ex forma
priuilegiorum possunt ipsi transferre, & fa-
2 cultas ipsis est cõcessa transferendi. † & in-
teruentus notarij fit tantum ad probatio-
nem, non autem vt aliquam iurisdictionem
ipse exerceat, vel quod admittat, & casset
& postea de nouo reseruet. & ideo non re-
quiritur aliqua exhibitio priuilegiorum.
quod secus est in alijs exequutoribus, à quo
rum facto translatio dependet. nam cum
suam iurisdictionem exercere non possint
tales exequutores, nisi visis litteris, nimirũ
3 si requiritur illarũ præsentatio. † Et ita pro
cedunt not. per Francum, & Dec. in cap.
super eo. 2. de appellat. & decisiones
Rotæ, quæ ex aduerso allegabantur. Sed in
casu nostro, miles ipse ex priuilegiis habet
illam facultatem transferendi, & ministe-
rium alterius non requiritur. ideo præsen-
tatio priuilegiorum non est necessaria. Non
obstat quod dicebatur in casu isto, iste ele-
gerat viam exequutoris, & non viam nota
rii. vnde poterat dici, via quam elegisti ti-
bi pateat. & quod volui nolui. &c. quia
fuit responsum, quod in iis quæ dependent
4 ex voluntate † nostra, eligendo vnam viam
non videtur quis alteri renunciare. prout
est text. in l. 3. ff. de testam. milit. vbi miles
licet incęperit testari secundum ius commu
ne, per hoc tamen, non videtur velle renun-
ciare priuilegio militis. ita erit dicendum
in casu isto. Et poterat dici, quod solenni-
tas non necessaria, si minus solenniter fuit
adhibita, nõ vitiat. Et illud. quod potui no-
5 lui. &c. procedit † quando quis ita intende
bat velle facere, & non alias. quod secus est
in casu nostro, per text. in d. l. 3. ff. de testa-
men. militis. Immo isto casu, ex quo per di-
ctam l. 3. non repugnat menti disponentis.
habet locum illud. quod solet dici si non va-
6 let † quod ago vt ago, valet vt valere po-
test. secundum Rip. in l. 1. colum. 7. nu. 30.
ff. de verb. obligat.

SVMMARIVM.

Legatus Apostolicus existens in Germania, an possit conferre in mense Iunij stantibus concordatis.

1 *Legatus de latere in sua prouincia, an possit conferre beneficia sicut Ordinarius.*
2 *Legatus an dicatur Ordinarius, & quomodo.*

DECISIO CCCXXXV.

IN vna Augustana * canonicatus
& præbendæ, corã eodem D. Pro-
spero, eadem die secunda Decembris
1545. Dubitauit ipse, An legatus
Apostolicus existẽs in partibus Ger-
maniæ, potuerit conferre in mense
Iunij, stantibus concordatis, & quia
verba concordatorum sunt ista. Pla
cet etiam nobis, ꝙ per quamcumq;
aliam reseruationem, gratiam expectatiuã,
& quamuis aliam dispositionem, sub quacũ-
que verborum forma per nos, vel auctorita
te nostra factam, vel faciendam, non impe-
diemus vos quominus de illis cum vacabũt
de Februarij, Aprilis, Iunii, Augusti, Octob.
& Decẽbris mensibus, libere disponatur per
illos, ad quos eorum collatio, prouisio, præ
sentatio, electio, seu quæuis alia dispositio
pertinebat. reseruatione, & alijs præmissis,
ac dispositione auctoritate nostra factis,
vel faciendis, non obstantibus quibuscum-
que. Domini omnes inclinarunt, quod dicta
verba concordatorum, tantum comprehen-
debant gratias præuentiuas. & ideo cum
ageretur de beneficio vacanti, quod non
essent ligatæ manus & Legati & Papæ. &
quod concurrebant cum Ordinariis. Maior
etiam pars inclinabat per illa verba, eorum
ad

* Fuit causa iterũ posita, die 15. Martij 1546. & per omnes fuit resolutum, cum quibus etiam ego concurri, quod illa verba, eorum, ad quos &c. comprehenderẽt Legatum & sic, quod potuisset fieri collatio per Legatum.

ad quos,&c. quod Legatus potuisset confer re cum essent generalia, & de iure Legatus
1 de latere, † ita possit conferre in prouincia sua, sicut & quilibet Ordinarius. cap. 1. de offic.leg. & cap. 2. in 6. Duo tamen in hoc discrepabant. ex quibus ego fui vnus, quia dicebam, quod erant concordata data Nationi ne Ordinarii grauarentur, & vt ipsi possent suis diœcesanis beneficia conferre, & cum Legatus posset, Italo, Hispano, vel Gallo conferre, iam ex mente Papæ illa verba generalia. eorum ad quos erant restringenda ad Ordinarios propter scandalum tollendum. & licet Legatus sit ordinarius,
2 tamen est † super inductus, & non naturalis. ad glos. in Clem. 2. de offic.ord.

SVMMARIVM.

Decis. Aegidij 563. quomodo intellecta.

DECISIO CCCXXXVI.

Decisio Aegidii 563. in vna Calaguritana canonicatus & præbendæ, fuit intellecta secundum Staphil. in tract. de lit. grat. &cæt. fol. 110. pag. 2. versic. limitatur, &cæt. 4. Decembris 1545. coram D. Thoma.

SVMMARIVM.

De commissione causæ appellationis & nullitatis, constat.

1 *Exceptio generalia contra, non intelligitur in ijs quæ faciunt pro excipiente, sed in ijs quæ contra.*
2 *Impugnatio quando possit, vsque ad sententiam, reuocari.*

DECISIO CCCXXXVII.

In causa Romana spolii domus, pro Gregoria Mamma, contra Iulium de Podio die 4. Decembris 1545. dedi dubium, An constet de commissione causę appellationis & nullitatis. & fuit resolutum, quod ex quo constabat de præsentatione eius, & quod eius virtute fuisset inhibitum, licet non cōstaret de originali, tamen quia erat probata deperditio scripturarum Notarii in Sacco Vrbis, & maxime quod per insertionem in commissione ipsius Iulii, dicebatur quod præinserta staret sine præiudicio legitimæ exequutionis, quod ex hoc etiam apparebat de confessione Iulii, quod fatebatur quod præinserta commissio causæ appellationis, & nullitatis, fuisset in rerum natura. Non obstat, quod procurator Gregoriæ oppo-
1 suisset, generalia contra. † quia intelligitur talis exceptio, in iis quæ faciunt contra ipsum, contra quem commissio erat producta, non autem in iis quæ faciunt in fauorem.
2 Item & secundo, quia † talem impugnationem poterat, vsque ad sententiam, reuocare. Felin. in c.capitulum. de rescript.

SVMMARIVM.

Immemorabilis probatur in causa Salamantina præeminentiarum.

1 *Immemorabilis quando dicatur probata.*
2 *Possessori malæ fidei, possessio longæua non suffragatur.*

DECISIO CCCXXXVIII.

In causa Salamantina præeminentiarum die 4. Decembris 1545. dedi dubium præsupposito quod testes examinati de anno 1540. legitimæ ætatis, deponant de visu & recordatu eorū, de quasi possessione prę eminentiarum pulsandi campanas, ordinandi officium diuinum, distribuendi oleum, & chrisma, &c. & de auditu à maioribus, & antiquioribus, An hodie probent possessionem immemorabilem stante erectione Collegiatæ facta de anno 1480. & an sententia per bon.mem. Camillum lata afficiat Capitulum maius. Et fuit resolutum quod immemorabilis probaretur. quia duo testes octuaginta annorū, & duo septuaginta quinque annorū, & duo septuaginta annorū be-
1 ne poterant † deponere de possessione quadragenaria de visu ante litē motā, quæ fuit de anno 1522. & istimet deponebant de auditu à maioribus, & antiquioribus. ergo probata immemorabilis. Item dicebatur, quod per erectionem collegiatæ, nō erat interruptā possessio naturalis, quia semper fuit continuata. Item nec ciuiliter, quia quo tēpore supernenit lis iam præscriptio erat finita. Sed fuit dubitatum, an per erectionem Collegiatæ, fuisset Capitulū maius in mala fide constitutum, & licet bulla erectionis ante litem motam non fuerit intimata, tamen dicebatur quod facto fuit intimata. ex quo viderunt suum caput suppressum, canonicatus, & dignitates erectas, &cæt. Et ideo fuit facta distinctio quæ alias fuit facta. videlicet quod aut Capitulū maius. post erectionem fuit in possessione exercēdi prę eminentias, quæ ad solum Archipresbyte-
2 rum † pertinebant. & tunc dicitur in mala fide, & illa possessio quadraginta annorum post erectionem non suffragatur. aut fuit in possessione præeminentiarum ad Archipresbyterum & Capitulum maius, & etiam fuit

fuit in mala fide. cum preheminentias cumulatiue spectantes Capitulum solum exercuerit, & sic etiam possessio nõ suffragatur, aut priuatiue ad caput suum Capitulũ maius in possessione erat, & tunc continuando erat in bona fide, & possessio ei suffragaretur, & ea immemorabilis Capitulũ iuuaret. Quo ad secundum dubium fuit resolutum, quod * sentẽtia afficeret Capitulum maius. quia aderat iurisdictio data per ipsum Capitulum maius, & erat in actis mandatum pro parte capituli maioris. & sententia in fine habebat illa verba, etiam sub nomine Congregationis.

* Senteñtia Camilli afficit Capitulũ maius.

SUMMARIUM.

Venditio quo casu fuit iudicata ad mensuram.

DECISIO CCCXXXIX.

IN vna Rauennatensi, corã D. Thoma inter Brutũ Rasponũ, & Dominos Masios, die 11. Decembris 1545. dubitauit D. Thomas, quod illi Masij vendidissent Bruto vnã possessionem 118. tornaturarum, infra talia confinia, precio duodecim librarum pro qualibet tornatura, & postea, in fine dicebatur, quod tale precium constituebat summam 110. ducatorum, An talis venditio esset ad mensuram, & an deberet fieri mensuratio possessionis, ad effectum vt emptor qui possessionem habebat, & qui precium depofuerat, posset compelli ad soluendum precium. Et fuit dictum, quod licet Dec. cons. 500. in 3. vol. & Curt. Iun. cons. 131. dixerint, quod si dicatur. vendo tibi talem possessionem centum tornaturarum, infra talia confinia tanto precio, quod ista venditio est ad mensuram. cuius tamen contrarium consuluerunt Paris. cons. 64. in 1. volum. & Marian. Soc. Iun. cons. 42. in secunda parte. tamen quod iste casus non habebat difficultatem, propter illa verba. ad rationẽ duodecimum librarum pro qualibet tornatura. quæ verba non erant in illo casu, in quo isti quatuor consuluerunt. nam si fuissent, isti docti viri non ita inter se certassent. Et fuit dictum, quod pro ista parte videbatur facere id quod dicit Paul. de Castro, in l. si seruum. §. 1. ff. de act. empt. & quod dicit Bal. in l. sicut. C. de act. empt. & decis. Afflicti 399. dum dicit quod saltem ad declarationem precij, necessaria est mensuratio.

*

SUMMARIUM.

Statutum Salamantinum, quod licentiatus in vniuersitate, præcedat doctorem alibi graduatum, quomodo intellectum.

1 *Antiquior debet præcedere iuniorem.*
2 *Statutum quod licentiatus præcedat doctorem, contra ius commune, & quomodo intelligatur, num. 3.*

DECISIO CCCXL.

IN vniuersitate studij Salamantini adest statutum, quod licentiati facti in illa vniuersitate in omnibus facultatibus, præferantur tam in sessionibus, quam in omnibus alijs rebus, doctoribus, & magistris graduatis in aliis Vniuersitatibus. Ioannes Perez erat licentiatus in vno gradu, videlicet in medicina de anno 1538. & volebat præcedere Laurentium de Alderete, graduatum in vtroque, videlicet medicina, & artibus, de anno 1529. dubitauit D. Mohedanus, die 14. Decembris 1545. in vna Salamantina antiquitatis doctoratus, seu præeminentiarum, An stante dicto statuto, licentiatus in vno gradu deberet præcedere doctorem in vtroque. Et fuit conclusum quod cũ
1 statutum † esset contra ius cõmune per not. per Ias. & alios moder. in l. cum quid. ff. si cert. pet. cum antiquior debeat de iure præcedere, & ideo cum esset contra ius cõmu-
2 ne, deberet ita interpretari † vt minus læderet ius commune, quam fieri possit. Alex. in l. fin. §. in computatione. C. de iur. deliber. Paris. cons. 16. num. 106. vol. 2. Et ideo voluerunt Domini, quod statutum deberet interpretari, quando licentiatus in vtroque voluisset præcedere doctorem in vtroque. Sed isto casu in quo licentiatus in vno, volebat præcedere licentiatum in vtroque. dixerunt Domini statutum debere ita intelligi vt minus offenderet ius communẽ, quam fieri posset. Et sufficiebat quod aliquo casu posset operari. videlicet vbi esset paritas
3 graduum, cum statutum deberet † intelligi cæteris paribus, prout dicit Pet. de Anchar. in cap. 1. circa finem. de paroch. Propter quam rationem, aliqui etiam dicebãt, quod data paritate etiam graduum, tamen si doctor esset antiquior, quod etiam debebat præcedere. quod tamen vltimum pro tunc non fuit firmatum. Sed in casu nostro erat disparitas, & in gradu, & in tempore. & ideo isto casu statutum fuit interpretatum, vt minus læderet ius commune.

SVMMARIVM.

Iuspatronatus in casu isto non venit in donatione bonorum Angeli.

1 Iuspatronatus an veniat in donatione vniuersali omnium bonorum.
2 Donatio iurium & actionum, super rebus Titij an particularis vel vniuersalis.

DECISIO CCCXLI.

Haeres institutus ab Angelo, granatus erigere capellam, quam postea construxit, & sic ius patronatus acquisiuit, donauit postea quibusdam omnia iura & actiones, super rebus & bonis Angeli ad eum spectantes. Fuit dubitatum in vna Aretina capellaniae, die 14. Decembris 1545. coram D. Antonio Augustino, An in illa donatione, veniret iuspatronatus, quod ille hęres erigendo consequutus fuerat. Et fuit per maiorem partem conclusum, quod si donatio esset vniuersalis omnium bonorum suorum, quod non erat dubium quod
1 sub tali vniuersitate † veniret iuspatronatus, per dicta per Abb. in c. ex literis de iur. pat. & Dec. cons. 117. Sed quia erat particularis, nam hæres dixit, quod donauit iura, & actiones super rebus Angeli, quod ista
2 donatio † est particularis. vt per Bart. in l. cum pater. §. hæreditatem. ff. de legat. 2. Item, quia iuspatronatus non fuerat in bonis & rebus Angeli. ergo illud non fuit donatum.

SVMMARIVM.

Castrum non spectare ad Monasterium S. Ioannis ex quibus fuit iudicatum.

1 Locatio in antiquis, an probet rem spectare ad aliquem.
2 Concessio Principis de Castro possessori, non facta mentione de violenti possessione, an valeat.

DECISIO CCCXLII.

In causa Britoriensi Castri, & Villæ, 14. Decembris 1545. dedi dubium. An ex sententia Henrici Imperatoris, & concessione facta ab Abbate Monasterij; de anno 1331. & alia facta de anno 1517. cum confirmatione Leonis, constet Castrum, & Villam spectare ad Monasterium S. Ioannis, ita vt concessio subsequens facta Illustri Alberto, & Leonello, non sit valida. Et fuit resolutum, ex prædictis non constare Castrum spectare ad Monasterium. Primo dicebatur quod sententia Henrici erat copia. quia & scriptura sententiæ, & subscriptiones, erant scriptæ eadem manu. & si esset originalis, essent diuersa manu scriptę, cum essent quinq; subscriptiones. ad cōcessionē de anno 1331. fuit dictum, quod erat de quarta parte Castri. & quando fuisset de toto Castro, ta-
1 men † locatio, etiam in antiquis, non probat Castrum spectare. per tex. in c. inter dilectos. de fid. instrument. vbi fumus in antiquis. Alex. cons. 12. lib. 4. Et fuit dictum quod nō obstabat cons. Paris. 104. vol. 1. quia ibi locationes illæ, erant sortitæ effectum, & multa alia concurrebant. Non obstabat concessio facta de anno 1517. quia locatio etiam quod esset sortita effectum. Tamen per hoc non probabat Castrum spectare, & illa non faciebat statutum, cum de illa nunc disputaretur. confirmatio Leonis nil proderat cum non confirmaret nisi quod ad Monasterium spectabat, non obstat quod Albertus non fecisset mentionem de possessione violenta, & ideo concessio Leonis, non
2 facta de ea † mentione, non valeret. per tex. in l. auctoritate. & q ibi Bart. C. vnde vi. quia fuit dictum, quod illud procedit quando prius committitur violentia, & postea impetratur. at in casu nostro, prius fuit facta impetratio, & postea violentia cōmissa.

SVMMARIVM.

Bona vel mala fides, post erectionem Collegiatæ quo ad præeminentias, an fuerit.

1 Cathedralis Ecclesiæ praeminentia, & iura quæ.
Officium ordinare, & chrisma conferre, ad quem pertineat. & num. 2.
3 Concessio omnis facta in fauorem alicuius an habeat tacitam conditionem si is ea vti voluerit.

DECISIO CCCXLIII.

In causa Salamantina præeminentiarum, dedi dubium, die 16. Decembris 1545. præsupposito quod præeminentiæ pulsandi campanas, ordinandi diuinum officium, relaxandi interdicta, & distribuendi oleum sanctum, ac chrisma, spectarent ad Archipresbyterum, & Capitulum maius. An erectione facta, Capitulum maius, cum bona fide potuerit possessionem dictarum præeminentiarum continuare, ita vt ante litem motam, potuerit suam immemorabilē perficere. & si immemorabilis non potuit perfici, an bulla erectionis sit subrepticia ex quo de possessione præeminentiarum Capituli maioris, in ea non sit mentio. Et quo ad primam partem dubij, maior pars Dominorum inclinauit, quod cum istæ præeminen-

eminentiæ, sint iura Cathedralis, prout de
1 officio ordinandi † officium, dicit tex. in c. quando presbyteri. 38. distin. & de chrismate dicitur 95. distin. §. chrisma. & cum in isto casu, Abbas haberet iura Episcopi, * vt patet in erectione, in qua ei datur facultas deferendi mithram, & chirothecas, baculum. &c. Istæ ergo præeminentiæ, ad ipsum, tanquam habentem iura Episcopalia, spectabant. vnde cum post erectionem, Capitulum maius ista exercuerit, exercendo ea quæ ad alium spectant, non possunt sine mala fide exercere. Et quod ordinare officium
2 spectet † ad Prælatum, est tex. in c. de ijs. 12. dist. & ibi Archid. Gemin. & Card. Ista autem mala fides, cessabat ante erectionem, cum exercerentur per Archipresbyterum, & Capitulum. & idem dicebant Domini, quod cessaret mala fides, si ista post erectionem exercebantur per Abbatem, & Capitulum. quia si Abbas iura ad eum spectātia, Capitulo voluit communicare, Capitulum illa exercens de voluntate Abbatis, nō erat
3 in mala fide. Non obstat, quod omnis † concessio facta in fauorem alicuius, habet tacitam conditionem, si is in cuius fauorem est facta concessio, ea voluerit vti. vt in decis. 422. * in antiquis. & ideo cum Abbas nō contradixisset, videatur ei renunciasse. quia respondebatur. quod, ex quo præscriptio nō erat perfecta, poterat Abbas hodie contradicere, & ideo videndum erat, an Abbas communicasset iura sua cum Capitulo. Ad secundum dubium multi ex Dominis dubitabant de subreptione, dicentes, quod si narratum fuisset Pontifici, quod in Oppido de Medina erat Capitulum maius, habens præeminentias de quibus agitur, cum iam illud oppidum haberet Capitulum quo decorari poterat, quod vel non concessisset, vel difficilius concessisset. & ideo gratia videbatur subreptitia.

* Ordinare officium, & crisma conterere ad Episcopum pertinere.

* Allas 91. de concess. preb.

SVMMARIVM.

Decreta Ducalia quo casu non habuerunt locum.

DECISIO CCCXLIV.

IN causa Parmensi vallium, die 16. Decembris 1545. dedi dubium, vtrum decreta Ducalia, pro parte Illustr. Ducis nouissime producta, iustificent præscriptionem pro ipsius Ducis parte allegatam. Et fuit resolutum, quod quia tertium capitulum decreti dicit, quod rescriptis, aut literis prędecessorum Ducum, aut nostris declarationibus commissionem, aut perpetrationem, aut factum alicuius delicti, vel aliquorum delictorum, non possit aliqualiter opponi. &c. quod cum istud decretum loqueretur de literis prædecessorum, aut nostris, & bannum confiscationis non erant literæ Ducis, vel prædecessoris, sed erat bannum præconis, quod in tali banno decretum nō poterat verificari. & ideo nec etiam faciebat ad propositum, decretum loquens, quod bona applicata Cameræ, statim censerētur applicata, & incorporata, ac per Camerā apprehensa. quia si non constabat de confiscatione, nulla erat facta applicatio nec incorporatio.

SVMMARIVM.

Decretum Mediolani fuit intentatum, & non statutum Placentinum.

DECISIO CCCXLV.

IN causa Parmensi pecuniaria bonorum pro Casali, dubitaui, die 16. Decembris 1545. stante productione statuti Placentini, & reproductione decreti Mediolani, in eodem volumine statutorum contenti, An ex breui per D. Liuiam obtento, constet quod D. Liuia intentauerit remedium statuti, vel decreti, vel saltē vtriusq;. Et fuit resolutū, quod constaret intentasse remedium decreti, non autem statuti. quia verba breuis, conueniebant decreto. primum, quia dicitur iuxta decreta. & licet diceretur. & iura municipalia. tamen quia erat in volumine statutorum, satis dicebatur ius municipale. Item, quia dicebatur de continuatione possessionis, statutum autem Placentinum non loquebatur de continuatione, sed tamen dicebat, quod intelligeretur, & censeretur esse heres. & ideo licet daret possessionem absq; apprehensione, non ideo loquebatur de continuatione. Non obstat quod in breui diceretur de continuatione in hæredem, & tamen decretum loquitur de continuatione in hæreditatem. quia rubrica decreti dicit de continuatione in hæredem. item in nigro mediate etiam continuatur in hæredem. Fuit tamen dubitatum, an illa confessio posset reuocari, docto de errore.

SVMMARIVM.

Beneficium vbi vacat ob non expeditionem nouæ prouisionis, an eius collatio spectet, vigore indulti, ad Episcopum ita vt Papa non possit prouidere.

DECISIO CCCXLVI.

1 *Facultas prouidendi concessa per indultū quando restringatur ad primum actum. & num. 2.*

3 Bene-

3 *Beneficium, an dicatur vacare in curia si prouisus tenebatur expedire in curia, & non expediuit.*

4 *Pœnam ex actu, vbi quis meretur, non debet posse ex eo commodum reportare.*

DECISIO CCCXLVI.

CArdinalis Farnesius, vna cum Episcopo Abulensi, habebat in diœcesi Abulensi indultum conferendi beneficia, etiam ad reseruata per obitum familiarium vacātia per obitum extra Curiam, & in indulto erat solita clausula, quod si beneficia reseruata excederent valorem 24. prouisi tenerentur infra sex menses nouas prouisiones expedire, & iura Cameræ soluere, alioquin beneficia eo ipso vacare censerentur. Episcopus beneficium vacans in vno ex sex mensibus. sibi spectantibus cōtulit cuidam Francisco de Caruaial, quod erat reseruatum, & excedebat. valorem 24. tamen Franciscus non expediuit nouam prouisionē infra sex menses, quidam post sex mēses impetrauit illud à Papa. Dubitauit in vna Abulensi de Villatoro, die 16. Decembris 1545. D. Io. Paulus, An si beneficium vacat ob non expeditionem nouæ prouisionis, collatio deuolua tur ad Episcopum, ita quod Papa, stante indulto, non potuerit illud conferre. * Et vna pars Dominorum dicebat, quod Papa propter decretum indulti, non poterat illud conferre. nam cum post sex menses induceretur noua vacatio, vt Rota tenuit, collatio spectabat ad Ordinarium. ergo Papa propter decretum indulti habebat manus ligatas, Non obstat quod dicebatur, quod facul-
1 tas † prouidendi per indultum, data, restringenda erat ad primum actum. per decis. 22. * & 35. * in antiquis. quia fuit responsum, quod illud procederet nisi obstaret intētio concedentis; qui voluit quod quādocumque induceretur vacatio,
2 Ordinarius prouideret, † & tunc cōcessio non expirat in primo actu. iuxta not. per Bal. in l. inuitus. in fin. C. de procur. Ias. in l. diuortio. §. quod si in anno. in fin. ff. solut. matrim. Nō obstat, quod indultū loquebatur de vacatione extra Curiam, ergo non erat trahendum ad vacationē in Curia. & istud beneficiū diceretur va-
3 care in Curia, non aurē † extra. per Rot. decis. 86. & 33. * in antiq. maxime quia nouæ prouisiones, & iura, erant soluenda in Curia, cum ergo priuatio fit per Papam in Curia posita, ergo diceretur in Curia vacare. quia fuit responsum, quod ex quo, & persona & beneficium erant extra Curiam potius diceretur vacare extra quā in Curia. Et dicebāt isti ꝙ non erat verū, quod Ordinarius esset aliquo modo in culpa si prouisus nouam prouisionem infra tempus non expedisset; sed tantū erat in culpa ipse prouisus, & ideo culpa prouisi nō debebat ipsi Ordinario imputari, & ideo poterat post talem vacatione iterum conferre. Aliqui vero, inter quos ego erā, dixerunt, quod cum Papa post sex menses annullaret prouisionem, quod cum annullatio actus, sit pęna etiam respectu ipsius Ordinarij, quod videbatur inconue-
4 niens, quod ex illo † actu vnde merebatur pęnam, & sibi etiam Ordinario pęna imponebatur, quod deberet aliquod commodum reportare. Item, quia hoc modo in infinitum procedendo Camera posset suis iuribus fraudari, & infinitas de iure reprobatur.

* Aduerte, quod in ista causa, die 8. Ianuarij 1546. fuit resolutum, quod ex quo per prouisionē factā per Ordinariū de beneficio reseruato, licet per nō expeditionem nouæ prouisionis, infra sex menses esset resoluta, quod reseruatio beneficij expirauerat. per decis. Rotæ 180. alias 63. de rescr. & 207. in antiq. & decis. 283. alias 24. de præben. & Gemin. cons. 30. col. 3. Et ideo cū expirauerit reseruatio, & beneficiū iterū post sex mēses vacauerit, quod de eo auctoritate ordinaria iterum potuit Ordinarius disponere, & cū amplius non sit reseruatū, & secundo prouisus non teneatur soluere iura Cameræ, quod in hoc Camera foret læsa, & ei non esset succursum.

* Alias 1. de præb.

* Alias 2. de pręb.

* Alias 35. de concess. præb.

SVMMARIVM.

Sententia vbi in ea dicitur. lata & publicata. verbum, publicata, importat quod sit lecta.

DECISIO CCCXLVII.

IN vna Brixiensi matrimonij, coram D. Aquensi, die 16. Decembris 1545. fuit decisum; quod si notarius diceret in fine sententiæ. lata & publicata fuit. &cæt. quod illud verbum, publicata importaret lectionem sententiæ. per decis. Cassad. 4. de dolo & contumacia.

SVMMARIVM.

In causa Parmensi vallium, testes deponentes de fama, probarunt.

DECISIO CCCXLVIII.

IN causa Parmensi vallium, die 23. Decēbris 1545. fuit conclusum, quod testes duo, deponentes de publica voce & fama, de deficientia lineæ Vicecomitum, probarent, attento quod ab anno 1452. ad hodiernum diem erant lapsi 93. anni, & satis diceremur esse in antiquis. Et quod isto casu non debebat haberi respectus ad initium litis, quod fuerat de anno 1517. quia non probabant de fama, de eo super quo erat lis. quia tunc attenderetur principium litis. eo quia tunc possibile fuisset quod fama ortum habuisset ab ipsa lite. Sed in casu nostro, ex quo non erat lis super deficientia dictæ liquia

SVMMARIVM.

Porrectio sola facta per procuratorem, quo casu non fuerit sufficiens ad præstandum consensum, post obitum principalis.

1 *Referens an habeat vim nouæ dispositionis.*
2 *Mandatum ad præstandum consensum, an dicatur constare ex assertione notarij dicentis, quia mandatum est iam datum.*
3 *Consensus per litteras præstitus, an validus.*
Consensum non præstare, vel præstare sed inualide, parificantur.
4 *Solennitas eadem quæ requiritur in executione alicuius actus, requiritur quando constituitur procurator ad exercendum illum actum.*
Resignans per aliū, ipse resignare videtur.
5 *Fraus vt tollatur, larga fit interpretatio.*
6 *Consensus post obitum per procuratorem, quando præstari posit.*

DECISIO CCCL.

IN causa Ouetensi Archidiaconatus de Tineo, proposui dubium, die 11. Ianuarij 1546. An ex sola porrectione supplicationis per Petrum de Lada facta, absque mādato stipulato per Sebastianum in infirmitate resignatio sit ita perfecta, vt si Sebastiānus sine dicto mandato stipulato, mortuus fuisset, archidiaconatus vacasset per resignationem, & non per obitum Sebastiani; & si erat necessarium mandatum Sebastiani ex quo in infirmitate fuit stipulatum obstet regula de infirmis, & detur copia litterarū quarum tenor erat talis. Mitto tibi quasdā supplicationes ordinatas, facias mihi gratum, vt illas signari facias, & statim quod erunt signatæ, vt procurator præstes consensum in copijs illarum, quia mandatum est iam datum, & reliqua. Dicebatur pro parte affirmatiua, quod ex quo eramus in eo qui poterat de nouo actum facere, quod licet relatum non reperiretur, quia non constabat de aliquo mandato antea facto ta-
1 men † referens habebat vim nouæ dispositionis. ad Alexan. Ias. & Moder. in auth. si quis in aliquo, C. de edeo. Felin. in cap. 2. vbi multa ponit de rescript. Item quod illa verba, quia mandatum est iam datum, videlicet vigore istarum litterarum, ex quo non constabat de alio mandato. Nec obstabat quod pro parte negatiua dicebatur. videlicet quod tunc referens inducat nouam dispositionem, quando de relato non constat, vbi relatum explicite refertur. in casu autem nostro relatum totum non explicite referebatur, quia dicebat consenties vt procurator, quia mandatum est iam datum; & tamen poterat esse quod illud mandatū esset modificatum, vtputa cum pensione, vel regressu. Ex quo ergo non explicite totus tenor referebatur, tunc referens non videbatur de nouo disponere. Quia fuit replicatum, quod satis erat quod explicite referrentur illæ qualitates, quæ erant sufficientes ad præstandum consensum vt procurator, quia litteræ dicebant quod præstaret consensum vt procurator, quia mandatum erat iam datum: & istud sufficiebat ad faciendum Petrum procuratorem ad effectum vt possit cōsentire. Et illæ quæ dicebat quod erant aliæ qualitates in illo mandato antea concesso, debebat id probare, per ea quæ alias tentum fuerat in causa Toletana, seu Gadicensi decimarum. Tamen istis nō obstantibus Domini concluserunt pro parte negatiua. probato quod notarij Cancellariæ, & Cameræ, ex eorum stylo vigore illo-
2 rum verborum, quia mandatum † est iam datum, non extenderant consensum, nisi doceretur de mandato illo, nam cum ex tali stylo, tunc probaretur quod consensus per
3 litteras præstitus, † non esset formiter & perfectæ præstitus, perinde esset ac si non esset præstitus, quia paria sunt non præstare, vel inutiliter præstare. Item & secundo, dicebatur quod ex quo, secundo loco, Sebastianus dederat mandatum constitutus in infirmitate, quod ex hoc declarauerat voluntatem suam, quod non fuerat voluntas eius vt vigore litterarum consensus exteodi potuisset, sed quod vigore mandati extendendus erat. Item & tertio, Domini dicebant, quod ex ipsismet litteris colligebatur, quod Sebastianus perfecte resignare, vigore litterarum missiuarum, nolebat. quia dicebat, quod hoc faciebat propter quamdam necessitatem, & quod volebat stare armatus, & quod poterat illo, scilicet mandato vti, quandocumque voluisset. & sic quod mens non videbatur deliberata ad resignandum. Ad secundam partem dubij * fuit dictum per omnes, quod si mandatum erat necessarium quod ex quo in infirmitate erat stipulatum, quod obstabat regula de infirmis. ex quo Sebastianus decesserat infra viginti dies. * Nec obstabat quod regula tantum loquitur de infirmo resignante, non autem de constituente procuratorem ad resignandum, quia fuit dictum
4 quod eadem solennitas † quæ requiritur in executione alicuius actus, requiritur quādo constituitur procurator ad exercendum illum actum. vt per Soc. & Ias. in l. 1. §. item acquirimus.

* Ad istam secundam partem dubij, vide Sarlensem in regula de infirm. resign. quæst. 11.

* Regula de infirmis loquens in resignante, locum habet, vbi quis in infirmitate constituetur cōstituit procuratorem ad resignandum.

colum. 2. ff. de acquir. possess. Item, quia qui
per alium resignat. ipse resignate videtur.
alias de facili fraus regulæ fieri posset, vt
videlicet quilibet infirmus constitueret pro
curatorem ad resignandum, & ille post obi-
tum præstaret consensum, & sic regula frau-
5 dari posset. quo casu, vt † fraus tollatur fit
lata interptetatio. ad glos. in cap. quamquã
de vsur. lib. 6. Nec obstat quod dicebatur,
quod regula loquitur quãdo consensus præ
statur per viuentem, quia tunc requiritur
quod ille resignans, viuat per viginti dies
post præstitum consensum. secus quando præ
statur consensus post obitum, vt erat in ca-
su isto. quia cum verba regulæ in isto casu
non conuenirent, dicendum erat, quod regu-
la non loqueretur in casu in quo præstare-
tur consensus post obitum, quia fuit dictũ
quod istud argumentũ tollebatur ex ijs, quæ
dicta fuere in primo dubio. ꝙ ex litteris non
erat datum sufficiens mandatũ, nisi ad por-
rigendum, & ideo illud quod dicitur, quod
6 facta porrectione per procuratorem, † po-
test postea præstari consensus post obitum,
locum habet vbi mandatum procuratoris
est simplex ad resignandum, & ita intelligi-
tur Cassador. decis. 1. de renunc. non autem
vbi est conditionatum, & qualificatum ad
portigendum, & quod vigore alterius man
dati extendatur.

SVMMARIVM.

Ignorantia reseruationis, cujus indagatio
erat necessaria, quando fuit reputata
probabilis, & quando non.

1 *Prouisus an teneatur indagare, an benefi-
cium sit reseruatum.*
2 *Indagare quæ quis teneatur.*
3 *Familiaritas de antiquo si non fuerit in-
dagata, an impetrans excusetur.*
4 *Regula reseruatoria octo mensium, an pro-
babilis ignorantia.*
5 *Vacatio si fuerit inducta ob non expeditio-
nem litterarum, faciendam in Cancella-
ria in beneficijs collatis ab habente indul-
tum, an collatio deuoluatur ad Papam.*
*Dispositum censetur id, quod ex verisimili
mente concedentis veniret.*

DECISIO CCCLI.

IN vna Abulensi beneficij de Villatoro, coram D. Io. Paulo, die 12. Ianuarij 1546. in qua Ordinarius vigore indulti Apostolici, in quo aderat clausula, quod de beneficijs reseruatis, & excedentibus
summam vigintiquatuor, teneretur infra
sex menses, nouas prouisiones expedire, &
iura Cameræ soluere. Fuit dictum, quod si
beneficium erat reseruatum, quia mortuus
erat Accolitus, non de participantibus, eo
quia nõ incedebat in habitu, quod erat pro
babilis ignorantia talis reseruationis, quia
1 licet vigore † suæ prouisionis prouisus tene
retur indagare, an beneficium esset reserua
tum per ea quæ dicit Rota decis. 108. * in
antiquis. tamen quia ista indagatio erat
2 difficilis non tenebatur quis indagare, † nisi
ea quæ de facili scire possunt. per not. per
DD. in l. quamdiu. C. qui admitt. Item
etiam fuit dictũ, quod erat probabilis igno
rantia si beneficium esset reseruatum per
3 obitum familiaris, cuius familiaritas † erat
tempore Leonis. ex quo illa familiaritas vi-
debatur antiqua, & prouisio erat facta in
partibus; itaque cum difficultate etiam
talis familiaritas sciri poterat, & quod
ita in simili in vna Gerundensi de familia-
ritate temporis Alexandri, fuerat decisum
coram bo. mem. Raynaldo. vt annotaui in
primo libro mearum annotationum
decis. 142. Sed si beneficium erat re-
seruatum, quia vacauerat in mense Apo-
stolico reseruato, quia regulæ reseruatoriæ
4 octo † mensium non est danda probabilis
ignorantia, quod isto casu erat sibi impu-
tandum si non indagasset reperire talem
reseruationem, & decreto satisfecisset.
Fuit etiam in eadem conclusum, quod ex
quo decretum * dicit. quod si non
expediuerit infra sex, quod be-
neficium eo ipso vacet, quod ex
5 verisimili † mente Papæ volentis
prouidere indemnitati officialium,
prout dixi sup. decis. 346. hoc lib. 2.
quod prouisio deuolueretur ad ip-
sum, & si Papa fuisset interrogatus,
id disposuisset. ergo habetur pro disposito.
ad glos. communiter approbatam. in l. tale
pactum. §. fin. ff de pact. & ita non erat ve-
rum quod aliqui dicebant, quod iste casus
foret à Papa in indulto omissus. quia
statim quod Papa voluit inducere
vacationem post sex menses, fa
uore officialium, ex verisi-
mili mente ipsius
prouisio erat
ad Papam
deuo-
luta.

* Alias 1. de rer. permut.

* Decretũ. vbi habet, quod si infra sex menses, non soluerit iura Cameræ beneficium, eo ipso vacat, prouisio dicti beneficij ex verisimili mente Papæ, est ad Papam deuoluta.

SVM.

SVMMARIVM.

Testes examinati in iudicio retinendæ non probant in iudicio recuperandæ.

1 *Testes examinati in primo iudicio, quando probent in secundo, & num.4.*
2 *Interdicta retinendæ, & recuperandæ contraria, & in quo, & num.3.*

DECISIO CCCLII.

IN vna Anriacensi Paludum, coram D. Prospero, fuit resolutum, die 11. Ianuarij 1546. quod testes examinati in iudicio retinendæ, non probarent in iudicio recuperandæ. Tamen quia secundum iudiciũ
1 tendit ad diuersum finem: quo † casu testes examinati in primo non probant in secundo etiam inter easdem personas, secundum Bart. in l. 2. C. de eden. & ibi Curt. Iun. numer. 99. & ibidem Dec. num. 62. col. pen. & in isto casu, fines non dum diuersi, sed cõtrarij, cum in iudicio retinendæ oportet dice-
2 re † se possidere etiam tempore litis, prout ita debet concludi. ad text. in l. 1. in princ. vti possidet. & in §. retinenda inst. de interdict. & ibi Aret. in secundo autem dicat, ad-
3 uersarium possidere, † & ipsum spoliasse. Secundo, quia pront dicit Bal. post Cin. in eadem l. 2. vbi iudicia sic se habent, quod
4 absolutoria lata in primo, † non parit exceptionem in secundo, tunc testes primi non probant, & ita sequuntur Alexan. & Ias. & omnes ibi. & Felin. in c. causam quę el primo. col. 1. in 3. declaratione. de testib.

SVMMARIVM.

Beneficium vacans in mense reseruato per regulam reseruatoriam octo mensium, subiacet decreto indulti, quod de beneficijs reseruatis teneatur nouas prouisiones expedire.

1 *Regula Cancellaria an probabilis ignorantia, & num. 2. & 3.*
2 *Reseruationis, an probabilis ignorantia allegari possit.*
3 *Regula Cancellaria ligant etiam extra Curiam.*

DECISIO CCCLIII.

FVit resolutum in vna Abulensi beneficij de Villatoro, die 15. Ianuarij 1546. coram D. Io. Paulo, quod beneficium vacãs in mense reseruato per regulam reseruatoriam octo mensium, subiaceret decreto indulti concessi Cardinali Farnesio, de cõsensu Episcopi Abulensis, in quo decreto dicebatur, quod de beneficijs reseruatis excedentibus ducatos vigintiquatuor, deberet expediri noua prouisio. quia cum per dictam regulam esset inducta reseruatio, & sic qualitas decreti in eo verificaretur, debebat subijci ipsi decreto. Non obstat quod regula esset tẽporalis, donec expeditio expectatiuarũ fieret, & sic eũ beneficium vacasset post expectatiuas concessas, cessabat reseruatio, quia fuit dictum, quod iterum, & de nouo de anno 1540. dicta regula erat innouata, & beneficium post innouationem vacauerat, ante concessionem expectatiuarum. Non obstat quod regulæ Cancella-
1 riæ † poterant ignorari iuxta decis. Cassad. 3. num. 7. in tit. de reseruat. quia fuit dictũ quod licet Cassad. in d. decis. ponat quod duplex est reseruatio, vna notoria, quæ est illa, quæ est inserta in corpore iuris, alia
2 quæ non est ita notoria, † & ista potest ignorari, tamen Cassadorus nõ dicit quod ignorantia sit licita, & cum regulæ publicentur in Curia earum non est probabilis ignoran-
3 tia, & quia etiam extra † Curiam ligant vt per Sarnensem in proœmio regularum q. 2. num. 11. vbi dicit istam esse communem, Et tanto magis in casu nostro non est licita ignorantia vbi tractatur de lucro prouisi, & de damno officialium.

SVMMARIVM.

Statuto Vrbis, quod causa nullitatis possit infra annum prosequi, non sufficienter derogatum per commissiones, de quibus hic.

1 *Instantiam peremptam instaurare, an concedatur de iure communi.*
2 *Instantia perempta in prophanis importat peremptionem litis & causæ, secus in beneficialibus.*
3 *Ipso iure, vel per exceptionem, an importent illa verba, nullatenus.*
4 *Actio si sit sublata per statutum ob non seruatam solennitatem, an censeatur sublata ipso iure.*
5 *Iurisdictionis defectus, quando prouenire dicatur ex statuto perimente litem.*

DECISIO CCCLIV.

IN causa Romana dotis, pro Paulo de Sarazanis, contra Iuliã de Albertonibus dubitaui ego die 15. Ianuarij 1546. An per commissiones, de quibus fol. 680. & fol. 880. pro parte Pauli præsentatas, sit sufficienter derogatum statuto, itaut post lapsum temporis possit D. Paulus causam nullitatis prosequi. Fuit resolutum, quod per dictas commissiones non esset sufficienter de-

rogatum. quia si commissiones bene viderentur, tantum per eas instaurabatur instantia perempta, non autem ius. inter quæ maxima erat diuersitas. quia instaurare
1 instantiam † peremptam, de iure communi conceditur. iuxt. not. in l. properandum. in princ. C. de iudic. sed restaurare ius peremptum, difficilius. propter regulam de non tollendo iure quæsito. Et quod statutum tolleret nō solum instantiam, sed & ius, fuit ponderatum in illis verbis. lis ipsa, & instā-
2 tia. cum in prophanis † peremptio litis importet peremptionem iuris; causæ & instantiæ. licet secus sit in beneficialibus. iuxta not. in l. postquam liti. C. de pact. vbi in prophanis, cedens liti, censetur iuri instantiæ & causæ cedere, Item dum dicitur quod nullatenus super nullitate audiatur. fuit dictum, quod importaret ipso iure, non autem per exceptionem. quia istud impor-
3 tant † illa verba. nullatenus. prout dicit Claud. in l. 1. §. sublata. ff. ad Trebell. Item quia quando non seruatur solennitas, & statutum tollit actionem, tunc dicitur ipso iu-
4 re tollere. † prout dicit Ias. in d. §. sublata. col. 2. in princ. in limitatione prima. Item dicebatur, quod in secunda commissione sanabantur nullitates, præterquam ex defectu iurisdictionis. & hic erat defectus in
5 iurisdictione, † ex quo statutū peremerat litem ipsam. de qua peremptione non fuit facta mentio. Et ideo in prima commissione, cum ministerio fuerat dictum, quod instantia erat perempta, & forte acta probatoria, de peremptione autem iuris, nulla erat facta mentio, & ideo commissio erat subreptitia.

SVMMARIVM.

Tertius assistens de necessitate alteri, quas exceptiones possit opponere.

1 *Publiciana quando possit obijci per assistentem liti.*
2 *Exceptio peremptoria ex persona propria comparentis competēs, quādo opponi possit.*
3 *Alienatio si est facta citra fraudem, venditor an possit excludi, etiam quod persona emptoris sit legalior.*
4 *Decretum iudicis requiritur in alienatione rerum minoris.*
Procedit etiam in Principe minore alienante.
5 *Solennitas non enunciata, an præsumatur in contractu. Et quid ex diuturnitate temporis, num. 7.*
6 *Publiciana an competat pro re pupilli minus solenniter alienata.*
8 *Publiciana non datur contra dominum.*
9 *Præscriptio decennalis an causet dominium.*
10 *Successor particularis an ligetur confessione sui auctoris.*
11 *In mala fide an dicatur ille, qui super re ab alio, empta procurat noua instrumēta.*
12 *Præscribere an possit dubitans.*
13 *Præscriptio quæ requiratur aduersus Imperatorem.*

DECISIO CCCLV.

IN causa Parmensi vallium, die 18. Ianuarij 1546. proposui dubium, An publiciana suffragetur Illustrissimo Duci Ferrariæ. & tempora possessionis eiusdem Ducis, coniungantur cum possessione Nicolai, ad præscriptionem perficiendam. Circa primum dubium, pro parte Corrigiēsium dicebatur, quod Dux Ferrariæ non poterat assistendo publicianam obijcere. quia non poterat so-
1 la sua † comparitione, intentionem Corrigiensium, contra Comitem de Sala successorem Nicolai, deteriorem facere. ex Paul. de Castro. in l. si actor. ff. de procurat. in princ. & col. 2. iuncta Bart. doctr. in l. 2. §. opus. ff. de alien. iud. mut. can. fact. & ex Soc. consil. 91. vol. 3. Sed huic fundamento fuit responsum, quod cum Dux Ferrariæ esset necessarius defensor, vt iam resolutum erat, quod poterat opponere exceptiones ex per-
2 sona sua competentes, † quādo exceptio est peremptoria. secundum Bal. consil. 3. vol. 1. ponit Aret. in rubr. de except. col. 9. vers. sed nunc aduerte. & ita dicit etiam Soc. in d. cons. 91. in vltimo dubio. Et quod dictum Paul. de Cast. in d. l. si actor. procedit quando sumus in casibus notatis in l. 1. & 2. ff. de alien. iud. mut. cau. fact. & tunc si actor propterea perdit actionem. iux. tex. in d. l. 2. §. si opus. tunc procedit dictum Paul. de Castr.
3 Immo quando † alienatio est facta citra fraudē, venditor non potest excludi, etiam ꝙ persona emptoris sit legalior. vt declarat Fulgos. in d. l. si actor. in final. verbis. Secūdo dicebatur pro parte Corrigiensiū, quod dato ꝙ Dux Ferrariæ doceret de permutatione facta cū Bona Ducissa Mediolani, vt matre, & tutrice filij sui pupilli; tamen quod in illa permutatione, non cōstabat de decreto iu-
4 dicis, † quod in alienatione rerum minoris, est necessarium. iuxt. tex. in l. 1. ff. de reb. eo. & illa solennitas, etiam ligat Principem minorem. secundum Bart. in l. quidam consulebat. colum. fin. ff. de re iudic. nec poterat dici, quod ex diuturnitate temporis, talis solennitas præsumeretur. ex quo in contractu non erat enunciata. secundum Decium in c. quoniam contra. colum. 24. versic. vltimo. & cæt. de probat. Brun. in tractat. de forma char. 84. colum. 2. versic. quid si decretum. Cassador. decis. 3. de procurat. Dec. consil. 37. Et ideo, cum res pupilli minus † solenniter esset alienata,

quod

ꝙ non competebat publiciana, per tex. cũ glo. in l. cum sponsus. §. si res, & in l. cũ qui. §. si à minore. ff. de public. fuit responsum,
7 quod immo † ex diuturnitate præsumuntur etiam * solennitates non enunciatæ, vt per Ias. in l. qui in aliena. §. 1. de acquir. hære. Alex. in l. 2. §. voluntate. ff. solut. mat. Ias. in l. sciendum. ff. de verb. oblig. Tiraquel. in tract. de ll. connubialib. fol. 222. Tertio pro parte Corrigiensium dicebatur, quod publiciana, non da-
8 tur contra † dominum, vt not. in §. sed istæ. instit. de act. & cum Corrigienses essent inuestiti ab Imperatore, ab eo in ipsos erat translatũ dominium. Ad istud fuit responsum, quod inuestitura non probabat dominium, nisi inter inuestitos. cum autem Dux Ferrariæ non esset de illis, non poterat probari dominium, ex inuestitura cõtra ipsum Ducem. Quarto dicebatur, quod Corrigienses post inuestituram factam de anno 1452. posséderant vallem, antequã deueniret ad manus Ducis Mediolani, per 19. annos, & sic ex tali possessione eis erat quæsita præs-
9 criptio, & ex præscriptione † decennali quæritur dominiũ, vt per Bar. in l. rem alienam. col. antep. ff. de pign. act. Ad istud fundamentum fuit responsum, quod cum Dux Ferrariæ & Corrigienses, essent diuersæ prouinciæ, quod si qua præscriptio erat consideranda, illa erat inter absentes, ergo requirebantur viginti anni. Item dicebatur retorquendo, quod cum Dux Ferrariæ, post permutationem possedisset per decem & octo annos similiter haberet præscriptionem decennalem. & ex tali præscriptione, ipsi Duci esset quæsitum dominium. Tamen quia erat inter absentes non poterat currere, nisi præscriptio viginti annorum. Quinto, pro parte Corrigiensiũ fuit dictum, quod sicut confessio Nicolai quod vallis esset feudalis, nocebat Comiti de S..la eius successori, ita etiam esset dicendum in casu nostro, quod confessio Manfredi, qui vallem ab Imperatore recognouerat, noceret cuicunq; etiam successori particulari, cum Dux Ferrariæ, esset successor particularis Ducis Mediolani, qui erat successor Manfre-
10 di, & quod successor † etiam particularis, ligetur confessione sui auctoris, probatur in l. si præses. in glos. fin. C. de pignor. & in l. si superatus. ff. de pignor. Ad istud fundamentum per quod Rota fuit mota in fauorẽ Corrigiensium, nil aliud fuit responsum, nisi quod non constabat in facto, quod Dux Mediolani, ex cuius persona veniebat Dux Ferrariæ, veniret ex persona Manfredi, sed dicebatur constare, quod veniebat ex persona Antonij alterius fratris de quo non constabat, quod ratificasset inuestituram, & ideo erit videndum, quod ex actis constet. Circa secundum dubiũ, fuit resolutum, quod si Dux Ferrariæ volebat coniungere tempus Nicolai, cum suo tempore debebat illud, cũ suis qualitatibus acceptare. Et cũ Nicolaus, per prius vallem ab Imperatore recognouisset, iam tunc habebat conscientiam rei alienæ, & quando quis procurat. noua instrumenta super re iam ab alio empta
11 ille, † dicitur esse in mala fide secundum Capic. in decis. Neapolit. 86. num. 12. & 13. facit quod scribit Alex. cons. 187. col. 3. vol. 2. Et quamuis liceat vnicuiq; accumulare iura iuribus; tamen non ideo minus cessat habere conscientiam læsam, quod res illa sua non sit. vel saltem negari non potest, quin tunc cum secundo loco emit, non dubitauerit ad quem res pertineret. Sed dubitans * non
12 præscribit quando ab initio emptionis † habebat causam dubitandi, secundum Card. Paris. in c. illud. de præscript. num. 13. & in c. fin. nu. 48. eod. tit. Item dicebatur, quod etiam, quod coniungerentur tempora Ducis Ferrariæ, cum tempore Nicolai, tamen illa tempora non constituebant qua-
13 draginta annos. Et ideo aduersus † Imperatorem non erat præscriptum, cum contra eum ad minus requirebatur præscriptio quadraginta annorum. secundum Felin. in c. ad audientiam. col. 6. de præscript. Balb. in tract. præscript. in 12. quæstione principali q. 1. Et licet contra Corrigienses daretur aliqua præscriptio, quia tamen Maximilianus cesserat iura sua, inuestiendo Corrigienses, ex iure cesso poterant agere.

* Solennitates, etiam non enunciatæ ex diuturnitate temporis præsumuntur. Vide vnam distinctionem, quã ponit Felin. in c. Albericus. col. fin. vers. sed quantũ ad propositũ. &c. de testib. & ibid. Felin. col. 2. vers. item in quantum dicit hic solenni ter. &c. & in vna Vicen. Casalium, die 16. Apr. 1546 fuit resolutum, coram D. Io Paulo, quod solemnitates extrinsecæ, nõ enunciatæ in alienatione rei Ecclesiæ, vt puta, quod ille, qui alienauit esset talis, vt erat in casu illo, in quo quidam præceptor alienauerat, & quod confirmans esset Generalis illius Ordinis, item quod tractatus, & alia necessaria interuenissent præsumerentur ex cursu 70. annorum, vt erat in casu illo, data obseruãtia cõtractus, per illud tempus secũdum Dec. cons. 36. col. 5. prope fin. vers. vltimo. nõ obstat, & con. 341. col. 6. ver. non obstat si dicatur Ias. in l. sciendum. col. 7. in 4. limitat. ff. de verb. oblig. Feli. in c. sicut. col. 17. vers. 7. & vlt. &c. de re iudicat. & isti DD. sentiunt, quod data obseruantia cõtractus sufficiant 30. anni, vt expresse dicit Cassador. decis. 3. de procur. Et ista de plano procedebat in illa Vicen. Casalium. quam tunc proponebat D. Io. Paulus. in qua de nullitate alienationis, non erat successor in Monasterio, qui diceret de nullitate. sed erat tertius, & ideo bene omnia præsumebantur, quia respectu Ecclesiæ, & in eius fauorem contractus potest claudicare; vt per Ias. in l. cum hi. §. eã transactionem. ff. de transact. sed idem crederẽ esse vbi Rector egisset. de nullitate, quia ita sẽtiũt dd. in locis superius allegatis.

* Dubitans an possit præscribere.

S V M M A R I V M.

Remissoria ad probandum famam dotationis, & priuilegij, quo casu concessa.

1 *Quasi possessio iuspatronatus in potente an præsumatur in vsurpatione quæsita.*
2 *Iuspatronatus in antiquis an ex solo fama probetur.*
3 *Iuspatronatus in Ecclesia conuentuali non acquiritur absq; priuilegio.*
4 *Remissoria an detur ad probandum priuilegium.*

DECISIO CCCLVI.

IN vna Elnensi de Corniliano, coram D. Mohedano 18. Ianuarij 1546. factum tale erat. quod prioratus cuiusdam monasterij de quo agebatur, libere per longissimũ tempus erat collatus à Papa, nulla facta mentione de patronatu, nec ei derogando, præterquam quod vltimus status, qui fuerat per resignationem, fuerat ad præsentationem Imperatoris, sequuta institutione facta per Papam, & erat sortita effectum. & in litteris narrabatur, prioratum esse ad præsentationem Imperatoris, ex priuilegio Apostolico. Et licet Rota dixisset, quod ex vnico actu quæratur possessio præsentãdi, tamen ex vnico actu non præsumitur bona fides, si aliter non probetur; maxime in potẽte. in quo Rota semper tenuit, quod præsu-
1 meretur † quæsita ex vsurpatione. Et ideo ad tollendum istam præsumptionem, fuerũt examinati duo testes in Curia. qui deposuerunt de publica voce & fama, quod prioratus esset de iurepatronatus ex dotatione, & fundatione Comitum de Rossilione, & quia illi testes erant iuuenes, fuit dictum quod daretur remissoria in partibus ad probandum melius illam famam cum fama in
2 antiquis bene probata † probaret. non dico iuspatronatus, quoniam illud non probatur ex sola fama, etiam in antiquis, nisi etiam detur longa possessio. sed illa fama bene probata, probaret dotationem, & fundationem. & sic tollebat illam malam fidẽ Imperatoris, quæ ex vnico actu præsumebatur. Tamen quia pro parte aduersarij fuit replicatum, quod cum essemus in monasterio Conuentuali, quod nõ sufficiebat probare dotationem, & fundationem, sed etiam necessarium erat probare priuilegium Apostolicum, cum absque eo non poterat in Ec-
3 clesia Conuentuali haberi † iuspatronatus. ad c. nobis. de iurepatr. maxime quod in vltimo statu Imperatoris dicebatur prioratum pertinere ad præsentationem eius ex priuilegio Apostolico, & quia de isto priuilegio non dabatur fumus, dicebatur quod non erat danda remissoria maxime, quia
4 priuilegium † non poterat probari per testes, nisi probata amissione per text. & ibi not. per Abbat. in c. cum olim. de priuileg. & quod facile, per inspectionem in Archiuio, poterat fieri probatio, an adesset tale priuilegium. Tamen quia Domini videbãt quod testes deponebant non solum de fama ex dotatione & fundatione, sed etiã quod esset de iurepatronatus Comitum, & iuspatronatus non poterat esse sine priuilegio. Item, quia Procurator Aduersariorum contra regium procuratorem in quodã instrumento requisitionis eorũ; vt procurator regius relaxaret fructus sequestratos, dixerat quod à tercentum annis quidã Berengarius Comes de Rossilione, donauerat Ecclesiam & omnia iura quæ in ea habebat, cuidam Abbati. &c. quod satis præsupponebatur, faciendo mentionem de donatione, quod per prius fuisset Comitis, & faciendo mentionẽ de iure, etiam includebat iuspatronatus, quod non poterat haberi sine priuilegio. Et ideo quod ad fumum pro remissoria concedenda, omnia ista sufficiebant.

SVMMARIVM.

Acceptatio nulla scienter facta, consumit gratiam.

DECISIO CCCLVII.

IN vna Tullensi parochialis, die 18. Ianuarij 1546. fuit resolutum, quod scienter acceptans beneficium, quod scit, vigore gratiæ suę, ad eum non pertinere, dicitur consumere gratiam. ad cons. Roman. 329. in princ. Oldrad. cons. 229. Difficultas remansit, an scienter acceptasset.

SVMMARIVM.

Ex quibus resolutum, quod probaretur consensus Capituli maioris, in erectione collegiatæ.

1 *Genus quando in vna specie verificari potest, an de illa solum sit intelligendum.*
2 *Bulla verbis an sit standum.*
Consensus, an semper apponatur à tergo bullæ. & valeat argumentum, non appositus, ergo non præstitus.
3 *Fama, quam probationem faciat.*
4 *Consensus qui ex facto elicitur, an extendatur vltra limites facti.*

DECISIO CCCLVIII.

IN causa Salamantina præeminentiarum 27. Ianuarij 1546. proposui dubium. An ex testibus deponentibus de publica voce, & fama, etiam ante litem, & ex litteris expeditis, ac ex testibus in partibus nulliter examinatis, ac ex eo quod clerici Capituli maioris elegerunt post erectionem collegiatæ Abbatem, probetur consensus Capituli maioris, ad effectum vt bulla erectionis non sit subreptitia. Et fuit resolutum, quod ex omnibus istis probaretur consensus. & in primis ponderabantur verba bullæ, dum dicebatur. pro parte Regis, & cleri maioris. q illa verba intelligebantur de Capitulo maiori. ex quo enim in alio clero maiori quã in Capitulo maiori non poterant illa verba veri-

verificari, de illo erat intelligêda. quia † ge- 1
nus quod in vna specie verificari potest, de illa intelligêdum est. ad not. in l. 1. ff. de lib. & posthum. quod confirmabatur, ex quo in eadê Bulla, in vers. statuentes. dicit Papa, quod electio Abbatis pertineat ad clerum huiusmodi, prout ex antiqua consuetudine pertinebat electio Archipresbyteri. sed antiquitus pertinebat ad Capitulum maius, ergo manifeste patet, quod illa verba, cleri maioris, de Capitulo maiori erant intelligenda. Cum ergo verba bullæ dicerent. Capitulum maius supplicasse. ergo illis standû
2 erat † donec contrarium probaretur. secundum Geminianum cons. 33. col. 2. in fin. & sequent. Non obstat, quod consensus solet apponi à tergo bullæ, & hic nô erat positus, ergo contrarium erat probatum. quia respondetur, quod illud est verum in consensu ad expeditionê bullæ necessario, sed iste nô est huiusmodi. Secundo fuit dictum, quod aderant testes deponentes de publica voce, &
3 fama, & fama, † semiplene probat. ad not. in c. veniens. de test. Tertio, multû fuit ponderatum, quod isti de Capitulo maiori elegerant Abbatem iuxta formam erectionis. ergo declarabatur ex hoc, quod illa verba posita in bulla erectionis. de supplicatione cleri maioris erant vera. & quod tales electiones, demostrabant Capitulum maius, facto ipsam erectionem approbasse. & talis approbatio consensum inducit. Nec obstat, quod consensus qui ex facto elicitur, non
4 extenditur † vltra limites facti. ad not. per Dec. in c. dilecti. de appellat. & ideo Capitulum maius tantum videretur approbasse factum electionis, non autem alia contenta in eadem bulla. quia fuit responsum, quod istud non procedit vbi sumus in eodem facto connexo. Ex quo ergo omnia erant in eadem bulla conglutinata, censabantur omnia esse approbata. & ex hoc inferebatur, quod si Capitulum maius consensit, quod cessabat subreptio seu obreptio. videlicet quæ opponebatur de taciturnitate Capituli maioris & suarum præeminentiarum. quia si Papæ omnia ista fuissent expressa, non denegasset, vel difficilius non concessisset attento quod ipsimet supplicabât. Nec præiudicium successorum ipsius Capituli considerabatur, attento quod præsentes supplicabant pro collegiata, & vt eius Abbas vteretur pontificalibus. & certe omnium clericorum intererat habere vnam collegiatâ, & Abbatem, qui illa insignia pontificalia haberet. Item & secundo, dicebatur, quod immo Papa habuit notitiam de Capitulo maiori, dum dicit, quod Capitulum maius supplicauit. Item, habuit notitiam de aliquibus eius præeminentijs. videlicet dum dicit, quod eligebat Archipresbyterum. & dum postea dicit, quod erat exemptum à iurisdictione Episcopi, & non obstantibus istis præeminentijs erexit collegiatam. Idê ergo fecisset, vbi de alijs præeminentiis Papæ fuisset expressum. Testes de visu, secundum Dominos, aliquod adminiculum faciebant. sed non magnum fundamentum in ipsis factum fuit.

SVMMARIVM.

Acceptans prouisionem facto, dicitur consentire omnibus in prouisione contentis.

DECISIO CCCLIX.

IN vna Hispalensi cantoriæ, coram D. Prospero, die 27. Ianuarii, & prius coram me, fuit resolutum, quod cum Cardinalis resignasset cantoriam in fauorem Ioannis de Tauera, reseruato sibi regressu, & pensione pro tertio. dato quod procurator, qui habebat sufficiens mandatum ad consentiendum pensioni & regressui, solum consensisset pensioni, non facta mentione de regressu; tamen ex quo acceptauerat prouisionem, in qua fiebat mentio de pensione & regressu, diceretur etiam regressui consensisse. Fuerat autem expresse consensum pensioni, ex quo per regulam de expediendis litteris, requiritur præstatio consensus. sed quo ad regressum, nô requiritur consensus partis, cum dependeat à mera gratia Papæ.

SVMMARIVM.

Prouisio Vicarij reuocati per obitum Episcopi, stante ipsius ignorantia, valet.

1 *Legati de latere reuocati in publico consistorio, gesta post reuocationem ante illius notitiam, an valeant.*

2 *Procuratoris reuocati gesta ignorantis, & cum ignorantibus reuocationem, an valeant.*

DECISIO CCCLX.

IN vna Iacensi seu Oscensi canonicatus & præbendæ, dubitauit D. Antonius Augustinus, die 27. Ianuarii 1546. An resignatio facta in manibus Vicarii generalis Episcopi, mortuo antea per sexdecim dies Episcopo, subsistat. non constito quod obitus Episcopi peruenerit ad notitiam Vicarii generalis, licet verisimiliter potuerit. Et fuit resolutum quod sic. quia si valent gesta per Legatum, expresse etiam in publico Papæ consistorio reuocatum, post reuocatio-
1 nem ante † illius notitiam. ad c. audita. de restit. spol. per Cald. cons. 4. de offic. legat.

per

per Barbat. in cap. cæterum. colum. 8. numer. 32. & sequent. & ibi Felin. colum. 7. versic. valet processus. de rescript. ita & hic
3 facit quod dicitur † de gestis per procuratorem ignorantem, & cum ignorantibus reuocationem, quæ valeat. ad l. si mandassē. ff. mand. cap. mandato. de procur. & multa similia possunt allegari. & hoc fauore publicæ vtilitatis ad not. in l. Barbarius.

SVMMARIVM.

Apostoli vbi dantur testimoniales, non tenetur quis infra decem dies committere causam.

DECISIO CCCLXI.

IN vna Fauentina parochialis, coram D. Io. Paulo, die 27. Ianuarij 1546. fuit resolutum, quod quando est appellatum à diffinitiua coram alio Auditore quam qui tulit sententiam, & fuerunt dati testimoniales, quod licet causa non sit commissa infra decē vel vndecim dies, pro vt erat in illo casu, quod per hoc sententia non transiuisset in rem iudicatam. cum tali casu haberet annum ad prosequendum, nec esset tempus restrictum per Auditorem, proue fit quando dantur reuerentiales, quia tunc propter præfixionem termini, quam potest facere iuxt. cap. personas. tenetur intra decem dies committere causam.

SVMMARIVM.

Mandatum de manutenendo quo casu ambobus litigantibus denegatum.

DECISIO CCCLXII.

IN vna Tiburtina, coram D. Antonio Augustino, in qua Nicolaus, ante ortum solis, acceperat possessionem quorundam beneficiorum, & Io. Dominicus in ortu solis vigore regressus quem ad d. beneficia habebat, dubitatū fuit, cui esset dandū mandatū de manutenendo. Et resolutū fuit ꝙ neutri. Nicolao priori non erat dandum, quoniam eius titulus & possessio, propter decretum appositum in regressu Io. Dominici, erant infesti, & ideo non erat manutenendus in possessione vitiosa. Io. Dominico, secundo capienti possessionem, fuit negatum. quoniam stante alio priori possessore, non habebat possessionem. Et ideo fuit mandatum ad effectum tollendi scandali vt poneret Auditor in sequestro ex officio.

SVMMARIVM.

Instrumento translationis pensionis, quæ non obsuerint.

1 *Notarij confessio dicentis se lacerasse an noceat.*

DECISIO CCCLXIII.

IN causa Hispalensi pensionis, dedi dubium, die 27. Ianuarij 1546. An sententia * Auditoris Cameræ, & depositio Notarij, dicentis lacerasse memoriale, præiudicent instrumento translationis pensionis. Et fuit resolutum quod non, quia confes-
1 sio Notarij † dicentis se lacerasse non nocebat per ea quæ dicit Felin. in cap. accepimus. num. 16. de fide instrumentorum, vbi si Notarius dicat amisisse imbreuiaturam suam, non creditur iuramento suo. sententia etiam Auditoris Cameræ non præiudicabat, ex quo in ea dicebatur, quod Notarius nil dolose, & fraudulenter egerat, & à crimine falsi absoluebat. Et tamen, si verum fuisset quod lacerasset illam primam notam originalem, in qua substantia rei consistebat, profecto absolui non poterat, cum veritatem occultasset, & ideo dolosus fuisset. Item, quia in sententia dicebatur, instrumenta à nota discordantia iuxta notam esse corrigenda. Ergo de necessitate oportebat præsupponere, quod esset aliqua nota non lacerata. Item, quia dicebat sententia. propter lacerationem notæ de qua in actis. ergo apparebat quod nota erat producta in actis.

* 8. Febr. 1546. iste punctus iterum fuit positus, & Domini idem tenuerant, quod sententia Auditoris Cameræ, & depositio Notarij non obessent.

SVMMARIVM.

Sententia nulla, an excuset à lapsu fatalium.

1 *Iurisdictio iudicis delegati, an expiret per sententiam nullam.*
2 *Iudex, siue bene siue male pronunciet, functus est officio suo.*
3 *Appellationem non esse desertam, an in dubio pronunciandum.*

DECISIO CCCLXIV.

IN vna Ouetensi canonicatus, & præbendæ, coram me proposui dubium 29. Ianuarij 1546. An sententia nulla, excusaret à lapsu fatalium. Et fuit resolutum quod sic. * quia lex punit negligentiam illius, qui infra fatale non fecit vsque ad sententiam, causam expediri.

* Fuit etiam dicta 22. Martij 1546. quod illa decisio.

non procederet, vbi ſententia nulla, eſſet lata contra illum, qui obtinuerat ſentẽtiã reuocari per viam nullitatis, in vna Cæſaraguſtana Infirmariæ, corã D. Reomano. in qua Petrus de Villaverde obtinuerat tertiam ſententiam contra eum latã. reuocari per viã nullitatis, quia erat lata contra inhibitionẽ A.C. Et tunc aduerſarius petijt executoriales ſecũdæ. & fuit dictũ, quod darentur. quia eſt imputandum ſcienti nullitatem, non procuratori.

diri. cum autem in caſu noſtro, iſte
1 fuerit diligens in tantũ, vt per † ſẽ-
tentiam nullam, iuriſdictio iudicis
delegati, & ſic Auditoris, expirauerit. l. ſi vt proponis. la 1. C. quomodo, & quando iudex. Ergo verum
eſt dicere, quod appellans fecit cauſam finiti. ex quo iudex, ſiue bene,
2 ſiue male † pronunciauit, functus eſt
officio ſuo. & Angel. in l. iudex poſteà quam. de re iudic. dicit, quod inſtantia finitur. Non obſtat, quod nulliter fuerit negotium finitum. & nullum, & inutile equiparentur, maxime quando conſtabat de nullitate ſentẽtiæ ex eiſdem actis, prout erat in caſu iſto. in quo, iudex nulliter pronunciauerat ex defectu citationis, quia non fuerat citatus procurator in actis acceptans. quia fuit reſponſum, quod ex quo etiam iſto caſu, aliqua cadebat excuſatio, & in iudice, & in parte, qui non aduerterat ad illum procuratorem. qui erat procurator ſubſtitutus, & tantũ nil aliud fecerat niſi acceptare cauſã. & poſt illam acceptationẽ comparuerat alius procurator cum nouo mandato habente clauſulã citra reuocationẽ. & iſte procurator nouus, omnia in cauſa fecerat. & eo recedente, fuit decretus proceſſus per audientiam, & non fuit animaduerſum ad illum procuratorem qui acceptauerat tantum. Fuit dictum, quod ex quo erat multum tempus elapſum à die acceptationis, & quod nil aliud fecerat, quod aliqua excuſatio poterat cadere. ſecus vbi nullitas eſſet ita patens, vt nullam excuſationem recipere poſſet, & potius ſaperet dolum quam ne-
3 gligentiam. & quia in dubio, pro † non deſertione erat iudicandum. iuxt. dictum Pau. in l. 2. ſi quis caut. Et in iſta erat caſus, quod bon. mem. Raynaldus tulerat ſententiam in fauorem Fortunij, contra Aluarum Solis, quam poſtea, ex nouiter deductis, D. Fabius reuocauerat, ſed nulliter, dicebat poſtea Fortunius, quod habebat rem iudicatam. ex quo valide cauſa non erat expedita infra biennium.

SVMMARIVM.

Fructuum appellatione in reſeruatione, qui veniunt.

1 *Diſtributiones quotidianæ quæ.*
2 *Communis maſſa, an diſtributiones quotidianæ, vel an ſit loco præbendæ. & nu. 4.*
Communis vſus loquendi, rei qualitatem demonſtrat.
3 *Fructus ſeu pro fructibus beneficij, quæ reputentur.*
5 *Diſtributiones quotidianæ, quando non ſunt alij fructus, an habeantur loco fructuum.*
6 *Diſtributiones quotidianæ an, quod datur ratione perſonalis ſeruitij.*
7 *Diſtributiones quotidianæ ex ſtylo Hiſpaniarum, an ſint omnia quæ dantur ratione intereſſentiæ vnius diei.*
Canonicatus Toletanus exprimitur in 24. & quare.

DECISIO CCCLXV.

IN vna Segobienſi reſeruationis fructuũ, in qua, Ludouicus de Mendoza habebat reſeruatos fructus cuiuſdam portionis Eccleſiæ Segobienſis. & in ceſſione, & reſeruatione fructuum, quæ erant in eadem ſupplicatione, fuerat expreſſum, fructus portionis non excedere 24. & tamen erat probatum, quod quilibet portionarius intereſſendo diuinis vna hora diei, eligenda per portionarium ad libitum ſuum, lucrabatur certum quid. & hoc per nouem menſes, & poſtea dabantur tres menſes recreationis, & habebantur pro intereſſentibus. Item, portionarius, pro intereſſentia quam faciebat ſingulis horis, habebat certum quid. fuit dubitatum per D. Fabium, qui cauſam habebat, die 27. Ianuarii 1546. Præſoppoſito quod fructus ſiue emolumenta Eccleſiæ Segobienſis, diſtribuantur inter intereſſentes vna hora ad beneplacitum ſingulis diebus pro certis menſibus anni. & pro alia parte diſtribuantur inter intereſſentes ſingulis horis cuiuslibet diei, & omnia ſoluãtur in certis paghis. An debeantur omnia Luduuico reſeruatario, vel alias. & Domini fuerunt varii quo ad primam partem dubii, ita ut quaſi eſſent diuiſi. & illa pars quæ tenebat pro Ludouico, quod ei deberentur omnia quæ dabantur pro illa hora ad beneplacitũ,
1 fũdabatur infraſcriptis fundamẽtis. † Quotidianæ diſtributiones dicuntur, quæ dantur per ſingulos dies, & horas. Oldr. conſ. 118. col. 2. ſed hic dantur iſta emolumenta inſeruienti vna hora diei, ideo non debent haberi pro diſtributionibus quotidianis, ſed pro fructibus, & præbenda portionis. Ad hoc adducebatur extrauag. cum nonnullæ. la 1. de præben. inter extrauag. communes. cum declarat, illa tãtum haberi pro diſtributionibus quotidianis, quæ quotidie, pro diurnis & nocturnis horis, diſtribuũtur. & iſtud ſuadebatur ex communi vſu loquendi. cum tales fructus vulgariter nuncuparentur, com-
2 munis maſſa. & communis † vſus loquendi, demõſtrat rei qualitatem. l. librorũ. §. quod tamen Caſſius. ff. de ſuppell. legat. Præterea, cum conſtaret de fructibus aſſignatis, & qui lucrantur pro intereſſentia ſingularum horarum cuiuslibet diei arguitur ſecundos fru-

fructus & non primos, pro distributionibus quotidianis etiam habitos, cum secundi retineant propriam distributionum naturam, alias sequeretur quod pro eadem hora, quis consequeretur duplicatam distributionem. Item cum non esset alia præbẽda ipsius portionis, ne portio esset sine fructibus inter-
3 pretari debemus † talia pro fructibus esse reputata. prout arguit glos. quam omnes sequuntur, in c. vnico. de cleric. non resid. lib. 6. in verbo receperit. vers. sed quid de ces. Item dicebatur quod tribus concurrentibus, prout concurrebant isto casu, quod impossibile erat iudicare, quod isti fructus de quibus in prima parte essent distributiones quotidianæ, propter certum onus annexum. Primo quod nulla alia sit præbenda, secundo quod aliæ sint quotidianæ distributiones pro singulis horis. tertio, quod hæc diuisio non pro singulis horis sit, nec quotidie minutatim fiat. Primum enim ex quo omnia rediguntur in communi massa, licet
4 postea † diuidantur si alia præbenda non sit, videtur locum habere præbendæ vt declarat Bolognin. in addit. ad cons. 10. de Anania 87. Et istud dicit Prob. in c. vnico. col. penult. post princ. vers. quod licet, & in fin. d. col. de cler. non residen. vbi distributiones quotidianæ quando non sunt alij fru
5 ctus † habentur loco fructuum. Item dicebatur, quod cum isti fructus lucrarentur tẽpore recreationum quod non poterant censeri distributiones quotidianæ; Alia vero pars quæ tenebat, quod tales fructus dicerentur distributiones quotidianæ, nitebatur
6 eo fundamento, quia dabantur † ratione seruitij personalis, ad ea quæ habentur per Felin. in c. ad aures colum. penult. versic. tertiadecima conclusio de rescript. Sed huic fundamento alij respondebant, quod cum omne beneficium requirat certum seruitiũ vt puta residentiam, item quod dicat horas canonicas quolibet die, quod hoc attẽto, omnes fructus dicerentur distributiones quotidianæ. Sed ista responsio non satisfacit, quia vt dicantur distributiones requiritur quod detur pro interessentia. Et ideo non obstat quod pro singulis horis, essent & aliæ distributiones deputatæ, quia potuit distributio respectu vnius horæ augeri, & multiplicari, & quia datur ratione interessentiæ non amittit nomen distributionum. Et ideo videmus attento stylo Hispaniæ,
7 quod † omnia quæ dantur ratione interessentiæ vnius diei, appellantur distributiones quotidianæ. Et ideo Canonicatus Toletani valoris millæ ducatorum exprimuntur in vigintiquatuor. Et si teneremus primam opinionem cum illi lucrentur in interessentia certorum dierum. essent fructus, & sic destrueretur stylus, tanto tẽpore in expressione dictorum fructuum, obseruatus. Et licet isti fructus lucrentur tempore recreationis. istud est propter interessentiam alio tẽpore factam. Et multa alia pro vtraque parte fuerunt deducta, de quibus in informationibus; Et quia Domini viderunt materiam periculosam, & difficilem, mandarunt causam concordari.

SVMMARIVM.

Regula reuocatoria Pauli gratiarum concessarum, propter expectantes, an comprehendat creationem in Canonicum à Papa confirmatam.

DECISIO CCCLXVI.

Die 29. Ianuarij 1546. in vna Taruisina canonicatus, & præbendæ, coram D. Peregrino fuit resolutum, quod regula Cancellariæ, publicata die 4. Nouembris 1540. per Paulum, in qua volens de nouo concedere expectatiuas reuocat omnes gratias concessas ad beneficia vacatura, non reuocaret creationem in canonicum, confirmatam per eundem Paulum. Nam licet in regula essent verba generalia, quæ videntur importare talem reuocationem; tamen attento proœmio ex quo mens statuentis declaratur. cum in proœmio dicat volens ambitiosæ cupiditati obuiare. &cæt. certe ex quo creatio in canonicum, per ordinarium concessa est valida ad cap. relatum, & cum dilectus de præbendis, & ipsi Canonico præbenda debeatur. non videtur ambitiosus ille, qui ad Papam recurrit pro confirmatione eius, quod sibi debetur. Item, cum reuocatio fiat ad effectum prouidendi clericis pauperibus. non videtur verisimile quod Papa voluerit clerico gratiam facere de eo, quod alteri debetur. Item in eadem regula apparet quod Papa noluit reuocare gratias, quæ fomentum iuris in se habent. Item, cum ista creatio in canonicum per Papam confirmata, dicatur gratia mixta; regula reuocatoria non videtur casum mixtum comprehendere, ad glos. in Clem. dudum. de sepultur.

SVMMARIVM.

Ius à resignante transfertur in resignatarium, etiam quod resignatarius ignoret reseruationem regressus, & fructuum reseruatorum, cum derogatione regulæ, de præstandis consensibus.

DECISIO CCCLXVII.

Resignatio vbi est facta cũ reseruatione regressus, & fructuũ, cum derogatione

regulæ

regulæ de præstādis consensibus, quo ad reseruationem, si resignatarius acceptat resignationem, licet nullam habeat notitiam de reseruatione regressus & fructuum, dicitur ius esse abdicatū à resignante, & trāslatum in resignatarium per illam acceptationem. ad c. si tibi absenti. nec facit quod resignans non videtur resignasse, nisi cum illis qualitatibus reseruationis regressus & fructuum. Et ideo si non constat, quod etiā illæ qualitates sint acceptatæ, non videtur esse ius translatum. quia fuit responsum, quod reseruatio regressus & fructuum, cum derogatione regulæ, à gratia Papæ dependebat absque vllo consensu resignatarii. & ideo eius consensus non erat necessarius. Non obstat quod resignatarius, intellectis illis qualitatibus, poterat non acceptare portionem resignatam, & ideo ante eius consensum videtur non esse ius quæsitum. quia fuit responsum, quod resignatario scienti qualitates ex post, si portionem nolebat acceptare, erat succursum retrocedendo illam. prout dicimus in regressibus, qui reseruantur sine consensu. in quibus nemo dixerit, quod ius non sit translatum, ex quo resignatarius ignorauit regressum reseruatum. Et ita, die 29. Ianuarii 1546. fuit resolutum in vna Salamantina portionis, coram D. Fabio.

SVMMARIVM.

Archipresbyteratus de Medina del Campo, dignitas ruralis.

DECISIO CCCLXVIII.

IN causa Salamantina præeminentiarum, die 1. Februarii 1546. proposui dubium, præsupposito quod Capitulum maius consenserit creationi. An archipresbyteratus sit dignitas ruralis. & si non, an bulla sit subreptitia. Et fuit resolutum, quod esset dignitas ruralis. nam dato, quod esset in opido de Medina, quod est opidum insigne, tamen quia illa dignitas nō erat in Cathedrali, non poterat dici archipresbyteratus Ciuitatensis. vt in c. officium. de offic. archipresbyteri. ergo erat archipresbyteratus ruralis. iuxta tex. & ibi in summario. in c. fin. de offic. archipresbyteri. & per Ostien. in summa. de offic. archipresbyteri. versic. quot sunt genera. Non obstat, quod Capitulum maius haberet illas præeminentias, quas habent cathedralis, & collegiata, quia per hoc non est. nec cathedralis, nec collegiata. & ideo dum dicebatur, quod si Papa intellexisset dictas præeminentias, quod difficilius cōsensisset erectioni, quia fuit dictum, quod ex quo Capitulum maius supplicauit, quod Papa non fuisset difficilior ad concedendum cum volenti, nulla fiat iniuria.

SVMMARIVM.

Priuilegium quo casu decennio amissum.

1 *Priuilegium per non vsum, quo tempore amittatur.*

2 *Ius patronatus Ecclesiæ conuentualis ædificata, si non est reseruatum, & postea concedatur, an sit mere priuilegium.*
Iuspatronatus si non est reseruatum, dotans vel fundans, non potest præsentari.

3 *Prælatus in Ecclesia conuentuali, debet eligi, & non præsentari.*

4 *Iuspatronatus in beneficijs simplicibus, licet sit gratiosum, non tamen dicitur ex priuilegio concessi.*

5 *Priuilegium facultatiuum, quod sit.*
Priuilegium facultatiuum, quanto tempore amittatur.

DECISIO CCCLXIX.

IN vna Elnensi prioratus, de Corniliano, in qua Imperator de anno 1538. præsentauerat per resignationem ad dictum prioratum, & illa præsentatio erat sortita effectum. tamen quia eramus in potente, dicebatur quod quasi possessio ex illa præsētatione quæsita, præsumeretur ex vsurpatione. & ideo ad purgandum illam præsumptionem, fuerunt examinati testes de publica voce, & fama, quod esset ex dotatione, & fundatione. sed quia istud non sufficiebat, eum essemus in Ecclesia conuentuali, in qua non potest quæri ius præsentandi, nisi sit facta reseruatio tempore fundationis de auctoritate Episcopi. quæ reseruatio in casu nostro nō probabatur. immo Imperator in præsentatione dicebat, quod præsentabat, vt Comes Rossilionis, ad quem ex priuilegio Apostolico ius præsentandi pertinebat. & quia supra decis. 356. hoc lib. 2. fuit dictum, quod decernatur remissoria ad probandum saltem famam priuilegij, dubitauit D. Mohedanus, qui erat Auditor causæ, die 1. Februarii 1546. præsupposito quod priuilegium probaretur, An quia Comites Rossilionis, puta rex Catholicus, & Carolus non erant vsi illo priuilegio spatio 120. annorum, quo tempore multæ vacationes interuenerant, & Papa semper de beneficio, vt libero, non faciendo mentionem de patronatu, nec ei derogando, semper prouiderat, An priuilegium esset amissum. Et fuit resolutum, quod esset amissum. Quia hic non solum interuenerat spacium 10. annorum, quo potuerat vti dicto priuilegio, & non

& non fuerat vsus, sed etiam spacium 120.
1 annorum, quo casu † priuilegium amittitur. per l. 1. ff. de mend. late per Felin. & Dec. in c. cum accessissent. de constit. Non obstat, quod hic non agebatur principaliter de patronatu, sed incidenter deducebatur priuilegium. quia respondebatur, quod si priuilegium, per dictum tempus erat amissum, quod quasi possessio Imperatoris vti recès, remanebat vsurpatiua, & non poterat iam ex priuilegio iustificari. Non obstat, quod hic non essemus in mero priuilegio, quo casu procedunt notata in d. l. 1. & in c. cum accessissent. prout ibi vult Felin. quod rescriptum, quia nititur iure communi, per nō vsum non perditur. ita esset dicendum in casu nostro, in quo priuilegium à dotatione & fundatione dependet, & ei est connexum, & ideo priuilegium non dicitur mere gratiosum. quia fuit responsum, quod postquam Ecclesia conuentualis est ædificata, &
2 in ea non est reseruatum † ius præsentandi, si postea concedatur illud, est mere priuilegium, quia contra obseruantiam iuris communis. vt patet in c. nobis. de iure patron. vbi si non est reseruatum, dotans vel fundans, non potest præsentare. Item, quia † in
3 Ecclesia conuentuali, Prælatus debet eligi, non autem ab vno præsentari. c. 1. de elect. Et ideo, cum priuilegii concessio tendat cōtra obseruantiam iuris communis, dicendū est quod sit merum priuilegium. Et licet
4 ius præsentandi † in beneficiis simplicibus sit gratiosum. c. 3. de iurepatron. tamen non dicitur ex priuilegio concedi. quia statim quod quis dotauit & fundauit, de iure communi, absque alio priuilegio, habet ius præsentandi. Non obstat quod diceretur, quod
5 hic eramus † in priuilegio facultatiuo, quod spacio decem, nec centum non amittitur. iuxta not. per Felin. & Dec. in d. c. cum accessissent. Quia respondebatur, quod tunc erat priuilegium facultatiuum, quando in expressa voluntate alicuius conceditur. prout declarant dicti DD. Et ideo debebatur pro parte Cæsaris de tali qualitate doceri, cum alias præsumatur quod sit priuilegium simplex.

S V M M A R I V M.

Restitutio in integrum, an detur in beneficialibus post quadriennium, vbi constat de bono iure.

1 *Læsio an in beneficialibus considerari possit ad effectum restitutionis. & nu. 2.*
2 *Maiori an detur restitutio propter instrumenta de nouo reperta.*

DECISIO CCCLXX.

IN vna Cæsaraugustana parochialis de Toralna, coram D. Thoma, dubitauit ipse, quia fuerat resolutum, quod in beneficialibus, post quadriennium non daretur restitutio. vt in 1. lib. annotationum posui decis. 59. An, ex quo in isto casu constabat de bono iure, illius videlicet Petri Valero petentis restitutionem, deberet concedi restitutio. Et dubium ita decebat. Vtrum in casu huiusmodi sit probabilis ignorantia vel enormissima læsio. Die 1. Februar. 1546. fuit resolutum, quod non esset probabilis ignorantia. quia non constabat, quod fecisset intra quadriennium diligentias de reperiendo illa iura, per quæ post quadriennium apparebat de bono iure suo. & si fecisset, sicut post quadriennium illa inuenerat, ita & infra quadriennium. Ad secundam partem dubii dicebatur, quod in istis beneficialibus, maxime vbi tractatur de parochiali,
1 non † potest considerari læsio. per ea quæ not. gloss. & ibi Abb. col. 6. in c. ex parte. de restit. spoliat. Item, quia c. 1. de restit. in integ. in 6. quod concedit restitutionem in integrum ex capite enormissimæ læsionis, procedit in Ecclesia, & minore, & sic in persona priuilegiata. nos autem sumus hic in maiore, & in eo, in quo non reperitur, quod de iure communi detur restitutio. prout dicit Cardin. in Clement. vnica. de restit. in integr. in 6. q. vbi beneficiato, non datur
2 restitutio, sed ipsi Ecclesiæ. † Et quod istud sit verum patet. quia de iure communi, maiori, propter instrumēta de nouo reperta, dato quod ex eis constet de bono iure, non datur restitutio. l. Imperatores. ff. de re iudic. c. suborta. eod. tit. Non obstat, quod simus in beneficialibus. & quod possessor non debet in sua possessione sine titulo defendi. quia respondebatur, quod huic inconuenienti, Ordinarius poterat prouidere. Et fuit dictum, quod si ex bono iure daretur restitutio, quod superflua esset decis. facta. videlicet, quod post quadriennium non datur restitutio. cum non soleat dari nisi ex causa boni iuris.

S V M M A R I V M.

Citatio ad certam diem, quo casu non non fuerit circunducta, & extractio iurium valuerit.

1 *Citanda non est pars, quæ fuit alias citata, & est contumax de iure. & Rota quod soleat facere.*
2 *Citatio per contradictas non comparente citato, est de vrbanitate non de necessitate.*

DECISIO CCCLXXI.

IN vna Lucen. parochialium, fuerat citatus Didacus Perez, ad videndum extrahi iura

iura sub ista forma. Nos Martinus. &cæt. Iudex Apostolicus citamus,& citari mandamus Didacum Perez. &c. vt infra nouem dies proxime sequentes, veniat & compareat coram nobis,ad interessendum, & vidẽ dum extrahi,præsentari,legi,& collationari,processus,titulos,possessiones,scripturas. &c. cum certificatione quã vobis facimus, quod si non comparueritis, in vestris absentijs, & cõtumacijs,habitis pro præsentibus extrahentur, transumptabuntur, & authenticabuntur. & tales scripturæ, dabuntur & consignabuntur parti dicti Ioannis,vobis vlterius non citatis, nec vocatis, & per præsentes,ad omnia ea,& ex eis necessaria,vos habemus pro citatis & vocatis, & vobis assignamus pro auditorio vbi faciemus audientiam Ecclesiam de la columna,omnibus diebus non feriatis,hora vesperorum. Dicta citatio fuit exequuta contra Didacum 20. Decembris 1544. & 13.Ianuarij 1545. fuerunt extracta iura. Fuit dubitatũ per D.Fabium,qui causam habebat, die 8.Februarij 1546. stante citatione ad videndum extrahi iura infra nouem dies,cum comminatione, quod si non comparuerit extrahentur iura, ipsis aliter non citatis, & ad vlteriora procedetur. An si citati in nona die non cõparuerint, & ea die nil fuerit factum nisi accusata contumacia, & diebus sequentibus iura fuerint extracta, & collationata talis processus valeat. Et fuit resolutum, quod iura essent valide extracta, quia ex quo in termino pars comparuerat, & contumaciam accusauerat,non erat verum dicere quod terminus citationis esset circumductus. l.& post edictum. §.1.ff.de indic.Et ideo,cum iurisdictio iudicis maneret etiam post terminum, poterat iudex ad alium diẽ extractionem differre, & pars contumax nõ
1 erat † amplius citanda. cap. consuluit. de offic.delegat. Ad quod facit decis.Rot.245. in * nouis. & licet in Rota sit de more,non comparente citato citare eum per contradictas, illud est de vrbanitate, & non de necessitate. prout dicit dicta decisio, & vbi iste mos, & consuetudo non adest per hoc actus non debet vitiari.

* Alias 10. de re iudic.

SVMMARIVM.

Priuilegium Leonis transferendi pensiones limitatum per Paulum ad summam centũquinquaginta in causis pendentibus.

1 *Lex noua an trahatur ad præterita, stantibus verbis, & in causis pendentibus.*
2 *Lex noua declarans antiquam, an trahatur ad præterita, & litigiosa.*

DECISIO CCCLXXII.

IN causa Hispalensi pensionis, die 8.Februarij 1546.dedi dubium,An stantibus priuilegijs Leonis,& Pauli, quod pensiones non possent transferri, nisi vsque ad summam centum quinquaginta, pensio de qua agitur,sit bene translata. Et fuit resolutum quod licet per priuilegium Leonis, milites clerici possent transferre vsque ad quamcumque summam; tamen quia consueuerũt lites introduci super validitate talium trãslationum,ex quo prætendebatur tale priuilegium non esse vsu receptum, & in specie super ista translatione lis super inualidita te in Rota pendebat, & ideo superuenisset motus proprius Pauli de anno 1540. vt vsque ad summam centum quinquaginta trãsferri, & de nouo reseruari possent, & sic in causis pendentibus esset iudicandum. Dicebant Domini quod satis esset lex clara, quod vsque ad illam summam trãslatio esset valida. Non obstat,quod lex det normã futuris, & non præteritis negocijs,quia respondebatur,quod erat verum,nisi essent illa verba. vt in causis pendentibus. & sic
1 quod ad præterita † traberetur, vt per Felin.in cap.fin. colum.4. versic. secundus casus.&c. & colum.5.versic.limita quarto. de constit. Item,cum sit priuilegium declarans
2 antiquum à Leone † editum, ergo trahitur ad præterita, & litigiosa ad Felin. in d. c. fin. in dictis locis. & colum.7. versic. fallit secundo. Et ex ordine scripturæ apparebat, quod Garzias ante istam pensionem vigintiquatuor, plusquam quingentorum transtulerat.

SVMMARIVM.

Procurator agens ex mandato insufficienti si producat mandatum sufficiens post sententiam,sententia non sustinetur.

1 *Potestates duæ diuersæ si concurrunt in eodem,si est vsus vna insufficienti, an salutur actus ex sufficienti.*
2 *Procurator qui habet mandatum sufficiens & insufficiens,si ad neutrum se restringit, an melius elegisse videatur.*
3 *Mandatum,vt actus sustineatur,an oporteat quod producatur ante sententiam.*
4 *Sententia lata ad fauorem alicuius sine mandato, an possit ratificari. sed quid si præcessit mandatum re vera, an sufficiat producere post.*

DECISIO CCCLXXIII.

Procurator substitutus vigore mandati quod ad causas beneficiales non se extendebat, egit in causa beneficiali, & obtinuit, & post sententiam produxit mandatū sufficiens. Dubitauit D. Rauellensis die 12. Februarij 1546. in vna Cæsaraugustana pēsionis, ex quo procurator produxit mandatum insufficiens, eum haberet aliud sufficiēs quod produxit post sententiam, an sententia sustineretur. Fuit dictū quod not. per Rom. cons. 446. & per Ias. in l. exigendi, & l. maritus. C. de procur. non faciebant ad propositum, quia in dictis locis, si maritus agit vt procurator, quia prouisio hominis facit cessare prouisionem legis. Ideo si non est procurator, processus non potest sustineri, vt à coniuncta persona factus, quia eligendo vnā viam, facit alteram cessare, & sic eodem tempore vtraque potestas, tanquam incompatibilis, non cōcurrit. sed in casu nostro vtraque potestas, eodem tempore poterat concurrere, licet altera insufficienti vsus fuerit. Sed dixerunt Domini, quod si constabat ex actis, quod iste, substitutus fuerit ex illo mandato insufficienti, & sic quod appareret quod ad illud mandatum insufficiens substitutio restringeretur, quod tali casu sententia non sustineretur ex mandato sufficienti. per cons. Rom. 496. & per not. in cap. cū ex officij. de præscript. maxime per Felin. colum. 10. vers. 4. conclusio. &c. & per Socin. in l. multum interest. col. pen. ff. de condict.
1 & demonstr. vbi quando in eodem † concurrunt duæ potestates diuersæ, si est vsus vna insufficiēti, non saluatur actus ex sufficienti. Non obstant not. per Rot. decis. 7. in fin. de procur. in nou. & 19. eod. tit. in antiq. alias 248. vbi valent gesta procuratoris de cuius mandato non constabat, si vere procurator erat, & postea apparuit, quia procedūt dictę decis. vbi vnum dumtaxat habet mandatū. quia in dubio, vigore illius mandati videtur actū exercuisse, vt apparet ex dictis decisionibus. quod & pariter procedere potest, vbi quis indistincte duplici mādato, insufficienti & sufficienti vsus est. quo casu ad
2 nullum mandatum se restringendo, † melius videtur elegisse. ad l. 3. ff. de test. milit. & ita loquitur Roman. cons. 343. & Felin. in cap. cum super col. 3. in fin. vers. limita hæc vt habeant locum. de offic. deleg. Dixerunt etiā Domini incidenter, quod licet decis. 7. de procurat. in nou. alias 145. in additione dicat quod mandatum, vt actus substineatur, oportet quod producatur † ante senten-
3 tiam, quod illa decis. non seruatur, sed decisio. 19. de procurat. in antiq. alias 248. quæ vult, quod sufficit quod constet de mandato etiam post sententiam. Non obstat vna consideratio quam dicebat vnus ex Do
minis, quod immo esset tenenda illa decis. 145. in non. ne esset in potestate partis iudicium reddere elusorium, & quodammodo quod claudicaret. sicut dicimus quod Ro
4 ta tenet, quod sententia lata, † non potest ratificari. per decis. 13. * in antiquis, & ratio est, ne sit in potestate partis approbare si est in sui fauorem, & improbare si est contra eum. cum paria sint, non esse, vel non apparere. sed vbi non adest mandatum ante sententiam, non potest sententia ratificari. ergo ita dicendum erit vbi non apparet de mandato, quia per productionem eius non potest sententia substineri, quia quodāmodo est ratificare sententiam iam latam. Quia fuit responsum, quod ratificatio non permittitur, quia ille qui videt quod nullum adest mandatum, permittit vt procurator agat sine mandato ad effectum vt possit dicere de nullitate. Et ideo, eum ex tali factū sit sibi ius quæsitum, non potest esse in potestate partis, vt sententia ratificetur. Sed quando procurator agit sine mandato, & pars non opponit ante sententiam, si post sententiam opponat, videtur dolose facere. Et ideo Rota, ad tollendam talem cauil-
5 lationem, contentatur † quod possit docere de mandato præcedenti si reuera illud præcessit non autem vult, quod sententia possit ratificari, & quod dependeat à mera voluntate ratificantis. Et aduerte quod isto casu non fuit consideratum bonum ius pro defensione sententiæ, vt solet Rota considerare pro defensione sententiæ. quia sententia erat lata super canonizatione regressus, & priuatione.

* Alias 1. de procur.

SVMMARIVM.

Exequutio trium sententiarum, quo casu non fuit impedita, & Dux Ferrariæ non potuit à sententia appellare.

1 *Cautioni iuxta terminos l. is à quo, quando sit locus.*
Venditor quando possit appellare in causa euictionis, & appellatio prosit emptori victo.
3 *Emptori quando sit imputandum quod litem motam non denunciauerit.*
4 *Venditor quo casu possit appellare vt emptor conuentus.*
Assistens liti, in quo gradu & statu admittatur.
5 *Assistentem liti, posse tertio appellare, quomodo intelligatur.*
6 *Emptor conuentus, & victus quando agat contra venditorem.*

DECI-

DECISIO CCCLXXIV.

IN causa Parmensi vallium, proposui dubium, die 12. Februarij 1546. An exequutio trium sententiarum, contra Comitē de Sala latarum. impediatur per appellationem Illustrissimi Ducis Ferrariæ. & an idē Dux possit appellare à sententia contra eū lata. Et quia procurator Ducis Ferrariæ dixit quod nolebat informare, visa tantum informatione Corrigiensium, qui soli informarunt, Domini dixerunt, quod exequutio trium sententiarum non impediretur, nec esset danda cautio. l. is à quo prout notatur in cap. veniens. de testibus. quia tunc da
1 tur cautio, † quando est tertius qui agit cōtra eundem, contra quem alius habuit tres sententias. Sed in casu nostro, Dux non veniebat contra Comitem, sed eum defendebat. & ideo non eramus in notatis. in d. cap. veniens. de cautione quę ideo datur, ne idem duobus rem restituere teneatur. quę bina restitutio cessat in casu nostro. Item, quia in casibus in quibus vēditor potest appellare,
2 vt est † quando ignorauit appellationem pendere contra emptorem, eius appellatio non prodest emptori victo per tres sententias. ex Bart. in l. à sententia. ff. de appellat. colum. pen. in fin. & Abb. in c. cum super de re iudic. colum. 7. num. 26. Et ideo non debet exequutio retardari. imputandum est enim emptori, quare litem motam vendito-
3 ri non † denunciauit. ex l. qui concubinam. §. si hæres. ff. de legat. 3. & glos. in l. si rem. §. fin. de euict. Item fuit dictum, quod Dux appellare non poterat, quia quando, lite contra emptorem mota venditor comparet in iudicium in prima, secunda, vel tertia instantia, ille à sententia condemnatoria potest, eo modo & tempore, appellare, quo po
4 test emptor conuentus, † & non aliter. vt dicit Angel. Aret. in l. à sententia. colum. fin. ff. de appellat. & ibi Imol. colum. 9. & Bar. ibidem. colum. penult. Item assistens debet eo statu & gradu, causam recipere, quo eam reperit quando incipit defendere. ex Angel. Aret. in l. si perlusorio. ff. de appellat. col. 4. & Imol. in d. l. à sententia. colum. 7. & Perusin. in cap. fin. vt lit. penden. lib. 6. col. 1. in vltimo not. Illi itaque DD. qui dicunt,
5 assistentem posse tertio † appellare, ita sunt intelligendi, vt ita demum appellare valeāt, si scientia litis motæ superuenerit post conclusionem in causa in tertia instantia, vel post latam tertiam sententiam. vt declarat Ang. in l. à sententia. col. fin. Alexan. post Imol. in d. l. sæpe. col. 6. num. 21. de re iudic. Felin. in cap. quamuis. col. 2. in 3. limitat. Item, certum est quod victus non potest re-
6 gredi † contra venditorem, nisi condemnatus fuerit per rem iudicatam, & ei ablata fuerit res ex l. habere licere. ff. de euict. & tamen emptor, qui denunciauit litem motam in secunda & tertia instantia, potest regredi contra venditorem, vt not. glos. in l. si rem. §. fin. ff. de euict. Bal. in l. liberam. C. de senten. col. fin. Ergo non permittitur eo casu appellatio. quia si permitteretur, suspenderetur regressus.

SVMMARIVM.

Absentia, vel præsentia canonicorum in Capitulo, quis teneatur probare.

1 *Actus quando reperitur factus, an præsumatur legitime factus.*
2 *Instrumentum habens pro se, potest dicere, qui contrarium dicit probet.*
3 *Præsentia, vel absentia an præsumatur, & quando.*

DECISIO CCCLXXV.

IN causa Segobiensi molestationis de Parazes, dubitauit D. Prosper, die 12. Februarij 1546. præsupposito quod ex decem & septem dignitatibus, & canonicis, terdecim tantum interfuerint in mutatione statutorum, & quod non fuerit seruata forma in statuto vocandi per cedulam. An incumbat onus probandi, Abbati quatuor canonicos, qui non interfuerunt, fuisse absentes à loco à quo commode vocari nō poterant, vel potius incumbat onus probandi volenti impugnare statutum. Et fuit resolutum quod canonicis volentibus impugnare instrumentum. ex quo quatuor erant præsentes, & non vocati incuberet onus probandi præsentiam. per cons. Federic. in terminis 148. casus talis est, quod sequitur Abb. in cap. vnico. in fin. de syndic. Et facit quia quo-
1 tiens † actus reperitur factus, præsumitur legitime factus. cap. in præsentia. & ibi Dec. in 10. not. de probat. cum ergo sit præsumptio pro habente instrumentum, potest dicere. dico quod plures non erant præsentes,
2 & qui dicit contrarium † probet. iuxta glos. in l. cum de lege. ff. de probat. quæ locum habet quando est præsumptio iuris. secundum Iason. in l. fin. C. de iure deliber. Nec obstat, quod præsentia præsumatur in loco. iuxta not. per Iason. in l. is potest. nu-
3 mer. 77. ff. de acquiren. hæred. quia † verum est, nisi adesset præsumptio instrumenti. Et pro ista decisione facit quod dicit Sigismun. Losseredus. consil. 20. col. 2. vbi quod quando præsentia, vel absentia, est fundamentum intentionis alicuius debet eam probare.

SVMMARIVM.

Pensionarius qui non habet pensionem liberam, an teneatur contribuere ad oneta de facto imposita.

DECISIO CCCLXXVI.

IN vna Vincētina pensionis, pro Cardinale Rodulpho, contra D. Franciscum Soderinum, dubitauit D. Prosper 12. Februarij 1546. An pensionarius teneatur contribuere pro collectis, quæ imponuntur per dominium Venetum de facto, & pro salario Castellani Bundelli, & alijs antiquis oneribus. Et fuit resolutum, quod cū collectæ quę de facto imponuntur per dominium Venetum, & cum etiam Salarium Castellani, etiam impositum esset de facto, quod ista onera essent extraordinaria. & cum pensio nō esset libera quod pensionarius ad illa teneretur contribuere. per ea quæ dicit Paul. de Roma in tract. de pensio. in vltima quæst. & per istam rationem alias in eadem causa resolutum fuerat, quod teneretur contribuere in impræstitis, & quod ad pensionem Episcopi Sebastēsis non teneretur contribuere, ex quo semel per Papam ratio habita fuerat, in reductione duorum millium ad mille: Non obstat, quod illa onera, essent de facto imposita, ad quæ pensionarius non tenetur, sed imputanda sunt ipsi titulari, qui de facto fuit exactus, cum debeat sibi aliquo remedio prouideri. quia fuit dictum contrarium. per ea quæ dicit Bal. in l. cum duobus. §. si in coeunda. ff. pro socio.

SVMMARIVM.

Præscriptio dicitur, & non consuetudo quando Collegium aliquid acquirit contra aliud Collegium.

DECISIO CCCLXXVII.

* Facit, quod dicit Bert. cons. 228. Idem resolutum fuit. 26. Maij 1509. in ead. causa, prout annotatur in 3. lib. Annotat. mearum. decis. 232.

PRæsuppositum fuit in causa Salamantina præeminentiarum, quod post erectionem Collegiatæ * quod Capitulum maius fuit in possessione præeminentiarum per quadragintaduos annos. Dubitaui ego die 8. Febr. 1546. præsupposito quod à tempore erectionis vsque ad litem motam, Capitulum maius vna cum Abbate possederit præeminentias ordinandi diuinum officiū, distribuendi oleum, & chrisma, relaxandi interdicta, an talis possessio præiudicet Collegiatæ. Pro parte Capituli maioris dicebatur, quod hic eramus in consuetudine, & non in præscriptione. quia interuenit cōsensus saltem tacitus per patientiam aduersariorum. Item, quia ius non quæritur priuato, sed Capitulo, prout hæc ponit Balb. in tract. præscript. in prima parte. in 10. & vlt. quæst. Et cum sint lapsa tempora quadraginta annorum, dicitur consuetudo legitime præscripta. per text. in cap. fin. & ibi glos. in verbo legitime. de consuet. Nec in tali consuetudine requiritur bona fides. secundum Ias. in l. de quibus colum. 15. ff. de legib. & Balb. in d. tractat. indicta vlt. quæst. Fuit tamen resolutum contrarium, quod non essemus in consuetudine, sed in præscriptione. quia Collegium, & Capitulum, quia agit de acquisitione alicuius rei habetur pro priuato. secundum Abbat. post Io. And. in cap. fin. colum. antepenult. versic. & ideo notabiliter dicit Io. Andreas de consuet. Et per Roch. in repet. cap. fin. colum. 53. versic. adnertendum tamen est. &c. de consuetud. Dictum ergo fuit, quod eramus in præscriptione. Et dubitatum fuit, an Capitulum maius esset in bona fide, propter continuationem possessionis præeminentiarum cum Abbate, in qua possessione prius erant vna cum Archipresbytero.

SVMMARIVM.

Decretum, nisi infra tres, non potest ratificari de rigore.

1 Decretum prolatum ad instantiam falsi procuratoris, non potest ratificari.
2 Excōmunicationis sententia, an diffinitiua.
3 Decretum factum cum causa cognitione, habet vim diffinitiua.
4 Excommunicationis sententiam, an idem iudex reuocare possit, qui tulit.

DECISIO CCCLXXVIII.

VOlutrunt Domjni in vna Illerdensi arrendamenti, coram D. Mohedano, die 15. Februarij 1546. quod confessio debiti, & excommunicatio, nisi intra tres, obtenta per assertum procuratorem Pauli Pla non potuisset ratificari post decretum factū ante declaratoriam per decis. 13. * in antiq. vbi sententia lata ad instantiam falsi procuratotis, non potest ratificari. ita & in

* Alias 1. de procurat.

1 isto † decreto ne sit iu potestate partis facere q̃ iudicij validitas dependeat à potestate sua. nam si Auditor absoluisset à petitione facta per falsum procuratorem non ei nocuisset, ita nec prodesse debebat. Nec
2 obstat, quod sententia excōicationis † non sit sentētia diffinitiua: vt per Abbat. in rub. de senten. excommunic. quia fuit responsum, quod Abbas ibi loquitur in sententia excom-

excommunicationis contumaciæ punitiua, vt puta in veniendo, & non parendo. hic autem sententia excommunicationis. est ne gocij principalis diffinitiua, quia excommunicando, nisi intra tres diffinit negocium principale, videlicet quod tenetur ad summam de qua in instrumento. Itē, quia alias
3 fuit resolutum, quod decretum † factum cū causæ cognitione, habet vim diffinitiuę. prout alias fuit tentum in causa Romana non obseruationis promissorum, nec refert
4 quod idem iudex possit † eandem sententiā excommunicationis reuocare iuxta not. per Abb. in cap. sacro. de senten. excom. & sic videatur interloquutoria, non autem diffinitiua. Quia fuit responsum, quod possibilitas reuocandi sententiam, siue per eundem siue per alium, non faciebat quod posset ratificari. prout videmus in sententia diffinitiua. quæ in gradu appellationis reuocari potest, & tamen per hoc nemo dixerit, secūdum Rot. quod sententia lata possit ratificari, & Domini dixerunt, quod ista procedebant de rigore, & ne tot censuræ destruerentur. ex quo ratificatio fuit facta ante declaratoriam, voluerunt quod videretur de bono iure.

SVMMARIVM.

Appellatio, propter non præsentationem commissionis quo casu iudicata deserta.

1 *Appellatio an deserta, si commissio vndecima die præsentatur Auditori.*
2 *Appellans, appellationem prosequi debita diligentia tenetur. & quando non fuerit dictus diligens.*

DECISIO CCCLXXIX.

IN vna Giennensi Scholastriæ, coram D. Peregrino, die 15. Februarij 1546. in qua præsupponebatur in facto, quod die prima Ianuarij 1545. fuerat appellatum, & decima die, eiusdem mensis & anni, & sic penultima die reuerentialium, copia commissionis appellationis fuit præsentata Regenti, qui posuit præsentationem. & de alia diligentia non docebatur. Sed quod die 5. Februarij eiusdē anni 1545. huiusmodi cōmissio appellationis venit ad banchum Cursoris. & sic dicta commissio, post quam fuit præsentata Regenti, stetit per vigintiseptem dies antequam veniret ad banchum Cursoris. Fuit dubitatum, An appellatio esset deserta. Et fuit conclusum pro desertione. attento quod tanto tempore stetisset, quod non venisset ad banchum Cursorum.
1 Nam si Rota dubitauit † quando die vndecima præsentatur Auditori, dum tamen die decima esset in manibus Cursoris, vt per Cassador. decis. 4. & 6. de appellat. certe isto casu non dubitasset vbi tanto tempore stetit quod non fuit præsentata, nec iudici, nec in bancho Cursorum. Et ita videtur loqui Abb. in cap. personas. col. fin. num. 13. versic. vlterius quæro, in fin. & in cap. sæpe colum. 3. super glos. in verbo. obtinuerit. num. 10. de appellat. Felin. in d. cap. personas. colum. 2. & ibidem Perusin. colum. 1. versic. vltimo tene menti. & co. & colum. 3. versic. sed in secundo termino. & colum. 4. versic. sed aduerte quia Io. Andr. & versic. sed limita prædicta. Non enim dicitur pro-
2 sequi † appellationem debita diligentia, vt tenetur. iuxta l. fin. §. illud. C. de tempor. appellat. & d. cap. personas. nisi penes Regentem loco Vicecancellarii, quis institerit pro signatura commissionis obtinendæ, & ad Cursores perferendæ infra decem dies, post appellationem. ad decis. 25. de appellat. in nou. alias num. 155. & not. per Perus. in d. cap personas. Et quia pars dicebat quod ex productis constabat de bono iure, fuit dictum quod videretur, ne exequeremur sententiam iniquam.

SVMMARIVM.

Probare in hoc casu quis tenebatur.

1 *Negatiua, quando est fundamentum intentionis alicuius, debet probari per illum.*

DECISIO CCCLXXX.

IN causa Hispalensi cātoriæ, in qua Garzias Gibraleon transtulerat multas pensiones, vigore priuilegiorum militum S. Petri, & facultatis transferendi. & inter alias vnam vigintiquatuor. sed ante illam, multas pensiones excedentes summam quingentorum. Dicebat Alphonsus Aluari, quod ex quo milites non poterant transferre, nisi vsque ad summam centum quinquaginta, & quod ante illam pensionem vigintiquatuor erant translatæ multæ pensiones excedentes summam quingentorum, quod illa pensio esset nulliter translata. Tamen me proponente, die 15. Februarij 1546. fuit resolutum, quod dicta probatio non esset sufficiens. nam cum translatio 24. esset infra summam 150. Didacus Vasques fundatam habebat intentionem, quod infra summam miles transtulerat. Et dum dicebatur quod multas alias transtulerat, dicebatur quod ex quo illę poterant esse translatæ vigore clausulæ transferendi, quod ille qui impugnabat translationē, debebat docere, ꝙ illæ pensiones non poterant, vigore d. clausulæ

 trans-

1 transferri. quia negatiua † quando est fundamentum intentionis alicuius, debet probari per illum. l. in illa. per Bart. de verb. obligat. Fuit etiam dictum, quod ex mente Papæ, per motum proprium Pauli, miles nō potest transferre pensionem, nisi vsque ad summam centum quinquaginta. licet verba motus proprij in illis verbis pro singulis pensionibus. aliter videantur sonare. nam videntur velle, quod miles ex quacumque pensione quam habet, potest transferre vsque ad summam centum quinquaginta.

SVMMARIVM.

Sententia declaratoria sustinetur ex scientia intimationis postea superueniente.

1 *Sententia primi iudicis, an possit confirmari ex nouiter deductis. Et an procedat in iudice nullitatis. num. 2.*

DECISIO CCCLXXXI.

Voluerunt Domini, quod declaratoria excommunicationis ob non paritionem exequutorialium, quæ nulla dicebatur ex defectu intimationis exequutorialium, sustineretur ex mādato aduersarij facto ante declaratoriam, producto tamen post declaratoriam. ex quo mandato colligebatur quod aduersarius habuerat notitiam de exequutorialibus sibi intimatis. quia sententia
1 primi † iudicis, potest confirmari ex nouiter deductis. vt per Bal. in l. 2. C. de eden. colum. 2. vers. ex tertio exemplo, & est tex. in l. Titianus. ff. quod eum eo. Afflict. decis. 28. latæ fuerunt. num. 4. Et quod dicitur in
2 iudice appellationis, procedit † etiam in iudice nullitatis. ad Bar. in l. si vt proponis la prima. num. 4. C. quo. & quando iudex Alexand. conf. 79. perspectis verbis. lib. 2. Et hoc fuit decisum coram me, in vna Gratianopolitana. 15. Februarij 1546.

SVMMARIVM.

Derogatio patronatus præterquam ex dotatione & fundatione, alias in totum, an comprehendat patronatum ex priuilegio, ratione dotationis & fundationis competens.

DECISIO CCCLXXXII.

Voluerunt Domini in vna Elnensi prioratus de Corniliano, die 19. Februarij 1546. coram D. Mohedano, quod derogatio patronatus, posita in litteris Apostolicis, præterquam ex dotatione & fundatione alias in totum, non comprehenderet patronatum ex priuilegio, quod Rex tamquam Comes Rossilionis, habebat in dicto prioratu ex dotatione & fundatione. quia licet regulariter per illa verba, alias in totū, Papa intendat derogare patronatui quomodocumque competenti, præterquam ex dotatione & fundatione, & sic competente ex priuilegio; tamen quia quando priuilegium datur ratione fundationis & dotationis, vt erat in casu illo, ex quo eramus in Ecclesia Conuentuali, in qua iuspatronatus erat ex priuilegio, non censebatur, tali priuilegio competenti ex causa dotationis & fundationis, & sic priuilegio habente originem ex ipsa dotatione & fundatione, velle derogare. Tamen quia in casu isto, priuilegium, per non vsum fuerat amissum, vt supra dixi decis. 369. lib. 2. talis derogatio Papæ præiudicaret præsentationi factæ per Imperatorem. ex quo illa possessio præsentandi in qua per vnicum actum erat, censebatur amisso priuilegio, potius ex vsurpatione quam alias.

SVMMARIVM.

Litteræ arrestatæ quomodo mandatum vt relaxarentur.

DECISIO CCCLXXXIII.

Claudius Chiaranzonai obtinuerat tres sententias contra, in Rota & in vna Gebennensi parochialis Serauallis, & postea cessit ius suum in fauorem cuiusdam Nicolai Nicolæ. & ille expediuit bullas. D. Guido Palellus, ad cuius instantiam latæ erant tres sententiæ, sentiens expeditionem bullarum factam per cessionarium, cōmisit contra eum causam in Rota D. Peregrino, super molestijs & perturbationibus sibi illatis, & inferri cōminatis per dictum Nicolaum. qui D. Peregrinus mandauit litteras arrestari. Fuit dubitatum, die 16. Februarij 1546. an dictæ litteræ essent relaxandæ. * & fuit conclusum quod non. nisi data cautione de non vtendo dictis litteris in partibus iuxta decis. 75. * & 572. * in antiq. & Bisign. primam de sequestr. possess. & fruct.

* Tertia Martij 1546 causa iterum posita. An litteræ deberent relaxari, etiam sine cautione, quia illa cōtra quem fuerant arrestatæ, dicebat, quod molestabatur a parte tibus à D. Guidone Palello, & ideo volebat litteras suas ad sui defensionem. Item mercator qui expeditionē fecerat, dicebat non posse consequi pecunias expositas, sine litteris. Fuit conclusum, quod ne Curia pateretur, circa expeditionem litterarum, & vt mercator quod suum erat, consequeretur, quod litteræ relaxarentur.

* Alias 16. de testibus.

* Alias 31. de rescript.

SVMMARIVM.

Stante appellatione à laudo, non potest agi ad pœnam appositam in compromisso, in euentum in quem à laudo foret appellatum.

1 *Reductioni ad arbitrium boni viri, an possit per aliqua verba renunciari.*

DECISIO CCCLXXXIV.

IN vna Hispalẽsi, prætensi incursus pœnæ, coram D. Reomano, pro Francisco Vanegas, contra Fiscum, & Ioannem de Medina, die 19. Fabruarii 1546. quod cum per nulla verba possit renunciari reductioni ad
1 arbitrium † boni viri. vt per Dec. cõs. 533.
quod stante appellatione per Franciscum interposita à laudo lato per Cardinalẽ Hispalensem, non potuerat agi per Fiscum, & Ioannem de Medina, contra Franciscum de Vanegas, ad pœnam quadraginta ducat. in compromisso appositam, in euentum quod appellaret. Et ideo fuit dictum, quod censuræ latæ per A. C. contra ipsum Franciscum, donec de appellatione fuisset cognitum, erant nullæ. & tanto magis in illo casu, in quo non constabat, quod Franciscus, pœnæ appositæ consensisset. & quod compromissum erat factum sub beneplacito sedis Apostolicæ, quod non interuenerat.

SVMMARIVM.

Inhibitio, iusta vel iniusta, timenda est.

DECISIO CCCLXXXV.

INhibitio, iusta vel iniusta, timenda est. secundum Rot. decis. 307. * in antiq. & ita fuit conclusum in vna Brixiensi matrimonij, coram D. Thoma, die 19. Febr. 1546. * In qua erant latæ tres conformes, & à tertia, lata per D. Mohedanum fuerat appellatum, & datus terminus iuris. Et causa appellationis cõmissa D. Thomæ. pars fuit citata ad videndum inhiberi. & fuit inhibitum. & post inhibitionem D. Mohedanus processit ad vlteriora. Fuit dictum, quod ille processus erat attentatus, & reuocandus. quia ita seruat Rota, propter facilem aditum ad principem. & ne detur locus disputationi, quis iudex debeat procedere. quia stante inhibitione, debet iudex cui est inhibitum supersedere.

* Alias 26. de appell.

* Vid. supra decis. 296. hoc lib. 2. Et 6. Iuo. 1547. in vna Bononiensi pro Peregrinis, cõtra Bétiuolos, Rota voluit, quod sententia lata hora vesperarum, in Ciuitate Bononiensi, post inhibitionem factam eadem die de mane esset attentata. dato quod inhibitio esset facta vigore appellationis, natrantis esse appellatum à diffinitiua. & tamen erat falsum, quia de tali appellatione oon constabat. immo constabat, quod erat pronunciatum post commissioné obtentam. & ideo dicebatur, quod licet in commissione committeretur causa appellationis à diffinitiua, cum clausula quam. & quas. tamen quod illa clausula nil poterat operari, cum esset auuocatoria causæ pédentis in Ciuitate Bononiæ. & erat subreptitia. & ideo oullam iurisdictionem tribueret, & per consequens tanquam à priuata persona emanasset, non erat timenda. Hoc non obstante Rota, voluit quod talis inhibitio erat timenda. oe in futurum posset disputari de validitate inhibitionom Rotalium. & quod senteotia postea lata, vt attentata, reuocaretur. quod mihi visum fuit durum. & me ponente, & reclamante, maior pars Dominorum ita voluit.

SVMMARIVM.

Confessio procuratoris comprobata per Liuiam, an nocuerit ipsi Liuiæ.

1 *Confessio facta in vno iudicio inter alias personas, an noceat in alio inter alias.*
2 *Ratificatio quæ habet actum successiuum, an in plus se habeat quam mandatum.*
3 *Procurator, quando præsumatur ausasse principalem.*

DECISIO CCCLXXXVI.

IN causa Parmẽsi bonorum, pro Michaele Casalio, contra Liuiam, proposui dubium, die 19. Februarii 1546. An confessio procuratoris D. Liuiæ, comprobata per vsũ & assequutionem, & retentionem commodi, noceat D. Liuiæ in ista causa, & per eandem possit reuocari. Et Domini pro maiori parte inclinabant, quod noceret illa confessio, attenta ratificatione per vsum & retentionem. Non obstat, quod confessio procuratoris, etiam de mandato domini, (quia si esset sine mandato, non esset dubium quod
1 non noceret) facta in vno iudicio † inter
alias personas, nó nocet in alio, inter alias. l. 2. vbi Alex. & Dec. C. de eden. c. causam quę. vbi Felin. de testib. Ita etiam erit dicendum in confessione ratificata. quia confessio facta in vno iudicio per procuratorem, & ratificata, non nocebit in alio. Quia fuit
2 responsum, quod ratificatio † quæ habet
tractum successiuum, in plus se habet quam mandatum. & ideo Liuia retinendo, hodie non solum videtur in illo iudicio, sed etiam in isto confiteri. & ideo confessio sibi nocet. Non obstat, quod non solũ requiritur scientia facti, sed etiam & qualitatis. & potest esse, quod Liuia scientiam habuerit apprehensionis possessionis, non autem qualitatum. videlicet. quod vigore decretorum. Nã Domini inclinabant, quod attenta longitu-
3 dine temporis, quod principalis præsumeretur ausata. per cons. Roman. 480. & saltem

tem non poterat negari, quin hodie per productionem processus, nõ esset auuisata, & cũ non contradiceret, videretur de nouo ratificare. Sed ad istud vltimũ replicabatur pro parte D. Liuiæ, quod licet hodie D. Liuia habeat scientiam, tamen potest sibi causam mutare, & vt filia, & hæres possidere. Fuit dictum quod iterum informaretur.

SVMMARIVM.

Ratificatio actus, an præsumatur cum omnibus qualitatibus facta.

1 *Procurator quando præsumatur auuisasse, seu certiorasse suum principalem.*
2 *Ratificans quando censeatur ratificasse cum qualitatibus, & num. 3.*
4 *Contractu vtens, vt sibi ex eo quæratur quomodo vti debet.*

DECISIO CCCLXXXVII.

IN causa Parmensi pecuniaria, pro Michaele Casalio, dubitaui ego die 26. Februarij 1546. An apprehensio possessionis per procuratorem D. Liuiæ, cõprobata per vsum, & assequutionem, & retentionem cõmodi, censeatur esse ratificata per dictam Liuiam cum omnibus qualitatibus suis, ita ut, quoad obseruantiã decreti de continuando possessionem in hæreditatem in Castro Monticellurum, D. Liuiæ noceat. Et an dicta ratificatio, fuerit declarata in breui Clementis, impetrato. & dicebatur, quod datu quod procurator, vigore decreti, possessionem Castri accepisset; tamen quia non constabat quod Liuia talis qualitatis notitiã habuisset, quod non videretur illam qualitatem ratificasse, cum non solum oporteat habere notitiam facti, & sic apprehensionis possessionis, sed & qualitatis. ad glos. in cap. concertationi. de appellat. in 6. Imo & quando notitiam, & facti & qualitatis habuisset simpliciter ratificando, non videretur nisi factum, & non qualitates ratificare. ad Bart. in l. Pomponius. la prima. col. pen. vers. venio ad ratihabitionem. ff. de negoc. gest. & Paul. ibi dicit, quod opinio Bart. communiter approbatur. Tamen istis non obstantibus, fuit per maiorem partem, videlicet per quinq; tribus reluctantibus, cõclusum, quod censeretur facta cum omnibus qualitatibus suis. præsupponendo tamen, quod procurator, vigore decretorum, possessionẽ habuisset. Nam cum procurator ad decreta se restrinxisset, & vigore illorum possessionem habuisset, & sine illis non esset possessio, Liuia quæ possessionem apprehensam ratificauit, necesse est, quod ratificet etiam ipsa decreta, alias sine ipsis possessionem nõ haberet. Item dicebant isti quod propter † consil. Roman. 481. præsumendum erat quod
1 procurator Liuiam auuisasset. Nõ obst. not. per Bart. in l. Pomponius. ff. de negoc. gest. quia respondebant isti, quod procedit illud dictum Bart. in qualitate quæ potest à facto separari. At hic, factum non poterat à qualitate separari. nam remoto decreto, nõ esset data possessio, sed certe exemplũ quod ponit Paul. de Cast. in d. l. Pomponius. de emptione, & precio, repugnat huic responsioni. nam precium est inseparabile à venditione, & tamen possum venditionem sine qualitate precij ratificare. Secundo modo
2 respondebant isti, quod aliquando quis † ratificat per verbum, aliquando per aduerbium. & procedunt quæ not. in d. l. Pomponius, prout ibi declarat Paul. de Cast. in d. l. Pomponius. num. 10. & iste non erat casus noster. aliquando quis ratificat facto. puta fructus percipiendo, & rem retinẽdo, & tunc etiam qualitatem intelligitur ratificare. vt per Dec. cons. 58. vbi si maritus recepit emphyteusim pro se & vxore sua, si
3 vxor percipit fructus, † videtur ratificare contractum cum omnibus qualitatibus suis ita quod si infra triennium non soluerit cer te vxor etiam cadet à iure suo. Sed contra istam responsionem, facit quod dicit Paris. cons. 47. col. pen. vol. 1. vbi videtur etiam loqui in ratificatione facti, & tamen non videtur quis ratificare factum cum qualitatibus suis. Quare ego, si votum in causa habuissem, ita distinxissem. quod aut nõ præcedit mandatum ad faciendum, & aliquid nomine meo fit. si ego, facto illud ratificem tunc dicor ratificare cum qualitatibus con tractui adhærentibus, quia si ego volo quæ
4 rere ex aliquo contractu, † oportet quod illo contractu vtar cum qualitatibus suis. ad not. per Ias. in l. si filius. ff. de pact. & ita procedit cons. Dec. 58. colum. fin. quandoque præcedit mandatum ad aliquid faciendum, non expresso quomodo facere debet, & procurator facit actum vno modo, vel alio modo, quam sit mandatũ, & tunc ego possum ratificare factum absque qualitatibus. & ita procedunt not. per Paul. de Cast. in d. l. Pomponius. & per Paris. in d. cons. 47. col. pen. Nam ex quo mandaui tibi vt faceres, si ego contractum ratifico, videor ipsum factum mandatum ratificare. sed non qualitates, quando saltim non probaretur scientia qualitatum, quia quando probaretur scientia, tunc facilius inclinarem, vt probaretur etiam ratificatio qualitatum. In proposito. cum Liuia dedisset mandatum ad capiẽdam possessionem, apprehensa possessione per procuratorem, potuit ipsam possessionem ratificare, sed non qualitates, & modos quibus erat apprehensa, quos non probatur sciuisse.

SVM-

SVMMARIVM.

Iuramentum calumniæ petitum, non potest omitti, etiam stante facultate Gubernatoris.

1 *Gubernatoris Vrbis facultas procedendi in causis ciuilibus, qua.*
2 *Iuramentum calumnia omissum vitiat sententiam.*
3 *Iuramentum calumnia, an censeatur sublatum per facultates amplas.*
4 *Iuramentum calumnia de iure diuino.*

DECISIO CCCLXXXVIII.

IN vna Paduana iniuriarum, quam etiam proposui eadem die 26. Februarii 1546. fuit resolutum, quod non obstante faculta-
1 te Gubernatoris,† qui potest procedere simpliciter de plano, sola facti veritate inspecta, nullis terminis seruatis, etiam manu regia, velo leuato, ad voluntatem, & arbitrium suum. &c. prout latius in ipsa facultate dicitur. Quod si tamen expresse fuit dictum, quod in causa, antequam procederetur, iuraretur de calumnia, quod si dictum iuramentum est omissum, quod sententia
2 † lata, esset nulla. per text. in Clem. sæpe. de verb. signific. vbi in causis in quibus proceditur simpliciter, & de plano, & sine figura iudicij, tamen non potest iuramentũ omitti. Non obstat, quod in facultate Gubernatoris, sint pinguiora verba. quoniam fuit di-
3 ctum, quod illa verba † tollebant solennitates insurgentes ex dispositione iuris ciuilis, & canonici. non autem, quæ insurgebant ex dispositione iuris diuini, prout est istud
4 † iuramentum. secundum Bar. in extrauag. ad reprimendũ in verbo. & figura. col. pen. vers. item, an de calumnia. cum iuramentum sit inuentum, ne veritas occultetur.

SVMMARIVM.

Diuisioni cabimentorum, non obstant prouisiones Catalanorum.

DECISIO CCCLXXXIX.

PRoposui etiam eadem die 26. Februarii 1546. in causa Cæsaraugustana cabimentorum, dubium. præsupposito, quod ex erectione prioratus Cataloniæ sententia, & congregationibus separatis, probetur diuisio cabimentorũ, An obstet vigintinouem prouisiones Catalanorũ exaduerso deductæ. Et fuit resolutũ quod non obstarent. quia ex vigintinoue seu triginta. quindecim erãt factæ Catalanis receptis in Castellania. quod probabatur. quia stylus est Religionis, quod vbi prioratus sunt cõmunes & non diuisi, quando Magister, & Cõuentus scribit alicui fratri, scribit illi appellando eum de lingua puta, fratri Petro Venerãdæ linguæ Italiæ. Si autem prioratus sunt diuisi, scribit illi appellando eum fratrem illius prioratus. At in istis quindecim prouisionibus factis istis Catalanis, illi appellantur, fratres Castellaniæ. ergo erant recepti in Castellania. quia alias si non forent recepti, non fuissent appellati, fratres Castellaniæ. & si cabimenta non forent diuisa sed communia, fuisset appellatus frater Castellaniæ, & prioratus. Ex quo ergo appellat eũ, fratrem Castellaniæ, datur intelligi quod erat receptus in Castellania, & non in prioratu. Non obstat, quod dicebant aduersarii, quod quando cabimenta sunt diuisa, natus in vno prioratu, non potest in alio prioratu recipi, nisi ex gratia, & de consensu omnium. & gratia non præsumitur. Fuit responsum, quod hic, ex quo appellabatur frater Castellaniæ iam non eramus in præsumptione, sed in probatione, attento stylo. Nec obstat, quod non erat præsumendum, quod tot ex gratia essent recepti. quia stante interuallo temporis, facile istud poterat esse. Item, de prouisionibus aliorum sex Catalanorum, qui habebant præceptorias in Castellania, constabat tantum per narratiuam. & cum in Religione sint diuersi modi prouidẽdi, vnus ex gratia, alius de consensu omnium, alius de cabimento, & per viam Papæ, nisi doceretur de istis prouisionibus, ista dubia probatio non releuabat. Item, erat vnus prouisus ante annũ 1500. & ista prouisio erat solum facta per Empostanos. ergo probabatur diuisio. quia si non forent diuisi, interuenissent etiam in prouisione Catalani. Item, erat vnus Catalanus prouisus de anno 1514. in Castellania. ad istum fuit dictũ, quod testes deponentes de 40. annis de diuisione, pertinebãt ad illud tempus. & ideo stante diuisione per testes probata, de necessitate erat dicendum, quod ille esset per Empostanos prouisus. Et hoc modo fuit etiã dictum ad alium Catalanum prouisum de anno 1506. quia probatis extremis, videlicet illo de anno 1500. & alio de anno 1514. quod medio tempore prouisus, esset etiam per Empostanos prouisus. Restabãt alii sex Catalani, quorum quinque erant in Castellania, & prioratu prouisi, tamen de prouisionibus istorum non constabat nisi per narratiuam. & ideo fuit dictum, quod non obstabat, nisi doceretur. de prouisionibus

corum

eorum, vt supra fuit dictum. erat tantum vnus qui erat prouisus, & in Castellania, & in Prioratu, & per prouisiones Magistri, & Conuentus. nam Raymundus de Xamor, de anno 1414. fuit prouisus de Bailiuatu Maioricarum, qui est in Catalonia, & de anno 1421. idem fuit prouisus de Præcepto ria de Osca, quæ est in Castellania. Et si diceretur pro parte Empostanorũ, quod vna erat ex gratia, puta illa Maioricarũ, ex quo in prouisione sua Magister dicebat, quod de consensu Priorum, & aliorum Procerum sibi assistentium prouidebatur. Fuit responsum per Catalanos, quod ipsi habebant stylum in Religione quod, quando Prioratus fuit diuisi in cabimentis, quod qui non potest habere in alio Prioratu cabimentum, non potest etiam ibi habere Præceptoriam ex gratia. Si ergo isti Prioratus erant diuisi, ergo ex gratia extra suum Prioratum, etiam non poterat Præceptoriam habere. Tamen pro parte Empostanorum fuit replicatum, quod licet hodie iste stylus Religionis talis esse probaretur; quod tamen tempore antiquo diuersus erat, & adducebatur quod de illo eodem tempore quidam Io. de Heredia Castellanus Empostæ fuerat prouisus de quadã Præceptoria in Prioratu Sancti Aegidij qui est in Prouincia. Item, quidam Prior Messanensis fuerat prouisus de præceptoria in Castellania Empostæ. Vnde istis sic visis, Domini dixerunt, quod istę prouisiones non obstarent probationi Empostanorum, super diuisione cabimentorum.

SVMMARIVM.

Statutum Hispalense, quod filij, vel nepotes hæreticorum, vel condemnatorum vel reconciliatorum de hæresi, non possint obtinere beneficia, quomodo intellectum.

1 *Statutum inhabilitans ratione criminis, an inhabilitet ratione suspicionis.*
2 *Hæreticus, an sit suspectus de hæresi.*

DECISIO CCCXC.

IN vna Hispalensi portionis, coram D. Io. Paulo, die 26. Februarij 1546. præsupponebatur in facto, quod in Ecclesia Hispalensi, adest statutum Apostolica auctoritate confirmatum, quod filij, vel nepotes hæreticorum, vel condemnatorum, vel recõciliatorum de hæresi, non possent obtinere beneficia dictæ Ecclesiæ. Item præsupponebatur, quod quidam Hieronymus in quadam gratia, perinde valere fatebatur quod genitores sui, vel eorum alter tamquam de huiusmodi crimine suspecti, coram Inquisitoribus constituti, nulla tamen pœnitentia publica eis imposita, reconciliati fuerunt. Fuit dubitatum, an Hieronymus sub dicto statuto comprehenderetur, ita vt à statuto inhabilitaretur. Et fuit dictum, quod non, quia cum statutum inhabilitet filios hæreticorum, vel de hæresi reconciliatorum, statutum quod inhabilitat ratione
1 criminis, † non videtur inhabilitare ratione suspicionis. per ea quæ dicit Abb. vbi in terminis decidit casum. in c. inter de purgat. can. Et talis suspectus, non dicitur hæ-
2 reticus. † secundum text. in cap. accusatus. in princ. de hæret. in 6.

SVMMARIVM.

Suspensio quarumcunque gratiarum non comprehendit regressum, etiam quod non preseruetur.

1 *Preseruatio concessa, quomodo intelligatur.*
2 *Gratia preuentiua qua.*
3 *Clausula preseruatiua, an semper habeatur pro apposita.*

DECISIO CCCXCI.

IN vna Hispalensi cantoriæ. in qua prius de anno 1507. Alexander concesserat ex causa resignationis factæ de dicta cantoria in personam Ioannis de Tauera regressum Cardinali S. Crucis resignanti quocumque modo vacaret, & postea de anno 1513. Leo concessit accessum, & ingressum Francisco Pignalosa ad eandem cãtoriam quocumque modo vacaret. cum suspensione quarumcumque gratiarum expectatiuarum specialium, vel generalium, reseruationum vnionum, etiam perpetuarum, & aliarum gratiarum, & litterarum. Fuit dictum coram D. Prospero, die 26. Februarij 1546. quod licet tempore quo Leo concessit accessum Francisco, non appareret quod Cardinalis Sanctæ Crucis acceptasset regressum per prius sibi reseruatum, quia tantum constabat quod de anno 1522. Cardinalis per expeditionem litterarum, illum acceptauerat. tamen quod illa concessio Leonis, erat præseruatiua regressus concessi Cardinali, licet in suspensione gratiarum, vt solet fieri
1 non præseruaretur. quia illa † præseruatio de iure intelligebatur. per text. in cap. si tibi absenti. de præben. in 6. Non obstabat suspensio gratiarum. quia intelligebatur de gratijs mere præuentiuis non autem de gratia quæ non est mere præuentiua. prout est
2 regressus ex causa cessionis † quę habet causam à iure de præterito iuxta not. per Cassad. decis. 1. de pact. Item, cum Papa, in huiusmodi suspensionibus, semper soleat præ-

seruare

seruari regressus, dicta clausula praeseruati-
3 ua † habebatur pro apposita. iuxta loca vulgata.

SVMMARIVM.

Dissolutio vnionis, quo casu iudicata perpetua, & non temporalis.

1 *Vnionis dissolutionis effectus, an cesset cessante causa.*
2 *Vnionis dissolutio quando perpetua, vel temporalis.*
3 *Verbum, penitus, an denotet omnimodam separationem.*

DECISIO CCCXCII.

CAnonicatus, & praebenda Ecclesiae Maioricensi erăt vnita Archidiaconatui. Cardinalis Cornarus, qui Archidiaconatū in commendam habebat, cessit in fauorem Antonij Sioll dictū canonicatum, & praebēdam. qui expediuit litteras super prouisione, non facta mentione de vnione. licet in supplicatione resignationis fieret, super qua Cardinalis consenserat. Postea Antonius expediuit gratiam perinde valere, sub eadem data, sub ijs verbis, quia ab aliquibus asseritur, praefatum Marcum Cardinalem de Cornaro, non canonicatum & praebendam praedictas, sed Archidiaconatum dictae Ecclesiae Maioricēsis cui dicti canon i catus & praebenda, perpetuo sunt vniti. in commendam huiusmodi obtinuisse. & propterea idem Antonius dubitat litteras praedictas sibi minus vtiles esse, seque illarum effectu frustrari posse; Nos ne praedictae litterae eidem Antonio reddantur minus vtiles vnionem huiusmodi dicti Marci Cardinalis adhoc expresse accedente consensu penitus dissoluentes. Fuit dubitatum, coram D. Thoma de Tanis 26. Febr. 1546. An ista dissolutio esset perpetua, vel ad vitam Antonij, & dubium faciebant illa verba, nos ne praedictae litterae eidem Antonio minus vtiles reddantur, quasi contemplatione Antonij esset
1 facta dissolutio. † ergo ea cessante effectus eius cessare debebat, vt per Cald. cons. 13. de reb. Ecclesiae. Tamen fuit resolutū, quod
2 dissolutio esset perpetua † ex quo quādo est temporalis Papa solet apponere illa verba, quod tali decedente, vnio in pristinum statum reuerteretur, vt per Cassad. decis. 2. de vnion. & cū stylus esset attendendus, & pro
3 pter illud verbum † pęnitus, quod denotat omnimodam separationem, ad c. primum, & ibi per Archid. de sup. negli. lib. 6.

SVMMARIVM.

Stabilimentum Religionis Hierosolymitanae incipiens, quoniam veterum, loquitur etiam de vacan. & mortuarijs.

DECISIO CCCXCIII.

IN vna Caesaraugustana praeceptoriae de Villell, coram D. Io. Paulo dubitauit ipse, die prima Martij 1546. An stabilimentum Religionis Hierosolymitanae incipiens, Quoniam veterum stabilimentorum de iure communis Aerarij, & solutionibus debitorum. &c. loquatur de mortuarijs, & vacantibus, vel de alijs iuribus thesauri tantum. Et fuit resolutū quod loqueretur, etiā de mortuarijs, & vacantibus. Quoniā stabilimentum in principio loquitur de iure communis aerarij, & solutionibus debitorū, & sic generaliter, ergo generaliter erat intelligendum. Nec obstabant illa verba, & quaecumque debita post habitam possessionem contracta, & debitum mortuarij, & vacantibus est debitum contractum ante habitam possessionē. Quia fuit responsum quod in stabilimento erant alia verba, quod Religiosi, & alij possessores non soluentes responsiones, & impositiones, & ista verba nō determinabantur ab illis verbis, post habitam possessionem, sed tantū illa restrictiua, post habitam possessionem determinabat debita contracta. & iste sensus fuit tentus, quia stabilimentum dicebat, quod veniebat ad mitigandum rigorem stabilimentorum veterū, & ad euitandum pęnam priuationis ipso iure quae pęna est odiosa.

SVMMARIVM.

Sicut de iurepatronatus in prouisione debet fieri mentio, ita & de quasi possessione pręsentandi.

1 *Iurispatronatus beneficia praesumuntur ex dotatione, & fundatione data seruitute.*

DECISIO CCCXCIV.

FVit resolutum in vna Bonouiensi prioratus S. Bartholomaei, corā D. Thoma de Tanis prima Martii 1546. quod sicut de iure patronatus in prouisione Apostolica debet fieri mentio, seu in noua prouisione ita etiam de quasi possessione praesentandi alias prouisio non valet per cons. Cardi-
1 nalis sexagesimonono, quia probata † seruitute praesumitur ex dotatione, & fundatione secundum Cassad. decis. 4. de probation. & 7. de iur. patron.

SVM-

SVMMARIVM.

Regula de publicandis acceptationibus, non habet locum vbi Papa moritur durante tempore ad publicandum, vel regula reuocatur.

DECISIO CCCXCV.

Regula de publicādis acceptationibus, est vna de illis, quam Papa vult durare durantibus expectatiuis, vt patet ex proœmio regularum. ideo fuit resolutum, die 1. Martij 1546. coram D. Prospero, in vna Leodicensi canonicatus, & præbendæ, quod cum Ioannes de anno 1540. die 5. Octobris, acceptasset dictos canonicatum, & præbendam. & die 4. Nouembris postea sequētis, Papa reuocasset expectatiuas, & sic durante tempore ad publicandum, quod dictus Ioannes non tenebatur ad publicandū. Et fuit dictum, quod ita in terminis determinat Nicol. de Vbald. dicens ita fuisse resolutum in Rota. in tract. de success. ab intest. in 2. par. ver. tertio principaliter. Et faciunt, quæ dicit Sarn. super reg. de public. quæstione 6. & super reg. de infir. resig. quæstione 32.

SVMMARIVM.

Pensio isto casu fuit probatum, quod fuerit legitime translata, iuxta formam priuilegiorum Pauli III.

1 *Actor quando plene probauit intentionem suam, non sufficit quod per probationem per reum factam, dubia reddatur probatio actoris.*

2 *Exceptio rei, debet concludenter probari.*

DECISIO CCCXCVI.

In causa Hispalensi pensionis pro Didaco Vasquea, contra Alphonsum Aluarez. Dubitaui ego die 3. Martii 1546. stante protocollo, in quo ante translationem pensionis vigintiquatuor ducatorum, aliæ plures, ascēdētes ad summam sexcentorū, fuerunt translatæ, & priuilegio Sanctissimi limitante translationem ad summam 150. An Didacus legitime probauerit, quod pensio in eum trāslata, sit intra summam limitatam. Et fuit resolutum, * quod sic. quia cum ex parte Didaci esset probatum, pensionem esse translatā vigore priuilegii. ex quo in actis cōstabat quod Garzias, quo ad istam, non habebat clausulam transferendi. & etiam constabat, quod erat intra summam per priuilegium limitatam, & sic agens clare suam intētionem probauerat. reus qui opponebat, quod alias pensiones excedētes summam 150. trāstulerat, debebat clare probare suam exceptionem, quod illas pēsiones, vigore priuilegii transtulerat & non vigore clausulæ trāsferendi. quia licet clausula transferendi, ex gratia conceditur. & ideo non præsumatur. tamen, quia poterat esse concessa, & ideo iam probatio exceptionis non concludebat per necessario. quæ tūc de necessitate conclusisset, quando litteræ aliarum pensionum essēt pro dubiis, & non cōstaret in eis de clausula transferendi. Vnde tunc succe-

1 dit, quod quando † actor plene probauit intentionem suam, non sufficit quod per probationem per reū factā, dubia reddatur probatio actoris. vt per Dec. in c. in prēsētia. n. 12. de probat. Gem. in c. si tibi absenti.

2 de præben. in 6. quia exceptio † rei debet concludenter probari, alias succumbit. vt per Bar. in l. non solū. §. sed vt probari. nu. 4. de nou. oper. nunc. & vt præsumeretur pro validitate actus.

* Cōtra istā decisionē videtur facere, quod dicit Rota dec 348. in nou. vbi quis tenetur probare beneficium esse intra taxam, & intra numerum. Sed respōde, quod, vt actus valeat, illud quod est de iure speciali, præsumitur. secundū Dec. in l. in contrahēda. col. 2. in princ. vers. & nota. quod ista præsumptio. &c. de reg. iur. & etiam ibi ponit, quod or do litteræ non attenditur. & ideo, si vt actus valeat, quod est de iure speciali præsumitur, clausula transferendi, præsumetur, maxime præsumetur attento dicto Roman. in l. 2. col. 40. versic. Item in quantum dixi. &c. ff. de re iudic. & maxime alijs pensionarijs non opponentibus.

SVMMARIVM.

Episcopus qui dicit, quod de licentia sui Prælati aliquem promouit, & super defectu dispensauit, probat.

DECISIO CCCXCVII.

In vna Ouetensi canonicatus, & præbendæ, in qua Episcopus Sebastēsis, existens in palatio Episcopali Legionensi, de licentia Capituli sede vacante, ordines celebrando, Aluarum de Solis, Ouetensis diœcesis, cum quo super defectu natalium quem patiebatur, vt ad omnes minores ordines promoueri, & vnicum simplex sine cura retinere posset, misericorditer duxit dispensandum, & examinatum, ad primam clericalem tonsuram de licentia sui Prælati promonerat. Dubitaui ego die 3. Mart. 1546. An ex ista narratiua, de licentia. &c. probaretur legitime clericatus Aluari. Et omnes Domini dixerunt, quod * dato quod licentia Episcopi Ouetensis, absentis tunc tempore attestationis, verbo non potuisset interueniere, quod poterat interuenisse per eius literas. & ex quo eramus in his quæ erant modici præiudicii, & attenta legalitate personæ, quod illa verba assertiua Episcopi de licen-

* Idem fuit resolutum in 1. lib. annotat. dec. 149.

centia. & quo ad Capitulum, & quo ad Episcopum Ouetensem, tam super clericatu, quam super dispensatione probarent. reputantes omnia ista esse modici præiudicij. per ea quæ dicit Card. & ibi Felin. in c. Alberieus, de testib. Felin. in c. sicut. col. 12. vers. adde aliud exemplum. de re iudic. & quia Capitulum, sede vacante, potest dare licentiam Episcopo Sebastensi, celebrandi ordines in ciuitate Legionensi. c. cum nullus. §. Episcopo autem. de temp. ord. in 6. & quia etiam in isto casu agebatur de clericatu, iã quadraginta annorũ. vnde omnia præsumebantur solenniter acta. ad l. si filius. C. de pet. hæred. & in l. qui in aliena. ff. de acquiren. hæredit. Sed fuit dictum in ista, quod informaretur super quibusdam confessionibus, quæ videbantur obstare.

SVMMARIVM.

Nota originalis, cum cassaturis & interlineaturis, potest transumptari saluis exceptionibus.

DECISIO CCCXCVIII.

TErtia Martij 1546. in vna Romana legati, coram D. Io. Paulo, fuit resolutum, quod nota originalis, quæ multas cassatnras & interlineatnras habeat, erat transumptanda cum suis cassaturis, & interlineaturis, saluis tamen exceptionibus. per ea quæ dicit Bar. in l. 2. §. testamẽtum. & §. si plura. ff. quemad. test. aper. Non obstat, quod notarius in fine non dixisset. quod supra deletum, & interlineatum est, manu mea factum est. & ideo scriptura non faceret fidem. per ea quæ dicit Bart. in l. diuus. §. item Senatus. ff. de fals. in fin. & ideo si nota non probabat, non erat publicanda. per ea quæ dicit Paul. de Cast. in authen. quod sine. C. de testamen. quia fuit dictum, quod simpliciter nota sine cassaturis, & interlineaturis, non erat transumptanda. sed cum cassaturis, & interlineaturis, reseruatis exceptionibus, non negabat Paulus quin posset transumptari, ex quo exceptiones sunt reseruatæ. non obstat consil. Alexand. 41. in 1. volum. vbi quando nota est scripta diuersa manu, est suspecta. quia Alexand. loquitur in manu diuersa non recognita. & hic erat manus notarij, & testatoris.

SVMMARIVM.

Priuilegium datũ scriptoribus, quando prosit etiam quod non sit scriptor tempore gratiæ concessæ.

DECISIO CCCXCIX.

IN vna Abulensi parochialis de Castellanos, coram D. Fabio, in qua Franciscus Fontecha vt scriptor archiuij, habuerat expectatiuam, & postea fuit effectus scriptor. & scriptores Apostolici habent priuilegium, quod etiam extra curiam possint acceptare in genere. 3. Martij 1546. fuit resolutum, quod ex quo ista diligentia acceptandi, venit post vacationem parochialis, & illo tempore iam erat scriptor, quod potuit illo priuilegio vti. per ea quæ dicit Sarnen. in cap. statutum. num. 118. de rescrip. in 6. Item, quia verba extensionis, quam habuerat ad tertiam collationem postquam fuit effectus scriptor, etiam illud importabãt, quod etiam beneficia in gratia prima concessa, tam vigore priorum litterarum quam præsentium, acceptare possit.

SVMMARIVM.

Solennitates extrinsecæ, enunciatæ præsumuntur in decreto voluntariæ iurisdictionis.

DECISIO CCCC.

SOlennitates extrinsecæ, præsumuntur in decreto interposito in actu voluntariæ iurisdictionis, quando sunt enunciatæ, secus si non enunciantur. per ea quæ dicit Felin. in cap. quoniam contra. colum. 19. versic. septima conclusio. & ibi Dec. colum. 22. versic. vltimo notandum est. & c. de probat. Brun. in tract. de formis, & solenn. char. 84. colum. 2. versic. in decreto autem sit duplex. & Paris. consil. 95. num. 12. vol. 1.

SVMMARIVM.

Gratia insolita, quæ fuit iudicata.

DECISIO CCCCI.

IN vna Abulẽsi parochialis de Castellanos die 15. Martij 1546. corã D. Fabio, fuit dictũ, quod gratia creationis in canonicũ, cũ hoc, quod virtute ipsius possit acceptare

beneficia seruitoria, sit gratia insolita. stante regula Clementis, quod nullus vigore talis gratiæ, possit acceptare beneficia seruitoria. Non autem fuit iudicata insolita, ex eo quod gratia illa, daret etiam ad vnum beneficium reseruatum: cum ille cui facta erat concessio gratiæ, esset scriptor Apostolicus, qui ex priuilegijs habent ad vnum reseruatum. & ideo de facili Papa in gratijs eorum, concedit ad vnum reseruatum. Et ideo, stante hoc quod gratia esset insolita, & foret concessa per Clementem in arce S. Angeli, fuit dictum, quod cadebat sub reuocatoria Clementis, facta in Vrbeueteri.

SVMMARIVM.

Gratia ad beneficium ad institutionem Episcopi, comprehendit beneficium cuius electio ad clericos pertinet.

DECISIO CCCCII.

EAdem die, coram eodem D. Fabio, fuit resolutum in vna Gebennensi canonicatus & præbendæ, quod gratia ad beneficia, in cathedrali & collegiata, in ciuitate & diœcesi consistentia, ad collationem, præsentationem, electionem, prouisionem, seu quamuis aliam dispositionem Episcoporum Tarantasiensium, & Gebennensium. & Capitulorum, comprehenderet canonicatum vacantem in Ecclesia collegiata. quia per illa verba. seu quamuis aliam dispositionem. venit in materia stricta, institutio. secundum Franc. in c. cum in illis. §. illis. vers. dispositio est verbum generale. &c. de præb. in 6. Et quādo mandatur prouideri de beneficio spectanti ad institutionem Episcopi, videtur Papa voluisse grauare alios, quibus ius eligendi competebat, quatenus illi essent clerici. vt per Franc. in cap. cum illis. §. cū autem. vers. quod autem si Papa mandat. &c. de præben. in 6. Et non est dubium, quod in collegiata, in canonicatibus institutio pertineat ad Episcopum. secundum Cassad. decis. 22. de præben.

SVMMARIVM.

Remissoria, in causa cabimentorum decreta.

1 *Remissoria an detur ad probandum litem.*

DECISIO CCCCIII.

DIe 15. Martij 1546. fuit conclusum in Rota, me proponente, quod in causa Cæsaraugustana cabimentorum, daretur remissoria ad probandum litem super dicta diuisione cabimentorum, ex quo erat releuās. & de lite erat fumus per testes. & dictum,
1 quod alias, ad probandum † litem, fuerat decreta remissoria. maxime propter deperditionem, seu expugnationem ciuitatis Rhodi, in qua potuerunt multæ scripturæ deperdi. Item quia agebatur inter duas nationes. & ad habendum veritatem circa stylos hinc inde productos, quod bonum erat, vt daretur remissoria. Et ita 19. Martij remissoria fuit decreta.

SVMMARIVM.

Præscriptio, an sede quasi vacante cucurrerit, in materia præeminentiarum contra Capitulum collegiatæ.

1 *Præeminentiæ an communes sint inter Prælatum, & Capitulum.*
2 *Præscriptio sede vacante, an habeat locum in rebus communibus inter Prælatum & Capitulum.*
3 *Abbas & Capitulum collegiatæ, vnum corpus faciunt.*
4 *Capitulum sine Prælato in rebus communibus, an agere possit.*

DECISIO CCCCIV.

IN causa Salamantina præeminentiarū, die * 19. Martij 1546. proposui dubiū. An stātibus duabus electionibus in discordia factis, & rixis, & discordijs inter electos, Capitulum maius potuerit contra Capitulum collegiatæ, præscribere præeminentias pulsandi campanas, olei, & chrismatis, ac relaxandi interdicta. Et ego in propositione præsupposui, quod essent probata talia impedimenta, per quæ Abbas fuit impeditus nāscisci possessionē: & sic diceretur sedes quasi vacare. iuxta doctrin. Ostien. & Io. And. in c. olim, 1. de rest. spol. de quo per Felin. in c. 1. post princ. de præscrip. Et fuit dictū, quod ex quo istæ præeminentiæ, cum sint spiritualia, 1 † & dignitates Ecclesię, sint cōmunes inter * Prælatū & Capitulū. vt per Innoc. in c. dilecti. de maior. & obed. per tex. in c. cum clerici. de verb. sign. & ideo cū agatur de rebus cōmunibus, pręscriptio sede vacāte, vel quasi, nō habet locū † in rebus cōmunibus. vt per Abb. in c. 1. col. 2. vers. sed dubiū magis potest esse. de præscrip. & Abb. in c. cum

Marginal notes: * Vide infra decis. 410. — * Præeminētiæ cōmunes inter Prælatū & Capitulum.

2 [beside "te, vel quasi"]

c. cum non liceat. in 8. not. de præscrip. nõ obstat. quod illud est verum vbi præiudicatur per præscriptionem Prælato. sed in casu nostro nullum infertur præiudicium, ex quo non contra Prælatum, sed contra Capitulũ præscribitur. quia fuit responsum, quod sufficit quod possit præiudiciũ inferri. & ideo licet in isto casu non inferatur præiudicium, sufficit potentia inferendi, vt in re communi non currat præscriptio. Item dicebatur, quod satis inferebatur præiudicium Abbati, quod cum Abbas, & Capitulum collegia-
3 tæ, vnum ✝ corpus faciant. secundum Abb. in d. c. cum non liceat. in 2. col. satis præiudicatur capiti, si contra eius corpus præ-
4 scribatur. Item, quia in rebus ✝ communibus, Capitulum sine Prælato agere non potest. vt per Abb. in d. cap. 1. ergo non valenti agere, non currit præscriptio.

SVMMARIVM.

Remissoria decreta in negocio restitutionis, in materia spolij.

DECISIO CCCCV.

IN vna Lucensi iurisdictionis, coram D. Io. Paulo, die 19. Martij 1546. in qua ad instantiam Capituli Lucensis, cõtra Episcopum Lucensem erat pronunciatum super spolio iurisdictionis certæ partis, & certarum dignitatum. & sententia transierat in rem iudicatam. & intimatis executorialibus moderno Episcopo, Episcopus ipse petebat restitutionem in integrum, & dabat fumum de læsione. Et ad probandum læsionem plene, petebat decerni remissoriam. Fuit resolutum, quod si fumus læsionis erat sufficiens ad excludendum calumniam petentis remissoriam, quod daretur, etiã quod essemus in spolio. per not. per Cassador. decis. 2. 3. & 4. de dilation.

SVMMARIVM.

Concilium Lateranense, locum habet in regressibus concessis post Concilium.

1 *Collatio beneficij si prohibeatur, an censeatur prohibitum omne illud, per quod peruenitur ad beneficium.*

DECISIO CCCCVI.

IN vna Brixiensi Prioratus S. Iacobi, coram D. Prospero, 19. Martij. Fuit resolutum, ✱ quod Concilium Lateranense, volens quod de cætero non conferantur beneficia non excedentia valorem 200 haberet etiam locum in regressibus, concessis post dictum Concilium, ad beneficia hu-
1 iusmodi. quia si collatio ✝ beneficij prohibetur, ergo omne illud per quod peruenitur ad illud. l. oratio. ff. de sponsalib.

✱ Contraria fuit decisiũ, prout annotaui in 1. lib. annotationum. meatũ decis. 397.

SVMMARIVM.

Statutum Vrbis in prima parte, quod nullatenus audiatur, tollit etiam ius dicendi de nullitate per viam exceptionis.

1 *Litis appellatione an veniat instantia, & ius.*
Appellatione deserta, iniquitas per viam exceptionis an opponi possit.
2 *Instantia, & ius, post biennium, an sint perempta.*
3 *Terminus quadriennij in restitutione in integrum, an præfixus instantiæ, causæ, & iuri.*
4 *Appellatione sublata per statutum, an censeatur sublata omnis defensio.*
5 *Statutum Vrbis reyciens nullitatem, an vitiatur reyicere illam quæ resultat ex alio statuto.*

DECISIO CCCCVII.

IN causa Romana discussionis dotis, pro Paulo de Sarazanis, contra Ioannem de la Molara. proposui dubium die 22. Martij 1546. ex quo contra sententiam Rotalẽ fuit datum de nullitate, & infra tempus quindecim dierum vtilium, secundum formãm statuti in prima parte, nõ fuit iudicium termi natũ. An hodie Iulia, volens dicere sententiam nullã per viam exceptionis, sit audienda. Et fuit per omnes determinatum quod non. quia statutum vult quod elapsis illis diebus, lis & instantia pereat. & appella-
1 tione litis ✝ venit instantia, & ius. secundum DD. in l. postquam liti. C. de pact. Si ergo ius est peremptum, non poterit, nec per viam actionis, nec exceptionis deduci, probatur exemplo appellationis. Quare est, quod post desertionem, etiam iniquitas per viam exceptionis opponi non potest, quia post annum, seu biennium in-
2 stantia, ✝ & ius sunt perempta. Bart. in authen. item si appellatione. C. de tempor. appellat. Item & exemplo restitutionis in
3 integrum. ✝ quia terminus quadriennii, & instantiæ, & causæ, siue iuri est præfixus. l. petendæ. vbi Bart. not. C. de tempor. in integ. restit. pet. Et ideo non solum actio. sed etiã exceptio est perempta. Alex. in l. nam & postea. §. si minor. col. fin. ff. de iureiur. & maxime stantibus verbis statuti dicentis.

& pars nullatenus audiatur, quæ verba vi-
4 dentur tollere omnem defensionem + quia tollitur appellatio. Felin. in c. significauerunt. de appellation. Felin. in c. signifieauerunt. de except. n. 12. & dictio. nullatenus. excludit dispensationem. Fel. in c. ex parte. n. 7. vers. quintus casus. de constit. Non obstat quod ex aduerso allegabatur, quod in isto casu dicebatur de nullitate contra sententiã ex forma alterius statuti. videlicet quia post annum erat actum de nullitate, & statutum prohibet post annum agi de nullitate. & ideo cum sit nullitas notoria resultans ex statuto, nunquam statutũ * reijciens nullita
5 tem, + videtur reijcere illam quæ resultat ex allo statuto. secundum Fulgos. cons. 107. super eo de quo primo. in pen. col. vers. circa secundum quæsitum. & in col. fin. versic. porro ne dicat quis. &c. vt plura ponit Albert. Brunus in verbo, nullitas. vers. si statutum. in 3. col. in 4. limitat. Bald. in l. 1. in vlt. colum. C. de condit. indeb. Salicet. in l. ita nobis pudor. C. de adulter. Anton. de But. in cap. cum quis. de restit. spoliat. Quia fuit responsum, quod illæ auctoritates loquuntur, quando statutum simpliciter excludit nullitatem. quia tunc non excluditur illa, quæ prouenit ex eisdem statutis. secus quando excludit post terminum præfixum. quia tunc comprehenditur omnis nullitas, etiam notoria. vt alias fuerat resolutum. Et ita, in præterita audientia, fuerat resolutum in vna Tiburtina castri Affulatum, coram D. Io. Paulo, in nullitate resultante ex iisdem statutis.

* Statutũ Vrbis excludẽs nullitatẽ post terminu, excludit etiã eã, quæ resultat ex eisdẽ statutis.

SVMMARIVM.

Prouisio Papæ valida, non obstante decreto posito in mandato, si infra mensem non fuerit facta acceptatio.

1 *Decreta, & clausula posita in gratia, an sint conditionales. in euentum scilicet acceptationis.*

2 *Decretum irritans, quando inficiat prouisiones inferiorum. & an liget manus Papæ. & num. 3.*

DECISIO CCCCVIII.

IN causa Vercellensi canonicatus, & præbendæ dedi dubium, die 22. Martij 1546. An stante mandato de prouidendo cum decreto irritanti etiam per nos: prouisio Papæ valeat, non facta acceptatione infra mensem, per habentem mandatum. Et fuit per omnes resolutum, quod prouisio valeret, quia omnia decreta & clausulæ po-
1 sitæ in gratia + sunt conditionales in euentum acceptationis. & ideo non sequuta acceptatione oẽs illę clausulæ euanescunt. per ea quæ dicit Cassad. decis. 3. de præben. & est bona decis. eiusdem. in tit. de decret. reseruat. decis. 2. Et licet decretum ir-
2 ritans, inficiat prouisiones + inferiorum à Papa infra mensem, etiamsi non sequatur acceptatio, per ea quæ dicit Felin. in cap. cum ex officij. in 9. conclus. de præscript. & Cassad. decis. 5. de præben. sen. de concess. præb. Tamen tale decretum, nõ inficit manus Papæ nisi sequuta acceptatione, cum maior potestas in ipso remanserit, & propter clausulas derogatorias solitas apponi in prouisione Papæ. iuxta decis. licet de more. in nou. Et fuit dictum, quod ita alias in pluribus causis, fuerat resolutum, prout eas enumerabat D. Hieronymus, qui pro ista parte scripserat. Non obstat decretum,
3 quod apponitur + in alternatiuis Ordinariorum, & indultis Cardinalium, quod inficit prouisiones Papæ, etiam si Ordinarij, & Cardinales, infra tempus eorum non prouideant, prout alias tentum fuit. quia fuit responsum, quod illa decreta non apponuntur in gratia cõditionali, prout est ista, propter clausulam, quæ dixeris acceptanda.

SVMMARIVM.

Remedium retinendæ, quo casu fuerit datum.

1 *Spoliari quando quis dicatur iure aliquid percipiendi.*

2 *Ciuilis possessio an retineatur à spoliato naturali per aditionem iudicis.*

3 *Possessione priuatus, potest agere interdicto retinendæ, si se habeat pro spoliato recuperanda. & num. 4.*

DECISIO CCCCIX.

IN vna Paduana congregationis clericorum, coram D. Rauellensi, fuit dictum, quod in istis incorporalibus, licet per denegationem solutionis faciendæ ab eo qui tenetur soluere, non autem si impedimentũ fieret à tertio, quis dicatur spoliari iure
1 percipiendi. + prout dicit Specul. in tit. de restit. spol. §. nunc dicimus. col. 3. vers. sed quomodo in his iuribus. &c. Roffred. in libello de interdicto vnde vi. col. 13. vers. sed illud quæritur. Aegid. cons. 21. col. 2. vers. item recte dicitur in libello. &c. & Innoc. in c. querelam. col. 1. in fin. Tamen fuit dictũ, quod si ille qui debebat soluere nõ soluit, & pẽsionarius adit iudicem, quod per talem
2 aditionem, + retinet ciuilem secundũ Bal. in c. querelam. de elect. & decis. Neapolit. 395. n. 7. Guid. Papæ decis. 555. Et ideo propter

pter retentionem talis ciuilis sententiæ latæ in iudicio retinendæ, fuerunt defensæ, nã in illo casu Daniel Bonfilius, qui erat in possessione percipiendi portionem certorũ fructuum à dicta congregatione, cum congregatio denegasset ei soluere dictam portionem, & ipse congregationem cõuenerat in ciuitate Venetiarũ, fuit lata sententia in iudicio retinẽdę, quę fuit cõfirmata per Auditorẽ Cameræ, & Rota voluit, quod esset bene lata. Nec obstat, quod quotidie feramus sententias super spolio, quia fuit dictũ,
3 quod vtrumq; remediũ ✝ poterat intẽtari. quia si habebat se pro spoliato, poterat remedium recuperandæ intentari. Et propter istam decisionem, eadem die in vna Tarraconensi, coram eodem Rauellensi, fuit datũ mandatum de manutenendo Capitulo Tarraconensi. Nam cum ex constitutione, quæ est ibi in obseruantia, prout fuerat probatum, Archiepiscopus non posset ponere nisi Vicarium, qui esset Aragonẽsis, Valentinus, Catalanus vel Maioricensis. & Cardinalis de Auria misisset Vicarium Genuensem, qui non fuerat per Capitulum acceptatus. Et ideo, causa in Rota, cõmissa fuit datum mandatum Capitulo, de manutenendo ipsũ Capitulum, ex quo non habebat se pro spo-
4 liato sua ciuili. ✝ & ideo, quia in illa turbabatur, poterat manuteneri.

SVMMARIVM.

Hæc decisio venit ad supplementum eorum, quæ dicta sunt supra decis. 404. hoc lib. 2.

1 *Præeminentia, communes Prælato, & Capitulo.*
Præscriptio contra Capitulum, an currat vacante Sede Prælati, in iuribus communibus. & n. 5. & 6.
2 *Præscriptio contra Ecclesiam Romanam, nõ currit nisi centenaria. Sed an procedat contra eius vasallum.*
3 *Prælatus speciale caput Ecclesiæ collegiatæ, & cum ea facit vnum corpus.*
4 *Præiudicium corporis si tractatur, tractatur etiam præiudicium capitis.*
6 *Capitulum in rebus communibus magni momenti, an possit agere sine Abbate.*

DECISIO CCCCX.

IN causa Salamantina præeminentiarum proposui dubium, die 26. Martij 1546. Præsupposito, quod post erectionẽ collegiatæ de anno 1480. Capitulum maius vna cũ Abbate, incœperit quasi possidere, & pręscribere præeminentias pulsandi cãpanas, olei, & chrismatis, & relaxandi interdicta, exclu-so Capitulo collegiatæ. & de anno 1507. sedes Abbatialis per quinque annos, propter impedimenta, quasi vacauerit. An durantibus dictis annis, Capitulum maius, suã quasi possessionem continuare potuerit, ad effectum perficiendi præscriptionem contra Capitulũ collegiatæ, ante litem motam. Et quia istud dubium, est idem cum illo quod fuit datum supra. decis. 404. hoc lib. 2. fuit idem resolutum per maiorem partem, quod ibi. videlicet, quod ex quo eramus in istis
1 præeminentijs quæ erant ✝ cõmunes Prælato, & Capitulo, quod præscriptio non curreret contra Capitulum, quia poterat præiudicare Prælato. per doctr. Abb. in c. 1. col. 2. de præscrip. Non obstat, quod hic non tractetur de præiudicio Abbatis. quia Abbas communicare tenetur vni vel alteri. & ideo non tractetur de eius præiudicio, sed de præiudicio eius, cui communicare tenetur. Item non obstat quod dicebatur, quod doctrina Abbatis procedit, quando æque principaliter præiudicatur Prælato & Capitulo: secus quando principaliter præiudicatur Capitulo, & secundario Prælato: pro-
2 ut exemplificabatur. præscriptio ✝ contra Ecclesiam Romanam non currit nisi centenaria. & tamen contra eius vasallum. vtputa quod alius velit præscribere ius vasallagij currit præscriptio quadraginta annorũ, secundum Felin. in c. ad audientiam. & ibi Abb. de præscript. & illud est, quia secundario, non autem principaliter, præiudicium, Ecclesiam Romanam concernit. ita ergo in proposito erit dicendum. vt quoniam præiudicium principaliter tangat collegiatam, & secundario Prælatum, currat præscriptio contra collegiatã. Quia ad ista fuit responsum, quod in casu isto agitur de præiudicio
3 Prælati. nam cum Prælatus ✝ sit speciale caput Ecclesiæ collegiatæ, cum qua facit vnum corpus. per not. per Abb. in cap. cum non liceat. in 2. col. de præscript. certe si diminuerentur iura collegiatæ, diminueretur etiam ius ipsius Prælati, qui est speciale caput illius corporis. & induceretur seruitus in Prælato, vt aliud capitulum maius in istis præeminentijs conuocare teneretur. Cum ergo tractetur de præiudicio corpo-
4 ris, tractatur etiam ✝ de præiudicio capitis, sine quo illud caput non consistit. & ideo æque principaliter agitur de præiudicio Prælati, sicut de præiudicio collegiatæ. Nec obstat quod secundo loco dicebatur. aut sumus in modico præiudicio, & tunc contra
5 Capitulum currit præscriptio ✝ sede vacante. prout dicit Abb. in d. cap. 1. quia fuit dictum, quod essemus in magno præiudicio, ex quo tractabatur de perpetuo pręiudicio, Et non obstabat quod dicebatur. si ergo sumus in magno præiudicio, Capitulum collegiatę nõ potuit sine Prelato, de anno 1522

agere. & si ista litis motio est nulla, non potuit præscriptionem interrumpere. & si non est interrupta, tunc præscriptio est finita. Ad istud fundamentum non fuit tunc in Rota responsum. quia dubium tantum respiciebat, an præscriptio sede vacante curreret. Et fuit resolutum, quod dormiret. Sed si illa præscriptio, per illam motionem litis de anno 22. esset interrupta, erat alia difficultas, super qua non erat informatũ. Sed ego crederem, quod in isto casu posset Capitulum sine Abbate agere. Nam Abbas vult, quod Capitulum in rebus communi-
6 bus ✝ magni momenti non potest agere, quia posset præiudicare Abbati. At in illo casu, nullum præiudiciũ potest inferri Prælato, si Capitulum præscriptionem contra ipsum currentem interrumpat. ex quo contra ipsum præscribebatur & non contra Abbatem. alias negligentia & n oluntas Abbatis noceret Capitulo. Fuit dictum agenti pro Capitulo maiori, daretur sibi istud in dubium, videlicet, an Capitulum potuerit de anno 22. iudicium valide intentare ad effectum interrumpẽdi præscriptionem. maxime cum idem agens dixerit, quod D. Antonius, multas doctrinas inuenisset, per quas demonstrare volebat, quod præscriptio curreret in rebus communibus contra Capitulum.

SVMMARIVM.

Regula de triennali, item allegatio Lapi, suffragatur possessori pacifico, dato quod possessio sit vitiosa.

1 *Tertius non attentat, & qui dicatur tertius.*
2 *Possessio vitiosa, quæ.*

DECISIO CCCCXI.

IN vna Salamantina portionis, coram D. Fabio. in qua Didacus resignauerat dictam portionem in fauorem Petri, & probabatur quod Petrus resignationem acceptauerat. post resignationem Didacus fuit spoliatus per Thomam de las Casas. & commissa causa per Didacum contra Thomam super spolio, Bertrandus de Robles etiam venit ad causam. & inter istos tres fuit introducta lis, tam super petitorio, quam possessorio. post tamen resignationem factam per D. Didacum in personam Petri. itaque Didacus tantum erat in detentatione. Dubitauit D. Fabius die 26. Martij 1546. præsupposita lite inter Didacum, Thomam, & Bertrandum, tam super petitorio, quam possessorio, An allegatio Lapi, suffragetur Alphõso successori Petri. Qui Petrus post litem motam vigore resignationis factę per Didacum ante litem, ingressus est possessionem, & pacifice possedit per octo annos. Fuit resolutum quasi per omnes, * quod allegatio Lapi, item & regula de triennali, suffragaretur ei. Et fuit dictũ, quod Petrus, qui ingressus fuerat possessionẽ litigiosam inter illos tres, eum ipse esset penitus tertius, quia
1 veniebat ✝ ex iure Didaci ante litem, quod ipse non attentabat. iux. tex. in c. Romana. §. in alium. de appell. lib. 6. Et licet illa pos-
2 sessio, propter litem motam, ✝ posset dici vitiosa. per not. per Card. Alex. in c. quod restitutio. col. 18. vers. hic capitur optima cautela. &c. 3. q. 1. cap. ex parte A. & ibi Immo. col. 4. de testib. vers. item nota quod remedium. Phil. Franc. in c. bonę. col. 3. vers. secunda conclusio. & vers. tertia & vltima conclusio. de appell. Tamẽ ex quo fuit pacifi-
3 cus possessor, ✝ debet suffragari allegatio Lapi. secundum Sarnen. in quæst. 41. & quæst. 11 in reg. de trienn. Itaque Alphonso suffragabatur allegatio Lapi, quia Petrus, suus prædecessor, fuerat possessor per octo annos. & si ipse possedisset per tres annos suffragaretur reg. de trienn. ex quo fuisset pacificus possessor, dato quod possessio fuisset vitiosa. prout ita tenet Sarnen. in dictis quæstionibus. Nam ad effectum allegationis Lapi, & reg. de trienn. Rota considerauit, quod pacifice possederit.

* Vide ad propositum istius decis. Franc. Balb. in tract. de præscrip. in 2. par. 3. par. princ. q. 12. colum. 2. in princ. vers. quod vitiũ litigiosi &c. & vers. ijs sic præmissis.

SVMMARIVM.

Derogatio indulti Cardinalis Ordinarij, non datur nisi expresse dicatur.

DECISIO CCCCXII.

IN vna Toletana, canonicatus & præbẽdę, coram D. Peregrino, proposita 26. Martij 1546. in qua Franciscus Pesquera habuerat expectatiuã ad duas diœceses exprimendas in litteris, cũ derogatione indultorũ etiam Cardinaliũ. & postea expediuerat expectatiuam ad collationẽ Cardinalis Toletani, cum derogatione indultorũ, etiam Cardinalibus cõcessorũ. fuit resolutũ * ab vsu patrisfamilias, quod ex quo Papa non solet derogare indulto Cardinalis Ordinarij; quod sub illa derogatione indultorũ Cardinaliũ nõ venirent indulta cõcessa Cardinali Ordinario, sed tantũ extraordinario, vt sunt multi Cardinales, qui habent indulta in diœcesibus, in quibus non sunt ordinarij collatores. & sufficit, quod derogatio in illo casu operaretur, & quod Frãciscus Pesquera volebat, sub illis verbis generalibus. ad duas diœceses exprimendas piscari. suam expectatiuam in diœcesi Toletana, in qua Cardinalis vt

* Vide ad istam decis. quæ latius dico in 3. lib. annotationũ decis. 93.

vt collator ordiaarius habebat indultum. quod si Papæ expressisset, non ei concessisset.

SVMMARIVM.

Exequutores dati in nominationibus factis per Cæsarem, nō solum sunt dati ad compellendum, sed etiam ad prouidendum.

DECISIO CCCCXIII.

FVit resolutum in vna Augustensi custodiæ, coram D. Io. Paulo, die 26. Martij 1546. quod exequutores dati in nominatione facta per Cæsarem, de Ioanne, directa Capitulo, & Decano Augustensi, in qua hortabatur Capitulum, vt in euentum vacationis beneficij per ipsum acceptandi, illud sibi conferretur, ac de eo prouideretur, & in possessionem immitteretur. & subiungebat Imperator. quo autem hæc nominatio, suum pleniorem assequatur effectum, ideo nominabat exequutores auctoritate Apostolica sibi concessa. eisdem expresse mandantes, vt eandem nominationem iuxta traditam sibi in litteris Apostolicis potestatem, debitæ exequutioni demādent, & demandari curent. Et cum in litteris Apostolicis, quas Papa Imperatori super istis nominationibus faciendis, sit concessa facultas Imperatori, deputandi exequutores qui prouideant. fuit dictum, quod isti exequutores, iuxta formam litterarum Apostolicarum, poterunt prouidere, dato quod Capitulum & Decanus, super prouisione non forent requisiti. quia ex forma dictæ nominationis illi exequutores non erant dati tantum ad compellendum. quo casu procedebat text. in cap. si Capitulo. de concess. præbend. in 6. sed erant etiam dati ad prouidendum. Nec obstabant illa verba postea sequentia. quod si vos, quod absit, in parendo huiusmodi nominationi, rebelles fueritis, in vos censuris Ecclesiasticis animaduertant. quia fuit dictum, quod dicta verba respiciebant, quod si post illam prouisionem factam per exequutores, essent capitulares inobedientes in tradenda possessione, quod poterant ad id compelli censuris ecclesiasticis. per hoc ergo non sequitur, quod essent tantum exequutores ad cōpellēdum.

SVMMARIVM.

Archiuistarum priuilegiū, quod possint extendere instrumenta per alios notarios rogata, quomodo intellectum.

DECISIO CCCCXIV.

ARchiuistæ habent priuilegium, in quo dicitur, quod habeant archiuium, in quo notarij deponant contractus, instrumenta, & testamenta. &c. quæ tam per ipsos, quam per quoscunque alios notarios, & tabelliones, in præfata Romana curia inter curiales, vel curiales & Romanos tantum, etiā per notarios Romanos de contractibus curialium. Accidit quod Franciscus Fōtheca, post direptionem Vrbis existens in ciuitate Caietana, coram notario qui non erat archiuista acceptauit in genere, vigore priuilegiorum scriptorum habentium priuilegium, quod possint acceptare in genere etiā extra curiam. & postea delata illa nota ad curiam in archiuio per notarium archiuij, obtinuit illam acceptationem deduci ad speciem, & de ea confici instrumentum. Fuit dubitatum in vna Abulēsi parochialis de Castellanos, die 29. Martij 1546. per D. Fabium, an acceptatio in genere, extra curiam coram notario non archiuista, facta per Franciscum Fontheca, potuerit reduci ad speciem per Archiuium Romanæ curiæ. Et fuit resolutum, quod non. quia priuilegium tantū loquitur de instrumētis rogatis in Romana curia. & cū non esset rogatum in curia, sed in ciuitate Caietana, ideo non potuit extendi. & ideo quod Fontheca, vel faceret extendi instrumentum per notarium rogatū, vel, si erat mortuus notarius, per eius successorem, de mandato iudicis loci in quo instrumentum rogatum erat. quia priuilegia sunt strictè intelligenda.

SVMMARIVM.

Restitutio, quo casu ad spolium fuerit data, non aliter iustificato instrumento conditionali.

1 *Constitutum an operetur si constituens non possidebat.*
2 *Constitutum an euanescat, si euanescit instrumentum.*
3 *Titulus an requiratur in profanis pro restitutione.*

DECISIO CCCCXV.

VIgesimanona Martij 1546. in causa Vrbeuetana, seu Perusina castrorū, dedi du-

dubium. An Comites de Marsiano veniant restituendi ad portionem castri Parrani, quę fuit Comitis Bulgari. Et fuit dictum, quod Lauinia, quæ de anno 1518. emerat à Bulgaro cum clausula constituti, quod si non probabatur quod Bulgarus habuisset posses-
1 sionem tempore venditionis, ✝ quod constitutum nihil operaretur. Et licet postea de anno 1521. Bulgarus egisset contra Alexandrum possessorem. & reportasset sententiam, & rem iudicatam. & vigore illius, Bulgarus, tertia Septembris 1521. possessionem suam recuperasset. Tamen idem Bulgarus quarta Octobris 1421. cum eodem Alexandro permutauit castrum Parrani, cum quadam arce. & in instrumento permutationis, aderat clausula constituti. & vltra dictam clausulam, testes probabant, quod Alexander possessionem habuerat. Itaque cum postea de anno 1522. Bulgarus vendidisset partem suam Lauiniæ, & Lauinia ingressa foret possessionem castri, quod non obstante dicta venditione, spoliasset Alexandrum. & ideo erat restituendus, seu verius eius hæredes. Non obstat, quod instrumentum permutationis factum cum Alexandro, esset conditionale, vt puta ita dicens. quod si æstimatio per duos non fieret, & postea solutio infra annum, præsens instrumentum nullius sit roboris, & omnia in pristinum statum remaneant. & cum non constaret, nec de æstimationi, nec de solutione, omnia debebant manere in pristino statu. & per cõsequens, possessio Alexandri, vigore illius instrumenti capta, euanuisset. Quia respõderunt Domini, quod illud procedebat respectu possessionis per clausulam constituti
2 translatam. quia sicut ✝ euanuerat instrumentum, ita & constitutum, nisi doceretur pro parte Alexandri de adimplemento. sed ex quo Alexãder, vltra possessionẽ per clausulam constituti habitam, habuerat etiam possessionem actualem castri, quod etiam quod non impleuisset, non licuisset Bulgaro, nec Lauiniæ, propria auctoritate spolia-
3 re. cum in istis prophanis ✝ detur restitutio sine titulo. Non obstat quod dicebatur, quod Alexander debebat docere de adimplemento. quia fuit respõsum, quod istud respiciebat petitorium. quod iustificare Comes Alexander non tenebatur, nec hodie eius hæredes.

SVMMARIVM.

Statutum Vrbis, quod causa nullitatis, coram Capitaneo. &c. quo ad primam partem statuti, quo casu ligauerit Rotam.

1 *Statutum prohibens appellationem, quando dicatur ordinatorium, vel decisorium.*
2 *Statutũ præfigens terminum potest esse decisorium, & ordinatorium.*
Statuta decisoria ligant Rotam.
3 *Commissa semel causa iuxta formam statutorum, censetur etiam commissa causa appellationis.*
Causa semel effecta summaria in prima, remanet etiam summaria in secunda, etiã si non dicatur.

DECISIO CCCCXVI.

IN causa Romana dotis, pro Paulo de Sazaranis, contra Iuliam, die 29. Martij 1546. dedi dubium. An statutum, quod causa nullitatis, corã Capitaneo appellationis. &c. quo ad primam partem, stante commissione iuxta formam statutorum liget Rotã, & Dominos. Et fuit resolutum quod sic. quia forma rescripti est seruanda. & ideo cum causa esset commissa, audienda, cognoscenda, & determinanda, iuxta formam statutorum, dicebatur quod ligabat Rotam, & Dominos. Item, quia cum illa prima pars statuti, disponat quod nisi infra octo probatio fiat, & infra quindecim dies causa expediatur; quod lis & instantia pereat, & per consequens ius perimatur, vt supra dictum fuit. ergo statutum erat de-
1 cisorium, vt in simili videmus. nam licet statutum, ✝ quod possit vel non possit appellari, respiciat ordinatoria iudicij. vt dicit Alexand. in l. 1. in fin. de legat. 2. tamen quando statutum dicit, quod non possit appellari à diffinitiua, quia tollit ius, dicitur esse decisorium. prout ita dicit Dec. in c. Ecclesia sanctæ Mariæ. num. 43. de constitut. Et ideo, licet tale statutum, pro-
2 pter præfixionem termini, ✝ dicatur ordinatorium; tamen propter peremptionem iuris, dicitur decisorium. & si est decisorium, ligat Rotam. iuxta notata per Bart. in l. cunctos populos. C. de sacrosanct. Eccles. Non obstat, quod licet causa fuerit cõmissa appellationis à sententia lata in curia Capitolina D. Io. Paulo, secundum formam statutorum; tamen non fuit commissa causa appellationis à sententia D. Io. Pauli, D. Aquensi, iuxta formam statuto-
3 rum. quia fuit dictum, quod ex quo ✝ semel causa fuit commissa iuxta formam statutorum, ita etiam censeretur commissa causa appellationis, iuxta formam statutorum. quia causa semel effecta summaria in prima, remanet etiam in secunda, etiã si non dicatur.

SVM-

SVMMARIVM.

Processus factus cum tutore testamentario; dato quod testamētum impugnetur, est validus propter dubitationem.

1 *Testamentum impugnans, an possit iudiciū dirigere contra tutorem testamentarium.*
2 *Rubrica, & non nigrum attenditur in titulo. C. qui tut. dar. poss.*
3 *Tutoris datio quando est dubia, an possit procedi contra ipsum, tanquam contra assertum tutorem. & n. 5.*
4 *Doctoris dictum, debet intelligi secundum dictum alterius Doctoris quem allegat.*
6 *Processus factus cum tutore ante confectionem inuentary, an validus.*
7 *Tutrix testamentaria an teneatur renunciare secundis nuptys.*
8 *Tutor cui non est decreta administratio à iudice, an possit agere. & num. 9.*

DECISIO CCCCXVII.

DOn Georgius Ruffus, fuerat institutus
in testamento patris; & ei fuerat data
mater tutrix in testamento. Angela soror
patris Don Georgij, dicebat Don Georgium
esse spurium; & per consequens testamentum
nullum. & vindicabat hæreditatem.
& intentauit iudicium contra matrem
tutricem datam in testamento patris. & obtinuit
sententiam in partibus super spurietate.
à qua appellauit. & coram me dixit
de nullitate sententiæ. Proposui ego dubium
die 2. Aprilis 1546. in causa Messanēsi
Baroniæ, ex quo dictum fuit de spurietate
Don Georgij. An iudicium potuerit intentari
contra tutricem testamentariam,
vel potius debuisset deputari curator liti.
& an ex aliqua solennitate omissa, tutela
testamentaria sit nulla. Et fuit resolutum
per maiorem partem, quod ratione dubij
1 potuerit agi contra tutricem † testamentariam.
per tex. in l. 1. C. qui dar. tuto. poss.
& in l. ordinata. C. de lib. cau. Non obstat
quod ille text. loquatur in tutore datiuo.
quia attenta rubrica generaliter loquente,
videlicet. qui tutor. dar. poss. siue tutor sit
2 datus à testatore, siue à iudice, semper † rubrica
procedit. Item, ratio decisionis, videlicet
dubitationis, militat in tutore dato
in testamento, donec pendet dubium, an testamentum
sit validum. Non obstat quod
pro parte allegatentur. Bal. Salicet. & Pau.
de Cast. in l. si putas. C. de pet. hæredi. vbi
videntur dicere isti DD. quod quando dubi
3 tatur de datione † tutoris, debet procedi
contra istos, tanquam contra assertos tutores,
non autem simpliciter contra tales tutores.
quia tunc, vt contrarius esset repellendus.
quia fuit responsum, quod Bal. in d. l. si
putas. in secunda oppositione, in prima parte
dicit contrarium. dum dicit, quod ratione
dubitationis, potest fateri esse tutores, licet
cautius agat contra eos, dicendo quod
prætendunt se esse tutores. Salicet. etiam
ibidem col. fin. vers. oppono ab extra. licet
dicat, quod fuit actum contra prætensos tutores:
tamen non dicit, quod si fuit actum
contra tutores, quod iudicium sit nullū. Et
licet Paul. de Cast. ibid. in princ. 2. col. vers.
notandū tamen. &c. licet dicat, quod si agat
simpliciter contra tutores, sit repellēdus vt
contrarius; tamen tantum allegat Bald. &
cum Bald. dicat cautius agit. &c. intelligē-
4 dus erit, † secundum dictum Bal. Non obstat
quod in l. 1. C. qui dar. tut. fuerit actū
à principio contra pupillum, & postea fuerit
datus ei tutor. hic autem à principio
fuit actum cōtra tutorem. quia fuit dictum,
quod sicut processus factus contra tutorem
5 quando † fuit datus, sustinetur ratione dubitationis.
ita & sustinebitur hic, licet à principio
fuerit actum contra tutorem. Fuit
6 etiam resolutum in eadē per omnes, † quod
processus * factus contra tutorem, licet inuentarium
non confecisset, tamen teneret,
licet potuisset remoueri, vt suspectus. per
not. per Dec. in cap. ex parte. 2. de appell.
& alias ita resolutum fuerat. Item & tertio,
in eadem fuit resolutum, quod opinio Alberic.
de Rosat. in authen. matri & auiæ. cum
quo tenet Bald. ibi. quod tutrix testamentaria,
non tenetur renunciare * secundis nup-
7 tijs, † esset verior quā illa quam tenet Bar.
ibidem, qui nil allegat. sed Albericus suam
opinionem lege & ratione confirmat. Item
& quarto, fuit resolutum, quod ex quo mater
administrauit ante administrationem
8 per iudicem sibi * decretam, † quod talis
administratio esset nulla. secundum Bar. in
l. legitimos. ff. de legit. tut. colum. 1. versic.
quæro verum. Aret. in §. actionum. colum.
20. in 7. quæst. inst. de act. Cassan. super
consuet. Burgund. fol. 223. vers. quantum
ad primum. colum. 3. Corn. cons. 164.
volum. 4. Et ita alias tentum fuerat in quadam
causa Senensi, in tutela matris filiorum
Sigismundi Ghisij: & hoc est verum nisi
testator in testamento dixisset, quod nole-
9 bat quod mater † teneretur petere administrationem
tutelæ. ita quod si dixisset
quod propria auctoritate posset
administrare, tunc non
requireretur decretum
iudicis.

* Processus factus cū tutore ante confectione inuentarii est validus. Vide in a.libro annotamentorum decis. 310.

* Tutrix testamentaria, nō tenetur renunciare secundis nuptijs.

* Tutor, cui non est decreta administratio a iudice nihil potest facere.

SVM-

SVMMARIVM.

Exceptio nō numeratæ pecuniæ, quo casu fuerit apposita.

1 *Exceptionem non numeratæ pecuniæ sciens sibi competere, si patitur se delegari, an possit opponere. & num. 4.*

2 *Exceptionem non numeratæ pecuniæ, an possit opponere qui agnouit debitum. & n. 4.*

3 *Exceptio non numeratæ pecuniæ, infra biennium in mutuo opponi potest.*

DECISIO CCCCXVIII.

IN vna Romana releuationis indemnitatis, inter Io. Baptistam de Vsina ex vna, & Ioan. Baptistam Cardellum. D. Prosper. die 2. Aprilis 1546. proposuit dubium, An Io. Baptista Cardellus, qui confessus fuit mutuum, & eodem contextu passus est se delegari, potuerit, in casu de quo agitur, propter non numeratam pecuniam, agere contra delegantem vt numeret, vel releuet ipsum ab obligatione ad eius delegationem facta. Verba obligationis erant ista. Io. Baptista Cardellus debitor, vt asseruit, Io. Baptistę de Vsina in summa scut. 300. anri, occasione amicabilis mutui sibi vt asseruit sponte. &c. ad ordinationem, & delegationem dicti Io. Baptistæ præsentis & delegantis, fecit se debitorem Francisci della Porta. &c. & dictus Io. Baptista de Vsina, liberauit ipsum Cardellum. Postea Io. Baptista Cardellus, infra biennium contra Io. Baptistam opposuit exceptionem non numeratæ. & ideo petebat dictam pecuniam sibi numerari, vel releuari indemnem ab obligatione, qua passus fuerat se delegari. Et contra ipsum Io. Baptistam Cardellum, opponebatur de tex: in l. si quis delegauerit. ff. de nouat. vbi si quis
1 sciens ✝ exceptionem non numeratæ pecuniæ competere, & patitur se delegari, censetur illi exceptioni renunciare. Item, opponebatur de tex. in l. cum fidem. C. de non num. pecun. vbi quod quando quis agnouit
2 debitum, non potest opponere ✝ illam exceptionem. Item & tertio, quia nouatio habem vim solotionis. l. si rem. §. fin. ff. de nouat. si ergo soluit deleganti, agnouit debitum. ergo non potest opponere dictam exceptionē. d. l. cum fidem. Istis tamen nō obstantibus fuit facta resolutio pro Io. Baptista
3 Cardello. quia habet regulam pro se, ✝ quod infra biennium potest opponere exceptionē non numeratæ pecuniæ. Non obstant allegata in contrarium. quia procedunt, vbi essemus in obligationibus ex interuallo fa-
4 ctis. secus est in casu nostro. in quo confessio mutui fuit facta in eodem instrumento, in quo facta fuit delegatio. quia præsumitur eadem fragilitate, qua passus fuit propter spem non numeratæ pecuniæ confiteri mutuum, ita etiam delegationem. per not. per Bat. & Paul. de Cast. in l. si ex cautione. C. de non num. pec.

✱ Die 9. Aprilis 1546. Fuit eadem causa proposita, & idem decisum. non obstante quod diceretur, quod delegatio esset solutio, quia delegatio est nouatio. vt not. glos. in l. 3. C. de nouat. Bart. in l. pecuniam quam. colum. 2. in fin. ff. si cert. pet. Angel. Imol. & Paul. de Cast. in l. delegare. ff. de nouat. Sed nouatio habet vim solutionis. vt est tex. in l. si rem. parag. fin. ff. de nouat. glos. in rub. ff. de solut. ergo, prout quis soluendo. non potest amplius opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ. l. cum fidem. C. de non. num. pec. ita etiam debet excludi dicta exceptio inducta nouatione per delegationem. Sed fuit dictum, quod nouatio habet vim solutionis, & similis solutioni, nō autem est vera solutio.

SVMMARIVM.

Causæ nullitatis, & restitutionis, vbi in eadem commissione sunt intentaræ, debent eadem sententia terminari.

DECISIO CCCCXIX.

IN vna Tiburtina Castri, in qua erat in commissione commissa causa nullitatis, & restitutionis in integrum, aduersus sententiam latam per Cassadorum, die 2. Aprilis 1546. coram D. Io. Paulo, fuit decisum, quod ex quo causa nullitatis, & restitutionis, poterant in eodem libello cumulari secundum decis. Rotæ 116. ✱ in nou. quod licet esset resolutum, quod sententia nō esset nulla, tamen super validitate sententiæ, non poterat pronunciari antequam discuteretur negocium restitutionis in integrum. quia cum essent ambo iudicia cumulata, debebāt eadem sententia terminari. Non obstante quod immo sint iudicia cōtraria. quia si sententia sit nulla, non debetur restitutio. quia respondetur, quod si erit valida, prout erat isto casu, dabitur restitutio si ex causa erit danda.

✱ alias 7. de rest. spoliat.

SVMMARIVM.

Concilium Lateranense, quod loquitur in collatione, & commenda, an habeat locum in retentione cū decreto, quod priora beneficia non vacent.

DECISIO CCCCXX.

REuerendissimus de Gambara fuit promotus ad Cardinalatum. & in promotione, fuit data sibi retentio omnium beneficiorum prius per eum obtentorum. inter quæ beneficia erat prioratus Brixiensis S. Iacobi de Mella. qui prioratus non ascendebat ad valorem 200. Fuit dubitatum per Dominū Prosperū in dicta causa Brixiensi prio-

Prioratus, 2. Aprilis 1546. An beneficia nõ excedentia redditũ ducentorũ ducatorũ, iã obtẽta ante promotionem ad Cardinalatũ, si, quo ad ea detur retentio, in qua Papa decernebat beneficia non vacare, si in dicta retentione sit necessaria derogatio Cõcilij Lateranen. Et tres ex octo votantibus, dicebãt quod non erat necessaria derogatio Concilij, quia nec verba, nec mens Concilij, poterant adaptari retẽtioni priorum beneficiorũ, quę quis assequutus fuit ante promotionem ad Cardinalatum. nam verba Concilij dicunt, de cętero non conferantur, seu commendentur. at hic nulla est collatio, seu cõmenda, sed est retentio. & retentio nec de iure, prout dicit Gemin. in c. si gratiose. de rescrip. lib. 6. col. 3. vers. in ea. ibi. & nota hic, retenta glos. n. 15. & Card. in clem. si plures. de præb. Item & secundo, quia in retentione, Papa decernit beneficia nõ vacare. & sic, si nõ est vacatio non est collatio, nec cõmenda. & quia retentio non est nisi quædam prorogatio, & conseruatio iuris antiqui, nihil de nouo tribuens. secundum tex. in c. dudũ. 2. in fin. de elect. & ibi Abb. col. 5. versic. nota. glos. fin. Mens Cõcilij etiã nõ cõuenit. quia ex quo de nouo nõ cõfertur, nõ fit prę iudiciũ alijs clericis, quo minus beneficia inferiora cõsequi possint. Sed alij quattuor Domini dicebãt contrariũ. per decis. Rotæ 331. alias 21. de præb. in nou. & decis. Ægidij 752. vbi apparet, quod eadem solẽnitas quę requiritur in prouisione, est etiã necessaria in retentione, vbi Papa decernit nõ vacare. quia si non adesset tale decretum, de proximo beneficium esset vacaturũ. & ideo, quia tollitur illud ius quod erat de proximo, ideo requiritur ibi derogatio. ita etiam erit dicendum in casu nostro. Nec obstat, quod ibi sumus in casu vbi tractatur de præiudicio tertij, videlicet patroni. at hic non tractatur de præiudicio alicuius, & sumus in dispositione exorbitãti. & contra Principẽ, lata debet fieri interpretatio. ad not. in l. fin. ff. de constitut. prin. Quia replicabatur, quod immo eramus in dispositione fauorabili, vt certa beneficia inferiora, Ecclesijs ipsis pro quarum ornatu erant inuenta, deseruirent. & etiam tractabatur de præiudicio tertij, videlicet inferiorum clericorum. & ideo, id quod dicitur in dictis duabus decisionibus, videtur etiam militare in casu isto. Secundo, pro ista parte adducebatur decis. Aegidij 472. vbi dicitur, quod retentio huiusmodi habet vim prouisionis. & ideo id quod dicitur in prouisione debet habere locum in quasi prouisione, vbi militat eadẽ ratio, & materia est fauorabilis. & illa decis. multum fuit ponderata pro ista parte. quam videre poteris. Octauus ex Dominis noluit votare, quia non bene viderat articulum. & ideo remansit indiscussus.

SVMMARIVM.

Lex. testium. C. de testibus. quomodo intellecta.

1 *Solutio debiti in scriptis contracti, debet probari in scriptis, vel per quinque testes, quomodo procedat.*
2 *Causa magna, an dicatur summa 300. ducatorum.*
3 *Iuramento in supplementum, quando sit locus in causa magna.*
4 *Iuramentum in supplementum, an sit deferendum mulieri honestæ. & quando.*
Mulier in causa criminali, an possit esse testis.
Mulier in causa magna, an possit esse testis.
5 *Feudalis causa, grauis.*
An in ea deferatur iuramentum in supplementum mulieri.

DECISIO CCCCXXI.

FVit resolutum in vna Bononiensi pecuniaria mille ducat. * corã D. Rauellensi, die 5. Aprilis 1546. quod l. testiũ. C. de testib. dũ loquitur, quod debitum in scriptis, non potest
1 eius solutio ✝ probari nisi per quinque testes habeat locum, quando est actum, quod aliter actus non valeret nisi in scriptis. secus quando scriptura esset tantum ad probationem, per ea, quæ dicit Bart. ibi. dum remittit se ad l. generaliter. C. de non num. pec. Alberic. & Bald. quicquid ibi dixerit Salicet. & Paul. de Castr. intelligentes illum tex. in quacũque scriptura. quibus obstat tex. dũ dicit. in scriptis. Et non est dubium, quod actus non dicitur fieri in scriptis, nisi quando ita actum est. vt not. in l. contractus. C. de fid. instrum. Item in eadem, in qua agebatur de summa 300. ducat. & eramus inter personas non potentes. Fuit di
2 ctum, quod erat ✝ causa magna. per ea quę dicit Ias. in repet. l. admonendi. col. 97. nu. 231. ff. de iureiur. & quia erat plusquam semiplene probatum, quod esset locus iura-
3 mento in supplementum. ✝ per ea quæ dicit idem Ias. in d. repet. col. 101. vers. limita omnes istos casus. n. 238. & ibidem Curt. Iun. n. 67. vbi attestatur istam esse communem. Nicol. Boer. decis. 85. an iudex secularis. Item, quod si mulier haberet plusquã se-

* Fuit etiam in eadẽ dictã die 9. Aprilis 1546. quod licet statutum Bononiense dicat, quod debitum non possit probari, nisi per instrumentum publicum, tamen per hoc non dicitur esse debitum in scriptis relatum. quia scriptura, quæ requiritur de necessitate probationis, non dicitur esse de substantia actus. & ideo non dicitur, quod actus dicatur in scriptis. factus, secundum Bal. in authen. sed nouo iure. col. pen. circa fin. C. si cert. petat. cuius meminit Dec. in l. pactum quod bona fide. in fin. C. de pact. Item fuit dictum, quod tale statutum, non ligabat nisi subditos, secundum Ias. in l. si nõ specialis. in 9. notab. C. de testam. Et ideo non ligabat heredes contrahentium, qui erant nati Romæ. & ibi domicilium habebant. licet contrahentes essent Bononienses, tamen quia eorum heredes erant nati Romæ, quod statutum Bononiense eos non ligaret, etiam quod respiceret decisoria, secũdũ Ias. in d. l. si non speciali.

* Summa 300. dicitur causa magna.

* In causa magna, vbi est plusquã semiplene probatũ, defertur iuramẽtũ in supplemẽtum.

semiplenam probationem, & esset mulier
honesta. & aliud sibi non obstaret nisi quod
4 esset mulier, ✝ quod ei in dicta causa 300.
ducat. licet magna, esset deferendum * iura-
mentum in supplementũ. non obstante quod
cõtrariũ videatur sẽtire Ias. sequẽdo Rom.
in d. repetit. l. admonendi. col. 108. nu. 254.
vers. secundo infert. quia fuit dictum, quod
Ias. ex mente Romani loquitur in causa cri
minali, in qua de iure canonico non potest
esse testis. & ideo si non potest esse testis
contra alium, minus in causa propria. sed in
causa magna, non reperitur quod mulier nõ
possit esse testis contra alium. ergo pote-
rit esse etiam in causa propria. Et fuit dictũ,
quod istud tenebat ibi Ias. in d. colum. 108.
vers. ex ista generali regula. &c. vbi tenet,
5 ✝ quod causa feudalis est grauis, & tamen
in ea defertur iuramentum in supplemen-
tum mulieri. Pro quo facit quod dicit Ripa
in d. l. admonendi. col. 32. n. 179.

* Mulieri honestę, habenti plusquã semiplenam probationem, est deferendum iuramẽtũ in supplemẽtũ. Facit quod dicit Abb. in c. ex insinuatione. col. 2. n. 7. de procurat.

S V M M A R I V M.

Committitur alicui vt se informet, non requiritur citatio ad informationem, sed in actu postea faciendo.

DECISIO CCCCXXII.

FVit resolutum in vna Bononiensi castri Liani, coram D. Fabio, die 5. Aprilis, quod cum committitur alicui, vt se informet de tali re, prout in casu illo per Clemẽtem commissum fuerat Simonetę, vt de prædictis se informaret; quod in informatione facienda, non requiritur citatio partis. sed in actu, per Principem post informationem sumptam, faciendo, requiritur citatio. per consil. Calder. 4. sub rubr. de dilat. & Felin. in c. cum olim. de re iudic.

S V M M A R I V M.

Petitio tertia, diuersa à secunda.

1 *Identitas iudicij vt dicatur, quæ requirantur.*
2 *Protestatio procuratoris repetentis omnes protestationes, an repetat solum protestationes per ipsum factas, vel etiam factas per principalem.*

DECISIO CCCCXXIII.

IN causa Paduana iniuriarum, proposui
die 5. Aprilis 1546. an petitio tertio lo-
co facta, differat à secũda petitione. & pro-
testatio procuratoris repetentis omnes pro
testationes post dictam petitionẽ tertio lo-
cõ factam, repetat protestationẽ iuramẽti
calũniæ. Et fuit resolutum, quod tertia pe-
titio, differret à secunda & tertia. quia licet
in vtraque esset identitas rei, puta summa
trium millium, item & causæ, quia ob ce-
dulones affixos; tamen non erat identitas
1 personarum, & ✝ ista tria requiruntur vt
sit identitas per tex. in l. cum quæritur. ff.
de except. rei iudic. Nam in secunda peti-
tione, erat facta pro priore, & fratribus Con
uentus sancti Sebastiani Venetiarum. & in
tertia petitione erat facta pro priore & fra
tribus conuentus S. Sebastiani, & pro prio-
ribus alijs, Prouincia, Cõgregatione & pro-
uinciali. Item, secunda petitio non erat va-
lida, quia petens non habebat mandatum
sufficiens. & tertia erat valida, quia manda-
tum superuenerat. Item fuit dictum, quod
2 illa protestatio ✝ procuratoris repetentis
omnes protestationes. * tantum repetebat
protestationes per eum post tertiam peti-
tionem factas, non autem factas per prin-
cipalem, de quibus non constabat, quod
notitiam haberet & maxime cum procu-
rator dixerit, & de nouo allegauit non te-
neri. ergo voluit se referre ad per eum facta,
cum per prius negasset non teneri ad con-
tenta in petitione.

* Protestatio procuratoris, quas protestationes repetere[t].

S V M M A R I V M.

Vide quid decisum in causa nullitatis, seu Romana dotis.

1 *Commissio causæ Capitolinæ, an se extendat ad causam futuram.*
2 *Appellationis causa, & nullitatis, an æque principaliter censeatur commissa.*
3 *Regula, quod quisque iuris, quomodo procedat.*

DECISIO CCCCXXIV.

EAdem die, in causa Romana dotis, seu
nullitatis, proposui dubium. an cau-
sa nullitatis sententiæ latæ in Rota, sit co-
gnoscenda & terminanda ex forma com-
missionis registratæ fol. 87. coram D. Aquẽ-
si. secundum formam statutorum. vel quia
ex quo coram R. D. Io. Paulo, causa nulli-
tatis sententiæ Capitolinę erat commissa se
cundum formam statutorum, censeatur cau
sa nullitatis sententiæ Rotalis, secundum
eandem formam D. Aquensi commissa. Et
fuit dictum, respondendo secũdę parti, quod
cũ causa nullitatis sentẽtiæ Capitolinæ, sit
diuersa à causa nullitatis sententiæ Rotalis,
cum illa nullitas sententiæ Rotalis oriatur
post prolationem sententiæ, quod commis-
1 sio causæ nullitatis ✝ Capitolinæ, non pote-
rat se extendere ad causam futuram, &
post

post commissionem impetratam, exortam. Rot. decis. 148. in nou. alias 18. de rescrip. Ægid. decis. 100. Felin. in cap. pastoralis. §. quoniam. col. 2. de rescript. Non obstat quod ab illa sententia Rotali, erat commissa causa appellationis. & sicut causa appellationis, censebatur esse commissa iuxta formam statutorum; ita & causa nullitatis. quia fuit dictum, quod appellatio erat deserta, quia non erat appellatum in tempore. & quia non repręsentata in tempore. & ideo quod nulla pendebat causa appellationis, sed principaliter tantum pendebat causa nullitatis. Item & secundo, quod vbi est diuersitatis ratio, non militat illatio superius facta. nam causa appellationis, ideo est & intelligitur commissa iuxta formam statutorum, quia est eadē causa cum prima. Sed causa nullitatis sententiæ rotalis, est noua causa. & ideo nimirum, si non debet à causa appellationis re-
2 gulari. maxime cum alias + decisum fuerit, quod causa appellationis & nullitatis censetur æque principaliter commissa. Item & secundo, non obstat dum dicebatur, quod ex forma commissionis, de qua in dubio, ex quo Iulia in ea petebat, quod constito, quod causa esset cognoscenda & determinanda iuxta formam statutorum, siue in proponendo, siue decidendo, quod constito quod statuto Paulus non satisfecisset, quod à iudicio excluderetur. Si ergo Iulia voluit quod statuta seruarentur contra Paulum, ergo idem ius debet contra ipsam seruari.
3 nam + titulus. quod quisque iuris. habet locum in diuersis causis inter easdem personas intentatis. cap. prudentiam. de mut. pet. quia pro parte Iuliæ fuit responsum, acceptando fundamentum, sed dicebat quod prius seruaretur statutum in persona eius. quod si fieret, habebat intentum. quia Paulus veniebat prius à iudicio excludendus. & ideo amplius agere non posset. Et ita domini dicebant seruandum esse.

SVMMARIVM.

Regula contra impetrantes certo modo, an habeat locum in eo, qui non est annalis possessor.

DECISIO CCCCXXV.

IN vna Cæsaraugustana, & Ilerdēsi præceptoriarum, coram D. Fabio, fuit per eum die 5. Aprilis 1546. propositum dubium, an regula contra impetrantes certo modo, habeat locum in eo qui non est annalis possessor. Et fuit determinatum, quod sic. quia regula generaliter loquitur de possessoribus. ergo generaliter erat intelligenda, siue esset annalis, siue non. & si voluisset se arctare ad annales possessores, illud expressisset. Et idem fuit decisum coram eodem, in vna Toletana S. Crucis. die 14. Nouembris 1548. dummodo sit pacificus possessor.

SVMMARIVM.

Ius præsentandi ex fundatione, ex possessione centum annorum, quando præsumatur.

2 *Immemorabili præsentandi probata, an quilibet titulus allegari possit. & n. 3.*
3 *Immemorabilis non potest dici probata probato contrario.*
4 *Probatio præsumptiua quando cesset.*

DECISIO CCCCXXVI.

IN vna Barchinonensi parochialis della Rocha, coram D. Peregrino, die 5. Aprilis 1546. fuit resolutum, quod licet nos alias concluserimus, quod quando pro-
1 batur possessio + immemorabilis præsentandi, possit allegari quilibet titulus, etiā ex dotatione, & fundatione; tamen quod istud erat verum, nisi constaret de initio
2 contrario + prout erat in casu illo. in quo Domini illius terræ, erant in quasi possessione præsentandi per cētum & viginti quatuor annos. sed quia docebatur de alijs prioribus præsentationibus, factis per capellanos capellaniæ della Rocha per 80. annos, quod illi Domini della Rocha non poterant allegare titulum dotationis, ex duobus. primum, quia ex quo consta-
3 bat + de contrario. non poterat dici quod memoria non esset in contrarium. quo casu procedit, quod alias per nos fuit decisum.
4 secundum, quia probatio præsumptiua + cesset, vbi adest alia fortior. Fuit ergo conclusum, quod illa possessio illius Domini, præsumeretur ex præscriptione, seu consuetudine.

SVMMARIVM.

In causa Britonoriensi.

1 *Copiam, & non originale esse instrumenti, ex quibus elicitum.*
2 *Enunciatiua Papæ, an probet dominium, vel possessionem.*

DECISIO CCCCXXVII.

DIe 5. Aprilis 1546. in causa Britonoriensi, pro Illustri Leonello Pio. ostēdi
1 Dominis instrumentū sentētię Henrici, + &

Ii pro-

propter vniformitatem litteræ, tam corporis, quam testium subscribentium, Domini iudicarunt, quod illud instrumentum, esset copia scripta manu alicuius, qui illud scripsit, & non daretur fides. quia non originale, nec transumptum, sed simplex copia. Item, circa bullã Adriani, Domini viderunt antiquitatem, & corrositatem. & quia in ipsa bulla, tantum erãt illa verba. monasteriũ, & ipsius bona sub protectione nostra, quæ suis vocabulis duximus exprimenda. videlicet, Plebem cum Castro Polentæ, quæ iuste, & canonice tenetis. &c. Fuit dictum per dictum Abb. in c. dudum. de priuil. quod illa
2 verba, non ✝ probarent dominium, nec possessionem. & ideo ista aliunde probanda erant.

SVMMARIVM.

Beneficia inferiora, an vacẽt per promotionem ad Cardinalatum.

1 *Cardinalatus est dignitas. an cum Cardinalatu posit retineri alia dignitas.*
2 *Doctores referentes se ad vnum textum, secundum illum intelligi debent.*

DECISIO CCCCXXVIII.

IN vna Brixiensi prioratus, dubitauit D. Prosper de sancta Cruce, die 9. Aprilis 1546. an per promotionem ad Cardinalatum absque dispensatione retentionis, vacent inferiora beneficia, vt est prioratus de quo agitur. Et fuit tentum cum distinctione. Abb. in cap. Ecclesia vestra. col. 2. de elect. quia ratio sua efficax videtur. nam
1 Cardinalatus ✝ est dignitas. vt dicit Barbat. in tract. de præstant. Cardinal. quæst. 1. ergo non potest cum eo retineri alia dignitas. & istam opinionem videtur sentire Collectarius in cap. fin. de concess. præben. Non obstat quod dicit Martin. Lauden. in tract. de Cardin. quæst. 15. Barbat. in tractat. de præstan. Cardinal. in 12. & vlt. quæst. Bertachin. in tract. de Episcopo. in 1. par. 2. lib. col. 7. in 21. quæst. num. 33. vbi inquit, quod hæc est communis opinio. Idem dicit Lambertin. in tract. iurispat. in 15. artic. 6. quæst. 1. partis. 2. lib. fol. 211. colum. 4. circa finem. num. 16. Alban. Bergomen. in tract. Cardin. quæst. 42. in 15. priuil. quia isti DD. allegantes communem opinionem esse contra Abb. allegãt Ostien. Io. And. But. & Imol. in d. cap. Ecclesia vestra. ita tenere. & tamen dicti DD. dicunt notando ex illo tex. quod per adeptionem Cardinalatus, priora beneficia non vacant. Et cum dicti DD. referant se ad
2 illum text. de necessitate ✝ sunt intelligendi in beneficijs inferioribus non curatis, nec habentibus dignitatem. ergo nihil faciunt contra distinctionem Abbatis.

SVMMARIVM.

Trebellianica non censetur prohibita, etiam quod testator mandet restitui omnia bona sua.

DECISIO CCCCXXIX.

ETiam quod testator mandet restitui bona omnia, tamen per hoc non censetur prohibuisse detractionem trebellianicæ. Ita fuit resolutum in vna Romana casalis, coram D. Antonio Augustino, die 19. Aprilis 1546. per ea quæ dicit Ias. cons. 84. colum. 8. & sequen. volum. 1. & 146. colum. 3. vol. 4. Crot. in repet. l. nemo potest. col. 14. de legat. 1. Bertran. consil. 45. col. 2. vol. 2. & 144. colum. pen. volum. 3. in nouiter impressis. Galiaula in repet. l. centurio. vbi plene. colum. 66. vers. aduerte itaque. &c. de vulg. & pupill. Mantua consil. 291. colum. 2. vbi dicit communem.

SVMMARIVM.

Instrumenta duo, de quibus hic, non sunt in forma probanti.

1 *Scriptura non publica, reperta in archiuio, an probet.*
2 *Instrumentum, in quo notarius non asserit se rogatum, an probet.*
3 *Recognitio testium semper fienda.*

DECISIO CCCCXXX.

IN causa Britonoriensi castri Polentæ, dubitaui ego die 12. Aprilis 1546. an instrumenta concessionum in emphiteusim de anno 1355. & 1466. sint in forma probanti. Et fuit resolutum quod non. quia primum instrumentum de anno 1355. erat simplex copia. nam non dicebatur ibi. & ego talis notarius, rogatus præmissis interfui. sed tantum dicebatur. ex instrumento, seu nota Bentauegnæ notarij. & sic apparet, quod illa copia ex illo instrumento, seu nota, erat extracta. Item, non aderat signum notarij. Non obstat, quod esset
1 reperta ✝ in archiuio. quia cum non esset scriptura publica, sed priuata, ideo non faciebat fidem. Item, erat probandum, quod essent ibi longo tempore conseruatæ. vt omnes scripturæ ibi existentes, fidem facerent. Secundum etiam instrumentum de anno 1466. non erat etiam in forma

ma probanti: quia in fine instrumenti tantum dicitur, Et ego Franciscus Guidarellus,
2 & tamen ✝ non dicit, rogatus. Item, non adest signum notarij. Non obstat, quod notarius exhibens illud, dixerit quod illud inuenit inter rogitus & protocolla Francisci Guidarolli: quia fuit dictum, quod vltra attestationē notarij, debebat per alios testes recognosci, quod esset rogitus Francisci. Nec obstat quod essemus in antiquis, quia erat falsum. quoniam vsque ad tempus motæ litis, tantum erant elapsi septuaginta
3 octo anni, & recognitio ✝ saltem eo modo quo fieri poterat, debebat fieri: puta per comparationem.

S V M M A R I V M.

In causa Salamantina præeminentiarum.

1 *Restitutionem in integrum intentans, quid probare debeat.*
2 *Prælato negligente, an Capitulum, & quælibet alia Ecclesia agere possit.*
3 *Prælati negligentia, ex quo conuinci dicatur. & num. 5.*
Capitulum, an possit agere, si ex facto Prælati, vel negligentia, præiudicium inferatur Ecclesiæ.
4 *Capitulum an possit agere sine Prælato.*
6 *Particulares an admittantur pro iuribus Ecclesiæ: & n. 7.*
8 *Alienata male, res Ecclesiæ, quando dicatur.*
9 *Præscriptio, an currat contra Capitulum sede vacante. & num. 10.*
11 *Præeminentiæ, an iura Capituli, vel Ecclesiæ.*

DECISIO CCCCXXXI.

EAdem die in causa Salamantina præeminentiarum, proposui dubium. præsupposito, quod agatur de re magni præiudicij, quia de perpetuo præiudicio. An Capitulum collegiatæ, potuerit agere de anno 1522. ad effectum interrumpendi præscriptionem. & an, si Abbas per quadraginta annos, & vltra, sine Capitulo collegiatæ præeminentias exercuerit, sit quæsita præscriptio contra Capitulum collegiatæ ipsi Abbati, itaut ipsi Capitulo præeminentias communicare non teneretur. Et incipiendo ab ista secunda parte dubij, fuit dictum, quod si Abbas contra Capitulum collegiatæ præscripserat, attento quod contra eum non erat lis mota, & sic aderat vltra tempus quadraginta annorum, quod cum non esset modo lis cum ipso Abbate, quod istam exceptionem Capitulum maius allegare non* poterat. sed quod Abbas veniret ad litem, & contra eum exceptiones suas Capitulum faceret. Et ideo cum Capitulum maius, cōtra se tres conformes reportasset,
1 & nunc veniret ✝ per viam restitutionis in integrum, quod debebat de iure suo docere, & sic de læsione. non autem ius tertij allegare debebat, & sic præscriptionem Abbatis. Ad primam partem dubij, an Capitulum potuerit agere de anno 22. ad effectū interrumpendi, fuit conclusum, quod sic.
2 quia negligente ✝ Prælato, *potest agere Capitulum, & quælibet Ecclesia. & negligentia conuincitur eo ipso, quod Prælatus non prosequitur ius Ecclesiæ suæ. secundum Innoc. & Abb. in cap. cum olim. de testibus. col. 3. & potest Capitulum, si ex facto Præ-
3 lati, vel ipsius negligentia, ✝ aliquod præiudicium Ecclesiæ generatur, agere. vt in cap. dilecti. & ibi Abb. post Innoc. col. 2. de maior. & obed. Item, Capitulum pote-
4 rat agere sine Prælato, ✝ quia suam causam prosequebatur. quo casu etiam in communibus potest agere. secundum Innoc. in cap. edoceri. col. 2. de rescrip. in verbo congregationem. ibi. nisi suam causam, &c. Non obstat, quod negligentia Prælati non depre-
5 henditur ✝ nisi post monitionem, quia contrarium dicit Felin. in cap. cum olim. col. 3. vers. quando autem dicatur. &c. de testib. Item, interruptio præscriptionis, respicit defensionem, & ad defendendum vbi Prælatus
6 & Capitulum non sunt ✝ negligentes, admittuntur particulares. secundum Abb. in d. c. cum olim. col. 3. prope finem. vers. itē ex prædictis collige. &c. Item, pro rebus male alienatis non requiritur consensus, nec
7 mandatum, & omnes possunt ✝ agere, etiam non præcedente aliqua negligentia Prælati, vel Capituli. ad tex. in c. si quis presbyterorum. & per Abb. post alios. in d. cap. cum olim. col. 3. in fin. vers. quod intelligo. &
8 habetur res pro male ✝ alienata, si tantum possessio sit occupata male. Imol. post Innocen. in d. c. cum olim. col. 2. post principium. vers. si autem alias vult agere pro iuribus & rebus Ecclesiæ sine mandato Prælati, post Innoc. in cap. Episcopi. de reb. Eccles. non alienan. communiter approbatus. vt per Abb. in d. cap. Episcopi. Sed quia extra punctum Aduocatus Capituli maioris contra alias decisa. Nam fuit dictum, quod sede vacante non currit præscriptio
9 contra ✝ Capitulum, quia Capitulum non potest agere. secundum Abb. in c. 1. col. 2. de præscr. Sed dicebat Aduocatus, quod istud erat verum in Capitulo cathedrali secus autem est in Capitulo collegiatæ, quod bene potest agere sede vacante. ergo contra illud
10 currit præscriptio. Et quod Capitulū ✝ collegiatæ possit agere. Felin. in c. edoceri. vers. vacante sede. & vers. amplia tertio. de rescr.

* Capitulū maius, in negocio restitutionis, non potest opponere de iure tertij.

* Capitulū collegiatæ, Abbate negligente potuit agere.

& idem Felin. in d.c. edoceri. col. 6. vers. fal
lit. 5. Et istud confirmabatur. quia istæ præ-
11 eminentiæ, sunt + iura Capituli non autẽ
Ecclesiæ. quæ tantum competunt ratione cu
iusdam dignitatis. & pro istis non tantũ Ca
pitulum inferioris Ecclesię, sed etiam cathe
dralis potuisset agere. secundum Abb. in c.
cum olim. col. 2. vers. glo. 2. de testibus. &
sequitur Felin. in cap. edoceri. col. 7. vers.
adde sextam fallentiam. de rescrip. Et quia
ad ista vltima non fuit bene responsum per
D. Io. Aloysium aduocatũ collegiatæ, ideo
de nouo erit dubitandum, an Capitulũ col-
legiatæ, sede vacante, potuerit agere cõtra
Capitulum maius, super præeminentijs. & si
potuit & non fecit, cucurrerit præscriptio.

S V M M A R I V M.

Mẽsis appellatio, quot dies cõtineat.

1 *Vacationis notitia, qualis debeat esse ad effe-
ctum termini acceptationis à die notitia.*
2 *Termini dies, an computetur in termino.*
3 *Mensis datus ad acceptandum, quomodo in
telligatur.*
*Mensis, regulariter pro quot diebus accipia
tur, & quomodo computetur. & n. 4. & 5.*

D E C I S I O CCCCXXXII.

VAcarunt canonicatus & pręben da, an-
no 1539. die 5. Octobris per obitum
Georgij de Ristis. qui Georgius die 6. eius-
dem Octobris, cum funerali pompa fuit se-
pultus. Itaque vacatio, fuit dicta die in loco
nota. Nicolaus Huberi, habens gratiam ex-
pectatiuam, seu reseruam in diœcesi Vercel-
lensi, acceptauit illos die 7. dico 7. Nouem
bris eiusdem anni. Dubitaui ego in vna Ver
cellensi canonicatus & pręb ẽdę, die 16. Apri
lis 1546. an acceptatio Nicolai Huberij sub
die 7. Nouembris, esset infra mensem. Et
pro parte eius dicebatur. quod cum mensis
ad acceptandum, daretur à notitia vacatio-
1 nis, & illa vacatio nõ pluribus + debebat es
se nota, sed communiter, prout dicit Bonifa
cius in Clem. 1. §. secus. col. 5. n. 56. vers. con
clude, &c. de concess. præb. quod vacatio nõ
poterat esse nota, nisi à die quo corpus fuit
sepulturæ traditum. & sic, sexta die. quia tũc
vacatio omnibus communiter innotuit. &
2 cum dies termini, regulariter + non compu
tetur in termino. secundum communem opi
nionem Bart. Alex. & aliorum in l. 1. ff. si
quis caut. & quia omnes etiam conueniunt,
quod vbi terminus est præfixus per dictionẽ
à. tunc indubitanter dies termini non com-
putatur in termino propter dictionem. à. sui
natura separatiuam diei à quo incipit * ter-
minus. vt per Alex. in d. l. 1. cum alijs rela-
tis per Sarnen. in reg. de infir. resig. q. 37.

* Aduerte, quod cõtrarium dicit Phil. Frãc.

ergo mensis acceptationis, debet incipere
die septima. Et cum mensis mentio non fiat
simpliciter, sed incipiat à notitia vacatio-
nis, quæ notitia fit in mense Octobris, men-
3 sis datus ad + acceptandum intelligitur se-
cundum qualitatem mensis in quo incipit
dilatio. licet alias, quando simpliciter & ab-
solute de mense fieret mentio, acciperetur
pro triginta diebus. vt per glos. in c. quam
sit. in verbo. mensem. de elect. lib. 6. quam
sequuntur DD. vt ibi Domin. Franc. & alij.
& hoc dicit expresse dicta glos. dũ vult, quod
mensis currit à die præsentationis factæ. &
tamen intelligit, quod mensis tot dies habe-
bit, quot habet ille mensis in quo facta fuit
præsentatio. & ibi Philip. Prob. in addit. ad
Io. Mona. col. 2. n. 3. Alex. cons. 114. vol. 5.
& in l. de diuisione. in princ. solut. mat. vbi
ponit communem. Dec. in l. vbi lex. ff. de
reg. iur. Sed aduerte, quia tenẽdo istam par-
tem, quæ vera est, quod ex quo initium fuit
de mense Octobris, quod mẽsis sit triginta-
4 vnius dierum, tunc est considerandum, + ex
quo mensis incipit die 7. Octobris, finitur
die 6. Nouembris. prout ita dicit Prob. in
d. c. quam sit. in 2. col. n. 3. & Dec. in l. vbi
lex. ff. de reg. iur. Et ratio est, quia tot dies
5 debent suppleri de mense sequenti, + quot
deerant de illo mense, in quo dilatio incipit.
vt dicit dicta glos. in c. quam sit. in verbo.
mensem. & in propriis terminis dicit Bonif.
in Clem. 1. §. secus. col. 5. n. 55. de concess.
præb. Vnde, cum de mense Octobris præte-
rijssent dies sex, de sequenti mense Nouem-
bris tot erant supplendi. ergo septima die
iam mensis datus ad acceptandum, expira-
uerat.

in c. quã fit in §. electus. n. 3. vers. &c. in glos. in verb. mensẽ. de elect. in 6.

S V M M A R I V M.

In causa Vrbeuetana.

1 *De implemento non constat, ergo non fuit
impletum, an teneat consequentia.*
2 *De implemento an docendum sit, in iudicio,
in quo petitorium est suspensum.*
3 *Constitutum nõ operatur, si constituens tẽ-
pore constituti non possidebat. & n. 5.*
4 *Constituti vi, an creditor possit apprehen-
dere possessionem propria auctoritate con-
tra debitorem, & contra habentem causam
ab eo.*

D E C I S I O CCCCXXXIII.

IN causa Vrbeuetana & Perusina castro-
rum, dubitaui ego, die 16. Aprilis 1546.
stante instrumento permutationis, in quo
Bulgarus reseruat sibi possessionẽ castri Par
rani, donec sibi soluta fuerit quantitas pecu
niarum, de qua in instrumento, an, non con-
stito quod Alexander soluerit infra tempus
con-

conuentū, licuerit Bulgaro, seu verius Lauiniæ in iuribus Bulgari titulo singulari succedenti propria auctoritate possessionē castri Parrani, quā ipse Alexander actualiter habebat, apprehendere. Et fuit resolutum, quod
1 non licuerit. quia non sequitur, ✝ non constat de implemento, ergo non fuit impletū. quia poterat esse impletum. & quia istā cōcernebant petitorium, non tenebatur in
2 isto iudicio, in quo petitorium ✝ erat suspensum, de implemento docere. Et ideo cessabant duo fundamenta per D. Hieronymum adducta. dum primo dicebat Alexander. non implendo erat periurus, & vt talis ceciderat a commodo possessionis, & proprietatis. & ideo Lauinia poterat propria auctoritate ingredi. Item & secundo, ne præsumatur delictum, cum Bulgarus possessionem sibi reseruauerit, dicendum est quod possessio Alexandri, sit iure familiaritatis. Quia respondebatur, quod omnia illa præsupponebant, quod Alexander teneretur docere in isto iudicio de adimplemento. & cū non teneatur, cessant ista fundamenta. Cessat & tertium fundamentum adductum per D. Osium, dum dicebat. constitutū per Bulgarum in instrumento venditionis factæ Lauiniæ de anno 1518. licet non capiat possessionem præteritam Bulgari, quæ nulla erat illo tempore, saltem capit possessionem postea superuenientem Bulgaro de anno 1521. quia fuit dictū, per dictū Ang. in l. quamuis. §. si conductor. & Alex. in l. quod meo. ff. de
3 acquir. poss. quod si constituens, ✝ tempore constituti nullam habet possessionē, nullam possessionem transfert. Non obstant not. in l. 3. §. incertum. quia ibi, constitutum operatur quoad futura, quia expresse cōstituit se possidere præsentia & futura. quod hic nō fuit: sed tantū constituit se possidere castrū, cuius possessionē tunc non habebat. Et ideo cessabat dictum Bart. in l. creditores. col. 7.
4 C. de pignor. dum dicit, ✝ quod si debitor cōstituit se possidere nomine creditoris, non solum creditor potest apprehendere possessionem propria auctoritate cōtra debitorē, sed etiam contra habentem causam ab eo. & ita in proposito, Lauinia non solum poterat contra Bulgarum, sed etiam contra Alexandrum habentem causam à Bulgaro. quia ex prædictis patet, quod constitutum nil ope-
5 ratur, ✝ ex quo tempore constituti, non apparet de possessione Bulgari.

SVMMARIVM.

In causa Romana vigintimilliū, pro Illustrissima, contra creditores.

1 *Datarius est officialis Papæ, & omnia, quæ Papa agit, medio ipsius agit.*
2 *Possessio precaria, quæ. An transeat ad hæredes. n. 5.*
3 *Possessionem precariā obyciens in interdicto recuperandæ, an probare debeat.*
4 *Precaria concessio, an præsumatur facta ad vsum indeterminatum.*
6 *Precaria an transeat ad heredes cōcedētis.*
7 *Possessio defuncti, non transfertur in hæredem, quomodo procedat.*
8 *Precaria possessio, an veniat in generali obligatione.*
9 *Possidens nomine alterius, licet alteri possideat, tamen dicitur detinere ad vtilitatem suam.*
10 *In generali obligatione, an veniant omnia, quæ sunt apta ad extenuandam sortem debiti.*

DECISIO CCCCXXXIV.

IN causa Romana vigintimilliū, Cardinalis Crescentius & ego, fuimus in hac opinione, quod attentis partitis Montis pro parte Illustrissimæ Dominæ productis, in quibus cōstabat, quod prius Thomas Datarius exegisset. & postea mercatoribus ad vtilitatē Ducis solutū fuisset de mandato Ducis confirmato per Thomam Datarium, cū
1 Datarius sit officialis Papæ, & omnia ✝ quæ Papa agit, medio ipsius agat. quod si ex illis exactionibus, quæsita foret aliqua possessio Duci, quod illa esset quæsita de voluntate Clementis. & cum simus in incorporalibus, puta in iure exigendi, non docto de alī quo titulo Ducis, immo attenta illegitimitate ius commune ei refragaretur, vt hæres Cosmi non posset esse, & attento etiam motu proprio venditionis casalis, in quo Clemens, pro interesse suo & Delphinæ illud vēdit. & ideo descriptio sub nomine hæredum Cosmi, non poterat intelligi nisi de Clemēte & Delphina. & cum Clemens assereret se
2 esse tutorem Delphinæ, quod illa ✝ possessio esset precaria. per dictum Bal. in l. 2. in 9. q. 6. de seruit. & aqu. Cui non obstabat, quod dicit Innoc. in c. bonæ. 2. de postul. Prælat. dum dicit, quod in interdicto recuperandæ,
3 ille qui ✝ obijcit possessionē precariā debet probare. quia pro parte creditorum dicebatur, quod probabatur statim quod ipsi dicebāt. quod illa possessio Ducis probabatur de voluntate & consensu Clemētis, ex quo erat illa concessio ad vsum indeterminatum. per not. per Paulum de Cast. in l. Lucius. ff. de donat. & per Bart. quem alij sequūtur, in l. 2. in princ. ff. si cert. pet. vbi, concessio ad vsum
4 indeterminatū, ✝ præsumitur precaria. Et licet constaret de illa, concessio in quatuor vel quinq; partitis, præsumebatur & in alijs durare. quia voluntas, & Ducis, & Clemētis, non præsumebatur mutata nisi probaretur. Dictum ergo Innoc. procedit vbi sumus in dubio, & non constat de aliqua concessione,

prout erat ibi,quod ille suffraganens inter-
uenisset electioni. nam præsumitur quan-
tum ad illud interdictum, quod iure pro-
prio.secus in casu nostro, in quo constabat,
quod Dux de voluntate Clementis. ergo il-
la possessio erat precaria. Tamen etiã opi-
nabamur, quod etiam quod illa possessio
5 erat ✝ precaria,quod transiret ad hæredem
Clementis, & sic concedentis. & sicut Cle-
mens propria auctoritate poterat ingredi,
ita & Cardinalis de Mediçes, si erat hæres
6 Clementis.quoniam ✝ precariũ transit ad
hæredes concedentis.l. Lucius. ff. de donat,
l. cum precario. §. 1. ff. de precar. Non ob-
stat, quod licet precarium transeat, tamen
non transit possessio, vt videtur sentire Ale-
xand. cons. 153. in 6. vol. per l. cum hære-
des. ff. de acquir. poss. quia dicebamus, quod
7 l. cum hæredes. loquitur ✝ in possessione,
quæ animo,& corpore à defuncto tenetur,
quia illa vna cum defuncto expirat. sed se-
cus est in illa possessione, quæ corpore alte-
rius tenetur, vt est præcaria. nam statim
quod hæres adit hæreditatem, habet animũ
habendi omnia quæ defunctus habebat, &
adest corpus alterius. ergo hæredi est quæ-
sita possessio. sicut ergo precarium transit,
ita & possessio precaria. & ideo hæres po-
test propria auctoritate possessionem appre
hendere. Sed dicebatur, quod si creditores
volebant Cardinalem de Mediçes fore hæ-
redem Clemẽtis, quod tunc ipsis creditori-
bus obstabat fideicommissum, quod euene-
rat per obitũ Cardinalis ex testamẽto Cle-
mẽtis.& ideo Illustrissima Domina per Sal-
uianum interdictum possessionem Montis,
seu Montem ipsum auocare poterat tanquã
esset de bonis Ducis Alexandri. Aut Cardi-
nalis de Mediçes nõ erat hæres Clementis,
& tunc vt tertius non potuit Alexandrũ Du
cem spoliare. Et quia Dux obligauerat om-
nia iura, iam resolutum erat, quod ius recu-
perandi in Saluiano interdicto veniebat. &
verba petitionis pro parte Illustrissimæ Do
minæ datæ, videbantur importare, vt etiam
Saluianum, ad illud ius recuperandæ, esset
8 intentatum. Et licet possessio ✝ precaria,
non veniat in generali obligatione bono-
rum, quia non est obligantis; tamen cum
Dux Alexander ad vtilitatem suam detine-
9 ret, & sibi detinere diceretur, ✝ licet alte-
ri possideret. secundum Paul. de Cast. in l.
1. §. adipiscimur. ff. de acquiren. possess.
prout Alexander interdictum recuperandæ
ad recuperandam illam detentetionem ad
vtilitatem suam, intentare poterat; ita &
Illustrissima Domina ad effectum extenuan
di ex fructibus, quos ex Monte perciperet,
sortem principalem dotis suæ, donec veni-
ret hæres, qui precarium reuocaret. quia
10 omnia ✝ veniunt in generali obligatione,
quæ apta sunt ad extenuandam sortem de-
biti. vt colligitur ex Negusant. in tract. de
pignor. in 2. memb. 2. partis. col. pen. vers.
octauo fallit. n. 60.

SVMMARIVM.

In causa Britonoriensi.

1 *Iura producta, ex quibus non iudicata
in forma probanti.*

DECISIO CCCCXXXV.

IN causa Britonoriensi, castri Polentę, die
5. Maij 1546. dedi dubium, an instru-
mẽta nouissime producta sint in forma pro-
banti. & si sic, an releuent. Et fuit resolutum,
1 quod non essent in forma ✝ probanti. nam
illa attestatio notarij, asserentis illa iura ex
tracta fore ex archiuio ipsorum fratrum, nõ
probat esse archiuium, cui fides sit adhiben-
da. cum ad hoc vt archiuium sit publicum,
& scripturis in eo existentibus detur fides,
multa sit necessarium probare, quæ in isto
casu non probabantur. Item, licet postea
ille Franciscus Guidarellus, narret tenorẽ
instrumenti confecti de anno 1466. tamen
illa narratiua non probat, nisi producatur
instrumentum. Et dum postea idem Franci-
scus dicit, quod est satisfactũ de anno 1466.
istud asserit vt priuata persona, non autẽ di
cit, se de illa solutione rogatum. nec posuit
testes. Dum postea idem Franciscus dicit
esse satisfactum vsque ad annum 1468. quia
in fine apposuit testes, & dicit se rogatum,
videtur quod faciat fidem. Tamen quia
non est recognitum, & non sumus in anti-
quis, & computato initio litis, quod fuit de
anno 1531. non dicimur esse in antiquis.
quia sunt lapsi anni 63. vel 64. Et etiã quod
essemus in 80. anno, per hoc non dicere-
mur esse in antiquis. Ideo requirebatur re-
cognitio, saltem ea quæ haberi poterat, vel
per alia instrumenta, & comparationem lit-
terarum. Hic autem nulla erat facta reco-
gnitio. Item, aliqui dicebant, quod nota-
rius dicebat se rogatum ad instantiam par-
tium. & tamen non constabat, quod esset ro-
gatus pro parte Roberti. tamen istud non
multũ vrgeret. Item, illa attestatio notarij.
vltimo loco posita, de innouatione, & solu-
tione facta vsque ad annum 1500. non fa-
ciebat fidem, quia erat attestatio priuata.
& non fuit de ea notarius rogatus, nec in ea
sũt testes. Itaq;, dato quod probaretur, quod
ista iura essẽt extracta ex archiuio publico,
tamen quia prima, & vltima fides notarij,
sũt scripturæ priuatæ, secunda fides, licet sit
in forma probanti, tamen quia non est reco
gnita, ista non faciunt fidẽ. Et quando istud
secũdũ instrumentũ, seu attestatio in forma
in-

instrumenti, faceret fidem etiam non recognitum, eo quia est repertum in archiuio, tamen illud esset verum quando probaretur quod diu fuit in archiuio custoditũ, & alia quæ sunt necessaria, vt scripturæ repertæ in archiuio probent.

SVMMARIVM.

Paupertas, an sit legitimum impedimentum, vt quis aduersus lapsum quadriennij sit restituendus.

1 *Ob paupertatem, an detur restitutio aduersus lapsum fatalium.*
2 *Restitutionis in integrum beneficio, quando per lesum videatur renunciatum.*
3 *Restitutio ex rationabili causa datur, quomodo intelligatur.*
4 *Impedimentum extitisse, non sufficit probare, nisi probetur, quod quis fuisset prosequutus, nisi fuisset impedimentum.*
Propter impedimentum non faciens, an debeat protestari.
5 *Paupertas, an sit in consideratione respectu modicæ impensæ.*

DECISIO CCCCXXXVI.

IN vna Lucensi Abbatiæ, coram D. Thoma, dubitauit ipse, die 5. Maij 1546. an paupertas sit legitimum impedimentum, vt propter illud detur restitutio aduersus lapsum quadriennij. Et fuit resolutũ, quod nõ. tum quia, licet propter paupertatem detur
1 restitutio aduersus lapsum ✝ fatalium. vt notant omnes in c. ex ratione. de appell. tamen aduersus lapsum quadriennij nõ videtur sufficiens causa restitutionis. per ea quæ dicit Abb. in c. 1. in fin. col. n. 12. vers. sed occurrit. de præscrip. Franc. in c. 1. de restit. in integr. lib. 6. in 2. col. vers. & aduerte. vbi dicit, hanc esse communem. & tamen restitutio non datur sine causa. ergo Francus, dũ dicit, quod communis est, quod nõ detur restitutio aduersus lapsum quadriennij, intelligendus est causa existente. nam nulla causa stante. nullum haberet dubium. Et ratio videtur, quia læsus permittẽdo labi quadriẽ
2 nium, videtur ✝ renunciare beneficio restitutionis, ac omni iuri sibi competenti. prout declaeat Io. Monac. in c. 1. de restit. in integ. lib. 6. Item & secundo, ne processus sit infinitus. vt dicit Abb. & Perusin. in locis superius allegatis. Non obstat c. 1. de restit.
3 in integ. in 6. vbi datur restitutio ✝ ex rationabili causa. quia ille text. loquitur in persona priuilegiata, puta minore, vel Ecclesia & sic non facit ad propositum. Item & tertio, in isto casu fuit dictũ, quod non constabat, quod paupertas fuisset causa nõ pro sequendi remissoriam infra quadriennium.
4 Nã non sufficit probare impedimentũ ✝ extare, nisi probetur, quod quis fuisset prosequutus nisi fuisset impedimẽtũ. & ideo quãdo nõ est notorium, quod quis propter impedimentum non fecit, tunc debet protestari. vt per Felin. in c. ex transmissa. de præscr. & ideo tex. in c. ex ratione. de appell. dicit, quando quis ob paupertatem non fuit prosequutus. Et in isto casu dicebatur, quod cõstabat de prosequutione, quia remissoriam expediuerat, sed non infra quadriẽnium. Et ideo, cum prorogatio quadriennij, per commissionem potuerat fieri, quæ modicam impensam habebat, fuit dictum, quod pauper-
5 tas ✝ respectu istius modicæ impensæ, non erat in consideratione.

SVMMARIVM.

Vẽditor, an teneatur tradere emptori instrumenta rei venditæ.

DECISIO CCCCXXXVII.

IN vna Senensi pecuniaria, coram D. Prospero, fuit resolutum die 7. Maij 1546. quod vendens, non tenetur emptori tradere instrumenta. sed tantum exhibere, & copiã facere, si petatur, quãdo necesse est. per gloss. Bart. & Salic. in l. Titius si hæres. & in l. creditor. ff. de act. empt. Et ideo in illo casu, quia Sigismundus, cedens nomen debitoris tenebatur de euictione, non tenebatur tradere instrumẽta, sed tantum exhibere quãdo necesse esset. per text. & quod ibi dicit Iason in l. instrumenta. C. de fideicom. Et ideo, licet Bal. in d. l. instrumenta. dicat, quod testator, legans nomen debitoris, teneatur instrumenta dare, illud ideo est, quia legatũ consistebat in instrumentis. nam si instrumenta non tradebantur, in illo casu legatarius nil haberet. At in casu illo Sigismundus tenebatur de euictione. & ideo non tenebatur instrumenta tradere.

SVMMARIVM.

Fideicommissum. ex prohibitione alienationis reali, inter descendentes inductum.

1 *Onus iniunctum in vna parte testamenti, an censeatur in alia parte repetitum.*
2 *Masculus, si vocetur ad successionem, an dicatur vocatus ratione agnationis conseruanda.*

3 Ver-

3 *Verba pleno iure, quomodo capiantur.*
& num. 4. 5. & 6.
7 *Trebellianica, an censeatur probibita per*
illa verba. pleno iure.

DECISIO CCCCXXXVIII.

IN vna Ianuensi domus, proposui ego die
7. Maij 1546. dubium, stāte prohibitio-
ne alienationis dequa agitur, iniuncta suis
hæredibus & descendentibus, vsque in per-
petuum. & in euentum contrauētionis, stā-
te vocatione proximioris per lineā mascu-
linā descēdētis, cuius pleno iure domus prę-
dicta est affecta, & eam pro sua accipere po-
test, illāq. pro anima sua ipsi proximiori le-
gat. An talis proximior sic vocatus, possit
de domo sic legata, libere disponere. Et fuit
resolutū, quod illa prohibitio erat realis. nā
de mente testatoris apparebat, quod voluit
prohibere alienationem descendentiū in in-
finitū, ad effectum vt domus inter descēden
tes remaneret. & ideo erat inductū fideicō-
missum inter descendentes. per tex. in l. pe-
to. §. fratre. ff. de legat. 2. & alia, de quibus
in informatione, & prout post alios tradit
Crotus in §. diui. n. 50. Paris. cons. 53. n. 21. &
seq. vol. 3. Et quia domus fuerat antiquorū,
ideo præsumebatur particularis affectio, &
non sine causa videbatur fideicōmissum iniū
ctum. vt per Dec. cōs. 23. col. pen. Et ideo; cū
esset appositum fideicōmissum de descendē-
te in descendentē, videbatur proximior, in
euentū cōtrauentionis vocatus, sub eadem
prohibitione alienationis vocatus. quia o-
1 nus iniūctum ┼ in vna parte testamēti, cēse-
tur in alia parte repetitū. l. Gaio. in princ. ff.
de alimen. legat. Itē, quia in euentū contra-
uentionis, vocabatur proximior masculus. il
lud, quod vocaretur proximior masculus, nō
2 poterat dici ┼ nisi, quod esset rōne agnatio-
nis cōseruandæ. quod certe nō esset res alie-
nari extra descēdentes. posset itē ne alias
dicamus, quod incōtinenti voluerit se corri
gere, quod nō pręsumitur. Non obstat, quod
in euentum cōtrauētionis, domus sit effecta
3 pleno* iure ┼ proximioris, ergo poterit de il
la, ī vita & in morte disponere. Pau. de Cast.
& Ang. in l. eām. C. ad Tertull. l. fœminæ. §. il
lud. vbi tex. C. de secund. nupt. & late ponit
Fel. in c. cōquestus, circa princ. ff. de for. com
pet. & in c. auditis. de præscr. Quia fuit respō
sum, quod res dicitur pleno iure ad aliquem
4 pertinere, ┼ etiā quod sit prohibitus illā alie
nare. per dictū Bal. in l. volūtas. circa fin. ver-
sic. sed nūquid. & c. C. de fideicom. vbi corru-
pte Bal. allegat tex. in l. generaliter. §. peti-
tū. ff. de fideic. liber. qui nil facit. Voluit alle
gare tex. in l. generaliter. ff. qui, & à quib. Et
licet Fel. in d. c. cōquestus. videatur reproba
re illud dictū Bal. in d. l. voluntas. quod dictū

*Verba, pleno iure, quomodo capiantur.

Bal. declarat Aret. cons. 19. col. 2. & Tiraq.
in tract. de retract. fol. 361. pag. 2. n. 52.
Tamen Domini in isto casu dixerunt, quod
5 quia verbum. pleno iure. diuersis modis ┼ ca
pitur, secundum subiectam materiam; quod
attenta mente defuncti, qui voluit induce-
re fideicōmissum de descendente in descen-
dentem, prohibendo alienationē domus pa-
ternæ; quod in isto casu, illa verba. pleno iu-
6 re. intelligerentur ┼ pro proprietate, & vsu-
fructu; licet esset prohibita alienari. prout in
simili dicit Galiaula in l. cēturio. ff. de vulg.
& pup. dū dicit, quod per illa verba. totā &
7 integram hæreditatem restituas. ┼ censetur
Trebellianica prohibita. secus per illa ver-
ba. pleno iure. per quæ non censetur Trebel-
lianica probibita,

SVMMARIVM.

Capitulū collegiatæ, sede vacante an
possit agere cōtra Capitulū maius
super præeminētijs. & si potuit, &
nō fecit, an cucurrerit præscriptio.

1 *Capitulum cathedralis sede vacante, an pos-*
sit agere. & quid de Capitulo collegiata
pro iuribus communibus inter Prælatum,
& Capitulum.
2 *Præscriptio an currat contra Prælatum,*
in iuribus communibus ipsius, & Capitu-
li, sede vacante, etiam quod Capitulum
collegiata posset agere. & num. 3.

DECISIO CCCCXXXIX.

PRoposui ego, die decima Maij 1546. in
causa Salamantina præeminentiarum,
an Capitulum collegiatæ, sede vacante po-
tuerit agere contra Capitulum maius super
præeminentijs. & si potuit, & nō fecit, cucur
rerit præscriptio. Et quod potuerit agere,
dicebatur, quod sic. nam licet Capitulū ca-
thedralis, sede vacante non possit agere, ta-
1 men Capitulum ┼ collegiatæ, potest pro iu
ribus communibus inter Prælatū & Capitu
lū. per ea quæ dicit Fel. in c. edoceri. col. 6.
vers. quinto fallit. de rescrip. Sed hoc non ob-
stāte, fuit resolutū, quod dato quod Capitu
lum collegiatæ possit agere, tamen nihilo-
minus nō sequitur. ergo currit præscriptio.
2 prout ┼ exēplificat Abb. in c. 1. col. 2. in prin.
vers. & patet instantia. de præscr. Et ideo idē
Abb. paulo infra. vers. si autem sunt bona cō
munia, concludit quod in cōmunibus, siue
Capitulū possit agere siue non, non currit
pręscriptio sede vacāte, propter pręiudiciū,
quod posset, ex actione intētata, parari Prę-
lato. Nō obstat, quod hic non tractaretur de
pręiudicio Abbatis, cū nō præscriberetur cō
tra Abbatē, cū Abbas vna cū Capit. maiori
præ-

præeminentias exerceret. quia fuit dictum, quod si præscriptio sede vacante cucurrisset Abbas, vellet nollet, teneretur communicare vna cum Capitulo maiori. quod satis esset præiudiciū suum, vt relicto corpore suo, cum alieno teneretur præeminentias cōmunicare. Item & secundo, fuit dictum, quod il
3 lud quod dicit Fel. quod Capitulū collegiatæ, potest agere sede vacante in ✝ communibus, intelligitur, in his quæ sunt leuis præiudicij. secus si sunt magni per Abb. in d. c. 1. in d. vers. si autem sunt bona communia. &c. sed istę præeminentiæ, cum sint communes, prout dicit Innoc. in c. dilecti. de maior. & obed. sunt magni præiudicij. vt dicit Abb. in dicto loco. ergo, sede vacante, non poterit Capitulum agere.

SVMMARIVM.

In causa Parmensi pecuniaria, pro Michaele Casalio.

DECISIO CCCCXL.

IN causa Parmensi pecuniaria, pro Michaele Casalio, proposui dubium die 10. Maij 1546. an clausula. omni meliori modo. in decreto Alexandri Cacciæ, stantibus verbis restituēdæ, positis tam in petitione procuratoris, quā in decreto, referri possit ad aliud remedium, quam remediū decreti. Et pro parte Dominæ Liuiæ dicebatur, quod ex quo ex breui impetrato de anno 1529. dicebatur quod Liuia turbabatur in parte bonorū, & ista turbatio nō poterat intelligi, nisi in illis bonis. videlicet in quatuor possessionibus, quarum possessionū actualē possessionem habuerat, quod Alexander tantū in illis quattuor possessionibus iurisdictionem habebat. Item, quia dicebatur. possessionem bonorū ad te auoces, & in potestatē tuā recipias. certe nō poterat auocari, nisi possessio realis illarum quatuor possessionū. Itē, quia Alexander postea asserebat se auocasse possessionem, & in suam potestatē reduxisse, ergo intelligebatur de possessione illa reali. & procurator in sua petitione dicebat. ad dicta bona. &c. prout latius in informatione continetur. His non obstantibus, fuit determinatum, quod illa clausula non poterat referri ad aliud remediū, quā decreti. quia cū de anno 1527. Latinus procurator Lauiniæ, per Nunciū foret associatus. & licet acceperit possessionē quatuor possessionū actualē, tamen etiā recepit possessionē omniū aliorū bonorum, quorū possessio vigore decreti fuerat continuata in ipsam Liuiā. Fuit dictū, quod illa verba in breui posita, in parte bonorū. &c. de bonis alijs, quorū possessionē actualem non habuerat, non autē de bonis quorum possessionē actualē habuerat. quia in illis quatuor possessionibus, cū essent hęreditatis paternæ, Liuia non turbabatur. cū essent bona allodialia, & agnati, stante filia, in illis nullum ius prætendere poterāt, secus autē erat in castro, & iurisdictione, quæ prętendebantur feudalia. Et cum mihi non constaret, in quibus Liuia turbaretur, potius erat præsumendum, quod in istis feudalibus, quorū possessionē vigore decreti acceperat, quā in allodialibus, quorū possessionē actualē habuerat. Et quod in castro & iurisdictione turbaretur, probabatur ex litteris missis Nūcio per Alexandrū Caccia, post decretū factū. & ex traditione quam postea facit Nūcius. Nam dum tradit possessionē Latino, asserit, quod in castro & iurisdictione turbabatur. Ad clausulā. omni meliori modo. fuit responsum, quod loquitur vigore decreti. videlicet, vt decretū valeat omni meliori modo, siue vt iudex delegatus, siue vt ordinarius.

SVMMARIVM.

In causa Britonoriensi.

1 *Instrumentum per notarium non rogatum sumptum non probat.*
2 *Instrumenta, & scripturæ repertæ in Archiuio, vt probent quid requiratur.*
3 *Canonis impositio nō obstat, si non probatur aliquo tempore fuisse solutum.*

DECISIO CCCCXLI.

IN causa Britonoriensi, die 10. Maij 1546. proposui dubium, an instrumenta 1355. 1238. 1239. sint in forma probanti. & si sint, an sint sortita effectum. Et fuit resolutum, quod illud instrumentū de anno 1355. licet esset extractum ex memoriali, & regestro quod reperiebatur in archiuio Rauēnatēsi, tamen negari nō poterat, quin illud instrumentū per notarium non rogatū de eo, esset
1 sumptum ex instrumento ✝ Bēteurgnæ, prout in fine instrumēti dicebatur. quo casu, illud instrumētū erat copia. & ideo fidem facere non poterat. quia, vt dicit Fel. in c. ad audientiā. de pręscrip. requiritur, vt instrumē-
2 ta & scripturæ repertæ in archiuio ✝ fidē faciāt, quod sint instrumēta publica. vel quod probetur, quod de consuetudine scripturis priuatis detur fides. & tunc illa consuetudo tantum locum haberet inter subditos. Vnde cum ista consuetudo non esset probata, & si probaretur, Illust. Leonellus non esset subditus Rauēnæ, ergo illa scriptura contra eū nō probabat. Itē fuit resolutū, quod alia instrumenta de annis 1238. & 1239. essent in forma probāri. Sed quod nō erant sortita effectū. Non obstat, quod in instrumēto soluisset 25. libras pro intrata iuestiturę. quia fuit dictū, quod illa solutio fuit facta tēpore quo

fuit

fuit confectum instrumentum. Non obstat
3 quod canon fuisset impositum. quia probabatur, quod esset aliquo tempore solutum. Non obstant fideles adducti. quia dicebatur, quod illa lista non erat in forma probanti. & si fuisset, non percutiebāt ad illa instrumenta confecta de annis 38. & 39. sed percutiebant ad quoddam instrumentum asserttum de anno 1243. de quo instrumento non constabat. Item erat aduertendum, quod illa duo instrumenta de anno 38. & 39. erant de duabus quartis, non autem de toto castro.

SVMMARIVM.

Compensationi vbi est renunciatum in instrumento, non potest illa opponi.

DECISIO CCCCXLII.

DVbitauit D. Io. Paulus, die 14. Maij 1546. an vbi quis promisit non opponere compensationem, an posset postea opponere. Et fuit resolutum, quod quæstionem determinat Tynd. in tract. de compens. artic. 9. vers. aliud dicerem. & Afflict. decis. 381. n. 4. Item, quia compensatio non fit ipso iure, sed parte volente. secundum Ias. in §. in bonæ fidei. n. 77. inst. de act. Soc. Iun. cons. 147. col. 2. vol. 1. Si ergo promisit nō opponere, deficit eius voluntas: ergo amplius illam opponere non potest. Non obstat, quod Afflict. decis. 121. in 1. dubio teneat contrarium. quia illa decisio non videtur vera; sed verior est illa 381. Verum est, quod fuit dictum & dubitatum, an illa promissio intelligeretur tantum quod non posset opponere compensationem, de eo quod sibi debebatur ex causa de præsenti. non autem de debitis futuris, & sic contractis post promissionem. per ea quæ notat Ias. in l. quod Seruius. col. fi. de condict. ob causam Dec. post alios in l. 1. C. de pact. n. 32.

SVMMARIVM.

Beneficium vbi est alteri vnitum, cuius diœcesani requiratur consensus in conferendo.

DECISIO CCCCXLIII.

DVbitauit D. Thomas, die 14. Maij 1546. in vna Vrbinatensi, & Forosemproniensi, an vbi duo beneficia vniuntur in diuersis diœcesibus: puta vt erat in casu illo, in quo beneficium diœcesis Vrbinatensis, erat vnitum beneficio diœcesis Forosemproniensis, & illud beneficium Vrbinatensis diœcesis, erat alteri vnitum per viam suppressionis: an in eius collatione, requireretur consensus amborum diœcesanorum: & ratio dubitandi fuit sumpta ex his, quæ dicunt DD. maxime Ant. de Butr. in cap. 2. de regularib. vbi dicunt, quod in vnione, etiam per viam suppressionis, licet transeant omnia iura beneficij vniti in aliud; non autem iura diœcesani, cui nunquam censetur esse præiudicatum, nisi expresse dicatur. Item, quæstio videbatur decidi ex his, quæ dicit Petr. de Perus. in tractat. de vnion. Eccles. in 10. artic. in fine. Tamen his non obstantibus, fuit resolutum, quod tantum requiritur consensus diœcesani beneficij, cui est facta vnio. Et istud determinat Caccialupus in tract. de vnionibus. in 8. artic. in 15. quæstione. & in sequent. Cardinalis, & Pet. de Anchar. in d. cap. 2. de regularib. Non obstat quod requiratur consensus alterius, cui non censetur præiudicatum. quia respondet Caccialupus, quod intelligitur salua vnione.

SVMMARIVM.

In causa Britonoriensi, probationes Illustris Leonelli, fortiores probationibus Illustris Ioannis Rouerellæ.

1 *Possessio non probatur, etiam in antiquis ex instrumentis locationum.*
2 *Copia, vel originale, an dicatur quando corpus & subscriptio bullæ, vel priuilegij, eadem manu sunt scripta.*
3 *Dominium, vel possessio, an probetur ex verbis assertiuis in priuilegio. scilicet tenetis.*
4 *Romandiolæ Prouinciæ dominium ad Ecclesiam pertinet.*

DECISIO CCCCXLIV.

DEcimaseptima Maij 1546. In causa Britonoriensi, proposui dubium, præsupposito, quod aliquis fumus oriatur ex productis per Ioannem Rouerellam non existentibus in forma probanti. an sit sufficienter sublatus per producta pro parte D. Leonelli. Et in positione casus dixi, quod in formatione, puncti erat erratum. videlicet, dum dixi quod oriatur aliquis fumus. quia immo dixi, quod præsupponebam quod essent pro parte eius probationes. videlicet tria instrumenta de annis 1238. 1239. & 1332. Prima duo instrumēta, erant de duabus quartis & vltimum de anno 1332. erat de duabus tertijs. tamen dixi,

dixi, quod non constabat quod illa essent fortita effectum. & iam alias in ista causa, vt patet supra decis. 342. hoc lib. 2. fuit re-
1 solutum, quod instrumenta ✝ locationum, etiam in antiquis, non probāt possessionem, nec dominium. Et ideo, quia ego proposui primo omnia deducta pro parte Comitis Rouerellæ, videlicet. Primo sententiam Hērici, quæ alias fuerat iudicata, quod non fo-
2 ret in forma probanti, sed esset copia. ✝ quia corpus & subscriptiones eadem manu scripta. Secundo loco Bullam Adriani, quæ habebat illa verba. monasterium, quæ ipsius bona sub protectione nostra, quæ suis vocabulis duximus exprimenda, videlicet plebem cū castro Polentæ, quæ iuste & canonice tenetis. &c. & alias fuit dictum per dictum Abb. in cap. dudum. de priuilegijs, non probare
3 dominium, ✝ nec possessionem, sed aliunde probanda erant. Item dixi, quod Comes Ioannes, produxerat duo instrumenta concessionum in emphiteusim, de anno 1355. & 1466. & erat resolutum, quod illa instrumenta non erant in forma probanti. Item etiam fuerant producta alia iura extracta ex archiuio monasterij monachorum. & etiam fuerat resolutum, illa iura non esse in forma probanti. Item, quod etiam erant producta certæ recognitiones fidelium castri Polentæ, & Cuglianelli, quæ etiam non erant in forma probanti. Pro parte vero Illustris Leonelli, erat producta inuestitura Aegidij facta Guidoni de Polenta, de dictis castro & villa, etiam inuestitura Bonifacij, Nicolai, Pauli Secundi: Sixti, & probabatur, quod inuestituræ Bonifacij, & Nicolai, & Pauli, erant sortitæ effectum. vt latius in informationibus dicitur. Et attento quod ista castra, erant in prouincia Romandiolæ,
4 cuius dominium ✝ ad Ecclesiam pertinet, fuit resolutum, quod probationes Illustris Leonelli, tollerent probationes Comitis Io. Rouerellæ. vt latius hæc omnia habentur in informationibus. in quibus deducta omnia pro parte Comitis Io. Rouerellæ, in quodam memoriali meo fuerunt annotata. quæ lecta fuerunt Dominis in Rota. Deducta vero pro parte D. Leonelli, continentur in informatione D. Antonij Gallesij, quę etiam in Rota lecta fuit.

SVMMARIVM.

Resignatio de qua hic, an fuerit valida.

1 *Resignationem esse factam, an probetur per assertionem Papæ.*
2 *Consensus an trahatur ad datam supplicationis, & quando.*
Inferior à Papa, an conditionaliter prouidere possit de beneficio.
3 *Nuncius Apostolicus non habet facultatem admittendi resignationem in fauorem certæ personæ.*

DECISIO CCCCXLV.

Eadem die 17. Maij 1546. In causa Lamacensi de Scalon, proposui dubium, an prouisio facta per Nuncium in fauorem Gabrielis Machado, per resignationem Io. Machado, subsistat, attento quod assertus procurator Ioānis, præstitit cōsensum per decē dies post datam prouisionis, à tergo illius. Et fuit resolutum, quod non subsisteret. primo, quia prouisio Nuncij erat subreptitia, eo quia dicebat, quod per resignationem in manibus suis factā, & admissam, vacabat, & vt de vacanti prouidebat. & tamen nō erat
1 verum, ✝ cum per illa verba nō probaretur resignatio, per Rot. decis. 21. *in nou. tū quia constabat de contrario, quod non de præterito, resignatio erat facta, sed de futuro. ex quo per decē dies post, erat pęstitus cōsen-
2 sus. Nec obstat, quod consensus ✝ trahatur ad datā supplicationis. quia illud procedit in Papa, secus in inferiori, qui conditionaliter procedere non poterat. ad tex. in c. 2. de elect. in 6. Item, quia consensus erat præstitus coram notario, post decem dies, sine testibus. Fuit dictum, quod cōsensus formiter non probabatur. Itē, quando consensus probaretur, ex quo fuit præstitus decē dies post prouisionem Nuncij, fuit dictum quod erat pęstitus in fauorem certæ personæ. & Nū-
3 cius ✝ non habebat facultatē admittēdi resignationes in fauorē certę personę. vt alias coram D. Prospero, in vna Siluen. Cantoriæ fuerat determinatū. alias fieret fraus, vt per indirectū Nuncius, qui non poterat admittere huiusmodi resignationes, eas admitteret. Et hic fuit pręsuppositum, mandatū, etiā quod diceret, datū extra Romā, esset validū.

* alias a. de probat.

SVMMARIVM.

Restitutione in integrū pendente, an impediatur exequutio sententiæ.

DECISIO CCCCXLVI.

In vna Lucensi archidiaconatus, dubitauit D. Peregrinus, die 17. Maij 1546. an pendente restitutione in integrum aduersus sententiam latam super dicto archidiaconatu. quæ causa restitutionis in integrum, erat commissa prout de iure aduersus dictam vnam sentētiam, quæ erat lata contra personaliter apprehensum, tamen postea eo non comparente, erat lata contra ipsum per contradictas. sententia esset mādāda excequutioni, nō obstāte dicta re-

restitutione pendente, quo ad possessionem. Et aliqui dicebant propter dictum Staphil. in tract. de lit. grat. & iustit. fol. 162. pag. 2. quod dicta sententia non esset mandanda exequutioni, nisi quo ad expensas, non autem quo ad possessionem. Tamen materia multum examinata, maior pars Dominorũ fuit in hac opinione. videlicet ex octo votantibus, quinque. tribus à principio reluctantibus. sed vnus postea ex tribus inclinauit in hanc distinctionem. quod si causa restitutionis, etiam in causa beneficiali commissa est, prout de iure, quia tunc, de iure non potest restitui nisi cum causa, donec disputetur causa ex qua venit restituendus, quod interim supersedeatur in exequutione. propter communem opinionem quæ est in §. condemnatum. l. 4. de re iud. quod pendente causa restitutionis in integrum supersedetur in exequutione. & per Rotã decis. 379.* in nou. quæ est in obseruantia. non autem decis. 446.* etiam in nou. quæ non seruatur. vt dicit Cassad. decis. 1. vt lit. penden. Sed si vigore commissionis, prout solet fieri, esset præfixus terminus ad docendum de causis restitutionis, quo elapso, & non docto, Auditor procederet ad exequutionem. quod si in termino præfixo, non doceretur de aliqua causa restitutionis, quod tunc esset procedendum ad exequutionem, etiam quo ad possessionem. Et si in termino præfixo non doceretur de aliqua causa propter quam restitutio esset concedenda, dato quod doceretur de bono iure, fuit dictum, quod bonum ius non esset causa propter quam exequutio, quo ad possessionẽ, impediri deberet. Nam cum per sententiam, quæ trãsiuit in rem iudicatam, victus, non appellando, diceretur tacite iuri renunciasse, & sententiæ latæ acquieuisse, si postea super bono iure audiebatur, illud non erat nisi ex gratia. contra text. & not. in l. Imperatores. ff. de re iudicat. quia restitutio quæ conceditur ex gratia, non impedit exequutionem. sicut nec supplicatio. prout tenet Abb. in cap. suscitata. colum. fin. & in cap. tum ex litteris. col. fin. de restitut. in integr. Et ideo ex præmissis infertur, quod si in commissione diceretur. restituat, constito de bono iure. quod quia ista restitutio sapit gratiam, quod talis restitutio non impediret exequutionem sententiæ, sicut nec supplicatio. Et latius poteris videre fundamenta pro ista parte, in informationibus, vbi responde tur obiectis.

* alias 31. de appell.
* alias 62. de appell.

SVMMARIVM.

Restitutio castri & iurisdictionis, non impeditur, etiam quod non doceatur de titulo colorato.

1 *Titulus, an requiratur in iurisdictionalibus ad effectum restitutionis.*
2 *Interdictum an detur possidenti precario contra tertium.* & num. 3.

DECISIO CCCCXLVII.

IN vna Sarsinatensi castrorum, Aurelius dicebat auctorem suum, videlicet patrem, spoliatum castro & eius iurisdictione à Vespasiano & fratribus de Tibertis, & petebat se restitui. Dicebatur pro parte Vespasiani, & fratrum, quod in istis
1 ✝ iurisdictionalibus, requirebatur titulus. iuxta decis. Cassad. 1. de restit. spoliat. & cum nõ constaret de aliquo titulo, quod non erat restituendus. Fuit dictum, quod illud non procedit in interdicto, seu remedio recuperandæ. per dictum Innoc. in cap. bonæ. 2. col. 2. vers. & quidam dicunt. &c. de post.
2 Prælat. & quia possidenti precario, ✝ contra tertium datur interdictum. l. qui fundum. ff. de precar. Item fuit dictum, quod illud posset procedere, vbi ageretur contra dominum spoliantem, secus si cõtra ✝ tertiũ.
3 per dictum Ripæ. in §. nihil commune. n. 78 vers. intellige ergo. &c. ff. de acquir. poss. & nihilominus in casu isto docebatur de titulo. & licet per Vespasianum impugnaretur, fuit dictum quod illud concernebat petitorium.

SVMMARIVM.

In causa Spoletana, seu Nursina territoriorum, inter Roccham Annulphorum & D. Fabritium.

DECISIO CCCCXLVIII.

IN causa Spoletana, seu Nursina, confiniũ & territoriorum, die 31. Maij 1546. pro posui dubium, an ex libris catastri æstimorum & focularriorum, de quibus in actis, constet, dominium vtile villæ sancti Viti, spectare ad vniuersitatem Castri veteris auctri cis D. Fabritij. Et fuit resolutum quod non. tum quia catastrum, per quod D. Fabritius prætẽdebat probare intentionem suã, non probabat vniformiter, quod possessiones omnes castri sancti Viti essent accatastratæ Castro veteri, sed per illos castri Rocchæ Annulphorum erat probatum, tam per

per testes quam per scripturam, quod homines Castri Veteris, possidentes in Villa Sancti Viti, accatastrabant in Castro Veteri, & homines Rocchæ Anulphorum, possidentes in d. Villa Sancti Viti, accatastrabant in Castro Rochæ Anulphorum, & ideo si standum erat catastro dicendum erat quod dominiū villæ Sancti Viti, esset diuisum inter possessores, cum vnusquisque eorum, inquantum possidebat accatastraret Castro in quo possessor domicilium habebat. Item fuit dictū, quod ex focularijs non probaretur intentio D. Fabritij, quia licet D. Fabritius extraxisset, vigore, compulsorialium foculares Castri veteris, & postea sequerentur foculares villæ Saccouociæ, item & foculares villæ Ceruariæ, & foculares villæ S. Viti; per hoc tamen non probabatur, quod illi foculares illarum villarū, pertinerent ad Castrum vetus. quinimo per extructionem factam per D. Claudium Sablonem, compulsorem à me electum, constabat quod post foculares Castri Veteris. ponebantur foculares villæ Saccuuociæ Castri veteris. item foculares villæ Ceruariæ Castri veteris. & postea sequebantur foculares villæ S. Viti, sine illo adiuncto Castri veteris. Itaque quā do illi allibratores, viderunt quod villæ pertinebant ad Castrum vetus, illud expresserunt, quod in villa Sancti Viti non fuit expressum. Item & tertio, pro parte D. Fabritij fuerunt productæ aliquæ partitæ extimi Castri Veteris quæ fuerunt extinctæ vocato syndico Castri Veteris, & positæ ad extimum Rocchæ Anulphorum. & ideo cum fuerit citatus syndicus Castri veteris, videtur quod illud sit ratione dominij, quod Castrum vetus habet in illis extimis extinctis super possessionibus dictæ villæ Sancti Viti. Sed fuit replicatum, quod cum in extinctione illius extimi appositi ad catastrū Castri veteris, & translatione facienda ad Castrum Rocchæ Anulphorum, tractaretur de præiudicio Castri veteris, necessarium erat vt syndicus citaretur ad hoc, vt videret, an subditus suus, qui per translationem suam, factam in hominem Rocchę Anulphorum, erat liberandus ab extimo Castri veteris, vere & realiter illam translationem fecisset. Non autem illa citatio fiebat ratione dominij, sed ratione præiudicij, quod interebatur Castro veteri, nimium si si eius Syndicus citabatur.

*

SVMMARIVM.

Pensio extinguitur per contractum Matrimonij.

1 *Pensio non datur in titulum beneficij, sed est quid temporale.*
2 *Pensio an detur ratione clericatus.*
3 *Clericatus an expiret per matrimonium, & quo ad quid.*

DECISIO CCCCXLIX.

Die 4. Iunij 1546. Fuit dubitatum in vna Lamacensi pensionis, coram D. Io. Paulo, an per contractum matrimonij sit extincta pensio. Et fuit decisum per omnes,
1 quod licet pensio non detur † in titulum beneficij, & sit quid temporale. vt per Gigant. in tract. de pensio. quæst. 99. tamen
2 quia pensio datur ratione † clericatus, & non alio intuitu, & per matrimonium
3 clericatus expiret. præterquam † quo ad priuilegium canonis, & fori. vt in c. 1. de cler. coniugat. lib. 6. sequitur quod cessante causa, deberet cessare * ipsa pensio. & tanto magis cum in isto casu, pensio esset assignata ex causa cessionis. & tunc etiam videantur militare ea, quæ ponit Caccialup. in tract. de pens. quæst. 30. & Gigas quæst. 54.

* Contrarium dicit Sarnen. super Regula de annali, quæst. 21.

SVMMARIVM.

In causa Parmensi pro Michaele Casalio.

DECISIO CCCCL.

IN causa Parmensi Castri Monticellorum die 4. Iunij 1546. proposui dubiū, an possessio Castri, capta de anno 1527. dicatur actualiter & corporaliter capta. Fuit resolutum per Dominos, quod nō esset capta corporalis possessio. Primo, quia licet notarius diceret. eundo & redeundo per terras, possessiones, & bona prædicta. & sic isti actus possessorij possent referri ad Castrum propter illa verba. bona. &c. Tamē quia notarius, specificādo magis specifice actus possessorios refert tātum illos actus factus esse in illis quatuor possessionibus, & mandādo colonis quod responderent de fructibus; nihil autem fuit dictum, quod vasalli iurarent fidelitatem, prout fuit dictum in instrumento de anno 1529. & cum esset principalior pars istud Castrum, nulla fiebat mentio in eo, de apprehēsione possessionis eius. & per hoc respondebatur ad id quod dicebatur, quod notarius dicebat quod capta fuerat possessio corporalis bonorum, quia per specificationem actuum possessoriorum declarabatur ꝙ intelligebatur de quatuor possessionibus. Item dicebatur. ꝙ cum possessio esset effecta litigiosa per Liuiā contra

Rolandum quod stante lite non poterat alia via capi, quam per decretum, non autem de iure communi. Item & tertio, quod non erat verisimile, quod si Liuia fuisset in possessione castri, quod imperrasset breue ad auocandum possessionem ipsius castri. quia per secundam adiudicationem fiendam per Alexandrum, non poterat plus consequi, quā antea erat consequuta per Farratinum.

SVMMARIVM.

Decretum per D. Liuiam acceptatum, an dicatur acceptatum cum declaratione Ducis Mediolani.

DECISIO CCCCLI.

IN causa Parmensi castri Monticellorum 21. Iunij 1546. proposui dubium An decretum, quod dicitur per D. Liuiam acceptatum, dicatur acceptatum cum declaratione Ducis Mediolani. Et fuit resolutum, quod tale decretum non conseretur acceptatum cum tali declaratione. ex quo decretum erat de anno 1432. & declaratio quod intra decem annos deberet intentari, & quod non possit intentari nisi contra illum qui non iuste possideret, erat facta de anno 1495. & ideo, sicut Michael fuerat arctatus ad probandum, quod Liuia vsa fuisset decreto, ita Liuia arctari debebat vt probaret ipsa, quod cum illa declaratione vsa fuisset. nam ex quo castrum Monticellorum erat separatum, tantum pręscriptum, quantum possessum. Et ideo, quia Michael probauerat vsum decreti quo ad Liuiam pro fundanda intentione sua, debebat Liuia probare, quod ipsa vsa fuisset cū illa declaratione. ex quo declaratio ipsa ex se non arctabat ipsam Liuiam, nisi in quantum volebat ipsam declarationem recipere.

SVMMARIVM.

Decretum quod dedit possessionem castri & iurisdictionis Liuiæ, debet idem operari respectu Michaelis.

1 *Possessio iurisdictionis, vbi non docetur de alio titulo, an præsumatur precaria.*

2 *Confessio facta contra ius; & contra veritatem, potest reuocari & impugnari.*

3 *Confessio facta ad commodum alicuius, an possit trahi ad eius praiudicium.*

DECISIO CCCCLII.

IN eadem causa Parmensi, die 28. Iunij 1546. proposui dubium. An Michael sit mittendus in possessionem castri, & illius iurisdictionis, in quam D. Liuia, vigore decreti, ex eius confessione in castro Monticellorum vigentis, fuit immissa. Et fuit resolutum quod sic, quia satis erat Michaeli qualiscumque fuisset illa possessio iurisdictionis per Liuiam apprehensa, fuerit talis ex confessione ipsius Liuiæ, qua nulla maior probatio esse potest, quod virtute decreti potuerit continuari in hæredem. Non obstat, quod esset resolutum, quod in dubio possessio iurisdictionis † vbi non docebatur de titulo. præsumeretur precaria. ad Bal. in l. 2. in 9. quæst. C. de seruit. quia fatebatur Michael, quod possessio in dubio præsumeretur precaria; tamen confessio Liuiæ faciebat, quod cessaret ista præsumptio. ex quo si fuisset precaria, non fuisset continuata. Non obstat, quod confessio Liuiæ, debebat acceptari cum sua qualitate, & ideo cum in ipsam fuisset continuata vt in hæredem, & filiam habentem titulum inuestiturarum, & Michael nullum haberet titulum, ex quo inuestituris in actis productis vti nolebat, merito possessio, respectu Michaelis, diceretur precaria, sed respectu Liuiæ, quæ titulos in actis habebat, possessio non poterat dici precaria, & ideo fuit continuata. Quia fuit responsum, quod non erat verum quod quando ipsa Liuia, seu procurator eius, intentanit remedium decreti, quod aliquando titulum produxerit, sed simpliciter possessionem vigore decreti petijt, & docuit de filiatione, & obitu Polydori, & bona esse in bonis. & hoc facto, absque productione titulorum, Farratinus de anno 1527. dedit Nuncium qui associarat. & dicit Visis decretis continuantibus possessioné. &c. Ita quod Farratinus, absque productione titulorum pro parte ipsius Liuiæ, nec eorum allegatione, fecit & dedit Nuncium, qui associaret. Bene verum est, quod post decretum Farratini, comparuit procurator aduersariorum, & ad impediendum immissionem in possessionem, produxit inuestituras, & illis non obstantibus Liuia fuit immissa in possessionem. postea de anno 1529. non fuerunt per procuratorem Liuiæ reprodnctæ istæ inuestiturę, pront prætendebat pars aduersaria, sed tantum fuit, coram Alexandro Caccia, reproductum id quod fuerat productum pro parte Liuiæ, coram Farratino. ita quod verum est dicere, quod possessio castri & iurisdictionis, absque aliquo titulo fuerit data. Nō obstat etiā quod confes-

confessio Liuiæ debebat acceptari cum sua qualitate. nam procurator eius, non intentauerat nisi decreta continuantia in filiam & hæredem. & cum Michael non esset filius & hæres, non poterat se ista confessio ne iuuare, ex quo Liuia limitate decretis vsa fuerat. Quia fuit responsum. quod eum decreta continuent possessionem in hereditatem, & de hæreditate in hæredem, quod illa verba filiam erant apposita ad demonstrandum causam quare petebat continuationem. cum ex eo quod erat filia, erat hæres. & decreta in hæredem continuabant possessionem. Et quod istud esset verum, apparebat. quia procurator aduersariorum, in exceptionibus suis, opposuit quod decreta de continuanda possessione in hæredem, non habebant locum in feudalibus, & sic apparet quod aduersarius, etiam intellexit de tali decreto. Item in breui impetrato de anno 1529. procurator Liuiæ, etiam facit mentionem de decreto continuante in hæredē. Item, Latinus examinatus dicit, quod ipse intentauit decretum de continuanda possessione in hæredem. Non obstat, quod confessio facta contra ius, & contra verita-
2 tem, † potest per confitentem reuocari, & contra eam potest confitens venire. per decis. Aegidij 697. in 4. & 7. fallentia. Vnde cum possessio iurisdictionis non titulata præsumatur precaria, non potuit confiteri Liuia, quod subiaceret decreto, etsi confessa fuit potest reuocari, quia fuit responsum, quod ex quo Liuia petierat possessionem vigore decreti, & eam Vicelegatus tradiderat, quod ex hoc non constabat, quod esset precaria. cum illa iurisdictio, ex multis causis potuisset esse perpetua, prout erat verisimile quod esset, ex quo in Liuia fuerat continuata, & sic non erat verum, quod illa confessio Liuiæ esset contra ius, & veritatem. Non obstat, quod confessio fa-
3 cta † ad commodum alicuius, non poterat trahi ad eius præiudicium per notata per Bart. & alios. in l. sicut. C. de repud. hæred. quia fuit responsum, quod Bart. nec alij istud dicebant. nam Bart. vult quod confessio sit contra confitentem, non autem pro confitente, & si fiat ad vtilitatem ipsius nō præiudicat alijs. Et sic, sublatis istis fundamentis fuit conclusum, quod sicut Liuia vigore decreti possessionem Castri, & iurisdictionis assequuta fuit, ita & Michael assequi deberet.

*

SVMMARIVM.

An sicut precario concedens, potest propria auctoritate possessionem ingredi, possit & eius hæres.

1 *Precarium concedens, an possit propria auctoritate possessionem ingredi absque vitio. & num. 2.*

3 *Possessio defuncti quo casu possit transire in hæredem absque aliqua apprehensione. & num. 6. & 7.*

4 *Precario à Titio habens, an ab eius hærede etiam habere videatur.*

5 *Colonus habens fundum à domino, an videatur etiam habere velle ab eius hærede. Sed in hoc an requiratur apprehensio, vt hæredi quæratur possessio. num. 6. & 7.*

7 *Interdicto de precario, quando sit locus.*

8 *Colonus si vult nomine hæredis possidere, quæ requirantur. & vide decisio. seq. num. 1.*

In acquirenda possessione alicui, animus vtriusque requiritur, & acquirentis & tradentis.

DECISIO CCCCLIII.

Die 29. Iulij 1546. fuit coram Reuerendissimo Crescentio, & me disputatum dubium infrascriptum. posito quod constaret, quod bon. mem. Cardinalis de Medices, hæreditatem Clementis vt hæres ex eius testamento institutus, adiuisset, An vt hæres Clementis potuisset, precarium per Clementem concessum reuocare, vt possessio montis per eum apprehensa, non diceretur vitiosa, & restituibilis. Et pro parte affirmatiua dicebatur, quod sicut conce-
1 dens, & sic Clemens, poterat propria † auctoritate possessionem montis, absque vitio ingredi: per doctrinam Innoc. in cap. propter sterilitatem. colum. 2. num. 3. de locat. ita potuisset & eius hæres. & illam doctrinam Innoc. sequebatur Brixien. in reperto rio suo. in verbo. precarium. in vers. au concedens. Sed pro parte Illustrissimæ Dominæ fuit responsum, quod licet concedens posset propria auctoritate possessionem
2 ingredi, illud est propter † possessionem ciuilem, quam vigore precariæ concessionis penes se retinuit. prout dicit Innoc. in d. cap. propter quod. secus est in eius herede. in quem illa possessio non transit. per l. cum hæredes. de acquiren. poss. Sed pro parte creditorum replicabatur, quod licet possessio, quæ retinetur per aliquem animo
3 & corpore, † non transeat in hæredem; tamen possessio quę animo proprio retinetur, & corpore alieno, puta per colonum, si colonus vult possessionem continuare nomine

hæredis, quod illa possessio, absque aliqua apprehensione hæredis, transeat in hæredem per ea quæ dicit Alexan. post glos. ibi in l. qui vniuersas. §. quod per colonum. ff. de acquir. possess. sed in casu nostro. per text. in l. quæsitum. §. 1. ff. de precar. vbi dicit
4 text. quod à Titio † precario quis habet, id ab hærede eius precario habere videtur. si ergo videtur habere ab hærede, videtur velle nomine hæredis possidere. ergo est quęsita possessio hæredi absque aliqua apprehensione. Sed respondebatur pro parte Illustrissimæ Dominæ, quod non sequitur quis videtur precario rem habere ab hærede, ergo dicitur possidere nomine hæredis. nam in §. quod per colonum. statim quod
5 colonus habet fundum † à domino, videtur etiam habere velle ab eius hærede. l. veteris C. de contrah. stipulat. & l. si pactum ff. de probat. & tamen, dato quod velit habere ab eius hærede, tamen per hoc non quæ-
6 ritur possessio hæredi, nisi eam † apprehendat. vt dicit text. in d. §. quod per colonum. in princ. Et licet postea text. dicat, quod quæritur possessio per colonũ, tamen glos. dicit. apprehendentem nomine hæredis. & sic glos. & DD. volunt, vt colonus declaret post mortem domini, quod vult nomine hæredis possidere, quod non est in casu nostro, quia non constabat, quod Alexander Dux, post obitum Clementis, voluerit possidere nomine Cardinalis hæredis Clementis & licet videretur hæres rogatus. per §. 1. d. l. quæsitum. illa rogatio tantum prode-
7 rat quo ad † interdictum de precario, prout declarat Alberic. in l. cum precario. §. 1. ff. de precar. non autem quo ad facultatem ingrediēdi propria auctoritate. ex quo possessio illa ciuilis concedentis, non erat trãsmissa in hæredem. secũdo pro parte Illustrissimæ Dominæ fuit dictum, quod not. in §. quod per colonum. locum habent quando colonus vult nomine hæredis possidere, &
8 hæres illud scit, quia in † acquirenda possessione alicui, animus vtrinsque requiritur, & acquirentis, & tradentis. Sed in casu nostro, non constabat quod Cardinalis sciret quod Dux possideret nomine eius precario. Ergo possessionem ciuilem sibi quærere non potuit. Et fuit dictum Aduocatis creditorum, vt super istis duobus motiuis informarent, quia contra eos vrgebant. Tertio dicebant Aduocati Illustrissimę Dominę, quod not. in §. quod per colonum. procederent in detentore, & sic in colono qui nullam possessionem habebat. sed rogans precario, habet naturalem in dubio. Sed de ista responsione, non magna consideratio fuit habita.

SVMMARIVM.

1 *Possessio per precarium, & colonum non potest hæredi quæri, nisi saltem sequuta ratificatione.*

DECISIO CCCCLIV.

IN causa vigintimillium, nouissime fuerunt data quatuor dubia infrascripta. præsupposito, quod Dux sciuerit, Cardinalē exegisse fructus crediti ex quo non apparet postea de contradictione Ducis, An scientia absque reclamatione habeatur pro cõsensu.

Secundum dubium. etsi non. an remissoria, fideiussoribus & creditoribus sit decernenda, ad probandum, Cardinalem vt hæredem Clementis, possessionem precariam Ducis ratificasse.

Tertium dubium. & an ex litteris nouissime pro parte fideiussorum, productis, probetur Cardinalem, de consensu Ducis, fructus montis exegisse.

Quartum dubium. & an productio dictarum litterarum pro parte fideiussorum facta, impediat prolationem sententiæ contra creditores.

Super primo dubio, in voce fuit coram Cardinale altercatum, licet in scriptis super dictis quatuor dubijs essent datæ informationes. & ex verbali altercatione, fuerũt ortæ difficultates duæ, quæ sequuntur. Prima est, præsupposito quod possessio ciuilis ex precario Ducis Alexandri Clementi quęsita, per obitum Clementis sit extincta. & quod Cardinalis, vt hæres Clementis, sit passus Ducem, vel ab eo causam habentem, fructus montis exigere. An ex tali patientia sit creatum nouum precarium, & noua possessio ciuilis ex persona hæredis, vigore eius, Cardinalis vt hæres propria auctoritate potuerit fructus montis exigere.

Secunda difficultas. & si noua possessio ciuilis ex persona hæredis potens ad occupandum non est quæsita Cardinali, posito quod quasi possessio exigendi fructus ab initio in ipso Cardinali fuerit vitiosa. An ex scientia, & patientia Ducis superueniẽte, vitium illud sit purgatum, vt à Duce causam habentes, non possint agere interdicto recuperandæ attento quod etiam Dux, ab hærede Clementis, precario habere dicebatur.

1 Quod possessio, per precarium, † & colonum non possit hæredi quęri, nisi saltē sequuta ratificatione hęredis, habetur pro resoluto. sequendo doctrinã Aret. in §. quod per colonum. & Carol. Ruin. consil. 174. volum. 1. Bene tamen dubitabatur ex parte precarij, & coloni, an absque aliqua declaratione ipsorum, expressa vel tacita quęrant possessionem hæredi. Secundo dubitabatur. si patientia, de qua in primo dubio, non induceret acquisitionē nouæ possessionis ciuilis, an saltē causet fumum sufficientē ad remissoriam, ad probandam ratificationem.

Rema-

Remanent duo dubia, de quorum veritate non fuit discussum. videlicet vltima dubia ex quatuor superius propositis. licet per Aduocatos super ijs leuiter fuerit informatū. Hactenus resolutum fuit, quod possessio Ducis est precaria, & quod à Clemente diceretur precario possidere, & quod Illustrissima Domina, iure pignoris & non dationis insolutum, diceretur possidere. Et ideo poterat omnia bona Ducis petere, donec sibi de dote & donatione propter nuptias, satisfactum foret. Item resolutum fuit, quod si nō plene probaretur Cardinalem adiuisse ex testamento Clementis, tamen quia erant inditia, quod denegari non poterat remissoria dum tamen articulus esset releuans. videlicet quod posito quod Cardinalis adiuisset hæreditatem Clementis, an vt hæres potuisset propria auctoritate possessionem Montis ingredi. Veritas autem huiusmodi releuantiæ, pendet ex duabus difficultatibus exortis à discussione primi dubij ex quatuor. Item fuit resolutum, quod partita Montis, dum dicit hæredum quorum reuera interest. &c. intelligeretur non de omnibus hæredibus Cosmi, sed de Clemente & Delphina, quorum reuera interest. cum ex precio Casalis Longhezze, spectantis ad Clementem & Delphinam, precium vigintimillium peruenerit. & quia eramus in possessorio, non erat necessarium probare, quod Clemens & Delphina, essent hæredes Cosmi. sed sufficit quod ipsi prætenderent se esse tales.

SVMMARIVM.

Fructus, vt quis excusetur à pœna regulæ de valore exprimendo, quomodo fuerunt considerati.

1 *Distributiones quotidianæ, an computentur in valore fructuum, quo ad regulam. Et quid de fructibus, quos lucratur residens in ciuitate.*
2 *Valor beneficij consideratur secūdum quod valet in portatis.*
3 *Fructus beneficij, quo ad valorem appellantur, qui percipiuntur ex corpore beneficij, & debentur vnicuique absenti.*
4 *Valor beneficij quo ad regulam de valore consideratur in illo, quod percipitur sine residentia. & num. 8.*
5 *Regula de valore strictè intelligenda.*
6 *Valoris expressio, an de iure necessaria.*
7 *Valor qui non fuit bene expressus, si exprimatur & male, an vitiet.*

DECISIO CCCCLV.

Dubitauit D. Mohedanus in vna Barchinonensi canonicatus, de mense Iulij 1546. supposito quod Alphonsus expediuit in vigintiquatuor, & quod est datum de regula de non exprimēdo vero valore, & quod testes dicunt, quod fructus canonicatus valent singulis annis quinquaginta ducatis auri, dummodo resideat in Ciuitate, licet non ingrediatur Ecclesiam, & quod absentes à Ciuitate gaudent, dum tamen absentia non duret vltra duos menses. & quod vltra dictos fructus, sunt distributiones quotidianæ, quæ singulis horis lucrantur, & soluuntur interessentibus horis tantum, & de istis, absentibus nihil datur, etiā quod in Ciuitate resideant. An sit locus regulæ. Et fuit resolutum quod non quia distribu-
1 tiones † quotidianæ non computantur in valore fructuum. per decis. Rotæ 7. de præben. in nou. & fin. eod. tit. in antiq. Et idem dicendum erat de alijs fructibus, quos lucrantur residentes in Ciuitate, nam valor
2 beneficiorum, consideratur † secundum quod valet in portatis, & non habent obligationem residentiæ, sed lucrifiunt etiā in absentia. per Gloss. in regula 60. Sarnen. in regula de valore. quæst. 8. post prin. versic. valor tamen beneficiorum. Staphil. in tract. de lit. grat. & inst. fol. 29. colum. 1. in fin. versic. vltimo pro declaratione, & sentit notabiliter Oldrad. cons. 118.
3 dum dicit. constat † autem, fructus appellari qui percipiuntur ex corpore beneficij, & debentur vnicuique absenti. Non obstat, quod tales fructus debiti residentibus, non sunt distributiones quotidianæ, nam etiam quod non sint distributiones quotidianæ sa
4 tis est quoad regulam de valore quod † non dentur absentibus, & valor considerari debet, & quod habetur sine residentia, & in portatis in absentia. secundum Oldrad. Comment. regularum. & Sarnensem. Non obstat quod regula sit fauorabilis, & extendatur propter periculum animæ, & præiudicium
5 officialium, quia vltra quod est † strictè intelligenda secundum Cassador. decis. 20. colum. 2. super reg. Cancell. quia regula principaliter considerat fauorem annatarum. secundum Gomet. in rubrica regulæ de valore. col. 2. & quæst. 3. & non merum
6 fauorem animæ. nam de iure cōmuni † non est necessaria expressio, licet ius cōmune consideret merita promouendorū, & fauorē animæ. Item, illud quod continet fauorem animarū, est fauorabile & extendendum, quando nullo modo cadit excusatio. vt in terminis Auth. sacramēta puberum. at hic secun-

dum opiniones DD. cadit excusatio. Absurdum, quod consideratur in imperrante beneficium seu capellaniā, quod non haberet fructus nisi residendo, non habetur pro absurdo. Non obstat dictum Staphil. in tractat. de lit. grat. &cæt. fol.29. colum.2. versic. & prædicta intelligo. iūcto vers. præceden. & eap.licet.cum ibi notatis. de præben. quia procedunt in alio casu quam regulæ. in quo tractatur de excusando ab expressione, ad effectum vt non incidat in pœnam dictæ regulæ. Non obstāt, quod valor
7 qui † non fuit bene expressus, si exprimatur & male, vitiat. quia hic ad effectum regulæ fuit bene expressus. Fuit ergo conclusum, quod, quo ad hoc vt non sit locus regulæ de
8 exprimendo † isti fructus qui debentur tantum residentibus, non computarentur in valore. quia oportet quod debeantur absentibus in portatis. & oportet quod debeantur absentibus libere.

SVMMARIVM.

Mora quo casu de æquitate canonica purgari non possit.

1 *Mora purgatio cur à lege concessa.*
2 *Beneficium concessum miserationis causa per qua verba debeat reuocari, & ex quibus ille censeatur renunciatum. n.3.*

DECISIO CCCCLVI.

Dicebam ego in vna Mediolanensi repræsaliarum, quæ mihi per D. Cæsenatensem fuerat commissa, quod mora non poterat purgari, etiam de æquitate canonica vbi quis in instrumento conuentionis renunciauit omni legum auxilio. per ea quę dicit Crot. in repet. l. si insulam col. fin. versic. quinta difficultas. ff. de verb. obligat. & sequitur Gozadin. conf.57. multa fuerunt. colum. penult. num.19. vers. octauo. &cæt. Ex aduerso respondebatur, quod illud dictū
1 Croti non erat verum. quoniam † purgatio moræ, erat concessa à lege ex causa miserationis. secundum Bal. in l. sancimus. col.2. vers. nota per pactum derogari. &c. C. de fideiuss. & tali beneficio concesso miseratio-
2 nis causa, non renunciatur † per verba generalia, sed specialia. secundum Roman. conf.269. non est dubium. col.2. vers. quod autem specialis renunciatio. &c. & multa ponit Tiraquell. in repet. l. si vnquam. pagin.49. num. 120. versic. item beneficium. Et ideo per istud fundamentum dicebatur, quod dictum Croti non erat verum. quod forsan procederet, vbi non adesset iuramentum. sed vbi ponitur iuramentum, tunc videtur verum quod dicit Crotus. per ea quæ dicit idem Tiraquell. in d. repet. pag. 51. num.127. versic. si posteriorem. Tamen etiam pro parte aduersa fuit replicatum, quod iuramentum, adiecta clausula generali renunciationis, non induceit validam renun-
3 ciationem beneficij causa † miserationis introducti. per ea quæ adducit idem Tiraq. in d. repet. l. si vnquam. num.142. & Soc. consil.103. col.2. & sequen. vol.3. vbi in terminis. & Tiraq. in d. repet. num.160. Tandem visa obligatione, & clausulis positis in obligatione in forma Cameræ in parte renunciatiua, quia renunciat omnibus auxiliis vtriusque iuris, tā in genere quam in specie competentibus, necnō iuri dicenti. generalem renunciationem non valere, nisi præcedat specialis. dixi quod propter prægnantiam dictarum clausularū, quod diceretur in specie renunciatum purgationi moræ.
4 quo casu nullus † dubitat quod non admittitur de æquitate canonica. & quod ita iudicarem si essem iudex. Tamen quia possent alii discrepare ab ista opinione, innitentes potius æquitati, maxime cum simus in materia odiosa repręsaliarum, quod si essem signator, signarem commissionem attentatorum.

SVMMARIVM.

Consuetudo immemorabilis, vbi est à iure reprobata, non habet vim priuilegij.

1 *Beneficia tria an quis possit obtinere in eadem Ecclesia absque dispensatione Apostolica in casu consuetudinis obtinendi plura.*
2 *Consuetudo immemorabilis, vt quis possit retinere plura incompatibilia, an valeat. & num.3. & 4.*
Consuetudo quando reprobatur vt irrationabilis, non solum censetur reprobata præterita, sed etiam futura.
5 *Immemorabilis quan lo non habeat vim priuilegij, & num.8.*
6 *Consuetudine reprobata circa aliquid, an censeatur etiam reuocatum priuilegium circa idem.*
7 *Priuilegium in materia reprobata à iure, quomodo probandum.*

DECISIO CCCCLVII.

Matthiæ Ferrer, Archidiacono, & canonico Ilerdensi, fuit prouisum de vna præpositura, nominata ex vno ex duodecim mēsibus per Ordinarium. Paulus Pla ex alia

ex alia habuit prouisionem Apostolicam, & mihi commisit causam cotra Matthiam. & petebat gratiam suam canonizari, opponens Matthiæ, quod prouisio ordinaria nō esset valida, attento quod, ex quo in eadem Ecclesia possidebat archidiaconatum, & ca-
1 nonicatum, non poterat † sibi absque dispēsatione Apostolica, prouideri de tertio bene ficio, & sic præpositura, tanquam incompatibili per text. in c. ordinatii. §. in conferen dis. de officio ordin. in 6. Pro parte autem Matthiæ fuerunt producti testes, nulliter examinati in partibus qui deponunt de visu à quadraginta annis citra vidisse diuersos possedisse dignitatem, canonicatum, & præposituram. & de auditu à maioribus, quod fuerunt plures possidentes dicta bene ficia incompatibilia, absque dispensatione Papæ, & pro parte Matthiæ cum obligatione de stando vnicæ sententiæ, petebatur remissoria. Dubitaui ego die 8. Octob. 1546. An remissoria esset releuans. pro parte negatiua, quod non esset releuans, adducebatur text. in cap. 1. de consuet. in 6. vbi con-
2 suetudo immemorabilis † circa ista beneficia incompatibilia, reprobatur tanquam irrationabilis, & vbi reprobatur consuetudo vt irrationabilis, non solum censetur reprobata præterita, sed etiam futura secundum Rochum. in cap. fin. colum. 69. versic. septima fit conclusio. de consuet. Et licet in beneficijs difformibus, consuetudo possit ope
3 rari, † sicut & statutum Episcopi, vt quis sit in eadem Ecclesia duplex. secundum Domin. in c. 1. col. 4. in princ. vers. in glos. fin. &c. & ibi Franc. col. 2. vers. secūdo nota ex glos. de consuet. in 6. Tamen quod quis sit in eadem
4 Ecclesia triplex, consuetudine † induci non potest. secundum Domin. & Franc. in dicto loco, & ideo cum consuetudo immemorabilis sit per dictum cap. 1. reprobata, & sic reprobata præterita & futura: ergo remissoria, pro illa probanda, non erit releuans. Nō
5 obstat quod consuetudo † immemorabilis habeat vim priuilegii. l. hoc iure. §. ductū aquæ. ff. de aqua. cum aliis, quia istud procederet, vbi talis consuetudo non esset à lege reprobata, vt in casu nostro, tunc enim nec vim priuilegii, nec aliquam vim habet. ita Philip. Franc. in d. cap. 1. in 2. not. vers. immo tradit Ostien. Prout non obstat, quod illud dictum procedit, vbi quis principaliter se fundat super consuetudine. tunc enim si illa est reprobata, non potest in ea fieri fundamentum. Potest tamen quis se fundare in priuilegio, & illud allegare, & ad probationem huiusmodi priuilegii adducere consuetudinem temporis immemorabilis. Iura enim quæ reprobant consuetudinem,
6 non † censentur reprobare priuilegium. pro ut ita sentit Felin. in cap. accedentes. col. 4. vers. fallit tertio. in illis verbis, restringe hanc fallentiam dupliciter, & col. sequen. vers. sed diceres. &c. de præscript. quia, etiā quod principaliter fiat fundamentum super priuilegio, & illud velit probare per talem consuetudinem immemorabilem, cum illa consuetudo sit reprobata, certe per actū re-
7 probatum à iure, priuilegium † non data aliqua probatione saltem de fama priuilegii, priuilegium eo modo probari nō potest Et istud voluit Felin. in cap. cum ex officii. colum. 3. vers. limita vt stupende. in illis ver bis. & licet præscriptio tanti temporis. & melius. colum. 6. versic. si modo diceret subtiliter. &c. de præscript. Et ideo, Rota quæ stetit pro ista parte quod remissoria nō esset releuans dicebat, quod cum immemorabilis consuetudo per d: c. 1. sit reprobata, quod velle probare priuilegium per talem consuetudinem, esset imponere legem verbis, & non rebus. Et ideo aliqui ex Dominis dicebant, quod esset necessarium probare fa mam priuilegii. quia tunc, stante probatione talis famæ, tunc forsan immemorabilis posset operari. Sed istud vltimum non fuit firmatum. Et ideo dixerunt Domini, quod
8 etiā si simpliciter † laicus probaret, se possedisse per centum annos decimas, quod nec etiam istud sufficeret, vt illa immemorabilis induceret priuilegium præsumptum. Sed etiam istud non fuit firmatum. quia non occurrebat pro tunc, an in tali materia, canon reprobet consuetudinem immemorabilem, prout in nostra materia facit. cap. 1. de con suet. in 6.

SVMMARIVM.

Procurator quo casu non fuerit reuocatus per resignationem per principalem factam.

1 *Gesta cum procuratore post cessionem beneficij, factam à constituente, quando valeant.*

2 *Procuratoris reuocatio tacita, quando sit intimanda.*

DECISIO CCCCLVIII.

Ferdinandus de Villumbrales, de mense Martii 1545. resignauit canonicatum, & præbendam in fauorem Didaci, & postea de mense Septembris eiusdem anni, constituit procuratorem Ioannem, ad causas motas & mouendas. & in specie super canonicatu quem iam resignauerat Ioannes. Procurator produxit mandatum in causā. postea Gometius Torres, vigore commissionis specialis pro suo interesse venit ad causam pendentem inter eundem Ferdinandum, & Didacum. & mandatum erat contra Didacū omnesq;

omnesq. alios. Verũ est, q̃ Gometius vigore
dictæ cõmissionis, pro parte sua præsentatæ
nil fecit. Postea 9. Febr. 1546. Idem Ferdi-
nandus, iterum cessit canonicatum in fauo-
rem Ferdinãdi de Riba de Neyra. postquã
cessionem, Gometius citato Ioãne procura-
tore Ferdinandi de Villumbrales, sententiã
obtinuit. quæ, nulla appellatione suspensa,
in rẽ transiuit iudicatam. & literis exequu-
torialibus decretis, instabatur vt Ferdinan-
dus pareret quo ad fructus & expensas.
Pro parte Ferdinandi dicebatur, quod sen-
tentia erat nulla. quia per cessionem factam
9. Februarii, dicebatur mandatum Ioannis
procuratoris expirasse. & cum omnia acta
essent facta cum dicto procuratore post
1 ipsius cessionem, † quod illa erant nulla. cũ
text. in Clem. fin. habet etiam locum in mor
te ciuili. secundum Card. in d. Clem. fin. de
procurat. & per decis. Rot. 337. in nou. Hoc
non obstante. fuit resolutum, * quod
non eramus in terminis dictæ Clem.
fin. Nam cum Ferdinandus iam per
prius, de mense Martij 1545. canoni-
catum resignasset, & post resignatio-
nem procuratorem constituisset, cũ
secundo resignat, cum nullũ ius am-
plius dimitiat, non possumus dicere
quod mãdatum procuratoris extin-
guatur. Immo constitutio procura-
toris, post primam resignationem
factam ad defendendum eum super
canonicatu, non potest intelligi,
nisi super fructibus canonicatus per
eum perceptis, dum esset in posses-
sione canonicatus. & istud interesse
non cessat in secunda resignatione.
Et ideo cum mors ciuilis & natura-
lis, per omnia, isto casu, non equipa-
rentur, fuit dictum, quod iste esset
adhuc procurator, & iudicium cum
eo agitatum valeret. * In eadem
etiam fuit dictum, quod licet reuo-
2 catio procuratoris, † quæ per mor-
tem domini inducitur, non sit inti-
manda aduersario. vt per Bart. in
l. si procuratorem. ff. de procurator.
Abb. in c. mandato. de procurat. Fe-
lin. in c. ex parte. in 11. fallentia. de
rescript. quia nil est quod possit im-
putari domino. Tamen secus est in
reuocatione quæ inducitur ex resi-
gnatione. quia tunc est quid impu-
tetur domino. & ita dicit expresse
Cassad. decis. 2. de appell. Resolutio
fuit facta in vna Palentina canoni-
catus, coram D. Thoma de Thanis,
die 8. Octobr. 1546.

* Die 11. Octob. 1546. causa iterũ posita, fuit dictũ, quod licet per primam resignationẽ diceretur ciuiliter mortuus; tamen Villũbrales cedẽs, potuit post dictam cessionẽ, prætẽdere habere ius in beneficio resignato. & ideo per secundam resignationẽ de dicto canonicatu factã, dimisit illud ius prætensũ. puta poterat prætẽdere, quod illa resignatio nõ esset bona. & ideo videbatur, quod per illam secundã resignationem, quia cessabat illa prætentio, quod mandatum expirabat. Tamen, quia in d. causa nõ constabat, quod à dicta detentatione discessisset, licet enim per resignationem resignans amittat possessionem iuris, tamen per eam non cõstat quod à detentatione recesserit. secundum Rot. decis. 158. alias 1. de renun. in nou. & ideo ratione illius detentationis, mandatum non dicebatur expirasse; & tanto magis in illo casu. in quo in secunda resignatione Villumbrales, reseruauerat sibi pensionem loco fructuum. Item dicebatur, quod licet in resignatione resignãs dimitteret ius, tamen quia resignando reseruauerat pensionẽ, prætendebat quod Gometius in canonicatu nullum ius haberet, & ideo ratione illius prætentionis mandatum non expirauerat. Et cum ius Gometij esset canonizatum, per consequens sententia super fructibus lata teneret.

* Procuratoris reuocatio tacita, quando sit intimanda.

SVMMARIVM.

Appellatio vnius, prodest. alteri habenti causam connexam. ita & prorogatio fatalium.

DECISIO CCCCLIX.

IN vna Abulensi bonorum, corã D. Prospero, 8. Octob. 1546. fuit resolutũ, quod prorogatio fatalium, facta per vnũ ex duobus condemnatis in causa communi & connexa, prodesset & alteri, qui non fecerat fatalia prorogari. quia appellatio vnius, alteri prodesset. per text. in l. 1. & 2. C. si vnus ex pluribus. & facit gloss. in l. 1. C. si in com. mun. caus. & quod dicit Felin. in c. nonne. de præsumpt. per capit. translato. de constit. q̃ in connexis appellatio vnius, prodest alteri.

SVMMARIVM.

Auditor in Rota, quomodo dicatu t alium præuenisse. & sententia per secundum lata, parte non opponente est valida.

DECISIO CCCCLX.

IN vna Bàrchinonensi, coram D. Fabio, die 8. Octobris 1546. fuit dictum, quod licet in Rota, per solam præsentationem com missionis primo loco vni Auditori factam, dicatur Auditor præuenisse. iuxta decis. 1. de constitut. in antiq. alias 803. & decis. 6. de rescript. etiã in antiq. alias 654. & per Cassad. decis. 5. de rescript. tamẽ quod si procedatur coram secundo Auditore parte nõ opponente, quod sententia est valida. per not. in c. cum M. Ferrariensis. maxime per Dec. ibi col. fin. de cõstit. Et licet d. decis. 1. de constit. alias 803. in fin. dicat, quod Auditor secundus, nullo modo procedat. fuit intellectum, videlicet parte opponente. Tamen, quia in illo casu, licet per primum Auditorem emanasset inhibitio, vigore commissionis præsentatæ post citationem exequutã à secundo Auditore, fuit dictum, quod talis inhibitio haberet vim oppositionis, & protestationis, quod non procederetur coram secundo. & ideo esset sententia post inhibitionem lata, attentata & nulla. Tamen fuit dictum, quod sententia non annullaretur, sed videretur de bono iure per productionem iurium.

SVMMARIVM.

Melioramenta vbi sunt illiquida, an per dationem cautionis prouideatur.

DECISIO CCCCLXI.

Die vndecima Octobris 1546. in causa Parmensi vallium, fuit propositum dubium. vtrum Dominis Corrigensibus sit danda exequutio quo ad possessionem, pręstita per eos cautione pro melioramentis liquidandis iuxta formam commissionis, & fuit pręsuppositum, quod melioramenta nō essent liquida. Et maior pars tenuit, quod pręsupponendo meliotamenta non esse liquida, quod data cautione, exequutio sentētię, quo ad possessionem, esset facienda data cautione. per not. per DD. & maxime Alexan. in l.4.§.ait pretor. ff.de re iudic. & Neguf. in tract.de pignor. in 4. membro 5. par. num.10. & sentit Paul. de Castr. cons. 270. vol. 2.dum ponderat quod in casu suo, in sententia erant illa verba.solutis prius melioramentis. &c. & not.in d.l.4. §. ait pretor, procedunt nedum vbi sumus in facto illiquido.iuxta text. in l.statuliber rationem in princ. ff.de statulib. sed etiam vbi sumus in dando.puta, quando quis est condemnatus ad expensas,& ille expensę sunt illiquidę. Et tanto magis dicebant Domini, exequutionem fore decernendam,stante cōmissione pręfixionis termini. & in termino pręfixo,melioramenta non erant liquidata.quo casu,stante mora,dicebatur locum esse cautioni.ne alias esset in potestate partis, propter suam moram liquidandi,retardare exequutionem sententię. Non obstat decis. Capycij. in decis. Neapolis. in nou. 17. quia fuit dictum, quod illud erat propter verba sententię,in qua dicebatur quod fructus cōputarentur in melioramentis,& si meliorationes excederent fructus quod reficerētur liquidandis omnibus in exequutione sentētię. & ideo,cum omnia remitterentur liquidanda in exequutione,non mirum si Consilium Neapolitanum mandauit ibi, vt liquidatio fieret ante exequutionem. At in casu nostro, in sententia non erant talia verba. sed tantum erat in sententia reseruatum ius prosequendi meliotamenta. Non obstant rationes quas addncit ibi Capycius dum primo dicit. regula est,quod ille qui fecit melioramenta,habet ius retinendi. vt per iura per eum allegata, & illa iura multum bene sciebant, quod melioramenta non erant liquida,& tamen dāt ius retinendi, ergo etiā quod non sit facta liquidatio,non potest fieri exequutio. Nam fuit responsum,quod licet iura pro melioramentis dent retentionē tamen iura non dicunt, quod data cautione non debeat fieri restitutio. & ideo,licet detur retentio, tamen illa tollitur vbi melioramenta sunt illiquida,mediante cautione.per not. in d.§.ait prætor. l.4. Et eodem modo respondetur ad cons. Ruini 84. circa finem. in primo vol. dum Ruinus dicit. pro melioramentis datur retentio,& illa retentio non tollitur, nisi per solutionem, quia vt supra dixi, non est verum quod vbi sunt illiquida tollatur tantum per solutionem, sed etiā per cautionem, vt supra. Non obstat etiam quod dicit Capycius. in d. decis. 17. quod l.statuliber rationem. in princ. ff. de statu lib. loquatur in casu speciali fauore libertatis. quia illa lex intelligitur per DD. etiam in casu in quo cessat ille fauor libertatis, & in quocumque condemnato, ad reddendum rationem, vt in d. §. ait pretor per DD. & in l.1. ff. qui satisdat. cogantur vbi Ias.etiam exemplificat in tutore. Et licet Rota ita inclinauerit,vbi melioramenta sunt pęnitus illiquida; ramen, quia in casu isto crant probata melioramenta, tamen valor secundum me non erat sufficienter liquidatus. Dixerunt Domini, quod ego deberem præfigere terminum extra Curiam ad electionem peritorum, qui deberent æstimare illa melioramenta. & tunc si Comes esset in mora,daretur exequutio. Terminus vero datus in Curia,non attendebatur,quia breuis. & in Curia non poterat liquidari.

SVMMARIVM.

Alternatiua Episcopi Portugalensis quomodo intellecta.

1 *Verbum, dispositio, an comprehendat etiam institutionem in beneficio.*
2 *Alternatiua an capiat beneficia quæ sunt ad præsentationem.*

DECISIO CCCCLXII.

In vna Portugalensi de Golpeiares, die 11. Octobris 1546. proposui ego dubiū. posito quod præsentatio parochialis, de qua agitur,pertineat ad Abbatem,institutio vero ad Episcopum, An sit locus alternatiuæ. & sic dubium erat, an alternatiua concessa Episcopo Portugalensi,comprehēderet præsentationem inferioris Prelati. Nam ex quo parochialis vacauerat in mense Februarij, dicebat Iulianus Columella, quod parochialis erat generaliter reseruata. Sed pro parte Episcopi dicebatur, quod stante alternatiua sua, non erat locus prouisioni Apostolicæ. & ex quo Abbas præsentauerat, & Episcopus instituerat de parochiali vacāte in mense Februarij alternato, quod prouisio Apostolica Iuliani superueniens,non valebat. Verba alternatinę erant huiusmodi.

Frater-

Fraternitati tuæ, vt de quibusuis beneficijs. &c. ad tuam, videlicet tibi soli, & ad tuam vna cum dilectis filijs Capituli ipsius Ecclesiæ, collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, seu quamuis aliam dispositionem, cõmuniter pertinentibus, quę in antea, & in singulis Februarij, Aprilis, Iunij, Augusti, Octobris, & Decembris, mensibus vacare contigerit. dummodo dispositioni Apostolicæ generaliter reseruata, vel ex generali reseruatione Apostolica affecta non fuerint, etiam si præsentationes nominationes, & electiones, & aliorum quæ saluę sint, procedere consueuerint, perinde ac si expectatiuæ. &c. libere disponendi. &extr. Fuit ergo conclusum, quod quia alternatiua dabat ad quamuis aliam dispositionem, quod sub illa generalitate, comprehendebãtur beneficia, quæ erant ad præsentationem aliorum, siue secularium, siue ecclesiasticorum, quia verbum.† dispositio. comprehen-
1 dit etiam institutionem. cap. cum in illis. quod etiam declarabatur per illa verba inferius posita, & aliorum quæ saluæ sint. Et
2 sic fuit resolutum, quod † alternatiua capiebat beneficia quæ erant ad præsentationem aliorum inferiorum, non solum Episcopi, & Capituli. Item fuit dictum, quod illa verba. generaliter reseruata intelligebantur de alia reseruatione quam octo mensium inducta per regulam reseruatoriam. ex quo in alternatiua exprimebatur mensis Februarij.

SVMMARIVM.

Appellatio de qua hic fuit iudicata extraiudicialis.

DECISIO CCCCLXIII.

EAdem die 11. Octobris 1546. Dubitauit D.Fabius, in causa Salamantina portionis, An appellatio pro parte Didaci interposita fuerit iudicialis, aut extraiudicialis, & talis quod fecerit portionem litigiosam. Et fuit resolutum, quod seclusis mãdatis, tam appellantis quam appellati, & præsuppositis dictis mandatis pro bonis, & quod intimatio mandati, tempore appellationis esset facta, quod appellatio foret extraiudicialis, quia erat facta non vt à iudice, sed vt à priuata persona, & ab intimatione litterarum, & sic à parte petente illarum exequutionem. iuxta tex. in cap. bonæ memoriæ de appellation. Item, quod appellatio non peccabat, nec in forma, nec in termino, prout latius in informatione pro Antonio Aranz deducitur.

SVMMARIVM.

Valor melioramentorum quomodo probetur.

DECISIO CCCCLXIV.

DIe 15.Octobris 1546. proposui dubiũ in causa Parmensi vallium. præsupposito, quod testes probent in valle de qua agitur, aliqua melioramenta per Comitem, & eius auctores, esse facta. & testes deponant de valore melioramentorum per mensurationem, & eorum æstimationem, An valor melioramentorum sit legitime probatus. Et fuit resolutum pro parte negatiua, quod nõ esset probatum. per ea quæ dicit Neguf. in tract. de pign. post alios quos refert in 4. membro 5. partis principalis. colum.7. numer. 11. in prima conclusione. & col. 10. num. 16. in 6. conclusione. vbi testes deponẽtes de valore melioramentorum, debent deponere quantum impensum est in melioramentis, & quanti res sit effecta pręciosior. Sed in casu nostro testes non deponebant quantum foret impensum, nec quanti res esset melior effecta, & præciosior propter illa melioramenta. licet testes in genere dicerent, quod res præciosior esset effecta. & aliqui dicerent, iudicio eorum, in triplum. Non obstat, quod testes mensurauerint, & æstimauerint. quia non sequitur ex hoc, ꝙ deponant quantum impensum fuerit, nec quod res hodie, propter talia melioramenta in tanta quantitate præciosior sit facta, Et licet Domini, tenuerint quod valor non esset probatus, tamen per hoc non recesserũt ab illa opinione, quam in pręterita audientia tenuerunt. quod essent eligendi periti ab vtraque parte qui deberent referre quantum in dictis melioramentis impendi potuit, & quanti res hodie præciosior sit.

SVMMARIVM.

Notario asserenti quod Capitulum fecit quando credatur.

DECISIO CCCCLXV.

DIe decimaquinta Octobris 1546. in vna Columbriensi canonicatus, coram D.Peregrino, fuit resolutum, quod licet notario, attestanti quod Capitulum fecit credatur, vt per Oldrad. cons. 100. & per Abbat. in cap. 1. colum. 2. circa finem. de Synd. quod illud procedit in dubio. per rationes de quibus per eos, sed vbi aliter ex coniecturis constat, quod ibi non esset Capitulum quod tunc, non staretur notario contrariũ asseren-

afferenti, prout erat in casu illo. in quo, intimatis literis Apostolicis, septem canonicis Ecclesiæ cathedralis Colūbriensis, in qua præsupponebatur q̄ erāt vigintiduo canonici, notarius dicebat, quod statim præsētatis litteris, illi septem canonici Capitulum fecerūt. & sic ex quo præsupponebatur. q̄ erant vigintiduo licet alii fuissent vocati, tamen apparebat quod notarius male indicabat, quod septem facerent Capitulum, cum non essent duæ partes. Item, cum notarius diceret, quod statim fecerunt Capitulum, apparebat. quod nō esset vocatio aliorum. & vt actus dicatur ab vniuersitate factus, requiritur aliorum conuocatio, & quod adsint duæ partes. & quod maior pars illorum facit, dicitur à Capitulo seu vniuersitate factum. secundum Dec. in c. cum omnes. num. 11. de constitut.

S V M M A R I V M.

Testes duo plene probant confessionem, ergo vnus semiplene, non valet consequentia.

1 *Confessio an probetur per testes singulares.*

D E C I S I O CCCCLXVI.

Cofessio vt plene probet de æquitate canonica, debet per duos testes probari. vt per Abb. in c. fin. de succ. ab intest. & per not. per Alb. in l. si ex cautione. ad finem. C. de non num. pec. Dixerunt Domini in vna Dertusensi Sacristiæ, corām D. Peregrino, die 15. Octobris 1546. quod nōn valebat consequentia. duo testes de confessione plene probant: ergo vnus semiplene, per ea quæ dicit Socin. in l. Gallus. §. ille casus. circa finem. ff. de lib. & posthum. Alexand. cons. 132. vol. 5. quem refert & sequitur Philipp. Prob. in c. 1. post num. 53. de confess. in 6. licet aliter dicere videatur Curt. Iun. cons. 168. habita diligenti. &c. col. 7. post
1 num. 11. item dixerunt, quod testes † singulares, dato quod essent tres, non probarent confessionem. licet non essent singulares singularitate obstatiua, sed adminiculatiua. ex quo confessio, est actus momentaneus, & nō successiuus. fuit allegatus Caccialupus ita dicere in repet. l. admonēdi. de iureiur. Non obstat, quod in contrarium allegaretur Paul. de Cast. cons. 92. in 2. vol. & cons. 380. circa fin. etiam 2. vol. Curt. Sen. in repet. l. admonendi. n. 193. Alex. cons. 53. col. fin. vol. 1. Bertran. cons. 175. volum. 3. Aymo cons. 73. col. 8. Socin. Iun. consil. 90. col. 2. vol. 2. & cons. 99. eo vol. Paris. cons. 57. nu. 43. & seq. vol. 1. quia respondebatur, quod consiliū Paul. de Cast. in cons. 380. reprobabatur per Ias. in repet. l. admonendi. nu. 218. & etiam loquebatur in materia in qua sufficiunt coniecturæ. & ad alia consilia superius allegata, respondet D. Hieronymus in in formatione sua, ad quam me refero, quæ fuit facta in dicta Dertusensi Sacristiæ. Et quod per testes singulares confessio non probetur, tenet Afflict. decis. 364. fuit decisum. Alex. consil. 57. viso processu causæ. col. 2. vers. constat autem quod testes singulares. in 6. vol.

S V M M A R I V M.

Collatio facta per Nuncium existentem in vno Regno, de beneficijs alterius Regni non valet.

D E C I S I O CCCCLXVII.

IN vna Legionensi, & Zamorensi, corā me, die 20. Octob. 1546. fuit resolutū, quod Ioannes Pogius, Nuncius in Hispania, qui existens in ciuitate Gerundæ, contulit beneficium vacans, seu beneficia vacantia in ciuitatibus Legionensi & Zamorensi, quod talis collatio non teneret. per * regulam Pauli. quæ vult, quod Nuncius existens in vno Regno, non possit in alio Regno conferre. & cum ciuitas Gerundæ, non sit in Regno Legionensi & Zamorensi, talis collatio facta non valeret.

* Et in vna Astoricensi S. Brixini, die 1. Maij 1548 fuit resolutum, quod dicta regula, nō haberet locū in Legato de latere, ex quo loquitur de Nuntio. Immo eadem die in eadem causa fuit resolutum, quod Legatus de latere, destinatus ad Carolum, & ad Regna Hispaniarum, existens in ciuitate Barchinonæ, potuisset conferre beneficium vacans in ciuitate Astoricensi. quia ex quo erat Legatus ad Regna Hispaniarū, ex quo erat in vna parte suæ legationis, poterat conferre in tota legatione. & sumendo argumentū, à contrario à regula quæ disponit in Nuncio, nam si illa tantum restrinxit potestatem Nuncij, ergo in Legato voluit quod possit.

S V M M A R I V M.

Coadiutoria cum futura successione vbi conceditur, an sit derogandum indulto Cardinalis.

D E C I S I O CCCCLXVIII.

IN vna Toletana * canonicatus, & præbendæ, proposuit dubium D. Peregrinus, die 20. Octobris 1546. An in gratia coadiutoriæ cum futura successione, fuerit necessaria derogatio indulti Cardinalis Toletani. Et ex septem votantibus, tres tenuerunt quod sic. per decis. Cassad. 1. de pact. dum vult quod con-

* Ista causa fuit iterum posita 25. Octobris 1546. & cōtra illos qua tuor, fuit facta no ua responsio, quia non est dubium, quod Papa voluerit restituere omnimodam iurisdi-

dictionem Epiſcopo. & appoſuit decretum irritãs, etiam per nós. ita quod Papa voluerit ligare ſibi manus. & in illa reſtitutione tantũ excipit caſum reſignationis, in manibus ſuis faciendæ. & ideo videtur omnes alios caſus includere. dnm tamen non habeant dependẽtiam à præterito, vt eſt regreſſus cũ coadiutoria nullam dependentiã habeat à iure de præterito. Et licet Papa in remotione obſtaculorũ, tãtũ renouiſſet gratias præuentiuas mere odioſas, & non eas quæ videntur habere fomentum iuris, prout eſt coadintoria cum futura ſucceſſione de cõſenſu. per text. in l. fin. C. de pact. Tamen ſicut clauſulæ in parte exequutiua poſitæ, nõ augent diſpoſitionem, ita non habent minnere. Si ergo reſtitutio Papæ, eſt generalis tantũ exceptuans reſignationes. generaliter debet interpretari, quia reſtringi nõ debet per clauſulas in parte exequutiua poſitas. Et ideo tam per iſtã rationem, qnam etiam quod fuit repertũ quod in vna Toletana Archipresbyteratus de Madrid die 3. Martij, 1544. prout anno taui ſup. dec. 108

Domini inclinauerãt in hãc partem, quod indulta comprehenderẽt coadiutorias. & ideo ille qui habuerat coadiutoriam, recurſum habuerat ad Datarium pro habẽda

concordata comprehendant coadiutorias. Idem ergo erit dicendum, quod indulta quæ ſunt fauorabilia, cum fiant ad præſeruandum iuriſdictionem ordinariam, comprehendãt etiam coadiutorias cum futura ſucceſſione, quæ ſunt odioſæ. & idem videtur ſentire Caſſad. deciſ. 4. de priuil. vbi æquiparat concordata, & indulta & cum indulta reſtituant iuriſdictionem conferendi, perinde ac ſi gratiæ expectatiuæ, & aliæ quæuis diſpoſitiones non emanaſſent, & ſic tollat materias præuentiuas, negari non poterat qnin coadiutoria, dum dat futuram ſucceſſionem, non dicatur materia præuentiua. & ſic eſſet ſublata, prout & aliæ gratiæ præuentiuæ, quæ ſunt odioſæ.

Alij quatuor Domini tenuerunt contrarinm. quod indultum nõ comprehenderet coadiutorias, & ideo non eſſet neceſſaria derogatio indulti. quia licet indultum tollat omnes gratias præuentiuas, tamen tollit omnes illas quæ ſunt mere præuentiuæ, non autem eas quæ habent fomentum iuris. prout eſt coadintoria cum futura ſucceſſione, de conſenſu coadiuti conſentientis dictæ futuræ ſucceſſioni. ſecundum text. in l. fin. C. de pact. nam licet iſta gratia ſit præuentiua, tamen quia habet cõſenſum coadiuti, non eſt ita odioſa, prout eſt gratia præuentiua ſine cõſenſu. & ideo eum Papa abſtulerit per regnlas, octo menſes ordinariis, & poſtea eoſdem per indulta reſtitnat, contra Papam debet fieri plena interpretatio. ſed in præiudiciũ tertij, qui ſolnit compoſitionem pro coadiutoria, ne remaneat deceptus iſta interpretatio plena fieri non debet, ſed reſtricta. Et ideo illa verba. perinde ac ſi gratiæ. &cæt. debent intelligi de gratijs mere præuentinis, quæ nullum conſenſum habent. Non obſtat deciſ. Caſſad. 1. de pact. quia loquitur in concordatis. qnæ ob fauorem nationis, & publicam vtilitatem, & vt ſcandala euitarentur, fuit interpretatum vt concordata coadiutorias comprehẽderent. vt etiam videtur ſentire Caſſad. in d. deciſ. quod ſecus eſt in indultis Ordinariorum, vbi militat fauor ipſius Ordinarij, & nõ ita publicus vt in concordatis. Non obſt. deciſ. 4. Caſſad. de priuileg. quia licet quo ad quædam æquiparontur, non tamẽ quo ad omnia. Et pro iſta parte facit, quod ſẽper ab iſtis gratijs præuentiuis excipiũtur præterquam regreſſus, & acceſſus. Et de conſenſu coadiutoriæ, cum iſtis quatuor etiam inclinabat proponens. videlicet D. Peregrinus.

derogatione indulti. Maior pars, ne diceretur quod faceremus deciſiões cõtrarias, voluit quod ſtaretur illi deciſioni, in qua iam erat per prius inclinatum per Rotam.

SVMMARIVM.

Aegidianæ conſtitutioni an ſit locus, vbi eſt lata ſecunda ſententia reuocatoria primæ.

1 *Aegidiana, quod habeat locum in cauſis pendentibus quomodo intelligatur.*
2 *Statutum quod non poſsit appellari, an ſit ordinatorium, vel deciſorium.*
3 *Sententia ſuper poſſeſſorio lata, an diffinitiua.*
4 *Conſtitutio vbi non eſt omnino noua, ſed declaratoria, an trahatur ad pendentia per appellationem.*
5 *Sequeſtrum, an detur ſi pro reo eſt lata abſolutoria, & poſtea contra eum feratur condemnatoria.*
6 *Aegidiana conſtitutionis mens, quæ ſit in remouendo appellationem.*

DECISIO CCCCLXIX.

ANtoniua de Burgos, de anno 25. ſeu 26. tulit ſententiam abſolutoriam in fauorem bon. mem. Liuiæ de Balleonibus, à prætenſo ſpolio contra eam intentato per Comites de Marſiano. Ab ipſa ſententia appellato, cauſa commiſſa fuit Simonetæ. coram quo, & Marſicano, poſtea ſnbrogato Simonetæ, per ipſos Comites fuerunt probata duo extrema. Poſtea de anno 1538. ſuperuenit confirmatio Aegidianæ. & ego de anno 1546. in vltima audientia, de menſe Iulij, viſa probatione duorum extremorũ reuocaui primam ſententiã Antonij de Burgos, & condemnaui Rainutium, filium & heredem Lauiniæ, ad reſtitutionem certorum 1
caſtrorum. Canſa appellationis à me interpoſita, & commiſſa D. Mohedano cum clauſula. & ſi quid exequendum erat exequeretur. Dubitauit primo, videlicet die 20. Octobris 1546. ſtãte quod D. Rainutius habet primam ſententiam in ſui fauorem, & poſtea Domini de Marſiano habent aliã pro ſe, & reuocatoriam primæ, an ſit locus Aegidianæ, & ſecunda in fauorem illorum de Marſicano ſit mandanda exequutioni. Et 22. eiuſdem Octobris, dedit aliud dubiũ ortum ex primo. ſuppoſita prima ſententia in fauorem D. Rainutii, & appellatione, & probationibus in ſecunda inſtantia, ante

ſuper-

superuenientiam Aegidianæ, & eius confir-
mationem factam, ex quibus constat de
iniquitate primæ sententiæ. An à secunda
sententia reuocatoria primæ, possit appella
ri. vel an secunda sit mittenda exequutioni.
Fuit resolutum dicta die 22. quod non pos-
set appellari à secunda, & esset mittenda
exequutioni. Quia confirmatio Aegidianæ
habet quod habeat locum in causis penden-
tibus. Cum ergo ista causa penderet, ergo
in ea locum habebat. Non obstat quod di-
1 cebatur, † quod nõ intelligebatur de penden
tibus per appellationẽ. secundum Feli. in c.
fin. colum. 5. vers. limita tertio. &c. de con
stitutio. Quia fuit responsum quod illud ha
bebat locum in decisorijs: secus autem in
ordinatorijs. prout dicit idem Felin. in d.
loco. in d. tertia limitatione. At statutum,
quod non possit appellari, est ordinato-
2 rium, † & non decisorium. vt per Alex. in
l. 1. in fin. ff. de legat. 2. cum multis quæ ac-
cumulaui in additione quã feci ibi ad Ale-
xandrum. Ergo cum simus in ordinatorijs,
dũ confirmatio dicit, quod habeat locum in
causis pendẽtibus intelligetur etiam per viã
appellationis. prout idem dicit idem Felin.
in d. cap. fin. colum. 10. versic. fallit quarto
de constit. Non obstat quod dicit Dec. in
cap. Ecclesia S. Mariæ. colum. 17. versic. ex
præmissa conclusione. &c. de constit. & Go-
zadin. cons. 76. colum. fin. versic. Non ob-
stant contraria, quod statutum quod non
possit appellari à sententia diffinitiua, sit de
cisorium & non ordinatorium, & sententia
3 super possessorio sit diffinitiua: † vt per
DD. in Clem. 1. de sequestr. possess. & fruct.
quia fuit responsum, quod procedit vbi su-
mus in diffinitiua quæ non potest in alio iu-
dicio reparari. prout sentit Dec. in d. loco.
sed diffinitiua in possessorio, seu grauamen
per talem sententiam illatum, potest repara
ri in iudicio petitorio. ergo statutum tol-
lens appellationem à tali sententia, erit or-
dinatorium & non decisorium. Item fuit
dictum, quod vbi constitutio non est omni-
4 no noua, sed declaratoria, † quod tunc tra-
hitur ad pendentia per appellationem. vt
per Felin. in d. cap. fin. colum. 5. vers. item
intellige hanc limitationem. de constit. Et
ista cõstitutio iam erat per Conciliũ Late-
ranense confirmata, licet non esset vsu rece-
pta, & ideo ad præterita trahebatur. Non
obstant notata per Cardinalem in Clem. 1.
de sequestr. possess. & fruct. dum dicit, quod
5 si pro reo est lata absolutoria, † & postea
contra eum feratur condemnatoria, quod
non datur sequestrum, quia præsumptio se-
cundæ sententiæ reuocatoriæ, eliditur à pri
ma. ita ergo esset dicendum in casu isto.
quia fuit responsum, quod præsumptio pri-
mæ sententiæ, fuit elisa tempore debito,
quia ante superuenientiam confirmationis

* Statutum quod non possit appellari, an sit ordinatorium, vel decisorium.

Aegidianæ, à sententiã lata in possessorio po-
terat appellare, & tempore quo superuenit
Aegidiana, iam erat detecta iniquitas sen-
tentiæ primæ. itaut Aegidiana non poterat
verificari in dicta causa per appellationem
pendente; respectu illius primæ sententiæ,
quæ iam erat detecta iniqua. postea quando
pronunciatur secunda sententia reuocato-
ria primæ, ab illa nõ poterit appellari, quia
6 mens Aegidianę est, vt causa † possessorij
per vnicam sententiam debeat terminari, &
sic, ex quo erant variata tempora, à prima
sententia potuit appellari. quia illo tempo-
re non erat Aegidiana. Quando autem su-
peruenit Aegidiana, illa prima sententia nõ
potuit exequutioni mandari, quia erat de-
tecta iniquitas. si postea feratur secunda sen
tentia illa erit per Aegidianam exequutio-
ni mandanda, & sic præsumitur pro ista.
Non obstat, quod Aegidiana loquens de sen
tentia mandanda exequutioni, quod debeat
intelligi de prima, quia respondetur, quod
ista sententia secunda, dicitur prima post cõ
firmationem Aegidianæ lata, & ideo ab ea
per ipsam Aegidianam non poterit appella
ri. Et dicebant Domini, quod si iniquitas
primæ sententiæ, non fuisset detecta per pro
bationes tempore debito factas, quod cum
confirmatio Papæ velit, quod Aegidiana ha
beat locum in causis pendentibus per appel
lationem, vt supradixi, quod illa prima sen-
tentia fuisset mandata exequutioni.

SVMMARIVM.

Lis quo casu fuerit inducta sine expeditio-
ne litterarum, ad effectum vt commit-
tens non diceretur gaudere regula de
triennali.

1 *Beneficium in præiudicium actuis commit-
tentis statim efficitur litigiosum.*

DECISIO CCCCLXX.

IN vna Hispalensi dimidiæ portionis, pro
posui dubium, die 22. Octobris 1546.
præsupposito, quod Gometius commiserit
causam litteris non expeditis. An portio,
quo ad eundem Gometium, fuerit litigiosa,
vt ipse Gometius non gaudeat regula de
triennali. & fuit decisum pro parte affirma
1 tiua. † quia in præiudicium committentis
causam, portio est litigiosa. vt per Sarnensẽ
super Compendio vtriusque Signaturæ. fol.
84. num. 64. vbi ponit quod in odium acto-
ris est lis, & reus potest petere subrogatio-
nem. & quia actor dicitur sibi ipsi litem in-
tulisse, & fecisse portionem non esse pacifi-
cam. secundum Sarnensem super regula de
triennali. quæst. 56. col. 2. num. 5.

SVMMARIVM.

Dispensatio isto casu suffragata fuit.

DECISIO CCCCLXXI.

EAdem die 22. Octobris 1546. dedi dubium in causa Ilerdensi præpositurae inter Matthiam Ferret, & Paulum Pla. An dispensatio pro parte Matthiæ producta, suffragetur sibi ad validitatem prouisionis Ordinarij, eidem Matthiæ factæ. Et fuit resolutum quod sic, quia in narratiua litterarum expeditarum Matthias narrabat, se vna cum archidiaconatu, possidere sine dispensatione, canonicatum & præbendam. Quando ergo in dispositiua sibi dabatur vt posset aliud dissimile cum archidiaconatu tenere intelligebatur de alio dissimili à canonicatu. quoniam si in narratiua dicebatur, quod tenebat archidiaconatum cum canonicatu, qui solebat obtineri, seu consueuerat obtineri sine dispensatione; petendo dispensari, petebat vt aliud dissimile à dicto canonicatu cum archidiaconatu obtinere possot. Non obstat quod diceret. etiam si canonicatus & præbenda in eodem tecto. &c. quia intelligebatur, dimisso illo canonicatu, quẽ tenebat sine dispensatione.

SVMMARIVM.

Legitimatio impetrata à filio cui obstat impedimentum canonicum, post mortem patris est valida.

1 *Legitimari quando possint filij, non obstante præiudicio venientium ab intestato. & num. 2.*

3 *Legitimatio an valeat, quo ad temporalia in terris Imperij, quando filij sunt nati ex matrimonio cui obstat impedimentum canonicum.*

4 *Gratia, an ex qualibet taciturnitate reddatur subreptitia.*

DECISIO CCCCLXXII.

MAtthæus Gebelli, & Ioanna, scientes se tertio consanguinitatis gradu coniunctos, contraxerunt, & procrearunt Michaelem filium, habita dispensatione à quodam Commissario Cruciatæ in partibus existente, & cum tractatu temporis fuisset dubitatum de facultate illius postea impetrarunt litteras à Pœnitentiaria, per quas mãdabatur Archiepiscopo Tarraconensi, seu eius officiali, quod separatis eisdẽ Matthæo & Ioanna, & absolutis à censuris quas incurrerant matrimonium scienter contrahendo daretur eis licentia de nouo matrimonium contrahendi. Tamen non impleto aliquo ex requisitis in dicta dispensatione, & sic antequam dictæ litteræ præsentarentur, Matthæus, & Ioanna obierunt. post obitũ dictorum parentum, idẽ Michael filius, obtinuit alias litteras à Pœnitentiaria in quibus, narratis omnibus supradictis, quodque post impetrationem dictarum litterarum, & ante illarum exequutionem, seu habitionem, Matthæus & Ioanna præfati, seu eorum alter obierat. & propterea ipsi iusta necessitate oppressi, eisdẽ litteris satisfacere nõ potuerũt, cum id facere potuisse, sinceris pectoribus desiderassent. Cõmittitur ordinario, q̃ si vocatis vocandis, ei cõstiterit canonice de assertis, Michalẽ legitimũ & naturalẽ fuisse & esse, & propterea in bonis parentũ suorum iure hæreditario succedere potuisse, ipsumque pro legitimo & naturali, haberi & tractari deberet, perinde ac si dd. Matthæus & Ioanna eius parentes dispensationẽ priorem à principio impetrassent, seu ad illius exequutionem procedi obtinuissent, illisq; omnino satisfecissent, declararet. Dubitauit D. Reomanus in vna Tarraconẽsi illegitimitatis, die 22. Octobris 1546. An vltima dispensatio post parentum mortẽ quæsita, suffragetur Michaeli ad legitimationẽ. Et fuit resolutum quod sic. quia eramus in filijs natis in figura matrimonij, & solum obstabat impedimentũ legis canonicæ. & tunc potest approbari matrimoniũ per Papam, & etiam
1 legitimari filius, etiã mortuo altero † côiugum, non obstante asserto præiudicio veniẽtium ab intestato. vt per Anchar. cons. 409. & Præposit. in cap. per venerabilem. col. 68. qui fili sint legit. Ias. in §. & quid si tantum colum. 21. in fin. Non obstat non valuisse legitimationem in præiudicium venientium
2 ab intestato † quibus erat ius quæsitum. quia esset verum, si pater nihil disposuisset in vita. At cum hic haberemus voluntatem patris, qui dispensationem in vita impetrauerat, & postea filiũ in testamento instituerat potuit fieri legitimatio post eius mortẽ in præiudicium venientium ab intestato. secundum Bart. in d. §. & quid si tantum. col. penult. vers. quando pater pro filio nihil disposuit. & in eadem colum. in versic. præceden. quando ipse filius petit se legitimari de voluntate patris. Et in filijs habentibus voluntatem patris, late prosequitur ibi Galiaula. colum. antepenult. in tertia conclusione. Non obstat, patrem non posse legitimare subditum Imperio in temporalibus. quia quando nati sunt filij ex matrimonio cui obstabat impedimentum canonicum,
3 valet legitimatio, † quo ad temporalia in terris Imperij. ex not. per Ancharan. in dicto cons. 409. & etiam cessat ista disputatio in legitimatione non requirente causæ

cognitionem, prout est quando concurrit voluntas patris qui potest bona sua in mari proijcere. secundum Decium. consil. 52. colum. 2. versic. secundo non obstat. & in consil. 55. colum. 4. & Crot. in repet. d. §. & quod si tantum. col. penult. in quarta quæstione. in primo, & secundo casu. Non obstat, quod ista dispensatio esset subreptitia cum diceret, quod id facere potuisse sinceris pectoribus desiderabant, & tamen post scientiam deficientiæ facultatis in cōmissario, coniuges cohabitassent. quia fuit respōsum, quod dicta verba respiciebant mandatum superioris. videlicet quod mandante superiore, cui dispensatio committebatur id efficere cupiebant. Non obstat quod non esset narrata dicta cohabitatio, per notitiā dictæ deficientiæ facultatis. & sic propter
4 taciturnitatem † gratia esset subreptitia, quia fuit dictum. quod non omnis taciturnitas reddit gratiam subreptitiam. & si fuisset narrata, Papa etiam concessisset. vt videmus quotidie concedi dispensationes, his qui scientes contrahunt, & ad inuicem carnaliter se commiscent.

S V M M A R I V M.

A pœna. cap. fin. de election. in 6. qua de causa quis excusatus.

DECISIO CCCCLXXIII.

IN vna Portugalensi parochialis de Golpeiares, in qua Prior, & Conuentus præsentarunt Vicario Episcopi Portugalensis Emanuelem, & Vicarius mandauit proponi edicta, à quo decreto propositionis edictorum, Emanuel appellauit ad Archiepiscopū Bracharensem. qui Archiepiscopus declarauit ex quo ius præsentandi insolidum spectabat ad Priorem & Conuentum, quod non erant necessaria edicta. & mandabat sub pœna excommunicationis Vicario, vt infra tres dies deberet præsentatum instituere, & Vicarius sequutus sententiam Archiepiscopi, instituit præsentatum. Dicebatur in vna Portugalensi parochialis de Golpesares, die 25. Octobris 1546. per Iulianum qui habebat prouisionem Apostolicam posteriorem, quod dicta institutio erat nulla. ex quo non erat seruata forma. cap. fin. de election. in 6. quod cap. fin. habet locum etiam in præsentatione. secundum glos. ibi. quæ communiter approbatur. Tamen hoc non obstante fuit resolutum per maiorem partem, quod illa sententia, præberet iustam causam excusandi à pœna illius capit. fin. de election. in 6. quia quælibet causa, etiam iniusta, excusat à pœna. & ext.

S V M M A R I V M.

Regula, quod dispensatio non suffragetur nisi litteris expeditis, quomodo intellecta.

DECISIO CCCCLXXIV.

IN. vna Colūbriensi spolij, die 25. Octobris 1546. coram D. Peregrino, sumus sequuti decis. Cassad. 35. super regul. Cancell. 1
cuius meminit Sarnensis. in reg. de non iudic. iuxta formam supplicationis. quæst. 5. quod regula quæ dicit, quod dispensatio nō suffragetur nisi litteris expeditis, non habet locum, quando dispensatio est simul cum prouisione, vt erat in casu illo.

S V M M A R I V M.

Termino ad dicendum contra pendente, an aliquid potuerit fieri.

DECISIO CCCCLXXV.

IN vna Romana terreni, coram D. Prospero, die 25. Octobris 1546. fuit resolutum, quod pendente termino ad dicendū
1 contra ad primam, contra commissionem, & videndum decerni mandatum exequutiuum quod in illa prima die, potuit decerni mandatum exequutiuum post terminum, ad dicendum contra seruatum, si pars nil opposuit. per decis. 785. * in antiquis. & quia sumus in his quæ non requirunt causæ cognitionem, prout erat decernere mandatum exequutiuum vigore sententiæ, quæ transiuerat in rem iudicatam. Item, in eadem fuit decisum, quod licet commissio * diceret, quod erat sententia lata in possessorio à qua vigore Aegidianæ non licebat appellare, quod constito, de assertis, Auditor decerneret mandatum exequutiuum. quod licet tantum esset citatus ad dicendum contra cōmissionem, & videndum decerni mandatum exequutiuum, & non esset citatus ad dicendum contra iura producta, & repetita. nec esset repetita Aegidiana, nec acta pro verificatione commissionis. quia ex actis constabat de assertis, & nil extrinsecus esset verificandum. quod dato quod non essent acta repetita, quod sufficienter & legitime mandatum esset decretum. quia illa verba. constito. dicerent conditionem de præsenti. ita quod non suspenderet actum in futurum.

* Assas 10 de set. excom.

* Commissio quæ habet constito de assertis. quādo sine alia noua verificatione, possit procedi.

SVMMARIVM.

Delegatio facta Vicario Episcopi, potest per substitutum in officio, exequutioni demandari.

1 *Subdelegatus, an possit subdelegare.*

DECISIO CCCCLXXVI.

LItteras delegationis factæ Vicario Epi
scopi Ceneteusi, super liquidatione fru
ctuum, potuisse exequi per substitutum in
vicariatu à Vicario, qui habebat ab Episco
po facultatem substituendi, fuit resolutum
iu vna Ceneteusi, canonicatus & præbendę
coram D. Rcomano, die 25. Octobris 1546.
quia sub nomine Vicarii erat facta delega-
tio. per ea quæ dicit Dec. in c. quoniam Ab-
bas. iu 3. notab. vbi Dec. vult, etiam si litte-
ræ non fuissent præsentatæ prædecessori. Ro
man. cons. 210. & Idem Dec. in d. cap. quo-
niam Abbas. iu 5. not. Et licet subdelegatus
1 non † possit subdelegare. secundum decis.
Rotæ 258. si auditor datus * iu nou. quia
esset verum vbi Vicarius tauquam subdele-
gatus subdelegasset, sed iu casu isto substi-
tuit alium in officio, quod facere poterat.
& ille vt Vicarius potuit cognoscere. Non
obstat decis. Alex. iu l. more. colum. fin. ver-
sic. quid autem si commissa sit causa Pote-
stati. ff. de iurisdict. omn. ind. quia illud pro
cedit, quaudo Potestas ibi auctoritate pro-
pria alium Vicegerentem deputauit. sed in
casu nostro, Vicarins alium deputauit ex fa
cultate substituendi, sibi in vicariatu com-
missa. & ideo dicebatur à superiore depu-
tatus.

* Alias 1.de offic. deleg.

SVMMARIVM.

Vicarius qui habet facultatem conferendi, prout Episcopus, poterit conferre in mense alternato, licet de alternatiua nulla mentio fiat in vicariatu.

1 *Alternatiua concessa Episcopo quid operetur. & num. 2. & 4.*

3 *In generali potestate Vicario concessa, non venit illa, quæ vigore priuilegij Episcopo competit.*

DECISIO CCCCLXXVII.

DIe Veneris 29. Octobris 1546. Dubita-
ui ego in causa Portugallensi de Gol-
peiares. An Vicarius potuerit instituere vi
gore alternatiuæ, attento quod in eius vi-
cariatu non fit mentio de alternatiua. & ma
xime si litteræ alternatiuæ non erant expe-
ditæ tempore coucessionis sui vicariatus. &
fuit resolutũ, quod Vicarius potuit iustitue-
re, idẽ & conferre. uam cum beneficium va-
casset in mense reseruato, & esset de iurepa
tronatus clericorum, per regulam reserua-
toriam octo mensium erat reseruatum, uisi
per alternatiuam esset à dicta regula pręser
uatum, & ideo oportuit dubitare au Vica-
rius potuerat instituere de beneficio vacan
ti in mense alternato. cum in deputatione
Vicarii, nulla fuerit facta meutio de alter-
natiua, quod dubium cadit, etiam circa col
lationem. Et fuit resolutum, vt superius di-
xi, quod Vicarius potuerit. ex quo fuit con
stitutus Vicarius generalis, & generaliter
dabat sibi vices suas. cum facultate puuien-
di delicta, & priuandi. & quod possit con-
firmare, instituere, & conferre quæcumque
beneficia vacatura in Ciuitate, & Diœcesi
Portugallensi, ita & eo modo, quo ipse Epi
scopus potuisset, si præsens esset. Cum ergo
Episcopus dederit omnem iurisdictionem,
quam ipse habebat, sicut illa iurisdictio erat
impedita in persona Episcopi, ita etiã erat
impedita in persona Vicarii. Quando ergo
1 superuenit alternatiua, † uihil aliud opera-
tur quam remouere impedimenta. & sicut
iurisdictio erat libera in persona Episcopi
per superuenientiam alternatiuæ, ita etiam
erat libera in persoua Vicarii. Itaque cum
alternatiua nil plus rribueret Episcopo,
quam illud quod prius habebat, & illud to-
tum erat translatum iu Vicarium, non fuit
necessarium quod in Vicariatu daretur fa-
cultas conferendi etiam vigore alternati-
2 uæ, quæ uihil de nouo † Episcopo tribue-
bat, sed tantum impedimenta remouebat.
Item & secundo, dicebatur quod in Vicaria-
tu dabatur facultas conferendi beueficia va
catura. & sic facultas respiciebat tempus
vacationis. Satis ergo erat, quod tempore
vacationis, litteræ alternatiuæ essent expe-
ditæ licet non essent expeditæ tempore con
cessionis. quia qualitas iuncta verbo. &cęt.
cum vicariatus diceret, quod posset confer-
re beneficia vacatura, eo modo quo ipse
posset, si præsens esset. Non obstat quod ex-
3 aduerso quod iu † generali potestate Vica-
rio concessa non veniret illa quæ vigore
priuilegii Episcopo competebat. iux. decis.
Rotæ 847. * iu antiquis, & decis. 3. de of-
fic. Vic. Bisig. quia fuit respõsum, quod per
alternatiuam, nullum priuilegium Episcopo
4 concedebatur, † sed tantũ impedimenta re-
mouebantur. Nõ obstat ꝙ si Episcopus tẽ-
pore concessionis, ante litteras expeditas vi
gore alternatiuę nõ poterat cõferre, ita uec
eius Vicarius, quia uemo dat ꝙ non habet.

* Alias 9.de offic. deleg.

Quia

Quia respondebatur, q̃ Episcopus ante alternatiuam,& tẽpore alternatiuę ante expeditionem litterarum,poterat. sed illa potẽtia,erat impedita,& illa potentia ita impedita, in Vicarium transiuit. vnde quandocũque remouentur impedimenta,Vicarius manet in sua potestate libera. Non obstat quod in Vicariatu in principio diceretur, quod Vicarius posset facere ea quæ alij Vicarij generales poterant facere,& tamen Vicarij generales non poterant. quia dicebatur, quod vltra facultatem generalem, dabatur facultas conferendi, eo modo quo Episcopus poterat.

SVMMARIVM.

Fructuum appellatione, an veniant tertiariæ in priuilegio concedente fructus suorum beneficiorum, etiam tertiarias nuncupatas.

1 *Priuilegium de percipiendis fructibus, de quibus fructibus intelligatur.*

DECISIO CCCCLXXVIII.

IN Ecclesia parochiali della Motilla Cõchensis Diœcesis, est consuetudo, quod decimæ ad dictam Ecclesiam pertinentes,in simul collectæ reponuntur, & postmodum diuiduntur inter Rectorem,& beneficiatos. & quia omnes deberent participare in laboribus colligendi huiusmodi decimas, ne sequatur inter eos discordia, alternis annis per singulos ex dictis beneficiatis, per turnum colliguntur. & ex tota massa decimarum collecta,quæ diuiditur in tres partes, nam vna beneficiatis, secunda Ecclesiæ pro fabrica, & tertia Regi; Collector pro labore suo capit vigesimam partem, quæ vulgo in illis partibus tertiaria nuncupatur. Dubitauit D.Prosper, die 29. Octobris 1546. an Franciscus Lucas,qui habebat priuilegiũ de percipiendis fructibus beneficiorum suorum in absentia ac si resideret, deberet habere huiusmodi tertiarias vigore dicti priuilegii. Causa erat intitulata Cõchensis decimarum. & dubium erat sub isto tenore. Præsupposito quod tertiarię debeantur rectori & beneficiatis, alternatis vicibus per turnum, an cadant sub priuilegio Francisci Lucę. Ex septem votantibus,tres erant pro parte negatiua. dicentes quod priuilegium comprehendebat fructus beneficiorum suorum. Sed istę tertiarię dabantur ratione laboris,ergo non erant fructus beneficii. nam licet propter beneficium darentur,cum non nisi beneficiatus, illas decimas per turnum colligere teneretur,beneficium erat causa remota, sed labor in colligendo erat causa proxima, & ideo non poterant dici fructus beneficii, sicut certum est, quod distributiones quotidianę dantur beneficiato propter beneficium, & tamen quia principaliter dantur propter seruitium, non dicuntur fructus, & cum istud priuilegium respiceret personam ipsius Francisci priuilegiati, & non fauorem Ecclesię,erat stricte intelligendum,de his fructibus qui sunt proprie fructus beneficii; non etiam de † fructibus, qui ratione laboris dabantur. vt per Oldrad.consi. 117. quod tanto magis istos tres mouebat, quod Episcopus in defectu beneficiatorum,poterat laicum deputare,qui huiusmodi decimas colligere poterat, & ex massa collecta dictam portionem detrahebat. Et sic apparebat quod huiusmodi portio,non ratione beneficii, sed ratione laboris dabatur. & licet existens in Ecclesia cathedrali Conchẽsis.huiusmodi tertiarias habere poterat, & decimas per substitutum colligere poterat: illud erat propter statutum, disponens quod deseruiens in Ecclesia cathedrali,posset per substitutum colligere. Item dicebant, quod huiusmodi priuilegiũ debebat intelligi de fructibus qui iure ordinario ex beneficiis proueniebant, & sic singulis annis,non autem de illis, qui iure quodam extraordinario proueniebant. Alii vero tres, oppositum affirmabant. & sic stabant pro parte affirmatiua. quia priuilegiũ non solum comprehendebat fructus,sed etiã redditus, & prouentus, & negari non poterat quin istę tertiarię dicerentur prouentus beneficiorum. ex quo ex ipsis beneficiis proueniebant, & beneficiati per turnum illas exigebant non nisi ratione beneficiorum. & licet Episcopus posset laicum deputare ad colligendum tales decimas, tamen illud erat in defectum beneficiatorum. Non obstat, quod priuilegium esset intelligendum de fructibus ordinariis, quia dicebant isti tres, quod istę tertiarię aduenientes tempore turni, satis dicebantur fructus ordinarii. Septimus auditor D.Antonius Augustinus noluit votare. & sic vota fuerunt paria. Et secundum illos tres qui erant pro parte negatiua, non obstabat, quod priuilegium concederet fructus suorum beneficiorum, etiam tertiarias nuncupatos. quia dicebatur quod Papa intellexerat, quod ille tertiarię essent fructus beneficiorum.

*

SVMMARIVM.

Symonia an esset probata.

1 *Correspectiuus actus an præsumatur ex breuitate temporis.*
2 *Promissio secunda, an debeat referri ad causam primæ promissionis.*

DECISIO CCCCLXXIX.

IN vna Abulensi de Spinosa, corã D. Reomano, die 29. Octobris 1546. Fuit dubitatum, an esset probata simonia, & pro parte affirmatiua, quod esset simonia dicebatur quod constabat, quod vna & eadem die, coram eisdem testibus, notario, & loco, erant facta instrumenta duo. vnum promissionis certarum pecuniarum, donationis certarum vinearum, & fructuum, & incontinenti, coram eisdem testibus, notario, & loco, erat datum mandatum de retroceden-
1 do. Cum igitur esset breuitas tẽporis, † præsumebantur correspectiua. ad Bart. in l. si vẽtri. §. 1. de bon. credit. & not. per Felin. in c. pastoralis. de rescript. Non obstat quod in primo instrumẽto promissionis pecuniarum, & donationis vinearum, esset reseruatum beneplacitum Papæ. quia ante sequutum beneplacitum, illa promissio pecuniarum & vinearum, erat sortita effectum. Tamen istis non obstantibus, fuit determinatum, sicut fuerat dictum in vna Hispalensi canonicatus, coram me. quod cum prima
2 promissio haberet certam † causam, videlicet ratione certorum fructuum, & expensarum; quod ad illam causam promissio erat referenda, & non ad causam mandati de retrocedendo. ex quo illa causa erat illicita. & ideo non debebat fieri ista correspectiuitas, ex quo, prima promissio suam causam determinatam haberet. Fuit tamen dictum, quod si probaretur excessiuitas promissionis illarum pecuniarum, & valoris vineæ, respectu fructuum debitorum, in magna quantitate arbitrio Dominorum, quod tunc indicaretur pro simonia, sicut fuerat conclusum in illa Hispalensi coram me.

SVMMARIVM.

Probata morte eius cui est facta substitutio pupillatis, præsumitur mortuus in pupillati ætate.

DECISIO CCCCLXXX.

IN vna Fulginatensi, coram D. Prospero, die 29. Octobris 1546. Dubitauit ipse an probata morte eius, cui est facta substitutio pupillaris, præsumatur mortuus in ætate pupillari vel adulta. Et fuit resolutum, quod præsumeretur mortuus in ætate pupillari. per ea quæ dicit Socin. consil. 89. colum. 4. versic. accedat. volum. 1. Dec. in cap. in præsentia post num. 50. de probat. Curt. Iun. post Io. Bapt. de S. Seuerino in l. precibus. col. 2. in 4. notab. C. de impub. Facit quod dicit Alex. cons. 39. vol. 1. & Bal. cons. 294. factum tale est. &c. vol. 4.

SVMMARIVM.

Alternatiuam vbi habet Episcopus, & cessant impedimenta, an poterit conferre in omnibus mensibus.

1 *Alternatiua operatur remotionem obstaculorum, & est inuenta in fauorẽ Ordinarij.*
2 *Ordinarius quando habeat prouisionem liberam in omnibus mensibus.*

DECISIO CCCCLXXXI.

IN vna Cordubensi, coram D. Antonio Augustino, die 29. Octobris 1546. dubitauit ipse, posito quod Episcopus Cordubẽsis fuerit vsus alternatiua, an potuerit prouidere * in mense Martio, & pro parte negatiua, duo adducebantur, quia cum in alternatina dentur sex menses, inter quos non computatur Martius; ergo in aliis sex mẽsibus, inter quos cõputatur Martius, Papa voluit prouidere. & sic non potuit Ordinarius. Secundo ex verbis alternatiuæ, dum dicit quod alia facultate Ordinariis concessa nõ vtaris, & in illa facultate est comprehensus mensis Martii. Sed istis non obstantibus, Domini inclinabant in contrariam partem. quoniam alter-
1 natiua † tantum operabatur remotionem obstaculorum, & erat inuenta in fauorem Ordinarii, contra impedimenta obstantia. Cum ergo illo tempore prouisionis, nulla essent impedimenta, quia erat facta prouisio de mense Martii 1545. quo tempore nec erat regula reseruatoria octo mensium, nec erat regula quatuor mensium, cum illo tempore essent reuocatæ expectatiuæ; ergo Ordinarius habuit suam prouisionem libe-
2 ram † in omnibus mensibus. prout istud sentit Staphil. in tract. de lit. grat. & iust. fol. 5. pag. 2. Nec obstat vnum, quod considerabat vnus ex Dominis, dum dicebat quod Papa, in sex mensibus alternatis, habebat manus ligatas, & sic esset absurdum, si nihil in aliis sex mensibus

* Iste punctus iterum fuit positus. videlicet, die 8. Nouẽbris 1546. & fuit dictum in facto, quod eo tẽpore quo fuit cõcessa alternatiua, extabat regula reseruatoria octo mẽsium, vt apparebat ex prohemio alternatiuæ & ideo omnes Domini mutarunt votum. nã si Papa concedebat Episcopo sex menses, ergo alios sex videbatur denegare ad l. cum prætor de indie. & si Papa in illis sex mensibus alternatis, legem sibi imponebat vt non posset cõferre, propter decretum irritans appositum in alternatiua, non erat honestum, vt in aliis sex mẽsibus ordinarius, posset conferre. quia sic non essent

menses alternati. & plus posset Ordinarius quam Papa. quod videbatur esse contra mentem Papæ,qui ex octo mensibus duos concesserat.ergo mēs eius erat,vt tantum sex menses haberet. Item, quia in alternatiua dicebatur.Ita tamen vt alia facultate,Ordinarijs per regulam concessa, non vtaris. in qua regula est mensis Martij. & ideo cum gratia sit limitate facta,dummodo non vtaris alia facultate Ordinariis concessa, etiam quod illa regula expirasset, ex quo expectatiuæ erant reuocatæ; tamen mensis Martii per dictam restrictionem exclusus in alternatiua, per expirationem regulæ non debebat ipsi Episcopo accrescere contra mentem Papæ. Resolutionem vide infra decis. 495. hoc lib. 2. bus lucraretur. quia non obstante isto absurdo, Staph. vult, quod non stante impedimento, Ordinarius habeat omnes menses liberos.

SVMMARIVM.

Lis, quo casu fuerit iudicata extincta.

DECISIO CCCCLXXXII.

IOannes Scrinano commisit causam cōtra Petrum Puerto Carrero, omnesque alios in exequutione nominādos,super quodam beneficio de Medellin. & obtinuit decretum citationis. vigore cuius citauit Garsiam. Garsias veniens ad causam, cessit liti & causæ in actis. postea Ioannes Scrinano resignauit beneficium in fauorem Didaci de Analos.& in cessione fuit dictum, cum extinctione litis & causæ, quo ad cedentem. Didacus,vigore cessionis, accepit possessionem beneficij, & illud possedit per decem annos. Didacus Vesga, prætendens dictum beneficium vacare per obitum Garsiæ de Auolos, cessionarij Ioānis de Vrrias, qui prætendebat bonum ius habere in dicto beneficio,citauit de anno 1545. dictum Didacum.qui Didacus prætendens se fore decennalem pacificum possessorem, dedit de regula de triennali. Ex aduerso, Didacus Veiga dicebat, quod non fuerat pacificus, propter litem motam per Ioannem Scriuano suum auctorem. qui, quo ad se, fecerat beneficium litigiosum. Tamen hoc non obstante, in vna Placentina beneficii de Medellin,die 5.Nouemb. 1546. coram D.Thoma de Thanis, fuit resolutum, quod fuisset decennalis pacificus possessor. Quia licet Garsias fuisset citatus, tamen comparuit,& cessit liti, & causæ. quo casu per cessionem quo ad ipsum Garsiam, erat extincta lis. vt per Cassad. decis. 5. pag. 3. vt lit. pend. Et licet lis remansetit quo ad Ioannem committentem, tamen dicta lis erat extincta in cessione, dum dictum fuit. & cum extinctione litis & causæ quo ad cedentem. Et licet Petrus Puerto Carrero, qui erat nominatus in commissione, possit ad litem venire; tamen antequam ad causam venisset, non erat lis.

SVMMARIVM.

Concilio Lateranensi ex quibus censeatur esse derogatum.

1 *Conciliaris dispositionis derogatio, an inducatur ex certa scientia Papæ.*

2 *Conciliaris dispositionis derogatio an præsumenda,in concessione facta personæ valde dilectæ.*

DECISIO CCCCLXXXIII.

EX quinque, votantibus voluerunt tres, videlicet Domini Mohedanus, Fabius, & Reomanus,in vna Maioricēsi parochialis de Incha, die 5. Nouembris 1546.coram D.Prospero, quod regressus concessus Cardinali de Mediçes per Leonem Pontificem ad dictam parochialem, ex quo erat motu proprio concessus. item, ex quo erat narratum Pontifici in supplicatione, quod fructus non excedebant centum, & sic ex narratis apparebat de certa scientia Pontificis. item, quia erat clausula in supplicatione generalis. non obstantibus cōstitutionibus & ordinationibus Apostolicis. quod ex istis tribus simul iunctis, censeretur derogatum Concilio Lateranensi. D.Mohedanus mouebatur per decis. Cassad. 4. de concess. præb. & ipse Mohedanus, & alii, ex his quæ dicit Gomes. in reg. de impetr. benef. viuen. quæstione 1. num. 5. & ex aliis fundamentis de quibus in informatione. quæ tendunt, quod ex istis sit probata certa scientia Pa-
1 pæ. quo casu, ex certa † scientia inducitur derogatio, etiam constitutionis conciliaris. Verum est,quod D.Mohedanus, vltra tria, etiam ponderabat quod erat in
2 nepote † Papæ, & in persona valde dilecta. ex qua coniectura volebat arguere mentē Pontificis, vt Concilio voluerit derogare. Sed D.Fabius, & Reomanus,etiam sine isto quarto, ex illis tribus dixerunt censeri Cōcilio derogatum.Duo vero Auditores,videlicet D.Thomas primus responsalis, & Antonius Augustinus vltimus, dixerunt quod requirebatur specialis derogatio. sed præualuerunt illi tres tanquam facientes maiorem partem. Ego tunc non dedi votum, quia tractabatur de interesse meo. Super ista resolutione, fuit consultus per Ponentē Reuerendiss. Marsicanus. qui vt ipse Ponens retulit, miratus fuit de huiusmodi resolutione. Ideo dixerunt Domini, quod ad alia puncta procederetur. & quod expectaretur quod Rota esset magis plena, vt iterum posset disputari articulus de quo supra.

SVM-

S V M M A R I V M.

Subrogatus quo ad possessionem, immittendus non verificata narratiua vnionis.

D E C I S I O CCCCLXXXIV.

Die 12. Nouembris 1546. in vna Rechanatensi prioratus, coram D. Fabio in qua fratres Syluestrini, per cessionem Calixti de Amadeis, de ipso prioratu in fauorem dictæ Congregationis, in qua cessione narrabatur, quod alias dictus prioratus fuerat vnitus dictæ congregationi, & Congregatio subrogabatur in locum Calixti de Amadeis. Fuit dictum, quod possessio vigore dictæ subrogationis, erat danda fratribus etiã quod ipsi fratres non verificarent dictã vnionem narratam. nam illud quod dicebatur, quod vnione non verificata, gratia esset subreptitia, & per consequens, omnes clausulæ accessoriæ corruerent, respiciebat petitorium, & ideo, non obstante dicta narratiua, & quod lis penderet inter ipsos Syluestrinos, venientes ex cessione ipsius Calixti, & Episcopum Camerinum, venientẽ ex cessione alterius, quod possessio in qua subrogabãtur Syluestrini, erat danda ipsis, ex quo constabat, quod Calixtus, tempore cessionis erat possessor.

S V M M A R I V M.

Lis super priuatione beneficij, licet non faciat beneficium litigiosum, tamen illud facit sententia.

D E C I S I O CCCCLXXXV.

In vna Cæsaraugustana præceptoriæ de Vilellas coram D. Thoma de Tanis, die 12. Nouembris 1546. in qua lata sententia per D. Io. Paulum super dicta præceptoria in fauorem Ludouici de Talauera, contra Hieronymum della Cauallaria, & decreuerat sequestrum in secunda instantia. Pro parte Hieronymi dicebatur, quod sequestrum erat nulliter appositum, quia Hieronymus erat triennalis possessor, & iste casus excipitur in Clem. 1. de sequestr. possess. & fruct. Ex aduerso replicabatur, quod Hieronymus non erat triennalis pacificus, quia infra triennium erat sibi mota lis super priuatione præceptoriæ, & infra idem triennium fuerat per sententiam priuatus. Pro parte Hieronymi replicabatur, quod lis super
1 priuatione, † non facit beneficium litigiosum, sed causa dicitur esse profana, vt per gloss. in verbo finita, vt lite pend. in 6. per Sarnen. in regula de subrogand. quæst. 7. & in regula de annali quæst. 42. est glos. in Clem. 1. in verbo contra possessorem. de sequestrat. possess. & fruct. Et ideo, sicut lis super priuatione, non facit beneficium litigiosum, ita nec sententia. Sed hoc non obstante, fuit conclusum contrarium, quia in casu nostro non solum fuit petitum, vt Hieronymus remoueretur, sed etiam vt iuxta formam stabilimenti, præceptoria communi thesauro incorporaretur. * & ideo quando petitur, vt quis amoueatur, & beneficium sibi adiudicetur tanquam debitum, tunc dicitur beneficium litigiosum. * vt per glos. in d. cap. 1. in verbo. finita. in fin. verbis, vt lit. penden. in 6. Imo fortius dicit Staphil. in tractat. de lit. grat. & iust. fol. 165. pag. 2. vers. vltimo. &c. quod licet lis super priuatione, non faciat beneficium litigiosum; tamen sententia super priuatione facit beneficium litigiosum. & * istud, tacito auctore, sequitur Sarnensis in dicta regula de subrogand. quæst. 7. num. 5. Et cum per sententiam, esset adiudicatum beneficium Religioni, licet penderet causa appellationis, negari non poterat quod iam beneficium non esset effectum litigiosum.

* Ista causa de mense Ian. 1547. fuit proposita per D Mohedanum, & fuit dictum, quod nec in sententia, nec in petitione fuerat data incorporatio in fauorẽ Religionis, & ideo in illo casu non poteramus dicere, quod esset petita, nec facta adiudicatio.

* Tenet Bonifac. in Clem. vnica. in princ. n. 32 de cau. poss. & propriet.

* Intellige quãdo sententia continet in se adiudicationem beneficij.

S V M M A R I V M.

In causa Bononiensi, iuris macinandi, an Antonius sit manutenendus in statu in quo erat ante proclama.

1 *Interdicto, vti possidetis, an possit agi contra illum, cuius facto quis impeditur.*

2 *Possessio an quæratur prohibenti ex paritione in omittendo.*

D E C I S I O CCCCLXXXVI.

In causa Bononiensi, iuris macinandi, die 12. Nouembris 1546. proposui dubiũ. præsupposito, quod ante proclama, furnarij, & scaserij accederent ad molendinum D. Antonij, & post emanatum proclama vigore litterarum Apostolicarum prohibentium ne accederent, post modicum tempus pro parte Antonij fuerit lis mota super subreptione litterarum, an huiusmodi lite pendente, Antonius sit manutenendus in illo statu, in quo erat ante proclama, vt furnarij possint accedere ad eius molendinum, non obstante prohibitione facta. Et fuit resolutũ quod esset manutenendus. quia quan
1 do † ex facto alicuius, furnarij non veniunt ad molendinum, potest agi contra illum interdicto, vti possidetis. vt per Bart. in l. 1. §. huius interdicti. ff. vti possid. Hic, ex facto creditorum non veniebant, furnarij ad molen-

molendinum, ergo poterat agi, vt illud impedimentum tolleretur. Non obstat, quod illud dictum Bart. procederet, quando de facto aliquis turbat. at hic propter decretum, & literas Apostolicas, ista diffamatio non erat de facto. quia fuit dictum, quod super hoc pendebat lis, an prohibitio, iuridice vel de facto esset facta. & ideo stante suspensione petitorii non poterat dici illa prohibitio legitime facta. Nec est verum, quod per illam prohibitionem, esset aduer-
2 sariis aliqua possessio quæsita. ex quo † illa paritio, erat in omittendo. vt per Bald. in l. 2. nu. 54. C. de seruit. & aqua. Non obstat etiam, quod non solū esset paritio in omittendo, sed etiā in faciendo. quia post prohibitionē, dicebatur, q non solū furnarij abstinuerunt ab accessu ad molendinum Antonij extra ciuitatem, sed etiam iuerunt ad molendina intra ciuitatem. & ideo per illum actum, videbatur quæsita quasi possessio, & illa Antonij deperdita. Sed fuit responsum, quod ex quo iste accessus ad molendina intra ciuitatem, fuit per paucos dies ante litem motam, vtpote per quinque dies. & ante proclama, etiam ipsi furnarii erant soliti quandoque accedere ad molendina intra ciuitatem, & quandoq. extra. quod licet post proclama non accesserint ad molendina extra ciuitatem per quinque dies, quod ideo esset dicendum, quod istud fecisset ratione prohibitionis. cum istud facere potuit vigore illius facultatis, quam habebat accedendi, & non.

SVMMARIVM.

Cessio litis & causæ, extinguit litem, etiam si sit facta sine admissione Auditoris, & parte absente.

DECISIO CCCCLXXXVII.

Decimaquinta Nouembris 1546. fuit resolutum in vna Placentina beneficii de Medellin, quod cessio litis, & causæ facta coram notario & testibus, sine admissione Auditoris, & parte absente, induceret extinctionem litis. nam per prius in alia audientia fuerat resolutū, quod Rota tenet, quod per cessionem litis & causæ, esset extincta lis. vt per Cassad. decis. 5. vt lit. pend. Non obstantibus his, quæ posui in vna additione ad eum ibidem. quæ videntur facere in contrarium. Sed dubium faciebat an cessio litis & causæ, facta non coram Auditore, sed tantum notario, & testibus, & parte non præsente, induceret extinctionē litis. Et fuit resolutum quod sic. per ea quæ dicit idem Cassad. in d. decis. 5. dum dicit. in iudicio vel extra. idem dicit Milis in repertorio suo. in verbo, lite pendente. quo ad litigantem non finitur lis. & per ea quæ dicit Alex. in l. post quam liti. col. 3. num. 8. C. de pact. Non obstat summarium decis. 3. de renunt. alias 306. in nou. vbi allegat gloss. in c. quamuis. de elect. in 6. quia illa glos. procedit in grauibus causis, & maioribus. Item, in corpore decisio non ponit illud quod dicitur in summario. Item, quia satis videtur esse facta in iudicio, quando fit coram notario, & testibus, cui iudex assistere videtur. Non obstat quod dicit Milis, in verbo. litis pendentia non finitur per mortem. quia Milis ibi non negat, quin etiam finiatur per alium modum. videlicet etiam extra iudicium. nec Milis sit sibi contrarius. Non obstat, quod non constabat, quod ille in cuius fauorem erat facta cessio, acceptasset illam. quia satis constabat, ex quo amplius litem non fuerat prosequutus.

SVMMARIVM.

Priuilegium Leonis, de non reuocandis indultis Cardinalium, nisi forma certa seruata, quomodo intellectum.

1 *Indiuidua mentio, quando de aliquo facta dicatur.*
2 *Forma, quādo possit adimpleri per æquipollēs.*

DECISIO CCCCLXXXVIII.

Proposuit D. Peregrinus, die 19. Nouembris 1546. An priuilegium Leonis, volens, quod non censeatur derogatum indultis Cardinalium per quascunque gratias à nobis concessas, per clausulas generales. sed quod specialis mentio tituli, & denominationis Cardinalis, & quod ex causa graui fieret. &c. An illud priuilegium Leonis extenderetur ad alios Pontifices, an vero ad ipsum Leonem tantum. Et prima vice quæ causa fuit proposita, maior pars Dominorū inclinauit, quod restringeretur ad concessiones factas per ipsum Leonem. tum quia priuilegium dicebat. ad futuram rei memoriam. non autem. ad perpetuam. tum quia semper priuilegium loquebatur de gratiis à nobis concessis, & per nos concessas. & sic videbatur restringi ad personā Leonis. tum quia, cum par in parem non habeat imperium, in dubio iudicandum erat, quod Leo noluisset successores suos ligare. Non obstat, quod in dubio, lex præsumitur perpetua, & non temporalis. quia dicebatur, quod priuilegium est perpetuum, sed non respiciebat, nisi concessiones per Leonem faciendas. Item * etiam maior pars inclinauit, quod ex quo in supplicatione fuerat dictum, cum derogatione indulti Archiepiscopi * Indulto Cardinalis Toleta ni, per quæ verba cen featur derogatum.

scopi

scopi Toletani, etiam si Cardinalatus honore fungeretur. quod per talia verba esset sufficienter derogatum indulto Cardinalis Toletani, licet de titulo, & de denominatione non esset facta mentio. quia mens Papæ erat, quod per generales clausulas nõ tollerentur indulta Cardinalium. vt puta quando dicitur. quibusuis personis, etiam quacumque dignitate præfulgentibus. quia Papa volebat intelligere, quando indulto Cardinalis, & cui Cardinali derogandum erat. & istud satis intelligebatur, quando erat dictum. Archiepiscopo Toletano, etiam honore Cardinalatus fungenti. Non obstat, quod esset facienda mentio indiuidua. quia satis fiebat indiuidua, quando de Archiepi-
1 scopo Toletano fiebat, † ex quo non erat, nisi vnus, ad l. nominatim. ff. de lib. & posth. Ad id quod dicebatur de causa, fuit dictum, quod causa erat coadintoria quæ dabatur Et ita Domini inclinarunt dicta die, in vna Toletana canonicatus & præbendæ, coram D. Peregrino. Non obstat, quod illud quod
2 requiritur † pro forma, non potest impleri per equipollens. ad Ias. in l. 1. ff. de lib. & posthum. quia hic eramus in forma voluntaria, ad effectum vt Papa sciret cui Cardinali erat derogandum. quo casu potest impleri per equipollens, & sufficit quod effectus habeatur. ad not. per DD. in l. Gallus. §. & quid si tantum. ff. de lib. & posthum. dum loquuntur de conditione voluntaria.

SVMMARIVM.

In causa Bononiensi iuris macinandi.

1 *Possidens, est manutenendus in illo statu, in quo erat ante litem motam.*
2 *Seruatio alicuius præcepti, quando non possit dici deliberatiua.*
3 *In actibus facultatiuis, nõ arguitur de vno ad alium.*
4 *Mandatum de manutenendo, quando sit dandum domino molendini, non obstante prohibitione facta ne furnarij accedant.*

DECISIO CCCCLXXXIX.

De mense Nouembris 1546. in causa Bononiensi iuris macinandi, proposui dubium, An instrumenta pro parte creditorum producta, & quod furnarii cessarunt, post proclama per paucos dies ante litem motam, ire ad molendina existentia extra ciuitatem Bononiæ, faciant vt mandatum de manutenendo, non detur D. Antonio. Quo ad instrumenta, fuit dictum quod nihil faciebant ad causam possessorii. nam si quadraginta furnarii obligauerãt per instrumenta, de non accedendo ad molendina, quod si ipsi contrafacerent, quod vigore dictarum obligationum ageretur contra eos. & ideo talia instrumenta non debebãt præ-
1 stare impedimentum, quin Antonius esse manutenẽdus in illo statu † in quo erat ante litem motam. Quo ad secundum, ego presupposui in positione casus, quod esset probatũ in actis, & per testes, quod facto proclamate, constaret quod vsque in hodiernũ diem furnarii post proclama factum, non accessissent ad alia molendina existentia extra ciuitatem Bononiæ. & ideo ex mente creditorum dicebatur, quod si furnarii non accesserunt tanto tempore post proclama ad molendina existentia extra ciuitatem, quod illud nõ poterat esse nisi ratione prohibitionis. & sicut voluerunt seruare proclama in aliis molẽdinis. ita quod illa ser-
2 uatio, † quo ad alia molendina, non poterat dici deliberatiua. prout dicit Bald. in l. 2. nu. 54. C. de seruit. & aqua. ita esset dicendum in illo non accessu per quinque dies ad molendinum Antonii ante litem motam. vt etiam diceretur non animo deliberandi factus, sed potius animo obediendi, arguendo de vno actu ad alium. Tamen hoc fundamento non obstante, contrarium fuit decisum. nam cum ante proclama, esset in libera voluntate furnariorum accedere, vel non accedere; ille non accessus factus post proclama ad alia molendina, non de necessitate inferebatur quod esset vigore prohibitionis, sed poterat ex alia causa iudicari. puta quia eis non placuit accedere propter distantiam loci, vt quia essent remotiora illa molendina à ciuitate Bononiæ, quam molendina Antonii. Et quando ex illa cessatione tam diuturna, argueretur animus furnariorum, quod vigore prohibitionis non accesserint ad illa molendina, non erat arguendum, quod idem voluerint facere, non accedẽdo infra paucos dies ante litem motam ad molẽdinum D. Antonii. cum de vno
3 actu ad † alium, in his quæ sunt meræ facultatis, non esset arguendum. cum posset esse, quod vigore prohibitionis, noluerint accedere ad molendina alia. & non sequitur. ergo vigore illius prohibitionis. Et ad istud cum, respectu litis & concordiæ subsequutę prohibitio, per paucos dies durauerit. quin immo fuit dictum, quod etsi vigore prohibitionis furnarii paruissent, quod nihilominus
4 mandatum † de manutenendo erat dandum Antonio. per ea quæ dicit Bart. in l. 1. §. huius interdicti. ff. vti possidet. nam ibi apparet, quod propter diffamationes, laboratores cessabant venire. & sic apparet quod laboratores parebant, & nihilominus datur interdictum vti possidetis.

SVM-

SVMMARIVM.

Regula de annali locum habet in beneficio consistoriali, non consistorialiter prouiso.

DECISIO CCCCXC.

DE eodem mense Nouembris 1546. in vna Spalatensi Abbatiæ, fuit resolutum coram D. Rauellensi, quod regula de annali haberet locum in monasterio consistoriali, si tamen de eo non erat consistorialiter prouisum. per ea quæ dicit Sarnen. in reg. de annali. quæst. 24. remittendo se ad not. super reg. de infir. resign.

SVMMARIVM.

Appellari potest ab interloquutoria à Vicario ad Episcopum.

DECISIO CCCCXCI.

DE eodem mense Nouembris 1546. in vna Toletana fructuum, me proponente, Domini inclinarunt, quod illud, quod dicebatur in c. 2. de consuet. in 6. quod à sententia Vicarij, non liceret appellare ad Episcopum, cum esset idem tribunal, procederet quando appellabatur à sententia diffinitiua: secus si ab interloquutoria, quia sicut idem Vicarius, poterat suam interloquutoriam reuocare, ita & Episcopus, & ideo valeret appellatio à Vicario ad Episcopum, prout valeret ad eundem Vicarium. prout dicit Franc. in d. c. 2. in vlt. not. & ibi per Gemin. post Lap. col. 2. & eundem Franc. in c. dilecti. 3. de appellat. col. 9. vers. duodecimo. quæritur.

SVMMARIVM.

Eligendi ius cui competat ex collegiata vel Capitulo maiori.

DECISIO CCCCXCII.

IN causa Salamantina præeminentiarum, pluries de mense Nouembris 1546. dedi dubium, cui competat ius eligendi Abbatē. & aliquando præualuit pars Capituli maioris. postea variarunt, quia non omnes viderant informationes. & vltima vice quā causam posui, ex quinque votantibus, fuerunt tres pro Capitulo maiori, & duo pro collegiata. videlicet, tres tenuerunt quod ius eligendi Abbatem competeret Capitulo maiori, & duo tenuerunt, quod competeret Capitulo maiori & Capitulo collegiatæ. & in ista audientia non interuenit D. Peregrinus, quia infirmus. D. Thomas etiā erat infirmus. Fundamenta illorum trium fuerunt super illis verbis. Clerus huiusmodi canonice congregati, eligant, prout de antiqua consuetudine archipresbyterum elegerunt. pōderando dictionem clerus huiusmodi. nam cum in parte superiori, clerus maior, secundum intelligentiam Rotæ, intelligatur de Capitulo maiori, quando postea dicitur. clerus huiusmodi. intelligēdum erit de eodem clero maiori, & sic de Capitulo maiori. Item, quia dicitur. prout de antiqua consuetudine archipresbyterum elegerunt, & certum est, quod de antiqua consuetudine. Capitulum maius eligebat. Secundum fundamentum erat, quia in dubio, censendum est quod Papa voluerit minus præiudicare quam potuit fieri. nam si Capitulum maius consensit erectioni collegiatæ, satis est quod voluerit præiudicare sibi quo ad erectionem, & in expressis, non autem in aliis, & non expressis voluit præiudicare. Addo nunc & tertium fundamentum. nam si clerus huiusmodi, secundum illos duos Dominos, qui stabant pro collegiata, ex quo post mētionem factam de clero maiori, & post mentionem factam de canonicis dignitatibus, & beneficiatis collegiatæ, intelligeretur de duobus cleris, & sic de clero maiori, & de clero collegiatæ, sequeretur ꝙ totus clerus collegiatæ deberet eligere, & sic etiam beneficiati. & tamen de iure communi, electio ad Capitulum Ecclesiæ, & non ad totum clerum collegiatæ spectat. secundum text. & not. ibi. in c. 1. de elect. & sic contra istos retorqueretur fundamentum eorum, quod faciunt, quod ideo Capitulum collegiatæ debet interuenire, vt Papa videatur se cōformare cum dispositione iuris communis. nam intelligendo, clerum huiusmodi, de toto clero collegiatę, debent etiam interuenire beneficiati, quod est contra ius commune. ergo dicendum est, quod clerus huiusmodi. intelligatur de Capitulo maiori, vt minus censeatur præiudicatum ipsi.

SVMMARIVM.

Pater adoptiuus non succedit filio ab intestato.

DECISIO CCCCXCIII.

IN vna Bononiensi adoptionis, fuit resolutum de mense Nouembris 1546. corā D. Prospero, quod pater adoptiuus, non succederet filio ab intestato. Primo, quia ita tenet

tenet Mathesil. in tract. de success. ab intestat. in tertio, vel quarto membro principali. & Nicolaus de Ybald. in simili tract. in vltima quaest. secundae partis. & quia text. in l. cum in adoptiuis. C. de adopt. dicit. in hoc tantummodo volumus prodesse adoptionem. Idem dicit text. in §. sed hodie. instit. de adopt. & ibi Ang. Aret. & text. in §. sed ea omnia. instit. de haered. quae ab intest. in quibus iuribus habetur, quod tantummodo adoptio prodest ad hoc, vt filius succedat patri ab intestato. Non obstat, quod sumus in correlatiuis, quia diuersa est ratio. nam filius ideo succedit patri, quia ex quo pater in solatium filiorum amissorum, vel non habitorum, habet filium adoptiuum; ideo lex defert ei successionem. sed non contra. quia pater non adoptat vt ei succedere habeat, sed in solatium, & ideo sufficit quod illud solatium habeat, non autem vult quod moriente filio, ipsi succedat. & ideo si filius patri adoptiuo succedit, non ratione filiationis, sed quia praestitit illud solatium patri adoptiuo. quae ratio cessat quādo filius moritur, vt latius in informatione dicitur, & haec fuerunt resoluta, praesupponendo quod tempore obitus filii, pater naturalis nō extabat. quia eo stante, modicum erat dubiū, cum successio ad patrem naturalem spectet. Iterum causa proposita, die 10. Decembris 1546. fuit idem resolutum. videlicet, quod pater adoptiuus, non succederet filio ab intestato.

SVMMARIVM.

Iuspatronatus non alteratur ex hoc, quod quis teneatur cum consilio alterius praesentare.

1 *Iuspatronatus an dicatur laicum, vel ecclesiasticum, seu mixtum, si patronus teneatur praesentare cum consilio personae ecclesiasticae.*

2 *Consilium licet quis teneatur requirere, sequi tamen non teneatur.*

DECISIO CCCCXCIV.

Coram eodem D. Prospero, die 10. Decembris 1546. fuit resolutum, quod si proximior consanguineus, seu de genere, tenetur praesentare ad beneficium fundatum cū consilio Prioris S. Catherinae, & Guardiani Fratrum minorum, † quod tale iuspatronatus dicatur laicum, & non ecclesiasticū; seu mixtum. Non obstante eo, quod proximior teneretur praesentare cū consilio Prioris & Guardiani, quia ex tali requisitione nō alterabatur natura patronatus. per not. per Rot. decis. 380. * in antiquis. nam licet, 2 quis teneatur † requirere consilium, tamen non tenetur sequi. ad Bart. in l. 1. §. si plures. ff. de exercitor.

* Alias 79. de rescript.

SVMMARIVM.

Episcopus habens alternatiuam ad sex menses, in aliis conferre non poterit.

1 *Casus omissus remanet in dispositione iuris communis quomodo intelligatur.*

2 *An pro disposito habeatur, quod venit ex verbis.*

DECISIO CCCCXCV.

Causa Cordubensis, de qua supra feci mentionem, decis. 481. * hoc lib. 2. iterum fuit posita, die 10. Decembris 1546. nam cum Papa concessisset Episcopo Cordubensi sex menses alternatos dubitauit D. Antonius Augustinus, an in aliis sex mensibus, censeretur Papa reseruasse collationem beneficiorum. Et ex quinque votantibus, quatuor tenuerunt quod sic. videlicet, quod Papa censeretur reseruasse sibi collationem aliorum sex mensium. nam praesupponebatur, quod Papa, stante regula reseruatoria octo mensium, vt fauore gratioso prosequeretur Episcopum, ex octo mensibus concesserat Episcopo duos menses. & sic cum antea stante dicta regula reseruatoria, Ordinarius non haberet nisi quatuor menses, addendo duos alios menses, vult remouere impedimenta quo ad illos sex menses: ergo patet quod in aliis sex mensibus, Papa noluit impedimenta remouere. Non obstat, quod mēsis Martii, non fit de illis octo reseruatis, & ideo, quo ad mēsem Martii casus sit omissus, & ita debeat manere in dispositione iuris communis, vt cum illo tempore quo beneficiū vacauit, non vigeret regula de quatuor mensibus, Ordinariis concessis, ex quo tunc expectatiuae non vigebant, quod Episcopus Cordubensis poterat dicere, ego non vtor facultate concessa Ordinariis, sed vtor iure communi, nam regula reseruatoria nō obstabat, item non erat illa regula concedens quatuor menses ordinariis, attento quod non erant expectatiuae, ergo de iure communi poterat Episcopus in mense Martio, tanquam omisso conferre. Quia fuit dictum, 1 quod † illud quod dicitur, quod casus omissus remanet in dispositione iuris cōmunis, procedit quando casus est penitus omissus, secus si sequitur ad aliquid expressum, & tacite. ex coniectura aliqua colligi potest. ad Bal. in l. vnica. colum. fin. C. de his qui an. aper. tab. Hic autem, ex verbis venit quod non possit conferre in mense Martio. ergo habetur

* Vide sup. decis. 481. hoc lib. 2.

3 habetur † pro dispoſito. ad gloſſ. in l. tale pactum. §.fin.ff.de pact. Et quod ſequatur patet. quia Papa reſeruauerat ſibi octo mẽſes. & dum poſtea gratioſe ſex menſes con cedit.ponit in fine. ita tamen vt facultate Ordinariis conceſſa non vtaris, & ſic vult & ex mente ſua eſt, quod in quatuor menſibus Ordinariis conceſſis,non conferat.Licet ergo tempore vacationis, illa regula non militaret, quia non aderant expectatiuæ; tamen ſatis ex verbis Papæ conſtat de mente,quod illos quatuor menſes concedere noluit.& ſic habetur pro diſpoſito. ad d.gloſ. in d.l. tale pactum.in fine.

SVMMARIVM.

Gratia ad vacatura facta criminoſo eſt nulla.

1 *Collatio criminoſo facta, an ſit nulla, vel annullanda, & num. 2.*

DECISIO CCCCXCVI.

IN vna Dertuſenſi Sacriſtiæ, coram D.Peregrino, die 10.Decembris 1546. fuit reſolutum, quod licet ſint opiniones, 1 an collatio † criminoſo facta,ſit nulla, vel annullanda. vt multa congerit Felin. in cap.2. de reſcriptis. tamen fuit dictum, quod gratia ad beneficia, criminoſo facta, 2 propter † odioſitatem, talis gratia eſſet nulla.vt per eundem Felin. in d.c.2.col.3. verſ. limita etiam omnia prædicta. &cæt. de reſcript. & in cap. inquiſitionis. colum. 2. verſic. ſed ad limitationem. &c. de accuſat.

SVMMARIVM.

In cauſa Tudertina bonorum, quid concluſum fuerit.

1 *Poſſeſſio clandeſtina naturalis, per ingreſſum habentis ciuilem an ſublata.*
2 *Poſſeſſorius actus an dicatur, miſſio cuſtodum.*
3 *Poſſeſſio ciuilis,an dicatur amiſſa ex recuperatione naturalis per decem annos, & num. 4.*

DECISIO CCCCXCVII.

DIe 7. Ianuarii 1547. in cauſa Tudertina bonorum,pro parte fratrum de Acquitanis, ſeu de Cęſis, propoſui dubiũ, præſuppoſito, ſine veri præiudicio, quod articulata pro parte fratrũ de Cæſis probentur, an propterea ſit ſublata poſſeſſio Dominæ Franciſcæ & litis conſortum, vt inferatur,ſequeſtrum attentatum. Et fuit reſolutum, quod quia probabatur quod Iappinus, ſeu Venantius, pater dictorum fratrum,erat poſſeſſor tenutæ de la Figarella, de annis 1516. & 1517. quòd per duos teſtes probabatur,quod Iappinus,vt domi nus,habuerat partem grani ſeminati in dicta tenuta de anno 1516. & per octo,quod Iappinus fecerat reſeruari herbam in dicto loco, & eam pro ſuis equis cuſtodiri fecerat, & poſtea dederat licẽtiam comedẽ di illam herbam animalibus hominum dicti Caſtri,quod iſti erant actus poſſeſſorii, ex quibus arguebatur ciuilis & naturalis poſſeſſio ipſius Iappini. Et licet poſtea Frãciſca,de anno 1523. ſeminaſſet illam terrã, & collegiſſet,tamen quod illa poſſeſſio naturalis, erat clandeſtina. & quod poſtea cum de anno 1526.D.Io.Iacobus de Cæſis ex permiſſione dicti Iappini, ſeminaſſet & collegiſſet, quod ex tali actu illa naturalis quæſita per Franciſcam,eſſet amiſſa. quia 1 clandeſtina naturalis, † per ingreſſum habentis ciuilem erat ſublata. ad not. in l. clam poſſidere. §. qui ad nundinas. Et licet per mortem Iappini, eſſet amiſſa illa ciuilis & naturalis Iappini, dicebatur, quod cum fratres de anno 1545. de nouo eſſent ingreſſi poſſeſſionem, quod acquiſiuerant,nullo exiſtente poſſeſſore,poſſeſſionem ciuilem, & naturalẽ. & ideo illa poſſeſſio per legatum ſequeſtrari nõ poterat. Non obſtat, quod teſtes Franciſcæ dicerẽt, quod ipſa miſit ab anno 1523. cuſtodes, qui viderent ne aliquis intraret poſſeſſionem ipſius tenutæ. quia fuit reſponſum, 2 quod talis † miſſio cuſtodũ,non dicit actũ poſſeſſorium, attento quod eſt actus clandeſtinus. Immo, cum per talem appoſitionem cuſtodum,præſumatur Franciſca certificata, & non curauerit per ſpacium decem annorum illam naturalem recuperare 3 dicitur ciuilem † ſuam amiſiſſe. per not. per Bart. & alios in l. ſi de eo. §. ſi forte. ff. de acquir.poſſeſſ. Non obſtat quod illa naturalis Franciſcæ de anno 1523.ſeparata à ciuili, non fuerit amiſſa per ingreſſum factum de anno 1526. per not. per Iaſ. in l. clam poſſidere. §. qui ad nundinas numer.14. ff. de acquir. poſſeſſ. quia reſpondetur quod Iaſon ibi loquitur in naturali iuſta. prout exemplificat,in vſufructuario, 4 & feudatario. nos autem ſumus † in naturali iniuſta, & ideo per ingreſſum habentis ciuilem,eſt amiſſa.per dictam l. clam poſſidere. §.qui ad nundinas.

SVMMARIVM.

Decis. Aegidij 62. quomodo intellecta.

1 *Ius omne, competens & competiturum, quando, & quomodo in beneficialibus censeatur deductum. & num.2.*
3 *Ius impetratum post litem introductam, an sit intimandum parti, sed quid in iure impetrato ante citationem exequutam.*

DECISIO CCCCXCVIII.

IN vna Glasquensi praeceptoriae, coram D.Prospero eadem die 7.Ianuarij 1547. fuit dictum, quod licet Aegid. dicat, decis.
1 662. quod committens † causam beneficialem, videatur non solum deducere ius quod sibi competebat tempore commissionis, sed etiam omne ius quod sibi competere poterat etiam in futurum, per text. in cap. abbate sane. de re iudicata. in 6. ta-
2 men quod illud procedit † quādo quis simpliciter committit causam, nō exprimendo certam causam in commissione, prout istud sensit Innoc. in cap. abbate. circa finem. de re iudic. & expresse Staphil. in tract. de lit.grat. & iust. fol.175.pag.1. Secus quando exprimit certam causam. Item fuit dictum, quod licet videatur deducere in cōmissione omne ius, etiam quod competere poterat, tamen si illud ius fuit impetra-
3 tum post litem introductam † cum reo, quod est ei intimandum si reus non comparuit, saltem per procuratorem. per decis. Rotae 320. * in nouis. secus tamen erat si illud ius foret impetratum ante citationē exequutam, quia dicta decis. 320. tantum loquitur quando ius fuit impetratum post litem introductam. intelligo post citationem exequutam. prout ita sentiunt rationes per decisionem allegatae.

* Alias 13 de dol. & cōtum.

SVMMARIVM.

In causa Hispalensi dimidiae portionis.

1 *De titulo colorato, quando dicatur constare ad effectum regulae de triennali.*
2 *Triennalis possessor, an teneatur iustificare titulum illius, quem dicit auctorem suum.*

DECISIO CCCCXCIX.

DIe 10. Ianuarij 1547. proposui dubium in causa Hispalensi dimidiae portionis, praesupposito quod de nullo iure Didaci constet in actis, sed tantum de resignatione facta in manibus Ordinarij per Didacum, & vigore cessionis, Franciscus de Cuesta possessionem portionis ac-
1 cepit, an constet de titulo † colorato Francisci de Vanegas, ad effectum regulae de triennali. Et fuit resolutum, quod non cōstaret de titulo colorato. nam Didacus de anno 1524. lite pendente in manibus Ordinarij cessit, & licet illa cessio esset nulla, quia lite pendente, tamē vigore illius possessionem amisit, nam constabat in actis quod Franciscus de la Cuesta, die 8.Aprilis 1525. vigore collationis sibi factae possessionem assequutus fuit. Et ideo quando postea de anno 1527. Franciscus Vanegas impetrat per obitum Gomesij, & ipse Frāciscus nolit venire ex iure Gomesij, sequitur quod ex illa impetratione, nullum titulum quaesiuerit. Si autem dicit, quod per clausulas generales vult capere ius Didaci, dicitur quod cum clausulae dicant. ex cuiuscumque persona vacet, quod oportet docere quomodo portio vacaret ex persona Didaci, ex quo non constabat de aliquo iure Didaci in actis. Nec obstat, quod ipse, tanquam triennalis possessor, non te-
2 nebatur † iustificare titulum Didaci, quem dicebat auctorem suum. quia illud esset verum, quando Didacus decessisset in possessione. sed tempore impetrationis, non ipse Didacus, sed Franciscus de la Cuesta erat in possessione, & constabat in actis, quod ad instantiam ipsius Francisci de Vanegas erat declaratum, per tres instantias nullum ius ipsi Francisco de Cuesta competere. ergo non habebat locum illud quod dicebatur, quod non tenebatur ius auctoris Didaci verificare. quia Didacus non decesserat in possessione. Item, vt illud sit verum, non solum oportet probare, quod auctor fuerit possessor, sed quod decesserit in possessione pacifica triennali. quod in isto casu probatum non erat.

SVMMARIVM.

Interruptio praescriptionis contra fideiussorem, non nocet contra principalem.

1 *Praescriptionis interruptio contra vnum ex duobus reis, an contra alium prosit.*
2 *Fideiussor licet sit aeque principaliter obligatus, an per hoc restet, quin illa obligatio dicatur accessoria.*
3 *Statutum loquens de debito, an habeat locum in debito iurato.*
Et quid si statutum auferat fidem instrumentis.

DECISIO D.

EAdem die 10. Ianuarii 1547. proposui dubium in vna Romana graui, an per petitionem factam contra fideiussores infra tẽpus sexdecim annorum, esset interrupta pręscriptio statutaria, contra ipsum principalem. * Et fuit
1 resolutum quod non. quia licet † in duobus reis, interruptio cõtra vnũ, prosit contra alium. iuxt. text. in l. fin. C. de duobus reis. tamen in reo, & fideiussore secus est. per ea quæ late ponit Balb. in tract. de præscript. in 3. par. 6. partis prin. in 4. quæst. dum concludit quod interruptio facta contra reum, non nocet fideiussori, & è contra. & ibi post Bart. in l. cum quis. §. si quis pro reo. ff. de solut. ponit duas rationes. Prima est, quia reus & fideiussor, tenentur diuersa specie obligationis. Secunda est, quia vna est principalis, altera accessoria. Non obstat, quod illud procedit vbi essemus in reo, & simplici fideinssore. sed nos sumus hic in eo qui erat æquę principaliter promiserat. nam Iulianus Lenus accipiebat granum mutuo, & promiserat restituere, & promiserat, quod suæ obligationi accederent duo. qui accesserunt, & promiserunt principaliter, & insolidum. Vnde cum fideiussores essent principaliter obligati, dicendum erat de eis, prout de duobus reis. Sed fuit respon-
2 sum, quod licet † fideiussor sit æquę principaliter obligatus, tamen per hoc non restat quin illa obligatio dicatur esse accessoria, & tenetur vt fideiussor secundum glos. in authentica. vt determinatus sit numerus. & ibi posui longam apostillam & Hippol. in rub. de fideiussor numer. 62. Non obstat, quod petendo contra fideiussorem creditor non diceretur esse negligens in petendo debitum, prout istam negligentiam considerant statuta, tam in 1. libro, quam in 4. loquentia de creditoribus non petẽtibus debitum infra sexdecim annos. quia fuit responsum, quod stante opinione pro vera, quod interruptio contra fideiussorem, non noceat principali, certe creditor fuit negligens in petendo à principali. Non obstat, quod statuta loquentia de de-
3 bito, non habeant locum † in debito iurato. quia statuta volũt, quod instrumenta non faciant fidem post sexdecim annos. & ideo cõprehendunt etiam debita iurata. Item fuit dictum, quod cum Domina Felix non dedisset infra tẽpus de quo in instrumento granum, quod licet post tempus Iulianus cõfessus fuisset recepisse granum quod Iulianus erat obligatus ex cedula, & sic alia obligatione quam illa, quæ continebatur in instrumento, & circa illam obligationem non fuerat Iulianus interpellatus. Et licet quando pro parte dominæ Felicis fuit inceptum agi contra fideiussores, infra sexdecim annos fideiussores intimassent litem principali; tamenper hoc non fuit interrupta præscriptio statutaria. ex quo non fuit facta pro parte creditoris.

* Iste idem articulus fuit secundo loco positus, die 14. Martij 1547. & fuit iterum resolutum, quod interruptio contra fideiussorem, non noceret quoad reum principalem & addit. ad Balb. in tract. præscript. in 3. parte. 6. partis principalis. in 4. quæstione. dicit, quod opinio Io. Andreæ, & Vbert. tenentium cõtrarium, erat communiter reprobata. & Vbert. & Io. Andr. loquuntur in statuto punienti neligentiã. & communis opinio habet, quod interruptio quo ad vnum non prodest quo ad aliũ. Nec obstat, quod licet inter se vnus dicatur principalis, & alter fideiussor, tamen quo ad illum cui fit promissio, omnes dicantur æque principaliter obligati. & ideo videntur duo rei, & interruptio, quo ad vnum, prosit quo ad alium. quia fuit dictum, quod semper reuera vnus est principalis, & alius fideiussor, dato quod ille vt principalis accedat. cum verba instrumẽti essent, quod fideiussor promittebat, agerę & curare, quod principalis solueret, alias volebat teneri vt principalis. & Bart. in l. si pupillus. in fin. ff. de administrat. tutor. dicit, quod lex fin. C. de duobus reis proprie loquitur in duobus reis.

SVMMARIVM.

Sententia licet non sit mandanda exequutioni contra possessorem, quando petitores se infringunt. Secus tamen erit vbi petitur, quod sola sententia feratur tur pro primo habente causam instructam. 1

DECISIO D. I.

IN vna Placentina, canonicatus & præbendæ. coram D. Reomano, die decima Ianuarii 1547. fuit dictum, quod licet lex. Is à quo. ff. de rei vend. non habeat locũ quãdo duo petitores mutuo se infringunt, & agitur de exequutione sentẽtię. per ea quæ dicit Fel. in c. cum super. col. 4. in 3. limitatione. de re iudic. quod per not. per Innocen. in cap. veniens. 2. de testibus. qui Innoc. loquitur quando agitur de exequutione sententiæ. tamen quando non ageretur de exequutione sententię, sed duo competitores agerent contra tertium possessorem, & etiam agerent ad inuicem. Tamen si primus habet causam instructam contra possessorem, & secundus qui obiecit se, non habet causam instructam, dato quod sit competitor, & litiget contra primum, tamen non potest retardare iu-

dicium quin sententia feratur pro ptimo habente causam instructam, contra possessorem.per decis. Bisign.4.de iudic. & licet Alexand. in addit. ad Bart. in l. is à quo,dicat contrarium allegando Innoc. in d.cap. veniens. Alexan. intelligendus erit prout loquitur Innoc. videlicet quando petitur exequutio fieri. & ratio, est quia quando petitur exequutio fieri, dato quod possessio sit plena, semper fit aliquod praeiudicium. Sed secus est quando petitur, vt sententia tantum contra possessorem feratur, quia nullum praeiudicium fit illi secundo.

SVMMARIVM.

Collatio facta criminoso vigore litterarum ad vacatura,quando teneat.

DECISIO D. I I.

FVit resolutum in vna Dertusensi Sacristiae, coram D.Peregrino Fabio, die 10. Ianuarij 1547. quod licet Felin. in cap. 2. colum. 3. de rescript. dicat, quod collatio facta criminoso,vigore litterarum ad vacatura, propter earum odiositatem sit nulla; tamen quod Felin. erat intelligendus secundum consilia quae allegat, videlicet consil. Calder. 20. de praebend. & consil. 4. de accusat. quando criminosus erat inquisitus, & erat graue crimen. vt puta adulterium, furtum, & homicidium. secus quando non graue crimen, sed peccatum.

SVMMARIVM.

Regulae publicatae sub die 4. Nouembris 1540. per quae verba censeatur derogatum.

1 *Regulis Cancellariae in specie est derogandum,an procedat quando praecessit derogatio aliarum regularum in specie.*

2 *Plus & minus, non facit differre speciè.*

3 *Regula Cancellariae licet vna sit pinguior altera, & habeat clausulas praegnantissimas, tamen in substantia vna non differt ab alia.*

DECISIO DXI.

PRoposui dubium in causa Leodiensi custodiae, die 14. Ianuarii 1547. An reseruationi per Sanctiss. D. N. cuidam Thomae Vander concessae, & pro parte Martini Affermans possessoris productae, obstet regula Cancellariae reuocatoria gratiarum ad vacatura, die 4. Nouembris 1540. publicata. Et sciendum est, quod Sanctissimus, die 25. Febr. 1539. publicauit regulam reuocatoriam omnium gratiarum ad vacatura, exceptis expectatiuis concessarum, & in futurum concedendarum cum clausulis derogatiuis, etiam si dictae constitutioni derogaretur, quod non intelligeretur esse derogatum. & quod si aliqua gratia in futurum emanaret, censeretur regula praedicta publicata singulis diebus post concessionem. Postea de anno 1540. sub die 4. Nouembris,publicauit aliam regulam, etiam reuocatoriam omnium gratiarum, etiam expectatiuarum, concessarum & concedendarum ad vacatura.cum protestatione, quod non valerét etiam cum derogatione praesentis constitutionis.& hoc quinquies in regula ponitur. & quod si gratia aliqua concederetur,regula haberetur pro publicata singulis diebus post concessionem. Postea de anno 1542. & sic post publicationem dictarum regularum, concessit Thomae supradicto, fratri vterino Illustrissimae D. Margaritae ab Austria, gratiam reseruae, seu mandatum de prouidendo ad summam 500. intuitu dictae Illustrissimae Dominae. & in non obstantibus, sunt posita verba infrascripta. Non obstantibus praemissis, ac nostris de non obtinendis canonicatibus & praebendis cathedralium Ecclesiarum, ante decimumquartum annum completum. & de nō acceptandis beneficiis generaliter reseruatis vel affectis, vigore gratiarum expectatiuarum. ac de idiomate. nec non alia 25. Februarii, & inseritur totus tenor dictae regulae. & postea dicit. & aliis constitutionibus,& ordinationibus Apostolicis, quarum tenores. &caet. Dubitaui ego. an per clausulam, non obstantiarum, fuisset sufficienter derogatū regulae publicatae 4. Nouembris 1540.Et fuit per omnes Dominos vnanimiter conclusum quod esset sufficienter derogatum. Et quod de mente Papae eō staret,voluisse dictae regulae derogare. nam cum derogauerit, ad effectum validitatis, tribus regulis Cancellariae,& postea derogauerit regulae reuocatoriae, publicatae sub die 25. Februarij. cum clausula. & aliis constitutionibus, quarum tenores certe satis videtur apparere de mente Papae,quod voluerit tollere omnes regulas reuo-

reuocatorias impedientes effectum ipsius gratiæ. Non obstat, quod regulis Cancellariæ sit in specie derogandum. † vt per
1 Sarnensẽ in proœmio regularum Cancellariæ. & ideo sub illis verbis, & alijs constitutionibus. non debet censeri regulis Cãcellariæ esse derogatum. quia fuit dictum quod esset verum, nisi præcederet derogatio regularum in specie facta. quia sicut illas constitutiones appellauit, ita & etiam sub appellatione aliarum constitutionum alijs regulis derogare voluit. Non obstat, quod si Papa derogauit regulæ reuocatoriæ sub die 25. Februarij, non sequebatur quod & alij derogare voluissent, maxime cum quinquies in illa regula publicata 4. Nouembris 1540. Papa protestatus fuisset etiam cum præsentis constitutionis derogatione. & sic propter geminationem constabat de enixa voluntate condentis regulam, quod illi non intendebat derogare. item, quia regula publicata de anno 1540. pinguius reuocabat, nam reuocabat etiam expectatiuas, & tamen illa sub die 25. Februarij eas non reuocabat. & ideo non videbatur bona illatio de vna ad aliam. Quia ad omnia ista fuit respon-
2 sum, quod plus & minus † non faciunt differre in substantia. l. fin. ff. de fund. instruct. Vnde, licet vna regula pinguius reuocaret quam alia, & clausulas præseruatiuas prægnantissimas haberet, tamen in
3 substantia † non differebat ab alia. & semper dicebatur regula reuocatoria. Vnde cum esset derogatum regulæ reuocatoriæ, sub die 25. Februarij, & alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cum clausula. quorum tenores. &cæt. sequebatur quod alijs regulis reuocatorijs derogatum censebatur. Et per hoc etiam respõdebatur dum dicebatur, quod dictio. & alijs constitutionibus. non comprehendebat constitutiones maiores expressis. nam dicebatur quod quantumcumque haberet clausulas fortiores, per hoc in substantia non erat maior expressa. quia etiam erat reuocatória. Item, cum diceretur. & alijs constitutionibus, quarum tenores. &cæt. illa regula habebatur pro expressa. maxime cum ad aliam constitutionem illa verba. & alijs constitutionibus referri. non poterant, & si aliæ constitutiones reuocatoriæ non venirent frustra fuisset per Papam derogatum regulæ, sub die 25. Februarij. Ne ergo actus dicatur frustratorius, dicendum erat, quod aliis constitutionibus reuocatoriis, ex mente Papæ censeretur derogatum.

SVMMARIVM.

Priuilegia Scriptorum Apostolicorum circa acceptationem beneficij in mensibus ordinarijs, quomodo intellecta.

DECISIO DIV.

IN vna Calaguritana canonicatus de lo Grogno, coram D. Fabio, die 14. Ianuarii 1547. fuit conclusum, quod priuilegia Scriptorum Apostolicorum, in illis verbis. quodque singuli scriptores. &cæt. in quibus eis videtur concedi, vt possint acceptare vnum, non reseruatum, nec affectum, in mensibus ordinariis, intelligeretur de vno regulari non autem de seculari. Ratio fuit, quia in parte præcedenti, videlicet in versic. ipsique scriptores. in quo datur eis facultas expediendi ad tres collationes, & ad tria beneficia, dum loquitur de secularibus, dicit. ac ipsæ secularia canonicatus, & præbendæ, dignitates, non tamen maiores. &cæt. & non loquitur de secularibus reseruatis. dum loquitur de regulari, dicit ac regulare prioratus, præpositura, administratio, vel officium, seu alias vt præfertur reseruatum, & qualificatum. &cæt. & postea in versiculo sequenti, quodque singuli scriptores dum dicit, quod possunt acceptare vigore gratiarum concessarum, & concedendarum vnum ex secularibus, aut regulare beneficia huiusmodi. & si, vt præfertur, reseruatum, seu affectum, & aliter qualitercumque qualificatum fuerit, aut etiam nec reseruatum, nec affectum extiterit, omnia ista verba determinãt illud nomen regulare, ex eo quia dicit. vt præfertur reseruatum. & tamen in parte superiori non dixit, nisi de regulari reseruato, non autem de seculari reseruato. & etiam istum sensum innuunt verba postea sequentia. Et ratio potest esse, quia ex quo non granat ordinarios regulares, nisi in vno regulari ex tribus, voluit etiam eos grauare in mense ordinario, quod secus est in secularibus. ex quo grauat ordinarios in duobus, noluit eos grauare in in mensibus ordinariis.

*

SVMMARIVM.

Appellatio extraiudicialis informiter interposita, seu intimata, an deuoluat quo ad appellantem, appellato volente, tantum ad effectum, vt beneficium non declarata voluntate appellati quod velit causam esse deuolutam, sit interim litigiosum.

1 *Appellatio interposita per eum quem non apparebat esse procuratorem, an deuoluat appellato nolente. & num. 4. & 6.*
2 *Appellatio informiter intimata in praeiudicium appellantis, an statim causam ad Curiam deuoluat.*
3 *Beneficium an efficiatur litigiosum quo ad appellantem informiter, appellato non prosequente causam appellationis.*
Beneficium efficitur litigiosum respectu obtinentis decretum citationis ante exequutionem illius.
5 *Appellatio an debeat appellato formiter intimari ita quod aliter non deuoluat.*

DECISIO CCCCCV.

IN vna Salamantina portionis, casus
erat, quod appellatio extraiudicialis
erat informiter interposita. quia ille qui
appellationem interposuerat, licet haberet
mandatum, tamen de eius mandato, tempore
appellationis interpositae, non constabat.
Dubitauit ergo D. Fabius causae
Auditor, die 19. Ianuarij 1547. praesupposita
deuolutione ex parte appellantis,
1 an intelligatur, † appellato volẽte. Et maior
pars inclinabat, quod intelligeretur
appellato volente. * per ea quae dicit Bonifacius
in Clem. causam. in 6. opposit. &
in 7. opposit. in versic. conclude. de elect.
vbi videtur sentire, quod ita demum deuolutio
fiat, si appellatus voluerit. & dicebatur,
quod idem dicebat Imol. in dicta
Clem. causam. in discursu lecturae.
Sed pro alia parte dicebatur, quod appel-
2 latio informiter † intimata, in praeiudiciũ
appellantis statim causam ad Curiam deuoluebat.
secundum decis. Aegidij 173. &
ideo poterat appellatus quandocumque
causam in Curia prosequi. vt etiam sensit
glos. in dicta Clem. causam. in verbo
deuoluta. in fin. de elect. Et ideo, quia causa
in praeiudicium appellantis erat deuoluta,
dato quod appellatus non proseque-
3 retur causam in Curia, dicebatur † beneficium
fecisse sibi litigiosum, ex quo ipse
sibimet litem intulerat. sicuti dicimus de
obtinente decretum citationis ante exequutionem,
vt respectu committentis beneficium
diceretur litigiosum, quamuis
exequutio non esset facta secundum notorias
decisiones nostras. & illud quod dicitur,
quod appellatio non formiter intimata,
deuoluit causam volente appellato,
intelligitur in praeiudicium appellati.
nam si appellatus vult, quod appellatio
non legitime interposita seu intimata, deuoluat.
profecto deuoluet non solum in
praeiudicium appellantis, sed etiam appellati.
Quando ergo DD. dicunt quod
appellatio non legitime interposita, seu
intimata, deuoluit in praeiudicium appel-
4 lantis, necessariũ † est dicere quod ipsi intelligant
etiam appellato ignorante. quia
quandocumque habuerit notitiam appellatus
de illa appellatione interposita, poterit
illam in Curia prosequi. & istud est
quod dicit Bonifacius in dicta Clem. causam.
dum dicit, quod appellato volente poterit
illam prosequi. & sic respicit prosequutionem.
ergo oportet quod antea illa
appellatio esset deuoluta. prout ipsemet
Bonifacius dicit ibidem. in fin. 6. opposit.
dum dicit. quo ad appellantem statim erit
deuoluta. Et pro ista parte facit decis. 38.
in nouis. * vbi dicit quod ante Clem. causam.
quo ad appellantem deuoluta erat causa.
qui tenebatur ire, vel mittere procuratorem.
Clem. aũt causam. solum prouidit
appellato. & ideo deuolutio quo ad ipsum
appellantem non tollitur per dictã Clem.
causam. quia appellans extraiudicialiter
per dictam appellationem, se ipsum citabat.
quae citatio informiter facta licet praeiudicaret
appellanti, tamen per dictam
Clem. causam. non praeiudicabat appellato,
in cuius fauorem fuit dicta Clem. introducta.
ergo non debet retorqueri in
eius odium. Et ideo dum dicebatur, quod
5 pro forma † erat introductũ, vt intimatio
appellationis formiter fieret. aliter appellatio
non deuoluebat, vt patet in d. Clem.
causam. in §. intimatio. quia respondebatur,
quod illud erat in fauorem appellati.
respectu autem appellantis nil erat innouatum.
secundum dictam decis. Rotae 38.
in * nou. Et ideo istis visis, dixerunt Domini,
quod causa iterũ proponeretur, quia
aliqui ex illis qui inclinabant pro prima
parte, inceperunt dubitare. & sic non fuit
in illa audientia resolutum.

Vigesimaoctaua Ianuarij 1547. causa
iterum posita, illi quatuor Domini persti-
6 terunt in illa opinione, † quod causa non
esset deuoluta, nisi appellato volente. per
dictum Bonifacij. D. Peregrinus, & ego,
fuimus in oppositum, quod in praeiudicium
appellantis esset deuoluta.

* Quod non deuoluatur, nisi appellato volẽte, facit decis. 768. in antiq. alias 58. de appellat.

* Alias 1. de elect.

* Alias 1. de elect.

SVMMARIVM.

Filiatio quomodo probetur, & quasi possessio filiationis ex quibus probetur.

1 *Filiatio an probetur publica voce, & fama sine adminiculis. & nu.2. & 4.*
3 *Quid in filiatione de antiquo.*
Filiatio de antiquo quæ dicatur ad effectũ, faciendi probationes.
5 *Filiationis probatio vno modo est facienda, quando agitur de successione patris, alio quando agitur de successione matris.*

DECISIO DVI.

Vigesimaquarta Ian. 1547. in causa Anagnina castri Scorculæ, proposui dubium. præsupposito, quod testes pro parte D. Honorati examinati, dicant quod D. Honoratus fuit reputatus filius legitimus Io. Felicis, & Magdalenæ & maxime in loco Carpineti, in quo Io. Felix, & Magdalena cohabitabant, ac mortui & sepulti sunt. & vnus ex eis dicat vltra reputationẽ aliorum, quod Io. Felix, Honoratũ pro filio legitimo reputabat. An ex depositione huiusmodi, probetur quod D. Honoratus sit filius Io. Felicis, ad effectum successionis super spolio. & attento quod agitur de filiatione vltra sexaginta annos. Et fuit resolutũ, * quod filiatio probaretur. nam licet communis vox, & fama, † sine alijs adminiculis non probet filiationem, vt per Dec. in c. per tuas. de probat. Salic. in l. 3. de testib. Ias. in l. neque professio. C. de testamen. Aleiat. in tractat. præsumptionib. Tamen fuit dictum, quod illud procedit vbi † tractatur de filiatione de recenti, secus vbi tractatur de filiatione antiquata, vt quasi memoria haberi non possit. secundum Salicet. in d. l. 3. in princ. in 3. colum. ff. de testib. Cum igitur hic ageretur de filiatione vltra sexaginta annos, dicebatur esse filiatio ita antiquata, vt quasi memoria haberi non possit, & propter ista verba, Salicet. ibi videtur capere † filiationem antiquatam, non propriè pro tempore centum annorum. sed vbi sumus in tempore, in quo cum difficultate memoria haberi possit. Item dicebatur, quod hic etiam erant adminicula. nam erat vnus testis, quod Io. Felix reputabat illum pro filio, & sic cum communi voce erat tractatus. & licet dictum vnius esset, tamen erat saltem semiplena probatio, vel saltem adminiculum. aliud etiam adminiculum. quia Honoratus cohabitabant cum Io. Felice. & sic ista satis erant prò adminiculis. Et dicebatur, quod Honoratus, patiendo quod Io. Felix, eum vt filium tractaret, ex illa patientia satis inducebatur, quod Honoratus Io. Felicem, vt patrem haberet, cum ista essent correllatiua. Item dicebatur, quod hic videbatur adduci filiatio non principaliter, 4 sed incidenter. quo casu † per famam probatur filiatio. vt dicit Ias. in l. neque professio. C. de testam. Item, quod ex quo agebatur indicio possessorio, quod eramus quasi in præparatorijs indicij, non autem in decisorijs. quo casu etiam sufficit communis fama. vt per Ias. in d. l. neque professio. Sed ista duo vltima fundamenta non multum mihi placent. & licet Gozad. dicat in cons. 13. quod non omnia articulata per Bart. in d. l. filium diffinimus. non sunt necessaria copulatiue ad probandum filiationem. prout alia consilia ibi posui in addit. ad eum. tamen per ea quæ supra dixi, & ponit Alciat. in d. tract. præsumpt. sola fama non probat filiationem. Et aduerte ad vnum, quod dicit Salicet. in l. quotiens. ff. de probat. quod vno modo 5 probatio † filiationis est facienda quando agitur de successione patris vel generis, alio modo quando agitur de successione matris, & cognationis.

* Carolus Ruinus consil. 51. circa casũ. col. 4. vers. nec iouat quod ipse probauerit. &c. vol. 5. & col. 9. vers. & ad minus istorum probatio. &c. & late ponit in cõs. seq. incipienti. in causa & lite & in cons. 53. ex pluribus. &c. eod. vol. 5.

SVMMARIVM.

Prælatus solus, quando possit Ecclesiæ præiudicare, vt non habeat locum Paulina.

1 *Prælatus in acquirendis, potest præiudicare Ecclesiæ.*
Potest repudiare hæreditatem.
2 *Aditio hæreditatis, quæ fit non ad finem habendi, sed animo renunciandi, non est habenda in consideratione.*

DECISIO DVII.

Hospitale mortis de Bononia, post denunciationem sibi factam ab Antonio Maria de Papazonibus, quod ius sibi competeret super tali hæreditate, & promittendo dare eidem hospitali iura super dicto iure spectantia, confidens in ipso Antonio Maria, quod litem expensis suis prosequeretur super dicta hæreditate contra eam detinentes, cessit iura sua in fauorem dicti Antonii Mariæ. cum hoc, quod in euentum in quem sententiã obtineret, teneretur Antonius Maria, certã partem, forte dimidiã, bonorũ ipsi hospitali dare. ve-

ueniens ad causam Antonius Maria pro parte detinentium bona, fuit oppositum quod cessio esset nulla, & ei obstaret Paulina. & ideo D.Fabius in vna Bononiensi de Papazonibus, dubitauit, die 24.Ianuarii 1547. An huiusmodi cessioni obstaret Paulina. Et maior pars voluit, quod
1 non. quia † Prælatus solus potest hæreditatem, & legatum repudiare, & in acquirendis præiudicare Ecclesiæ. vt per Iason. late in l.legatum de legat.1.si poterat præiudicare, ergo solennitas aliqua non erat necessaria, vt ibi per Iason. Non obstat, quod Hospitale, cedendo iura sibi competentia, videretur hæreditatem adire, vt per Ruinum cons.170. colum.2. in 1. vol. & ideo non eramus in acquirendo, sed in iam quæsito, & ideo Prælatus non poterat præiudicare. quia fuit responsum
2 quod † aditio quæ fit non ad finem habendi, sed alteri renunciandi non est in consideratione, prout notabiliter consuluit Socin. consil. 53. num. 17. volum. 4. Vnde dicebant isti Domini, si acceptando, & in fauorem alterius renunciando Prælatus, Ecclesię potest præiudicare, tanto magis in casu isto. in quo medietas cedebat in euentum victoriæ, expensis Antonii Mariæ habendæ, in fauorem Hospitalis.

SVMMARIVM.

Mors probatur per publicam vocem, & ea stante beneficium deuoluitur.

DECISIO

D. VIII.

IN vna Eugubina præpositura, coram D. Prospero, die 24. Ianuarii 1547. maior pars tenuit, quod mors eius, qui decesserat in loco longinquo, probaretur per publicam vocem, & famam. per ea quæ dicit Salicet. in l. siquidem. C. de solut. matrim. & Bart. in l.2. §. sed si dubitetur. ff. quemad. test. aperian. Quo casu, stante publica voce & fama in loco, si Ordinarius infra sex menses de beneficio non prouidit, beneficium deuoluitur. per dec.Aegidii 660. & 158. in fine.

SVMMARIVM.

In causa Hispalensi dimidiæ portionis.

DECISIO

D. IX.

DVbitaui ego in causa Hispalensi dimidiæ portionis, pro Alphõso de Agnaia, contra Franciscum Vanegas, die 28. Ianuarij 1547. An ex nouissime productis pro parte Francisci Vanegas, constet de titulo colorato ipsius, vt sibi suffragetur regula de triennali. nam alias Rota resoluerat, quod ex quo non constabat in actis de aliquo iure Didaci, quod Franciscus Vanegas, nec in impetratione per obitum Gometij, nec in cessione facta in fauorem suum per Ferdinandum Soler, non poterat capere, per clausulas generales ius vacans ex persona Didaci. ex quo non constabat de aliquo iure Didaci. Ad remouendum hanc resolutionem, pro parte Fräcisci Vanegas fuit producta quædam noua prouisio, pro parte Didaci impetrata de tempore Adriani, ad docendum de aliquo iure Didaci, vt illud per clausulas generales posset capi. Tamen fuit dictum, quod licet Gometius commisisset causam, & vigore illius, Didacus fuisset citatus, quod ex quo litteris non confectis citatio fuerit exequuta, quod respectu Didaci citati, nulla erat lis, & ideo Didacus de anno 1524. in manibus Ordinarij potuerat beneficium resignare in fauorem Francisci de la Cuesta, & si illa resignatio tenebat de anno 1526. & 27. quando Franciscus impetrat per cessionem in eum factam, & per obitum Gomesii per clausulas generales, non potuit capere ius Didaci, ex quo illud ius, erat translatum in personam Francisci de la Cuesta, & sic nil ex persona Didaci vacabat.

SVMMARIVM.

Priuilegium de decimis non soluendis datum Cistercensibus, quomodo intellectum.

1 *Priuilegiũ de non soluendis decimis, quando non extendatur ad colonos. & n.2.*

DECI-

DECISIO

D X.

EAdem die,in vna Burgensi decimarum pro Abbatissa & monialibus Monasterii de las Huelgas, contra Ioannem de Santa Cruce,proposui dubium, an stante priuilegio Sixti nouissime producto, terræ de quibus agitur sint exemptæ à præstatione decimarum. & supponitur in facto, quod moniales dicti Monasterii Ordinis Cisterciensis, habent multas terras in loco de Seepar, quas dant colendas hominibus illius loci ad censum annuum. nam illi homines pro illis terris, siue multum siue parum colligitur dant certum censum. Verba priuilegii dati Fratribus Cisterciensibus sunt sequentia. Et nihilominus pro potiori cautela Abbatum Cisterciensium,omnes, & singulos Abbates, Priores, Abbatissas, nec non omnia, & singula monasteria, præsentia & futura, vbilibet existentia, singularesq; personas dicti Ordinis à præstatione decimarum, tam de possessionibus habitis ante & post Concilium prædictum, acquisitis & acquirendis, quæ proprijs sumptibus excolunt. & excolent, quam alias, quomodocumque & qualitercumque excolantur, etiam de illis possessionibus, de quibus aliquis hactenus decimas percepit.&cæt. Dubitaui ego propter dicta verba priuilegii, an terræ essent exemptæ. Et fuit resolutum quod non. quia priuilegium non eximit res, sed personas monialium & tunc manet firma conclusio vt obtinentes dictas terras, teneantur ad solutionẽ decimarum. Priuilegia enim
1 personalia,† non extenduntur ad colonos. Abb. & alii, in cap. ex parte. & seqq. de decimis glos. & DD. in cap. 1. in verbo excolendas. de decim. Abb.cons. 9. vol. 1. Rot. decis. 4. de priuileg. in antiq. alias num. 876. Bisign. decis. 1. de decim. Et pro ista parte, quod moniales non te-
2 neantur, sed coloni, † & censuarii teneantur. est glos. in Clemen. 1. in verbo, excolendas. in fin. de decim. & ibi Cardin. questio. 13.

*

SVMMARIVM.

Indultum Cardinalis Rodulphi de conferendis beneficijs, etiam per cessionem in manibus Papæ, quomodo intellectum.

1 *Cessio beneficij facta in fauorem certæ personæ, nunquam comprehenditur in gratia facta per cessum.*
2 *Resignatio facta in fauorem certæ personæ quæ dicatur.*
3 *Correspectiua an dicantur omnia quæ in eadem supplicatione fiunt.*

DECISIO

D. X I.

INdultum Cardinalis Rodulphi de conferendis beneficiis, etiam si in Curia per promotionem, amissionem, vel quamcumque dimissionem, etiam in manibus nostris,in vna Fanensi, & Firmana prioratuum, coram D.Prospero, die 28. Ianuarii 1547. fuit intellectum, quando beneficium vacat per cessionem, in manibus Papæ simpliciter factam. secus si cessio fa-
1 cta foret † in fauorem certæ personæ. quo casu, nisi in fauorem illius admitteretur, beneficium non dicitur vacare.

Et in eadem fuit dictum, quod quando in eadem supplicatione, vnus resignat, &
2 alter supplicat, quod dicitur † resignatio facta in fauorem * certæ personæ. quia
3 ex quo sunt in eadem supplicatione, videntur † omnia correspectiue facta. ad not. per Felin. in cap. pastoralis. de rescript.

* Resignatio in fauorẽ certæ personæ quando dicatur.

SVMMARIVM.

Mandatum ad consentiendum reseruationi pensionis quomodo intellectum.

1 *Clausula transferendi pensiones, an reputetur impossibilis.*
2 *Sub generalitate verborum, an veniat illud, quod est insolitum, & arduum.*
Mandatum speciale requirens, si exprimatur, non per hoc sub generalitate venit insolitum & arduum.
3 *Mandatum ad obligandum principalem cum quibusuis clausulis, quomodo intelligatur.*

4 Clau-

veniens ad causam Antonius Maria pro parte detinentium bona, fuit oppositum, quod cessio esset nulla, & ei obstaret Paulina. & ideo D.Fabius in vna Bononiensi de Papazonibus, dubitauit, die 24.Ianuarii 1547. An huiusmodi cessioni obstaret Paulina. Et maior pars voluit, quod
1 non. quia † Prælatus solus potest hæreditatem, & legatum repudiare, & in acquirendis præiudicare Ecclesiæ. vt per Iason. late in l.legatum de legat.1.si poterat præiudicare, ergo solennitas aliqua non erat necessaria, vt ibi per Iason. Non obstat, quod Hospitale, cedendo iura sibi competentia, videretur hæreditatem adire, vt per Ruinum cons.170. colum.2. in 1. vol. & ideo non eramus in acquirendo, sed in iam quæsito, & ideo Prælatus non poterat præiudicare. quia fuit responsum,
2 quod † aditio quæ fit non ad finem habendi, sed alteri renunciandi non est in consideratione, prout notabiliter consuluit Socin. consil. 53. num. 17. volum. 4. Vnde dicebant isti Domini, si acceptando, & in fauorem alterius renunciando Prælatus, Ecclesię potest præiudicare, tanto magis in casu isto. in quo medietas cedebat in euentum victoriæ, expensis Antonii Mariæ habendæ, in fauorem Hospitalis.

SVMMARIVM.

Mors probatur per publicam vocem, & ea stante beneficium deuoluitur.

DECISIO D. VIII.

IN vna Eugubina præpositura, coram D. Prospero, die 24. Ianuarii 1547. maior pars tenuit, quod mors eius, qui decesserat in loco longinquo, probaretur per publicam vocem, & famam. per ea quæ dicit Salicet. in l. siquidem. C. solut. matrim. & Bart. in l.2. §. sed si dubitetur. ff. quemad. test. aperian. Quo casu, stante publica voce & fama in loco, si Ordinarius infra sex menses de beneficio non prouidit, beneficium deuoluitur. per dec.Aegidii 660. & 128. in fine.

SVMMARIVM.

In causa Hispalensi dimidiæ portionis.

DECISIO D. IX.

DVbitaui ego in causa Hispalensi dimidiæ portionis, pro Alphōso de Agnaia, contra Franciscum Vanegas, die 28. Ianuarij 1547. An ex nouissime productis pro parte Francisci Vanegas, constet de titulo colorato ipsius, vt sibi suffragetur regula de triennali. nam alias Rota resoluerat, quod ex quo non constabat in actis de aliquo iure Didaci, quod Franciscus Vanegas, nec in impetratione per obitum Gometij, nec in cessione facta in fauorem suum per Ferdinandum Soler, non poterat capere, per clausulas generales ius vacans ex persona Didaci. ex quo non constabat de aliquo iure Didaci. Ad remouendum hanc resolutionem, pro parte Frācisci Vanegas fuit producta quædam noua prouisio, pro parte Didaci impetrata de tempore Adriani, ad docendum de aliquo iure Didaci, vt illud per clausulas generales posset capi. Tamen fuit dictum, quod licet Gometius commisisset causam, & vigore illius, Didacus fuisset citatus, quod ex quo litteris non confectis citatio fuerit exequuta, quod respectu Didaci citati, nulla erat lis, & ideo Didacus de anno 1524. in manibus Ordinarij potuerat beneficium resignare in fauorem Francisci de la Cuesta, & si illa resignatio tenebat de anno 1526. & 27. quando Franciscus impetrat per cessionem in eum factam, & per obitum Gomesii per clausulas generales, non potuit capere ius Didaci, ex quo illud ius, erat translatum in personam Francisci de la Cuesta, & sic nil ex persona Didaci vacabat.

SVMMARIVM.

Priuilegium de decimis non soluendis datum Cisterciensibus, quomodo intellectum.

1 *Priuilegiū de non soluendis decimis, quando non extendatur ad colonos. & n.2.*

DECI-

DECISIO D X.

EAdem die, in vna Burgensi decimarum pro Abbatissa & monialibus Monasterii de las Huelgas, contra Ioannem de Santa Cruce, proposui dubium, an stante priuilegio Sixti nouissime producto, terræ de quibus agitur sint exemptæ à præstatione decimarum. & supponitur in facto, quod moniales dicti Monasterii Ordinis Cistercienfis, habent multas terras in loco de Steepar, quas dant colendas hominibus illius loci ad censum annuum. nam illi homines pro illis terris, siue multum siue parum colligitur dant certum censum. Verba priuilegii dati Fratribus Cisterciensibus sunt sequentia. Et nihilominus pro potiori cantela Abbatum Cisterciensium, omnes, & singulos Abbates, Priores, Abbatissas, nec non omnia, & singula monasteria, præsentia & futura, vbilibet existentia, singularesq; personas dicti Ordinis à præstatione decimarum, tam de possessionibus habitis ante & post Concilium prædictum, acquisitis & acquirendis, quæ proprijs sumptibus excolunt, & excolent, quam alias, quomodocumque & qualitercumque excolantur, etiam de illis possessionibus, de quibus aliquis hactenus decimas percepit. &cæt. Dubitaui ego propter dicta verba priuilegii, an terræ essent exēptæ. Et fuit resolutum quod non. quia priuilegium non eximit res, sed personas monialium & tunc manet firma conclusio vt obtinentes dictas terras, teneantur ad solutionē decimarum. Priuilegia enim
1 personalia, † non extenduntur ad colonos. Abb. & alii, in cap. ex parte. & seqq. de decimis glos. & DD. in cap. 1. in verbo excolendas. de decim. Abb. cons. 9. vol. 1. Rot. decis. 4. de priuileg. in antiq. alias num. 876. Bisign. decis. 1. de decim. Et pro ista parte, quod moniales non te-
2 neantur, sed coloni, † & censuarii teneantur. est glos. in Clemen. 1. in verbo, excolendas. in fin. de decim. & ibi Cardin. questio. 23.

*

SVMMARIVM.

Indultum Cardinalis Rodulphi de conferendis beneficijs, etiam per cessionem in manibus Papæ, quomodo intellectum.

1 *Cessio beneficij facta in fauorem certæ personæ, nunquam comprehenditur in gratia facta per cessum.*
2 *Resignatio facta in fauorem certæ personæ quæ dicatur.*
3 *Correspectiua an dicantur omnia quæ in eadem supplicatione fiunt.*

DECISIO D. XI.

INdultum Cardinalis Rodulphi de conferendis beneficiis, etiam si in Curia per promotionem, amissionem, vel quamcumque dimissionem, etiam in manibus nostris, in vna Fanensi, & Firmana prioratuum, coram D. Prospero, die 28. Ianuarii 1547. fuit intellectum, quando beneficium vacat per cessionem, in manibus Papæ simpliciter factam. secus si cessio fa-
1 cta foret † in fauorem certæ personæ. quo casu, nisi in fauorem illius admitteretur, beneficium non dicitur vacare.

Et in eadem fuit dictum, quod quando in eadem supplicatione, vnus resignat, &
2 alter supplicat, quod dicitur † resignatio facta in fauorem * certæ personæ. quia
3 ex quo sunt in eadem supplicatione, videntur † omnia correspectiue facta. ad not. per Felin. in cap. pastoralis. de rescript.

* Resignatio in fauorē certæ personæ quando dicatur.

SVMMARIVM.

Mandatum ad consentiendum reseruationi pensionis quomodo intellectum.

1 *Clausula transferendi pensiones, an reputetur impossibilis.*
2 *Sub generalitate verborum, an veniat illud, quod est insolitum, & arduum.*
Mandatum speciale requirens, si exprimatur, non per hoc sub generalitate venit insolitum & arduum.
3 *Mandatum ad obligandum principalem cum quibusuis clausulis, quomodo intelligatur.*

4 Clau-

4 *Clausula in mandato, scilicet, & generaliter omnia, &c. importat generalem cum libera.*

DECISIO

DXII.

IN vna Compostellana parochialis de Aldea Nueua, in qua Didacus constituerat procuratorem, ad consentiendum reseruationi pensionis annuæ, in fauorem Petri 160. ducatorum, super fructibus dictæ parochialis, & aliorum beneficiorum sub pœnis & censuris, in similibus apponi solitis & consuetis, seu quibus procuratori visum foret, & placeret. & etiam dicebatur in dicto mandato. & cum quibusuis alijs decretis, vinculis, obligationibus, & clausulis, quibus procuratori visum fuerit, & placebit. & generaliter omnia alia, & singula faciendi, quæ ipsemet dominus constituens faceret, & facere posset si præmissis, omnibus & singulis, præsens & personaliter interesset. etiam si talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale, quam præsentibus est expressum. Vigore istius, mandati procurator consensit reseruationi pensionis 160. ducatorum liberæ & exemptæ. &c. Item, quod nisi infra mensem solueret post decursum terminum, quod esset locus regressui ob non solutionem. Item, consensit clausulæ transferendi. Fuit dubitatum per D. Antoniū Augustinum, die 28. Ianuarii 1547. An vigore suprascripti mandati, potuerit procurator consentire reseruationi pensionis cū dictis clausulis. Et fuit dictum, quod quo ad reseruationem pensionis, liberæ & exemptæ. &c. quod quia talis clausula est solita concedi, quod procurator potuisset pensioni liberę & exemptæ consensisse. argumento l. vel vniuersorum. Item, quo ad illam clausulam. quod nisi infra mensem solueret quod esset locus regressui, quod etiam potuit procurator consentire. nam licet mandatum diceret. sub pœnis & censuris, solitis & consuetis. & ideo vigore talis clausulæ non potuisset, tamen aderat alia clausula, prout ipsi procuratori visum fuerit. & cū clausulis & decretis pro vt visum fuerit. & ideo procurator non male fecit, postquam beneficium à manu resignantis capiebat, principalem suum obligare, etiam abbreniando terminum consuetum. quia qui vult soluere, debet se bene obligare. Sed fuit dictum, quod quo ad clausulam transferendi, non habebat mandatum. tum quia hodie talis clausu-

1 la † reputatur impossibilis. argumento not. in l. apud Iulianum. § constat. de legat. 1. & ideo expressis aliquibus, etiam
2 mandatum speciale requirentibus, † non venit sub generalitate illud, quod est insolitum, & arduum. vt dicit Franc. in c. qui ad agendum. §. sed si aliquis. de procurat. in 6. tum quia, mandatum dabat quod posset consentire reseruationi pensionis 160. ducatorum in fauorem Petri. & in eius fauorem procuratori dabat licentiam
3 eum obligandi, cum quibusuis † clausulis & decretis. & sic cum ijs quæ sunt ad roborandum obligationem. sed cum clausula transferendi, habeat nouam reseruationem in fauorem alterius, ad istud, mandatum non se extendebat. clausula autem
4 illa. & generaliter † omnia alia. &c. licet importaret generalem cum libera, tamen restringitur, in præmissis & circa præmissa.

SVMMARIVM.

Mandata plura eodē die, & coram eodem notario, & testibus facta, quo casu iudicata simoniaca.

DECISIO

DXIII.

PEtrus Ramires habebat regressum ad quandam portionem per decessum Didaci. Didacus dedit mandatum de resignando in fauorem Iuliani. & eadem die, coram eodem notario & testibus, Iulianus dedit mandatum ad retrocedendū. eadem etiam die, coram eodem notario & testibus, Didacus dedit mandatum ad consentiendum regressui in fauorem Iuliani. Mortuo Didaco, Petrus Ramires volebat locum esse regressui. Iulianus vero, vigore resignationis volebat, excludere Petrum. Fuit dictum, quod illa resignatio, esset simoniaca, propter illa mandata eadem die facta. Et licet Rota pluries, propter multitudinem mandatorum quæ eo modo fiunt, recusauerit iudicare pro simonia, tamen isto casu, voluit iudicandum fore dictam resignationem simoniacam. ne vigore resignationis simoniacæ, regressus Petri Ramirez obnubilaretur, & ei clarum ius tolleretur.

SVM-

SVMMARIVM.

Statutum Hispalense de filijs reconciliatorum, quomodo intellectum.

1 *Statutum loquens de nepotibus hæreticorum reconciliatorum, contra ius commune.*
Filius pro patre puniri non debet.
Pœna hæreticorum coacte reconciliatorũ in partibus Hispaniæ, vocata San Benitto.
2 *Hæretici reconciliati coacte post reconciliationem, an iterum carcerentur.*
3 *Pœna semper minoratur in sponte confessis.*

DECISIO DXIV.

IN vna Hispalensi portionis, coram D. Peregrino, die 28. Ianuarii 1547. Dubitauit ipse, An statutum loquens de nepotibus hæreticorum, seu reconciliatorum, habeat locum in reconciliato sponte confesso, promissa sibi venia. Et fuit resolutum quod non haberet locum, quia hu-
1 iusmodi statutum † est exorbitans à iure communi. vt patet in c. statutum. il 2. de hæretic. in 6. Item, est contra omne ius, vt filius puniatur pro patre. & ideo strictissime erat intelligendum. puta in eo reconciliato, qui præcedente accusatione & coacte reconciliatur, & cui imponitur pœna publica, cum vestibus, & insignijs turpibus, vulgariter nuncupatus in partibus illis, San Benito. Et istud est, ne alij canonici, ex memoria istarum, quæ retinentur in Ecclesiis publice, infamentur, & quodammodo etiam dedecorentur. & quia
2 huiusmodi reconciliati, † etiam post reconciliationem iterum carcerantur. vt ponit Archid. in c. vt commissi. Sed in reconciliatis tempore gratiæ, cessabant istæ pœnæ. ergo de eis statutum nõ debebat intelligi.
3 tum etiam, quia in sponte † confessis, semper pœna minoratur. Imol. conf. 109. Marsil. in pract. caus. crimin. §. postquam. nu. 15. & in l. 1. §. diuus. num. 15. de quæst. Paris de Puteo in tract. syndicat. char. 108. vers. sequitur quotidiana. prout latius in informatione deductum fuit.

SVMMARIVM.

Attentata per assertum procuratorem facta, quomodo sint purganda.

DECISIO DXV.

ATtentata per assertum procuratorem facta, sunt purganda quo ad processum & reliqua. vt per Aegid. decis. 551. Ita fuit resolutum 31. Ianuarii 1547. in vna Gerundensi Camerariæ, pro Vincentio Bassa, contra Bernardum Capellet.

SVMMARIVM.

Lis, quanto tempore iudicata pro derelicta.

DECISIO DXVI.

IN vna Compostellana canonicatus & præbendæ, coram D. Peregrino, in qua aderat citatio exequuta, tamen non fuerat reproducta lis, quę resultabat ex dicta citatione exequuta iuxta terminos Clemen. 2. vt lit. pendent. fuit habita pro derelicta. ex quo spatio triginta aut trigintaseptem annorum, ille ad cuius instantiam fuerat exequuta, tacuerat. ad decis. 3. vt lit. pend. per Cassad.

***

Finis Libri Secundi.

IACOBI PVTEI DECISIONVM.

LIBER TERTIVS.

SVMMARIVM.

Salarium non conuentum, non debetur, etiam quod prædecessores, & successores essent soliti salarium dare.

1 *Officialis, an videatur locare operas suas iuxta, & secundum consuetudinem. Et an debeat habere salarium consuetum dari officialibus similia officia exercentibus, & num. 2. & 3.*

DECISIO I.

IN vna Zamorensi Salarij proposui dubium, die 31. Ianuarij 1547. presupposito, quod Gũdisaluus, esset solitus locare operas suas, non tamen probetur, quod Antonius Episcopus esset solitus conducere, licet prædecessores Antonij, & eius successores consueuerint suis Vicarijs dare salarium, vltra iura Audientiæ. An Antonius teneatur ad salarium, attento, quod Gundisaluus percepit iura huiusmodi, ascendentia ad ducat. tercentũ. Et fuit resolutũ per cons. Federic. 218. in fin. & Alex. cons. 109. vol. 6. Dec. cons. 131. in fin. Soc. cons. 196. col. 2. versic. quarto, & vltimo confirmatur. &c. vol. 2. quæ alias etiã allegata fuere in eadem causa; prout patet in 2. lib. Annot. mearum. decis. 45. quod ex quo, non probabantur extrema quod Gundisaluus, non poterat petere salarium. Non obstat modo, quod prædecessores, & successores essent consueti salarium dare, vltra iura Audientiæ. & ideo stante tali consuetudine
1 officialis † videatur operas suas locare, iuxta, & secundum consuetudinem, iuxta tex. in l. excepto. C. locat. per quem text. Iacob. de Aren. Bald. & Salicet. dicunt ibi, quod officialis deputatus debet habere salarium consuetum dari Officialibus similia officia exercentibus, & Alexand. cons. 206. volum. 2. circa princ. & Speculat. de salar.
2 iudic. versic. in præmissis. † Quia fuit responsum, quod illud procederet vbi salarium à Dignitate esset perpetuo constitutum, vel à Communitate, vel Capitulo;
3 quia tunc officialis simpliciter † conductus. censeretur secundum salarium solitũ, esse conductum. secus est, vbi salarium ratione personæ fuit constitutum. & sic consuetudo respicit personam; nam talis consuetudo personam illam non egreditur. vnde, licet prædecessores essent consueti salarium dare, illa consuetudo personam illam non egreditur, & tanto magis, ita tenuerunt Domini, cum Gundisaluus iura ascendentia ad tercentum ducatos, perciperet.

SVMMARIVM.

Famis contrarijs super legitimitate stantibus, quæ fama præualuit.

1 *Legitimum esse filium in dubio, an iudicandum.*
Fama bona potius standum, quam malæ in concursu.
2 *Matrimonium, vel fornicatio, an præsuma-*

sumatur ex cohabitatione maris & fœminæ.

3 *Fama posterior, an tollat primam.*

DECISIO II.

IN causa Anagnina Castri Scurculæ bis proposui dubium in Rota, præsupposito, quod testes pro parte D. Honorati examinati, deponant D. Honoratum in loco Carpineti, in quo parentes cohabitarunt, reputatum ab omnibus illum cognoscentibus pro legitimo. & testes pro parte D. Io. Bernardini dicant D. Honoratum in alijs locis, & diuerso tempore, reputatum pro illegitimo. An stante diuersitate famæ, probetur D. Honoratus legitimus vel illegitimus. Et prima vice inter sex votantes vota fuerunt paria; sed secunda vice causa posita, videlicet die 4. Februarij 1547. fuerunt quatuor pro legitimitate, & duo pro illegitimitate. Fundamenta illorum quatuor, quia stante dubietate, in dubio pro legitimitate iudicandum erat. nam dicebant, quod licet in loco Scurculæ, quod erat domicilium Io. Felicis, patris Honorati, ab initio fuisset fama concubinatus, postea recedentes à dicto loco, & cohabitantes in loco Carpineti, fuit ibi fama de legitimitate, & quod Magdalena erat vxor. Et licet in Curia Columnensium, videlicet Prospari, & Cardinalis Columnæ, esset fama de illegitimitate; tamen in Curia Cardinalis de Comitibus, erat fama de legitimitate. Vnde stante isto dubio, quod oriebatur ex famis contrarijs, iudicandum erat pro legitimitate. * quia potius standum est bonæ famæ, quam malæ. secundum Hyppolit. in l. de minore. §. plurium numer. 99. ff. de quæst. & in consil. 15. numer. 10. Item, quia ista fama legitimitatis magis erat iuris dispositioni consona. cum licet ex cohabitatione † maris & fœminæ, quo ad fœdus matrimonii præsumatur fornicatio, tamen quo ad filios præsumitur legitimatio secundum dictum Abbatis, in cap. lator. qui fil. sint legit. Feliu. in cap. illud. in fine. de præsumpt. Item, ista fama legitimitatis erat verisimilior, ex quo, licet Magdalena non esset ita nobilis, sed potius rustica, & Io. Felix dominus Castri Scurculæ, tamen erat orta ex honestis parentibus, & diuitibus. Item, in loco Carpineti cum pompa incedebat. & verisimile erat, quod propter filios iam susceptos, Io. Felix ad effectum eos legitimandi Magdalenam dispensauerit. & vt delictum euitaretur, ne tanto tempore in peccato perseuerare voluerit. maxime, cum ista

3 fama legitimitatis † esset posterior. quo casu primam videtur tollere per l. si mater. & ibi Bald. & Salic. C. ne ex delicto defunct. Iason. in l. pacta nouissima. C. de pact.

* Iudicandum pro legitimitate & ita tenet Rain. consil. 51. circa casum. col. 11. versic. & ex præmissis sequitur, volum. 5.

SVMMARIVM.

Statutum Fulginatense quomodo intellectum.

1 *Statutum excludens fœminam dotatam à successione patris, aui, proaui, &c. an videatur excludere si extet descendens masculus à nominatis in statuto. vel quod requiratur, quod extet masculus, de cuius hæreditate agitur.*

DECISIO III.

VErba statuti * Ciuitatis Fulginatensis ita se habent. Item statuimus, & prouidemus, quod nulla mulier, si dotata fuerit à patre vel matre auo, vel proauo, auia, seu proauia, seu per verba de præsenti desponsata, legitime possit venire ad successionem ab intestato, patris vel matris, aui, proaui, auiæ, seu proauiæ, donec superest aliquis masculus, natus ex legitimo matrimonio, de linea, & stirpe masculina descendentium omnium prædictorum, vel alicuius ipsorum, à quocumque dotata esset. nec etiam possit venire ad successionem, ascendentium seu descendentium ex aliquo prædictorum, donec superest aliquis masculus pre dictorum descendentium à prædictis. Hoc statuto sic stante, contigit, quod fuit in rerum natura Marinus. ex quo nati, Rosatus, & Antonellus. Ex Rosato Iacobus, & Vererius. Ex istis duobus nati Marcus Antonius, & alii litis consortes. Ex Antonello natus alter Antonellus. Ex Antonello natus Bernardinus. ex Bernardino nati Lucretia, & Lucidus. Lucretia à patre nuptui tradita, & dotata. postea decessit Lucidus frater, de cuius hæreditate agebatur, Inter Marcum Antonium & litis consortes, dicentes, quod per supradictum statutum soror esset exclusa. Ideo 4. Februarii 1547. dubitaui ego, An soror excludatur à statuto. Et vna pars tantum in facto informãs, dixit quod verba erant clara, excludentia sororem fœminam, donec superesset masculus. Cum igitur hic adesset Marcus Antonius, & alii

* Articulus, de quo hic, iterum fuit positus, videlicet 9. Mar. 1547. & ambæ partes, cũ aduocatis informauerunt, & vota fuerũt diuisa, quia duo tenuerunt pro fœmina, quod in isto casu non excluderetur per masculum, dicentes quod hanc partem in isto casu indiuiduo firmabat optima ratione. Corn. consil. 134. quem sequitur Alber. Brun. in loco hic allegato, & quod cum saltem verba essent dubia, quod ex verbis dubijs non erat æquum vt fœmina excluderetur. Alij vero duo dicebant; quod licet ratio agnationis consferuandæ non militaret in casu isto 1 quia etiam statutum disponebat in successione matris, & auiæ, quo casu ab eis masculus non considerabatur

alii masculi, ergo soror erat exclusa. Pars vero contraria, alleganit,
1 quod in isto statuto † Fulginatensi casus erat decisus, per ea, quæ late consuluit Corn. quem latissime refert Albert. Brun. in tractat. de statur. excl. fœm. propter masculos in 12. artic. in 28. quæst. Er quia in prima parte statuti, excluditur fœmina, donec superest aliquis descendens omnium prædictorum, vel alicuius ipsorum, & sic copulatiue, vel distributiue. In secunda vero parte, dum tractatur de successione descendentium, dicit. à prædictis. & sic copulatiue, non autem posuit distributiue, vt in prima parte. & sic, quia hic non erat masculus descendens ab eo, de cuius successione agebatur, non videbatur conueniens, vt soror à tali masculo exclusa videretur. maxime cum hic non posset dici, quod statutum consideret exclusionem fœminæ, propter masculum, propter conseruationem agnationis, cum etiam tractetur de successione matris, auiæ, & proauiæ, in quibus conseruatio agnationis considerari non potest. Et ideo, quia nihil pro parte contraria allegabatur. Domini sequuti fuerunt opinionem Cornei, de qua per Brunum in dicto loco, dicentes quod iterum deberet informari.

pro conseruatione agnationis; tamen negari non poterat, quod à statuto considerabatur ratio masculinitatis. quæ ratio cum ita militaret in primo capite statuti, sicut in secundo. ergo eadem dispositio. Item & secundo, dicebant, quod cum statutum, propter masculinitatē excluderet fœminam à successione parentum, quæ magis debebatur filijs, quam successio trāsuersalis debeatur fœminæ. ergo fœmina in tali casu, à fortiori erat excludenda. Tertio, quia vna pars statuti, per aliam partem declaratur. Si ergo in prima parte excludebatur quando supererat aliquis descendens ex prædictis, ita & secundo casu. Et ita isti quatuor erant diuisi. Quintus vero ex votantibus, qui erat vltimus responsalis, non bene viderat causam, & ideo noluit votare. Et pro ista vltima parte, quod sicut simpliciter excluditur masculus propter fœminam, ita & etiam in secundo casu, allegabatur tenere Corn. cons. 43. in penult. colum. in 4. vol. & Corn. consil. 123. in 2. volum. Sed istud vltimum nihil facit, cum loquatur in successione patris & matris. Resolutionem istius dubij, videlicet quomodo istud statutum intellectum fuerit, habes infra decis. 127.

S V M M A R I V M.

§. Illud. l. Fœminæ. C. de secund. nupt. quomodo intellectus.

1 *Mater transiens ad secunda vota, quod non possit disponere de lucris nuptialibus sed ea filijs primi matrimonij conseruare teneatur, an procedat si secunda nuptia de facto, & nulliter essent contracta.*

2 *Lex puniens actum, an dicatur punire actum nullum.*

3 *Dispositio de secundis nuptijs, loquens in matre, an habeat locum in patre.*

DECISIO IV.

EAdem die, in vna Mediolanensi, coram D. Antonio Augustino, fuit resolutum, quod text. in l. fœminæ. §. illud. C. de secund. nupt. volens quod mater transiens
1 ad † secunda vota, non posset disponere de lucris nuptialibus, sed ea filiis primi matrimonii reseruare deberet, haberet etiam locum, quando illæ secundæ nuptiæ, de facto & nulliter essent contractæ. per ea quæ dicit Præpos. in cap. fin. de secund. nupr. dum dicit, ne plus tribuatur luxuriæ, quam castitati. Non obstat quod dicit Iason. in l. 1. §. hæc autem verba. ff. quod quisque
2 iur. dum dicit, quod lex puniens † actum, non dicitur punire actum nullum. quia est verum, nisi eadem esset ratio in actu nullo, sicut in valido. Nam ita infertur iniuria filiis per transitum ad secunda vota nulliter, sicut & valide. & ita sentit Iason. in d. §. hæc verba, dum limitat, nisi actus nullus sit mandatus exequutioni.

Item in eadem fuit dictum, quod ille
3 §. illud. loquens in matre, † habebat etiam locum in patre. prout ita ibi dicit glos. & est text. in l. generaliter. in princ. C. eod. tit. & Dec. in l. 1. in 1. not. C. de secun. nupt. & Rip. in d. §. illud.

S V M M A R I V M.

Notarius exequens citationem debet apponere testes.

DECISIO V.

IN vna Cordubensi de las posadas, coram D. Rauestensi, die 4. Februarii, 1547. fuit dictum, quod exequutio citationis facta per notarium, debebat habere testes. ex quo notario non creditur, nisi de actu coram testibus gesto. Et licet esset ei commissa exequutio, tamen non dicitur notarius nuncius, cui propter iuramentum præstitum de fideliter exercendo officium suum, sine testibus creditur, licet in contrarium allegaretur Bald. in rubr. de fid. instrum. tu videbis quid dicat ibi Bald.

Et in eadem fuit dictum, quod quando exequutoriales decretæ, in partibus intimatæ reproducuntur, coram Auditore Cameræ, * si Auditor procedit, seruatis quatuor terminis ad declaratoriam, quod nulliter procedit, propter mutationem Tribunalis. & credo sit glos. in Clemen. multorum. de pœn. Et licet Auditor Cameræ sit exequutor sententiarum nostrarum, fuit dictum quod debet monere, vt coram eo compareat, si vult ad exequutionem procedere.

* Auditor Cameræ quomodo possit sententias nostras exequi.

S V M-

SVMMARIVM.

An sit præiudicium considerabile ex parte antiquorum canonicorum, quod creati per Adrianum viuentibus antiquis habeant vocem in capitulo, & stallum in choro.

1 *Erectio an censeatur esse facta sine præiudicio alterius.*
2 *Præiudicium alterius, quando præseruatur, an intelligendum sit etiam de modico.*
3 *Canonici ex receptione supernumerariorum, an dicantur grauati.*
4 *Canonici vltra numerum, seu supernumerarij quid habeant.*
5 *Præcedentia ratione, an dicatur inferri præiudicium.*
6 *Ecclesiæ fauor est, consiliarios plures habere.*

DECISIO VI.

IN vna Placentina archidiaconatus de Beiar, die 7. Februarii 1547. proposuit D. Reomanus dubium huiusmodi: an sit præiudicium considerabile ex parte antiquorũ canonicorum & dignitatum, quod creati per nouam Adriani erectionem, habeant, antiquis uiuentibus, stallum in choro, ac denominationem, & vocem in capitulo. Et fuit resolutum per maiorem partem, quod sic. quia in supplicatione erectionis factæ per Papam Adrianum, in fine supplicationis per Signaturam erat additum. & fine præiudicio nunc uiuentium. & sic, cum om-
1 nis erectio cēseatur esse facta † sine præiudicio ex dispositione iuris. ad c. 1. de Eccles. ædific. hic constabat de mente enixa Papæ, quod ista erectio fieret sine præiudicio; &
2 sic intelligendum † erat etiam de modico. iuxta not. per Dec. in cap. super eo. de offic. delegat. at hic in casu nostro, ex receptione vltra numerum, canonici dicebantur gra
3 uati. † iuxta text. in cap. mandatum. de rescriptis. Item, quia ex generali consuetu-
4 dine, canonici vltra † numerum non habent stallum in choro, vocem in capitulo, nec distributiones quotidianas. prout dicit decis. 25. de præbendis. in nou. & Felin. in cap. cum M. de constitut. Item, considerabatur præiudicium, nam si alius Archidiaconatus erectus, seu alter Archidiaconus de Beiar, stallum haberet in choro, & vocem in capitulo, debet præcedere omnes antiquos
5 canonicos. & ratione † præcedentiæ, non erat dubium, quod erat præiudicium. Item, in erectione creabantur tot canonicatus, & non cum plenitudine iuris canonicalis. & ideo ista, ante cessum vel decessum antiquorum, non debebantur. Item, præiudicium ratione vocis in capitulo. nam cum antiqui essent quinque, & noui canonici erant nouem, & sic isti tanquam plures in omnibus tractatibus semper vincerent. esset etiam præiudicium in distributionibus quotidianis, quæ quando sunt pauciores, illis accrescunt. Non obstat, quod
6 fauor est Ecclesiæ, habere plures † consiliarios. prout dicit Innoc. in cap. fin. de cler. non resid. quia verum est. sed per hoc ille fauor non operatur, quod illis iam admissis, & sic canonicis antiquis, præiudicium fiat.

SVMMARIVM.

Confessio minoris, de duobus millibus receptis in instrumento venditionis, an sapiat donationem, ita vt comprehendatur. sub primo capite statuti, de donationibus, & pactis non valituris.

1 *Qui non potest actum facere, non potest etiam confiteri aliquid, per quod actus sibi interdictus efficiatur validus.*
2 *Statutum requirens solennitatem in donatione, an habeat locum in donatione præsumpta.*
3 *Donare suum nemo præsumitur, quando non procedat.*
4 *Adultus, non habens curatorem, an possit contrahere. & quid si extet statutum.*
5 *Statutum si aliquid prohibeat, non poterit per indirectum fieri aliquid, per quod ad illud quod prohibetur peruenitur.*
6 *Confessio in contractu inutili, ex statuto, vel iure communi, an probet.*

DECISIO VII.

DIe septima Februarij 1547. in vna Romana medietatis casalis pro Petro Paulo, & fratribus de la Cithara, contra Vincentium, & fratrē suum, de Fabiis, proposui dubium, An confessio de duobus millibus receptis per minores, in instrumēto venditionis factæ per minores, sapiat donationem, itaut comprehendatur, sub prima parte statuti. de pactis, & donationibus non valituris. vel saltem ex ea minor dicatur esse læsus. Et maior pars tenuit, quod dicta confessio saperet donationem, ita vt comprehenderetur in dicta pri *Vide infra decis. 55.
1 ma parte statuti, quia qui non † potest actum facere, non potest etiam confiteri aliquid, per quod actus sibi interdictus efficiatur validus. per dictum Bart. in l. si fortе. de Castr. pec. & DD. in l. si donatione.

C.de collat. Itē, qnia si aliter diceremus, de facili fieret fraus statuto. Nam minor, qui non potest directo donare, faceret contractum, & fateretur se precium recepisse. & sic qnod vna via prohibetur, alia permissum foret, quod est contra iura vulga-
2 ta. Et quod statutum requirens † solennitatem in donatione, babeat etiam locū in donatione præsumpta, consuluit Corn. cons. 185. colum. 3. versic. his tamen non obstantibus. volum. 2. Tiraq. in tract. de legib. connub. fol. 189. aut fol. 143. vers. contrarium tamen, & in repetitione l. si vnquam. in verbo, donatione largitus est. &c. num. 75. de reuoc. donat. Non obstat, quod statutum loquatur in donatione, nos autem sumus in venditione. quia verum est quod statutum non babet locum in venditione; sed quando ex venditione resultat donatio, tunc subintrat statutum loquens de donatione. Non obstat quod hic non sumus in donatione expressa, nec etiam
3 in præsumpta: † cum nemo præsumatur iactare suum. ad vulgatam. l. cum de in debito. ff. de probat. Quia fuit responsum, quod in persona non prohibita illud est verum; nos autem sumus hic in persona prohibita actum facere. Vnde, non apparente nnmeratione, non potuit etiam illam confessionem facere, ne mediante illa perueniatur ad id, quod facere non poterat.
4 Non obstat, quod adultus † non habens curatorem, possit contrahere. ad l. si curatorē habens. vbi DD. C. de in integrit. restit. ergo minor potuit istam confessionem facere. quia verum est, quod de iure communi, minor non habens curatorem potest facere contractus; tamen ex prohibitione
5 statuti, non potest facere † illud per quod perueniatur ad id quod prohibitum est. Et eodem modo respondetur ad id quod dicebatur, quod confessio etiam in contra-
6 ctu † inutili, statuto, vel iure communi, probat. vt Iason. post Rom. in l. certi condictio. §. si nummos. colum. 7. nnm. 34. & seq. ff. si cert. pet. quia illud verum, nisi mediante illa confessione deueniretur ad id quod est per statutū prohibitum. * Non obstat, qnod notata per Corn. & alios superius allegatos, loquuntur in donatione simplici, & non in donatione reciproca, & ob causam, vt videtur esse ista. item loquuntur in donatione principali, & non in donatione accessoria. Quia respondetur, qnod minor vendens, & in venditione confitens se recepisse, certe simplieiter confitetur, & non ob aliquam causam. licet enim respectu venditionis fateatur; tamen non est verum, qnod aliqnid ipse habeat. Item ista confessio non est accessoria, sed principalis.

* Itē de illo dictu Ang allegatu ibi per Ias. dubitauit idē Angelus, vt ibi per Iasonem.

SVMMARIVM.

De iure ciuili, quo ad effectum succedendi, quis dicatur legitimus.

1 *Filij per subsequens matrimonium, quando non legitimentur.*

DECISIO VIII.

VNdecima Februarij 1547. in causa Anagnina, proposui dubium, posito quod ex forma statuti, ius ciuile sit seruandum, an non docto aliter de matrimonio D. Honoratus sit iudicandus legitimus, quo ad successionem patris in spolio Castri contra Honoratum. Quod de iure ciuili non possit succedere, fnit allegatum, quod, quando matrimonium contrahitur cum illa, cum qua secundum mores patriæ, & honestatem familiæ, matrimonium contrahi non potest, ita quod tales nuptiæ dedecorant familiam, tunc tales filij non dicuntur legitimi, quo ad successionem de iure ciuili. secundum Præposit. in cap. tanta. colum. 21. in 16. quæst. versic. aduerte quod ad hoc. &c. & etiam videtur sentire. colum. 20. in 11. quæst. qui fil. sint legit. Marian. Soc. iun. cons. 52. memini. colum. 2. versic. sed tamen hoc non obstante. vol. 1. vbi attestatur, hanc opinionem esse communem. Carol. Ruin. consil. 211. prima videtur. &c. vol. 1. imo fortius dicit Præpos. in dicto c. tanta. col. 15.
1 in 10. quæst. quod per † subsequens matrimonium. filii non legitimantur quo ad successionem, nisi stantib. dotalibus instrumentis, vt ibi per eum. Qnare ista materia visa fuit Dominis pulchra, & dixerunt, vt eā distincte examinarem. Et ideo videtur mihi vt sit dubitandum, præsupposito, quod nuptiæ Magdalenę non essent condignæ, & quod resolutum fuerit, Honoratum præsumi legitimum, An quia non extant instrumenta dotalia in terris in quibus seruatur ius ciuile, Honoratus dicatur legitimus quo ad effectum successionis paternæ. Vel prinsquam ad istud dubium deueniatur, videtur dubitandum esse, stante fama de concubinatu à principio, & quod Magdalena esset de castro Supini, honestis parentibus orta, & diuitibus, & Io. Felix dominus castri Scnreulæ, An inter eos, nuptiæ condignæ esse potuerint. Et resoluto isto dubio deuenietur ad primum.

SVMMARIVM.

Minor, aduersus regulam de non exprimendo vero valore, non restitutus.

1 *Minor non restituitur re non integra in beneficialibus.*

DECISIO IX.

PEtrus Paulus Venantius, ex resignatione Episcopi Aesini patrui sui, habuerat prioratum S. Angeli Fulginatensis. & in impetratione non expresserat verum valorem. & quia tempore impetrationis erat minor, dubitaui ego die 11. Febr. 1547. in vna Fulginatensi prioratus S. Angeli, an Petrus Paulus minor, aduersus regulam de exprimendo vero valore, esset restituẽdus.
1 Et fuit conclusum quod non. quia in † beneficialibus, re non integra, minor non restituitur. per no. per Abbat. post Ostien. Card. & Butr. ino. ex parte, de restit. spoliat. quia tractat de lucro, & hic eramus re non integra. cum post resignationem factam, in qua non erat expressus verus valor, Episcopus decesserat, & per eius obitum alius prioratum impetrauerat.

SVMMARIVM.

Ex communi fama & reputatione, probatur reseruatio beneficij ad effectum absolutoriae.

1 *Subcollectoris beneficia reseruata.*

DECISIO X.

IN vna Barchinonensi, canonicatus & praebendae, coram D. Mohedano die 11. Februarii 1547. fuit resolutum, quod ex communi reputatione, & fama, probaretur reseruatio beneficii, ad effectum absolutoriae non autem canonizatoriae. nam ibi ex reputatione, & fama, fuit probatum, quod
1 quis † esset subcollector, & sic beneficium reseruatum Papae iuxta decis. Aegidii 612. in fine 290. & 342. & Rot. decis. 10. de offic. deleg. in non. Bellenz. in tract. de charit. subs. quaest. 112. cum duabus praecedentibus.

SVMMARIVM.

Salarium non conuentum, Aduocato debitum.

1 *Successor quando teneatur ad debita Praelati antecessoris.*

DECISIO XI.

IN causa Zamorensi, inter Gundisaluum de Monte, & Episcopum Zamorensem, die 11. Februarii 1547. dubitaui. Praesupposito quod Antonius Episcopus detentus in carceribus, fuerit de Imperatoris mandato, defensus à Gundisaluo pro eo aduocante. qui etiam propter, id pecunias exposuit, ac alias mutuo, suis tunc subueniendo necessitatibus, ei dedit. An successor teneatur ad salarium Aduocati, & pecunias expositas, & mutuatas. Et fuit conclusum, quod ad pecunias expositas nõ teneretur, quia de quantitate non constabat. sed quod teneretur de salario, & pecuniis mutuatis. ex quo illa erãt praestita pro ne-
1 cessitate ipsius Praelati. vnde successor † tenetur. ad gloss. in cap. 1. & 2. de solut. per Abbat. in cap. ex praesentium. de pignor. Et licet salarium non esset conuentum, tamen aduocato debetur etiam non conuentum. iuxta not. in l. 1. §. aduocatos. de var. & extraord. cognit.

SVMMARIVM.

Consuetudo interpretatiua, priuilegij decennio praescribitur.

1 *Praescriptio immemorabilis, vt probetur quae requirantur.*

DECISIO XII.

IN causa Burgensi decimarum de stepar, die 16. Februarii 1547. proposui dubium. stante priuilegio eximente moniales à solutione decimarum, & depositione testium, deponentium quod à quadraginta annis non soluerunt, & quod audiuerunt à maioribus, decimas non esse solutas, An coloni contra quos agitur ad solutionem decimarum teneantur. Et fuit resolutum; quod praescriptio immemorabilis non pro-
1 baretur, † ex quo non erant probata omnia de quibus per glos. in cap. 1. de praescr. in 6. sed dixerunt Domini quod cum negari non posset, quod licet per Rotam resolutum foret, quod priuilegium esset personale, tamen propter verba ibidem posita ali-

Nn 3 quam

quam dubitationem recipere poterat. an videlicet tale priuilegium, reale esset. & ideo, quod cum ageretur de interpretatione priuilegij, non solum quadraginta anni, sed decem anni sufficiebant.

SVMMARIVM.

Indultum Cardinalis, quod cessantibus commendis & vnionibus, prouidere possit, quomodo intellectum.

1 *Vnio quando per obitum cessat, an beneficium vacet vt prius.*
2 *Indultum Cardinalis quando non capiat vacationem.*

DECISIO XIII.

TVllensis parochialis de S.Paulo, fuit resignata in manu Clementis, in fauorem Valtrini. qui admissa resignatione eam vniuit alteri parochiali, quam idem Valtrinus possidebat ad vitam Valtrini. Valtrinus postea obijt extra Curiam. per
1 cuius obitum, vnio † cessauit, & parochialis vacauit eo modo quo prius, iuxt. decis. 2. Cassad. de vnion. & de ea Clemens prouidit. quæ prouisio dicebatur nulla, ex quo pertinebat ad collationem Cardinalis Lotharingi habentis indultum, quod cessantibus commendis, & vnionibus, quod annullat prouisiones, etiam factas per Papã. Fuit tamen, hoc non obstante, resolutum
2 quod prouisio valeret, † & indultum illam non caperet. per decis. 5. de priuileg. Cassad. & eundem in decis. 2. de vnion.

SVMMARIVM.

Pensionis terminus, quando pro rata, inter hæredes transferentis & translatarium, diuidi debeat.

DECISIO XIV.

CVm reseruata esset pensio duorum millium ducatorum, super fructibus Ecclesiæ Granatensis, in fauorem bo. mem. Io. Matthæi Episcopi Veronensis. cum facultate transferendi eam. de anno 1543. sub die 4. Decembris, in fauorem Reuerendissimi Cardinalis Poli transtulit. fuit dubitatum, die 17. Februarij 1547. quæ fuit vltima audientia illius carnispriuij, an terminus Natiuitatis DOMINI NOSTRI, qui postea per paucos dies cessit, & venit, pro rata deberet diuidi inter hæredes Episcopi, & ipsum Cardinalem Polum. iux. terminos l. diuortio. In princ. ff. solut. matrim. & per Caccialup. quæst. 25. in tract. pens. & Gigan. quæst. 53. Tamen istis non obstantibus in vna Granatensi, coram D. Prospero pro dicto Cardinale Polo, fuit resolutum, quod dicta diuisio fieri non deberet, sed ille terminus ad Cardinalem spectaret. quia text. in l. defuncta de vsufruct. & Moderni in dictis tractatibus, loquuntur, in actu necessario. nos autẽ sumus in actu voluntario inter quos est differentia, vt per Bart. in l. fin. §. fin. ff. de iur. fisc. & facit quod dicit Roman. consil. 10. Et licet illa doctrina Bart. in distinctione quam facit in fine, possit retorqueri in contrarium. dum loquitur in priuato, qui non tenetur stare colono, & ideo etiã vacillaret cons. Roman. 10. tamen Rota vnico fundamento fuit mota. quia ante diem Natiuitatis non cesserat, & venerat dies, & sic actio non erat orta. Cum ergo Episcopus, actionem orituram, quo ad eum, extinguat & casset, & vltra hoc eam in alium transferat, non reseruato iure quo ad fructus præteritos pro rata censetur illud in totum donasse. quia in donationibus plenius voluntatem interpretamur. & ideo diuersa est ratio in moriente, quia licet, quo ad eum, extinguatur actio, tamẽ non interuenit aliquis actus ipsius transferentis ius in alium. & ita est in l. diuortio. quia licet per diuortiũ extinguatur actio, tamen non interuenit factum transferentis illam actionem in alium. Et istud suadetur ex forma litterarum, in qua dicitur, quod primus terminus incipiat in festo Natiuitatis, ita quod constat de mente transferentis, velle transferre totum illum terminum in translatarium, eo quia nihil in se reseruauit.

1 *Testes secundario habentes interesse, an sint insufficientes.*
2 *Consuetudo interpretatiua, declaratiua, & extensiua, quæ. & num. 3.*
4 *Consuetudo interpretatiua contra iuris dispositionem, an debeat esse præscripta.*
5 *Præscriptio contra ius, quanto tempore currat.*
6 *Bona fides an tribuat priuilegium personale, vel reale.*

DECISIO XV.

IN causa Burgensi decimarum, die 25. Februarij 1547. dedi dubium, An testes examinati sint sufficientes, & constet de interpretatione, priuilegiorum per testes deponentes, per quadraginta annos decimas non solutas. Et fuit resolutum, quod testes essent sufficientes, quia non tractabant de aliquo eorum cõmodo. nam si nõ tenebantur soluere decimas, tanto minus tenebantur soluere monialibus pro annuo censu,

censu. Nec dicebantur habere consimilem causam. quia ipsi nō habebant terras quas prætenderent esse liberas. & quando aliquod interesse coloni prætenderent, illud
1 esse fecundatio. quo casu † testes ex hoc nō insufficientes redderentur. iuxt. not. in l. dictantibus. C. de testam. Item fuit resolutum, quod ista esset interpretatio * de-
2 claratiua, non autem † extensiua. secundum quod not. Atet. cōs. 114. in prin. Nam Domini dicebant, quod priuilegium Sixti propter ampla verba. quomodocunque & qualitercunque. probabile dubium recipiebat, an esset personale, vel reale. licet Rota cum informationibus præcedētibus resoluisset, quod esset personale. Et ideo cum apud homines priuilegium esset dubium, consuetudo sequens. dicebatur interpre-
3 tatiua, † declaratiua, non autem extensiua. Et licet Soc conf. 260. colum. 11. in fin. vers. non obstat tertio. dicat, quod consue-
4 tudo interpretatiua † contra iuris dispositionem, debeat esse præscripta. fuit dictū, quod ista erat præscripta spacio quadraginta annorum, prout in puncto præsupponebatur. Et ideo non obstabat, quod hic essemus in præscriptione, & non in consuetudine. quia dato quod essemus in præscriptione, iam tempus quadraginta anno-
5 rum erat decursum. quo casu † tanto tempore contra ius præscribitur. c. fin. de consuetud. Non obstat, quod in præscriptione requiritur titulus, & cum Rota resoluerit, quod priuilegium productum, esset perso-
6 nale & non † reale, illud bonam fidem ipsis colonis tribuere nō poterat. per not. per Paris. conf. 101. col. 15. vol. 1. quia fuit responsum, quod dicta per Paris. procedunt in titulo non habēte dubium aliquod. sed, vt superius dixi, ante resolutionem Rotalem, priuilegium istud, probabile dubium habebat, vnde stante tali dubio potuit introduci præscriptio spatio quadraginta annorum.

* Cōsuetudo interpretatiua, declaratiua. & extensiua.

S V M M A R I V M.

Ex publica voce, & fama non probatur inopia, ad effectum vt principalis non sit excutiendus.

1 *Confessio emanata in commissione per procuratorem, de stylo Palatij reuocatur.*

DECISIO XVI.

IN causa Bononiensi de Gandulphis proposui dubium, die vltima Febr. 1547. An ex publica voce, & fama, quod talis tēpore obitus erat decoctus vna cum cōfessione resultante ex commissione Iuliæ, probaretur quod Anibal esset decoctus tempore sui obitus, ita vt non esset excussio facienda contra hæredes Annibalis principalis debitoris. Et fuit resolutum quod non. quia fama inopiæ non probat, ad effectū vt tollatur discussio in præiudiciū tertij, quod dicitur magnū. Bar. in l. si cōstante. in prima princ. quæst. & in 2. quęst. eiusdē primæ princ. quæst. ff. solut. matr. & ad propositum nostrū, pōderat Claud. Aquen. in l. decem stipulatus. ff. de verbor. oblig. col. 5. Quo ad confessionem de qua in com
1 missione, fuit dictum, quod erat emanata per procuratorem. & ideo poterat reuocari, secundum stylum Palatij nostri.

S V M M A R I V M.

Confirmatio Apostolica de creatione in canonicum, quo casu non iudicata subreptitia.

1 *Subreptio quæ vitiat gratiam.*
2 *Stylus Signaturæ Papæ attendendus.*
3 *Subreptitia an sit gratia, quando exprimitur aliquid, quod facilius retrahere debebat Principem, & nihilominus concessit.*
4 *Canonicus an statim quod est creatus, habeat ius petendi præbendam.*

DECISIO XVII.

IOannes Antonius Beroaldus, erat creatus canonicus supernumerarius Ecclesiæ Panormitanæ tantum. idem petiit confirmationem à Papa de dicta creatione. & in confirmatione narrauit, quod erat creatus canonicus, & assignata prima præbenda vacatura, cum plenitudine iuris canonici. cum tamen nec prima præbenda vacatura foret assignata, nec plenitudo iuris canonici. fuit dubitatum per D. Prosperum, die vltima Februarij 1547. in vna Panormitana canonicatus & præbendæ, an gratia confirmatoria esset subreptitia, stante narratiua quod fuerit prouisum de præbenda, & fuit resolutum quod non es-
1 set subreptitia, quia non omnis † subreptio vitiat gratiam, sed ea tantum, quæ dolose fit ad facilius mouendum Principē secundum Aegid. decis. 4. & Cassad. decisio. 10. de præben. & secundum stylum si-
2 gnaturæ † qui est attendendus iuxt. alleg. lap. 89. Papa ita concessisset confirmationem illius creationis cū expectatione primæ præbendæ vacaturæ, si non narrasset assignatam præbendam, ergo nulla erat subreptio, immo fuit dictum, quod narrando assignationem præbendæ vacaturæ Beroaldus

roaldus expresserat qualitatem, quæ Principem facilius retrahere debebat, & nihilominus † concessit, ergo nulla erat subreptio, secundum decis. 4. de rescript. in antiq. Bisign. decis. 19. de præben. Et ideo fuit conclusum, vt pars aduersa, quæ dicebat gratiam subreptitiam examinaret peritos, qui dicerent Papam facilius, propter talem expressionem confirmationem concessisse, quia iuxta not. in cap. relatum & dilectus de præben. statim quod quis est
4 creatus † canonicus, habet ius petendi præbendam primo vacaturam.

SVMMARIVM.

Verba illa, Cardinalis accedente consensu; an intelligantur conditionaliter, vel dispositione.

DECISIO XVIII.

IN vna Maioricensi canonicatus, & præbendæ, verba supplicationis habebant. Et an dicti canonicatus; & præbenda sint perpetuo vniti alicui dignitati per eandē creaturam in eadem Ecclesia obtentæ exprimi possint, quæ etiam cum dissolutione vnionis, etiam in forma gratiosa expediri possint. in litteris postea perinde valere, expeditis dicebatur, dictam vnionem Cardinalis adhoc expresso accedente consensu dissoluētes, decernatis litteras prouisionis dicti Antonij valeant, & roboris firmitatē habeant, & ipsi iudices ad illarū exequutionem procedant, ac si in illis esset expressum, quod dicti canonicatus, & præbēda erāt perpetuo vniti. Dubitauit D. Prosper, die 4. Martii 1547. An illa verba ipsius Cardinalis expresso accedente consensu sint intelligenda conditionaliter, vel potius attestatiue, attento quod in supplicatione nulla fit mentio de consensu, sed simpliciter disunitur, & Domini inclinabant in eam partem, quod quia in supplicatione nulla fiebat mentio de consensu, quod illa verba expresso accedente consensu stabant potius causatiue, idest quia accessit consensus dissoluentes, quam quod conditionaliter, nam si in supplicatione, dum diceb atur de dissolutione, Signatura addidisset, & de consensu, tunc illa verba Cardinalis expresso accedente consensu, intelligenda forent, si Cardinalis cōsensus accesserit, quia ablatiui absoluti stant conditionaliter, ex quo supplicatio consensum requirebat. sed quia talia verba non erant in supplicatione, & in litteris dicebatur Cardinalis ad hoc expresso accedente, videbantur talia verba stare potius attestatiue, & dispositiue, quam conditionaliter.

Tamen fuit dictum, quod consulerentur Abbreuiatores.

SVMMARIVM.

Risighum, periculum, & fortunam suscipiens in se, non dicitur casum insolitum sumere.

1 *Casus insolitus quis dicatur.*

DECISIO XIX.

SVscipiens risighum, periculum, & fortunam in se, non videtur suscipere casum fortuitum insolitum, vt per Rip. in tract. de peste num. 73. & seq. Cagnol. in l. contractus. in fine, de reg. iur. & idem Ripa in d. tract. num. 97. cum seq. & ibi-
1 dem ponit, quod quis † dicatur casus insolitus, remittitur arbitrio boni viri, & non illud quod dicitur, quod tantum ille casus, qui in centum annis semel euenit, & ita terminatum fuit in vna Nursina lacus coram D. Rauellensi, die 4. Martij 1547.

SVMMARIVM.

In legato eorum, quæ in domo sunt in casu isto, non venerunt nomina debitorum.

1 *In legato ex quibus verbis veniant illa, quæ alius venire non debebant de iure.*
2 *In legato eorum quæ in domo sunt an veniant res venales, & quando.*
3 *Vxor an affini æquiparetur.*

DECISIO XX.

TEstator legauerat in testamento vxori suæ omne, & quodcumque mobile, omnes & quascumque mobilias, & res mobiles, massaritias, suppellectiles, & fulcimentum domus, & omnes, & quascumque res, & omnia, & quæcumque bona mobilia, & omnes & quascumque pecunias, anulos, collanas, iocalia, tam auri, quam argenti, cuiuscumque generis, & conditionis, quæ in domo fuerint absque vlla reseruatione, & omni exceptione remota. Dubitauit in vna Bononiensi domus, & bonorum D. Antonius Augustinus, die 9. Martii 1547. An in legato prædicto venirent litteræ cambii, & scripta priuata, & sic nomina debitorum inuenta in domo habitationis testatoris tempore eius mortis, maxime dict. pro parte vxoris examinatorū, & fuit resolutum, quod non venirent per text. in l. Gaius de leg. 2. in l. vxorem. §. lega-

§. legauerat l. si mihi Menia l. quæsitum. §. 1. de leg. 3. l. quæsitum. §. Papinianus. de fund. instruct. Corn. consil. 49. 3. volum. Paris. consil. 82. in 2. dubio, in 2. volum. & quia dicebatur, quod discurrendo verba legati, nullum illorum poterat importare sub se nomina debitorum. Non obstat, quod vbi constat manifeste de mente testatoris, quod tunc veniunt nomina debitorum, vt in d. l. quæsitum. §. 1. & diceretur constare, propter verba generalia, & geminata in isto legato posita, quod non videtur reperiri in iuribus superius allegatis. Sed fuit responsum, quod illa verba vniuersalia & geminata, semper videntur respicere res mobiles, & ideo ad iura & actiones, tamquam ad tertiam speciem, extendi non debebant, vt testator censeretur minus grauare voluisse hæredẽ. Non obstat quod testator legasset vniuersaliter cum duabus demonstrationibus. absque vlla reseruatione, & omni exceptione remota, & ideo
1 debebant venire † illa, quæ alias sub tali legato venire non debebant. iuxt. not. per Bart. in l. generali §. vxori. ff. de vsufruct. legat. in fine. commen. quem sequitur Curt. iun. consil. 45. num. 4. Quia fuit responsum, quod doctrina Bart. nil faciebat ad propositum. cum illæ dictiones. absque vlla reseruatione, & omni exceptione remota. determinarent illa verba. res mobiles & bona mobilia. & ideo extendi non debebant ad ter-
2 tiam speciem. Non obstat, quod licet † in legato eorum quæ in domo sunt, non veniant res venales, vt per Bart. in d. l. generali. §. vxori si tamen legentur coniunctæ personæ, tunc veniunt. vt per Roman. singul. 666. quod tamen non inueni. & facit ratio l. prę dia. §. affini ibi plenissima erga affinem voluntas, & l. si seruus omniũ. in fin. de leg. 1.
3 & vxor affini æquiparetur. † iuxta text. in l. cum alienam. C. de legat. Quia fuit responsum, quod in l. si mihi Meuia, erat legatum factum filiæ, & tamen in tali legato non veniebant nomina debitorum. De dictis testium non fuit habita ratio, quia illa Auditor melius videre volebat.

SVMMARIVM.

Mandatum ad gratiam prosequendam, locum habet in Diœcesi mutata.

1 *Mandata an extendantur ad personas subrogatas.*
2 *Mandata an extendantur ad connexa, & dependentia, & quasi vicina mandato.*
3 *Mandatum an intelligatur iuxta verisimilem mentem concedentis.*

DECISIO XXI.

In vna Segobiensi, canonicatus & præbendæ, coram D. Reomano, die 11. Martii 1547. fuit resolutum, quod Episcopus Squillacensis, qui expediuerat expectatiuam in diœcesi Compostellana, & dederat mandatum ad prosequendam gratiam huiusmodi, quod dictus procurator vigore huiusmodi mandati, poterat acceptare in diœcesi Segobiensi, postea mutata. quia licet diœcesis mutaretur, tamen eadem gratia manebat, cum in mutatione disponatur, quod singulæ litteræ prædictæ suffragentur, &c. Et tam litterarum prædictarum, quam præsentium vigore, acceptare possit in Segobiensi in omnibus, & per omnia, ac si à principio fuisset expressa. vnde durat eadem gratia, licet mutetur diœcesis, & non est habenda pro noua gratia propter illam dictionem. in omnibus, & per omnia.
1 Et licet mandata sint † stricti iuris, tamen extenduntur ad personas subrogatas. Rot. decis. 11. vt lit. pend. quam tenemus, vt per Franc. in cap. si ij. contra quos. post princ. vt lit. pend. in 6. & ideo debet extendi ad
2 diœcesim subrogatam. Item, † mandata extenduntur ad connexa, & dependentia, & quasi vicina ipsi mandato. Curt. iun. in l. diligenter. ff. mandati. Et mandatum intelli-
3 gitur † iuxta verisimilem mentem concedentis. cap. petitio. & ibi Abb. de procur.

SVMMARIVM.

Cessione in ista, oportuit docere de causa cessionis.

1 *Cessionis causa an alias probanda, quam per confessionem.*
2 *Cessio vt non præsumatur simulata quæ requirantur.*
3 *In omni contractu ex causa onerosa an oporteat, quod constet de causa.*
4 *Cessio quando fit ex causa dationis in solutum, an valeat.*
3 *Cessio quando fit in creditorem, an oporteat quod constet de causa.*
6 *Lex quando loquitur cum aliqua qualitate, an oporteat quod constet de illa.*
7 *Cessio actionis indubitatæ regulariter prohibita. sed quando fallat.*

DECISIO XXII.

Bernardus de Verrazano mutuauit Aloysio de Rodulphis summam mille ducentorum ducatorum. & postea, confitendo quod illam summam habuerat à bonę memoriæ Cardinali Soderino, & quod erat de eius pecuniis mutuum factum, cessit eidem

dem Cardinali, actiones suas. post mortem dicti Cardinalis, Franciscus de Soderinis habuit dictas actiones à Fisco, & egit contra Aloysiū de Rodulphis. cui Francisco agenti fuit oppositum de simulatione cessionis, quia non constabat de causa cessionis. Fuit dubitatum per D. Fabium, die 14. Martii 1547. in vna Florētina pecuniaria, An cessio valeret, & esset probanda causa cessionis, aliter quam per confessionē cedentis. Et quod valeret, & non esset aliter
1 probanda causa cessionis † aliter quā per cōfessionē, adducebatur primo tex. in l. quamuis pecuniam tuā. C. si cert. pet. secundo adducebatur cons. Aret. 136. in 2. col. vbi expresse istud dicit. & ratio est, quia isto casu sumus in casu exceptuato in. l. per diuersas. in vers. exceptis. C. mand. & ideo vt sit differentia inter primum casum illius legis, & casum exceptuatum, in primo casu oportet probare causam. in secundo vero non. Tertio adducebatur cons. Cum. 205. Et istam partem per ista fundamenta tenuerunt duo Domini ex sex votantibus. tamen quatuor alij Domini, tenuerant contrarium. inter quos ego vnus fui. Nam sicut in casu em-
2 ptionis, † oportet quod constet de causa & de veritate pretii, alias cessio simulata præsumitur. secundum Bart. Ang. & alios in d. l. per diuersas. & illud secundum Bar. extenditur ad omnem contractum ex cau-
3 sa † onerosa. vt etiam ibi dicit Ang. & com muniter DD. sequuntur. Vnde, cum ista cessio esset ex causa onerosa, oportebat quod constaret de causa. Item, quia negari non
4 poterat, quod datio † in solutum, esset de casibus exceptuatis. vt dicit Bart. in d. l. per diuersas. in princ. pen. vlt. & tamen Iacobinus de sancto Gegorg. in l. vnica. colum. 5. num. 30. C. ne liceat potenti. tenet, quod
5 quando fit cessio † in creditorem, oportet quod constet de causa. & ibi generaliter infert ad cessionem, quam facit debitor in fauorem creditoris. & dicit, quod multi decipiuntur. Eandem opinionem tenet additio ad Rot. in decis. 177. * in nou. vbi attestatur de communi opinione, & facit, quia
6 quando lex loquitur † cum aliqua qualitate oportet quod constet de illa. Si ergo lex vult, quod in fauorem creditoris possit fieri cessio, verum erit vbi probabitur quod ille sit talis. alias de facili via fraudibus aperiretur. Non obstat, quod non esset differentia inter casum exceptuatum, & casum de quo in principio l. per diuersas, quia fuit responsum, quod verus intellectus l. per diuersas. erat, quod in princ. Imperator velit, quod
7 cessio † actionis, indubitatæ sit prohibita. in vers. ita tamen. ponit fallentiam quando fit ex causa venditionis, & hoc pro concurrenti quantitate. in vers. exceptis. ponit exceptionem ab ista fallentia, vt in illis casi-

* Alias 1. de alien. iud. mut. cau. fact.

bus exceptuatis, pro modico possit fieri cessio. prout ita expresse vult gloss. ibi in verb. nec non. Bart. & Ang. Et hoc modo intelligendo illum text. non faciebat ad propositum. Et sicut cessio, ex causa venditionis est de casibus exceptuatis, quia potest fieri. vt patet in d. l. per diuersas. in vers. ita tamen. & tamen non statur in illo casu confessioni de precio recepto; ita etiam erit dicendum in isto casu.

SVMMARIVM.

Minor, aduersus omissionem dationis interrogatoriorum, non restitutus.

1 *Tutoribus pluribus, potestas de iure competit insolidum.*
2 *Tutorem non habere, vel habere & quod non defendat paria sunt.*
3 *Iudicium factum cum minore, quando non defenditur circa media causæ, an sit nullum.*
5 *Minor sine læsione non restituitur.*

DECISIO XXIII.

IN causa Messanensi baroniæ, die 18. Martij 1547. proposui dubium. An testes examinati citata Theodora tutrice, super duplici gradu prohibitionis faciant fidem. & si sic, an minores sint restituendi ad dandum interrogatoria. Fuit resolutum, quod licet Isabella, altera contutrix, non esset citata, tamen, quia potestas de iure vtrique † insolidum competebat. l. & si pluribus. cum l. seq. ff. de auct. tut. quod examē ea citata validū esset. Nec obstat, quod Theodora non dedisset interrogatoria, & sic nullam defensionem fecisset. & ideo paria erant, non habere tutorem, † vel habere & non defendere, vt dicit glos. in l. si præses. ses. C. quom. & quand. iud. & glos. in l. acta. §. fin. ff. de re iud. Quia fuit responsum, quod quando minor circa media causæ non defenditur data sibi competenti dilatione, † tunc actus non est nullus. secundum Bal. & Paul. de Castr. in l. cum & minores. C. si aduers. rem iud. Et si dicatur, quod saltem minor restituitur, fuit dictum, quod aduersus omissionem dationis interrogatorium, non † restitui minor secundum decis. Capell. Tholosanæ 53. Tum, quia minor ex tali omissione in isto casu non probabatur læsus, cum omnes testes examinati, de impedimento deponerent. & minor
5 sine † læsione non restituitur. l. nam & postea. §. si minor. vbi Ias. ff. de iur. iur.

SVM-

SVMMARIVM.

Districtus Vrbis, ex quibus probatur quòd protendatur ad quadraginta milliaria.

DECISIO XXIV.

IN causa Anagnina Castri Sculculæ, die 23. Martij 1547. fuit resolutum, quod districtus Vrbis, protenderetur ad quadraginta milliaria, attentis statutis productis. videlicet statuto tertio. sub rubrica de Senatore quomodo debeat esse lib. 1. iuncto statuto incipiente. Confirmantes. sub capite 279. lib. 3. sed melius ex statuto incipiente. Item, statuimus & ordinamus capite 257. dum tamen probaretur, quod castrum Scurculæ, tẽpore conditi statuti, caperet sal, & solueret focaticum Cameræ Vrbis, & attenta sententia producta, & lata in Camera contra macellarios, declarante districtum Vrbis protendi ad quadraginta milliaria, & vltra. Voluerunt Domini, quod examinarentur duo testes, quod ita communiter fuit obseruatum, districtum intelligi debere quod istis attentis, districtus Vrbis protenderetur ad quadraginta milliaria.

SVMMARIVM.

Regulæ reseruatoria octo mensium, dum in ea dicitur, de mense exprimendo in supplicatione, non habet locum vbi beneficium est reseruatum.

DECISIO XXV.

DVbitauit D. Mohedanus, die 23. Martii 1547. in vna Lucana præpositura. An fuerit necessaria expressio mensis in prouisione Lucæ, attenta vacatione per obitum bo. mem. Syluestri, olim Auditoris Rotæ. Et fuit resolutum quod non. quia cum Papa reseruet in octo mensibus beneficia vacantia, ad effectum vt prouideat de ipsis pauperibus clericis, & ne interim Ordinarius in collatione ipsorum se intromittat, frustratoria fuisset dicta reseruatio respectu beneficiorum alias reseruatorum. cum de beneficiis aliter reseruatis, certum sit quod Ordinarius se intromittere non possit. Item, cum expressio mensis, fiat vt Papa sciat an beneficium vacet in mense reseruato Papæ vel ordinarii, istud non potest considerari in beneficio reseruato, quod de sui natura pro pter reseruationem non potest spectare ad collationem Ordinarii. & ideo cum in collatione talis beneficii, nõ possit Ordinario iniuria inferri, non erit necessaria expressio mensis. Et in casu isto, factum ita se habebat. Quod bo. mem. Syluester resignauerat dictam præposituram in fauorem Iuliani Caroli, sed quia compertum fuit, quod resignatio non tenebat, ius remanserat in persona eiusdem Syluestri, postea Iulianus post obitum Syluestri resignauit in fauorem Lucæ Panichi, sed ex resignatione Lucas nil poterat capere, sed dicebatur, quod per clausulas generales, capiebat per obitum Syluestri. Et ideo tunc fuit dubitatum. quia tantum capiebat per obitum Syluestri, an mensis in supplicatione foret exprimendus. & resolutum fuit vt supra.

SVMMARIVM.

Decretum irritans, positum in indulto Cardinalis, non inficit titulum Ordinarij, vt prouisus ab eo, non dicatur habere titulum coloratum.

1 *Decretum irritans, quando inficiat titulum vel possessionem, & quando non.*

2 *Titulus coloratus non est, quando est datus ab eo qui non habet potestatem conferendi, sed quomodo procedat.*

3 *Titulus coloratus est, quando est datus ab eo qui naturaliter, & originaliter potest de beneficio prouidere.*

DECISIO XXVI.

IN vna Salamantina præstimonii de la Zogne, resolutum fuit, die 23. Martii 1547. quod decretum irritans, positum in indulto Cardinalis de Santa Cruce qui habebat indultum in diœcesi Salamantina, nõ inficeret taliter prouisionem Episcopi Salamantini, vt prouisus ab Episcopo, spoliatus non diceretur habere titulum coloratum & possessionem. Ratio fuit. quia tale decretum 1 est † super incerto corpore beneficii. & ideo non dicitur inficere titulum, & possessionẽ, prout facit decretum, quod est appositum super certo corpore beneficii. & ita decidit Cassad. decis. 2. de restit. spol. Non obstat quod titulus datus ab eo qui non habet po 2 testatem conferendi, non dicatur † titulus coloratus. prout ita dicit Abb. in c. cum nostris. de concess. præben. & per indultum sit inhibitum Ordinario ne possit beneficia conferre. quia fuit responsum, quod licet Ordinarius accidentaliter sit impeditus, tamen naturaliter & originaliter potestatem 3 habet. & ideo, quia titulus † est datus ab eo, qui naturaliter & originaliter potest de beneficio prouidere, ideo dicitur titulus coloratus.

SVMMARIVM.

Decennium quod requiritur vt lex dicatur non vsu recepta, an incipiat currere à tempore legis, an vero à primo actu contrauentionis.

DECISIO XXVII.

IN vna Bononiensi parochialis S. Andreç de Scholis, proposuit dubium D. Prosper die 23. Martii 1547. An ad docendum, quod reuocatio facta per S. D. non fuerit vsu recepta, sufficiant plures actus iuncto decennio. considerato tamen decennio à die reuocationis, non à primo actu in quo fuit contrauentum. Omnes Domini dixerunt, quod decennium curreret à die reuocationis, & non à primo actu contrauentionis. per illud quod dicit Ias. in l. rem non nouam. circa fin. C. de iud. dum dicit nota tamen diligenter, quod sufficit, quod transiuerint decem anni à tempore conditi statuti. Ego solus contradixi. quia dicebam quod decennium requiritur vt ex lapsu ipsius, inducatur præsumpta scientia Principis. quod decennium considerari non poterit, nisi primo fiat primus actus contrauentionis, & postea decennium labatur. alias, si in vltimo anno decennii fierent duo actus contrauentionis, sequeretur quod ex vno anno, induceretur ista præsumpta scientia. quod videtur contra mentem Doctorum. Et ꝙ scientia Principis requiratur, patet, quia DD. dicunt, maxime Felin. in c. I. de treug. & pac. quod si Princeps est præsens, tunc sufficit vnicus actus, sine spacio temporis, sed quando est absens requiritur spacium decennii, quia ex lapsu dicti temporis præsumitur scientia. quæ scientia induci non potest, nisi saltem post primum actũ contrauentionis. Et ad dictum Iasonis respondebam, quod non contrariebatur huic opinioni meæ, quia licet Iason dicat, quod sufficit, quod transierint decem anni à tempore conditi statuti, subiungit. quibus non fuerit obseruatum statutum. & sic erit intelligendus Iason, post contrauentionem. quia non data contrauentione, non potest dici legem non obseruatam, cum secundum Doctores, requirantur actus positiui contrarii. Et ideo, visis istis responsionibus meis, Ponens dixit, quod mandaret iterum informari. & noluit punctum haberi pro resoluto.

SVMMARIVM.

Testes, stantibus contrarietatibus de quibus hic, an faciant fidem.

1 *Testis si dicat non cognoscere nisi ex auditu, & postea dicat cognoscere, an intelligatur vt prius, scilicet ex auditu.*
Testis depositio de publica voce & fama, an referatur ad omnia præcedentia ad concordandum dictum. & num. 2.
3 *Testis varietas quando non attendatur.*
4 *Testis si deponat falsum super non principali, an dictum eius non attendatur.*

DECISIO XXVIII.

IN causa Romana * hæreditatis de Cardellis proposui dubium, die 28. Martij 1547. stantibus contrarietatibus Bernardini, & Sebastiani, super interrogatorijs prima vice dicentium non cognouisse, & secundo loco cognouisse Colam. & non super articulis D. Iulij, continentibus eos qui habitauerant in domibus articulatis, certis annis. An dicta eorum faciant fidem in depositione facta super articulis prædictis. Et fuit resolutum, quod dictum Bernardini Castelli, qui primo dixerat non cognouisse Colam nisi ex auditu, & secundo loco dixerat
1 cognouisse, † intelligeretur vt prius videlicet ex auditu. per ea quæ dicit Alexand. in l. non erit. §. dato. ff. de iureiur. & Hippolyt. singul. 371. & maxime, quod idem Bernardinus Castelli in secunda depositione, dum dicit cognouisse Colam, qui possidebat domos & vineas, interrogatus in causa scientiæ, dicit ex publica voce & fama. ita vt illa qualitas, ex publica voce & fama, referatur ad omnia præcedentia. Et hoc modo intelligendo, fiet concordia secundi dicti cum primo. & dictum Alexandri, non solum procedit in concordia eiusdem testis, quando sumus in eadem depositione, sed quando sumus in
2 diuersis depositionibus eiusdem † testis, vt per Sigis. Loffred. cons. 49. Quo ad Sebastianum fuit conclusum, quod non faceret fidẽ. quia licet varietas esset in accessorijs, &
3 non in principali, quo casu † talis varietas non attenditur. vt per Bart. in l. eos. ff. de fals. & alibi sæpe dicunt DD. tamen istud non est verum vbi testis iurauit super * tota causa quia. dato, quod
4 in non † principali dicat falsum, tamen dictum eius non attenditur. vt per Milis in repertorio suo, in verbo. Testis si in vno dicit falsum. Alex. cons. 44. col. 3. num. 7. versic. nam ex quo. &c. vol. 2.

* Quo ad Bernardinum, fuit postea causa posita de mense Aprilis, circa finem, an dictum eius in primo & secundo examine, dum primo dixit non cognoscere sed audiuisse nominari, & postea in secundo examine dixit cognouisse, vt intelligeretur cognouisse ex auditu, vt in primo examine dixerat. Et fuit tẽtum, quod ex quo testes poterant concordari, reducerentur ad concordam. non solum vt euitaretur periurium, sed vt probarent, secundũ Felin. in cap. cum tu, col. 1. vers. nihilominus. & Loffred. cons. 49.

* Testis vbi est iuratus super tota causa. licet dicat falsũ super accessorijs, non facit fidem quo ad alia.

SVM-

SVMMARIVM.

Petitorij suspensio, an possit fieri, quando probationes sunt factæ de consensu. vt quis possit agere in solo possessorio recuperandæ, seu retinendæ.

1 *Spoliatus non restituitur, quando permittit discuti super proprietate.*
2 *Interdictum recuperandæ priuilegiatum.*
3 *In interdicto retinendæ agens quando possit petitorium facere suspendere.*
Petitorij suspensio in interdictis possessorijs, quare introducta.
4 *Petitorium, an possit suspendi in interdicto retinendæ, si agens consensit probationi super petitorio. & n. 7.*
5 *Dispositio loquens in interdicto recuperãdæ, an habeat etiam locum in interdicto retinendæ.*
6 *Suspensio petitorij, an possit fieri, publicatis prouationibus in petitorio.*
8 *Petitorij suspensio, an admittatur, quando constat de iure spoliantis.*
9 *Suspensio petitorij, quando possit pluries fieri, & quando non. & n. 10.*
11 *Ante conclusionem in causa, quando dicatur in causa liquere.*
12 *Manutenendus, an sit possidens, qui consensit probationibus super dominio, dominio probato.*
13 *Petitorij suspensio, quando excludatur. & num. 14.*
15 *Exceptio dominij notorij, an obstet in interdicto recuperandæ.*
16 *Exceptio dominij, an admittatur in interdicto retinendæ.*

DECISIO XXIX.

Licet spoliatus, ante omnia debeat restitui; tamen quando consentit, quod spo-
1 liator audiatur * super proprietate, ┼ tunc
dicitur renunciasse priuilegio restitutionis.
c. 1. de restit. spoliat. & si illud procedit in
interdicto recuperandæ, quod est priuile-
2 giatum ┼ iuxta Clem. 1. de caus. possess. &
propriet. vt ibi dicit text. à fortiori illud
procedet in interdicto retinendæ, quod
non est priuilegiatum. vt suspendere pos-
3 sit agens tali interdicto ┼ petitorium,
prout dicit Bonifac. in d. Clem. 1. nu. 51.
quia priuilegium suspensionis, saltem petitorij, ab alio intentati. datur in odium
spoliantis. pront dicit d. Clem. in interdicto retinendæ. licet sit molestator. non
tamen est spoliator. & per istam rationem
in interdicto retinendæ. Quod si quis consentiat probationi, quod non possit suspendere petitorium. Ita tenet Ruin. consil.
127. visa facti. colum. penult. volum. 5. &
licet Ias. in §. nihil commune, videatur dictam æquiparationem impugnare. dum
dicit, quod facilius datur retentio, quam
restitutio. Tamen illam æquiparationem
defendit in d. §. nihil commune. Rip. colum. 15. dum dicit, quod grauius delinquit spoliator, quam turbator. nimirum
5 si text. loquens ┼ in interdicto recuperandæ. habebit etiam locum in interdicto retinendæ. Non obstat primo, quod probationibus publicatis in petitorio, potest fie-
6 ri suspensio petitorij. ┼ secundum Abb. in
cap. pastoralis. in fin. & Card. in Clemen.
1. quæst. 14. de caus. possess. Ergo datur intelligi, quod solus consensus in probatio-
7 ne ┼ super petitotio, non excludit à suspensione petitorij. Quia respondetur ad dictas
auctoritates, quod procedunt, vbi illæ probationes in petitorio, essent factæ sine consensu. quia si adesset consensus, & probasset. esset præclusa via suspensionis. prout ita dicit Collectan. in d. cap. 1. Item
& secundo, non dicitur per illas probationes constare de iure spoliantis. quia tunc
8 non ┼ admittitur suspensio petitorij. per
decis. 69. in antiq. alias 4. de caus. possess.
& propriet. Et ideo non obstat, quod suspensio petitorij potest pluries fieri, iuxta
decis. Rot. quia est verum, nisi semel pro-
9 bationi consensisset. Vt dicit Collectan. vt
supra. Item illa decis. 382. in nou. alias 8.
de caus. possess. & propriet. secundum summarium ibi. procedit tantum in causa beneficiali, uon in alia, prout expresse tenet
Rota decis. 205. alias 206. in nou. alias 5.
de caus. possess. & propriet. & licet illam
decisionem impugnet Abb. in cap. pastoralis. colum. penult. versic. & aduerte. de
caus. possess. & propriet. & Paul. de Castr.
consil. 277. volum. 1. vbi dicit communem.
in contrarium. Tamen, sufficit mihi, quod
si Rota dicit, quod pluries sit licitum suspendere petitorium. quod illud ex eadem
10 Rota ┼ constet esse verum, in causa benefiniali. & ideo non obstat, Nec obstat, qnod
ante conclusionem non dicatur de causa
11 liquere. ┼ quia verum, sed facta probatione, poterat index concludere, & pronunciare, ex quo termini sunt seruati, secundum Bonifac. in d. Clemen. 1. colum.
pennlt. versic. tertio collige. de caus. possess. & propriet. ibi dicitur, quod est, ac
si esset conclusum, Nec obstat, quod lite pendente, quis non est sua possessione
priuandus. nam dico, quod etiam spoliatus ante omnia est restituendus. & tamen per consensum adhibitum, amittitur
illud priuilegium restitutionis. Ita est in

* vide circa istã materiam, quæ posui in secundo libro mearum annotationũ decis. 276. & 131. sed ista quæ dico hic videtur veriora.

isto casu amittere debet priuilegium retentionis. ✠ nam cum per probationem constet de non iure suo, non est manutenendus, sed potius à possessione amouendus. Nec obstat, quia ante conclusionem potest probari contrarium. quia donec non probetur portionarij habent intentionem fundatam ex quo termini sunt seruati, vt supra. Nec obstat decis. 393. * in nou. quia illa, licet sentiat, quod non solum sit necessarius consensus, sed etiam sit necessaria ✠ conclusio, vt quis excludatur à suspensione petitorij. Tamen Collectar. in d. cap. 1. colum. 2. versic. probaturum. &c. sentit, quod ex solo consensu excludatur ille à suspensione petitorij. Et quod sit verum, patet quia, si vltra consensum esset necessaria conclusio in causa, cum illud sit iam statutum, & per text. in cap. pastoralis. de caus. poss. & in Clem. 1. de caus. possess. frustra à suspensione petitorij requiretur consensus. de quo in illo text. Ergo dicendum est, quod sicut post conclusionem non potest suspendi petitorium; ita nec post consensum ✠ præstitum probationi proprietatis. & in illa decisione non potest fieri fundamentum, cum Domini fuerint diuisi, & in contrarium est decis. Ægid. 404. Nec obstat quod ideo consensus in probatione dominij excludit à suspensione petitorij, quia in possessorio etiam recuperandæ obstat ✠ exceptio dominij notorij, secundum communem opinionem, de qua per DD. in. §. nihil commune. & notorietas non potest haberi, ante conclusionem, secundum Rot. in d. loco, etiam per glos in cap. significauerunt. de testibus. Quia huic argumento respondet Ægid. in d. decis. quod immo ante conclusionem dicitur etiam esse notorium, nisi aliqua ratione illæ probationes impugnentur, quæ illas probationes dubias reddat, alias nunquam posset dici esse notorium. & maxime quia in casu isto potest dicere pars, quod concludatur, & in causa pronuncietur. Nec obstat quod exceptio dominij, ✠ in interdicto retinendæ, non admittitur, secundum communem, quam testantur, Ias. & Rip. in. §. nihil commune. Ergo portionarij non videntur audiendi. Quia respondeo, quod non admittitur exceptio dominij in continenti probandi. sed vbi est admissus ad probandum, tunc obstet, sicut & dicimus in interdicto recuperandæ. & ita dicit Rip. in d. §. mihi commune. colum. 15. Non obstant .l. ordinarij. & .l. incerti. quia ibi non erat probatum de dominio, prout hic præsupponitur, esse probatum. & ideo si propter probationem dominij sunt à possessione eijciendi, non erunt in ipsa manutenendi.

12 (margin: nam)
* Alias 16. de restitut. spoliat.
13 (margin: sensus)
14 (margin: sensum)
15 (margin: stat)
16 (margin: stat quod exceptio)

SVMMARIVM.

In causa Vigintimillium.

1 *Confessio venditoris, quod partim vendit nomine suo, & partim nomine alterius, an possit diuidi.*

2 *Vendens nomine suo, & alterius in solidum, an fateatur, rem insolidum ad illum spectare.*

3 *Tutor asserens vendere ad vtilitatem, & pro vtilitate pupillæ, an propterea fateatur rem venditam spectare ad pupillam.*

DECISIO XXX.

IN causa Vigintimillium, die 18. Aprilis 1547. fuit dubitatum, An confessio Clementis, de qua in instrumento venditionis vendentis nomine suo, & nomine Cathe-
1 rinæ insolidum, ✠ possit diuidi, & acceptari solum pro ea parte, quæ facit in fauorem pupillæ, & non in ea, quæ facit in fauorem Clementis. Et an, ex quo Rossus, vt procurator tutoris locat, & omnia facit insolidum nomine Catherinæ, & Cardinalis, ratificat contractum, & omnia in eo contenta, teneat ratificatio contractus, non obstante, quod etiam tanquam principalis, & suo nomine ratificet, & quod gestum non nomine suo, non intelligatur ratificatum. Et fuit inter nos dictum, quod cum Clemens vendat pro interesse suo, etiam quod licet postea dicat, quod nomine suo,
2 & nomine ✠ Catherinæ insolidum vendit, per hoc non fatetur rem in solidum ad Catherinam spectare, cum res aliena vendi possit. & ideo licet vendat insolidum nomine Catherinæ, per hoc non excluditur, quod ipse non habeat interesse. Non obstat, quod postea in inferiori parte dicat casale pleno iure ad ipsum, & ad Catherinam spectare, & nulli alij pertinere, & quod dum dicit, quod ad eum pertinet, quod illa confessio eum non releuat. quia licet quoad interesse Clementis illa confessio eum non iuuet. tamen non possumus etiam dicere, quod Clemens fateatur rem insolidum ad Catherinam spectare. Non obstat quod in instrumento locationis Rossus stipuletur, casale restitui Catherinæ, & postea Clemens ratificet contractum, & omnia in eo contenta. quia Clemens quando ratificat, ratificat, vt principalis, & pro interesse suo, & tanquam tutor Catherinæ. & sic Clemens prætendit habere interesse. & licet velit, quod res restituatur finita locatione Catherinæ. tamen per hoc non fatetur rem spectare ad Catherinam.

& idem

& idem potest dici in contractu venditionis dum dicit, quod vtilius erit Catherinæ casale vendere, ✝ & in precium montis conuertere. quia licet videatur ex dictis actibus inferri, quod Clemens faceret ad vtilitatem Catherinæ. tamen per hoc nullibi fatetur Clemens, quod casale ad Catherinam spectat, immo contrarium expresse declarat Clemens in motu proprio, directo depositarijs montis, in quo dicit precium casalis spectare ad hæredes Cosmi de Medices. quorum re vera interest, & sic ex præmissis patet, nullibi constare de aliqua confessione Clementis, in qua fateatur casale ad Catherinam spectare.

SVMMARIVM.

Tutrix quando possit auctorare in re, ex qua commodum reportare habet.

1 *Tutrix licet sit suspecta, tamen antequam remoueatur, an sit tutrix.*

DECISIO XXXI.

IN causa Messanensi baroniæ die 22. Aprilis 1547. proposui dubium. An stante prætenso interesse Theodoræ, potuerit ipsa in lite interuenire, & tutrix esse, attento quod erat alia contutrix. Pro parte negatiua dicebatur, quod ex quo erat reportatura Theodora commodum ex euentu victoriæ, quod in lite auctorare non poterat, ad text. in .l. 1. ff. de auct. tutor. & tanto magis, ex quo erat alia contutrix, ex ijs, quæ dicit Curt. Iun. consil. 29. colum. 3. versic. circa primam. Sed hoc non obstante, fuit resolutum, quod Theodora potuerit auctorare. quia licet propter prædictum interesse esset suspecta. ✝ tamen antequam remoueretur remanebat tutrix. Afflict. decis. 207. quædam Domina Polisena. Secundo fuit dictum, quod licet prætensum interesse, esset iusta causa suspicionis, in alia persona, ad remouendu. tamen non attenditur in matre, & auia. glos. in authen. minoris. in verbo. accurationé, ad finem. & ibi Bart. Bald. & Salicet. C. de pet. tut, & per Afflict. in d. decis. 207. Secundo fuit dictum, quod dictum interesse non erat in consideratione, cum non esset principaliter, sed in quandam consequentiam. quia non principaliter aliquid erat gestum, inter pupillum, & Theodoram, sed inter Ioannem Gallego, Angelam, & pupillum. & licet ex victoria Theodora commodum reportare haberet, tamen illud erat in consequentiam. quo casu in actu ex quo tutrix commodum reportare habet in consequentiam, bene tutrix auctorare potest ad .l. 1. & .l. quod dicimus. ff. de auct. tut. Bald. in .l. bonorum. 2. vbi late. C. qui admitt. & faciunt plura, quæ congerit in .l. si quis nec causam, ff. si cert. pet. Non obstat cons. Curt. 29. quia ibi erat tutor, auctorabat in actu celebrato inter pupillum, & tutorem principaliter; hic autem nil gestum erat principaliter inter tutorem, & pupillum, sed in quandam consequentiam, in re propria auctorabat. Non obstat quod illud, quod dicitur in .l. quod dicimus. ff. de auct. tut. procedit in actu prohibito, qui venit in consequentiam ad actum permissum, prout d. l. quod dicimus. ita intelligit Cin. & Salicet. in .l. 3. C. de iudic. & in casu nostro, actus prohibitus, non venit in cõsequentiam ad permissum. quia fuit responsum, quod immo veniebat in consequentiam; nam inter Ioannem Gallego, & Angelam ex vna, & pupillum ex alia, erat actus permissus, & in isto actu tutrix poterat auctorare; licet in consequentiam veniret actus prohibitus, scilicet prætensum interesse. Item non obstat, quod quando est suspicio, quod actus magis cedat in commodum tutoris, quam pupilli, etiam quod veniat in consequentiam, tutoris auctoritas non potest operari, secundum Cuman. in .l. 1. ff. de auct. tut. quia fuit dictum, quod contrarium dicit Claud. Aquen. in .l. 1. §. fuit quæsitum. ff. ad Trebell. nam si pupillus est rogatus restituere hæreditatem tutori, potest tutor auctorare, & non maior vtilitas est respectu tutoris, quam pupilli. item dicebatur, quod hic non eramus in illo casu, cum hæc vtilitas tutoris esset euentualis, & de nulla vtilitate pupilli tractaretur.

SVMMARIVM.

Intimatio exequutorialium debet fieri personaliter, & non sufficit, quod domi fiat.

1 *De censuris vbi tractatur, intimatio debet fieri personaliter, & non sufficit, quod domi fiat.*

2 *Clem. causam. de elect. habet locum in citatione causæ deuolutiuæ.*

DECISIO XXXII.

IN vna Castri Costæ Mazzanæ, coram D. Prospero, die 22. Aprilis 1547. 1 fuit resolutum, quod ✝ intimatio exequutorialium, debebat fieri personaliter. quia tractabatur de censuris per decis. 271. in-

nou. & non sufficiebat intimatio facta ad domum. iux. Clem. ad causam. de elect.
3 quæ locum habebat + in citatione causæ deuolutiuæ. nisi constaret, quod ipse impediret quominus exequutoriales personaliter intimari possent. vt dicit d. decisio.

SVMMARIVM.

Regula de infirmis resignantibus, locum habet in perpetua commenda.

DECISIO XXXIII.

IN vna Veronensi parochialis, coram D. Prospero, eadem die. fuit tentum, quod regula de infirmis resignantibus haberet locum in commenda perpetua. per ea quæ dicit Sarnen. super dicta regula de infirmis. quæst. 13. maxime stantibus verbis regulæ Pauli, dicentibus. si quis resignauerit beneficium. itaquod potest intelligi de beneficio commendato, & dato in titulum.

SVMMARIVM.

Iuramentum perhorrescentiæ per Innocentianam, potest in qualibet parte iudicij præstari, ad effectum validandi processum de curia. non autem ad effectum annullandi processum de partibus interea gestum.

1 *Ablatiui absoluti important conditionem. & conditio formam.*
2 *Iuramentum perhorrescentia in qua parte causa debet præstari.*
3 *Iuramentum, an retrahatur in præiudicium iuris quæsiti.*
4 *Processus iudicum de partibus, etiam reuocatorum per secundum rescriptum, quando valeat.*

DECISIO XXXIV.

NOna Martij 1547. fuit resolutum coram me, in vna Messanensi baroniæ, quod licet Innocentiana velit, quod iuramentum perhorrescentiæ, possit præstari in qualibet parte iudicij, quod illud intelligendum sit ad effectum validandi processum in curia solutis expensis, non autem ad effectum annullandi processum factum in partibus. nam cum commissio dicat. recepto iuramento. & ille ablatiuus
1 importet + conditionem. l. à testatore. de condit. & demonstrat. & conditio formam. Felin. in cap. cum dilecta. colum. 6. versic. secundum signum. de rescript. iuramentum
2 debet + præstari in initio, neque potuit postea præstari. ad not. per Bald. in l. 1. C. qui admitt. Felin. in d. cap. cum dilecta. colum. 11. versic. amplia sexto. Et ideo, cum Innocentiana sit correctoria, & tantummodo sanet defectum prouenientem ex §. cum vero. cap. statutum. de rescript. in 6. non debet extendi ad alium effectum prouenientem ex non obseruantia formæ commissionis. Præterea, debet intelligi ad effectum validandi processum de curia, non autem ad effectum annullandi processum de partibus. quia tanquam correctoria, dicitur strictè intelligi. & quia iuramentum non
3 debet retrotrahi + in præiudicium iuris iam quæsiti ex processu in partibus agitato ante iuramentum. ad glos. in regula ratihabitatio. de regul. iur. lib. 6. Alexand. consil. 78. colum. 4. num. 16. volum. 5. & per alia, de quibus in informatione iuris. Et cum iudices de partibus ignorarent iuramentum fore præstitum, neque illis fue-
4 rit intimatum, processus + per iudices de partibus, etiam reuocatos per secundum rescriptum, valet. Felin. in cap. cæterum. colum. 8. versic. valet processus. & cæt. de rescript.

SVMMARIVM.

Acceptatio fieri potest, etiam litteris non expeditis, vigore mandati de prouidendo cum sola supplicatione, reuocatis gratijs expectatiuis, cum regulæ sint etiam reuocatæ.

1 *Expectatiuis reuocatis, an statim censentur reuocatæ regulæ concernentes dictas gratias. & num. 4.*
2 *Mandatum de prouidendo expectatiua pinguis.*
3 *Regula Cancellariæ semel mortua, an reuiuiscat.*

DECISIO XXXV.

IN vna Barchinonensi * Prioratus Virginum, coram D. Mohedano, pro Hieronymo de Enciso, contra Bernardinum de la Cruce, fuit resolutum die 13. Maij 1547.
1 quod reuocatis + gratijs expectatiuis, sint reuocatæ regulæ concernentes ipsas gratias expectatiuas. quia ita dicitur in proœmio

* Ista causa fuit iterum posita 16. Maij & iterum ita resolutum.

mio ipsarum regularum, dum in eo dicitur. quas, durantibus gratijs ipsis, obseruari voluit. & ideo quod Hieronymus, qui post gratias expectatiuas reuocatas habuerat quod dū mādatū de prouidēdo de beneficio quod infra mensem duxisset acceptandum. cum clausula prouisionis. ex nunc prout ex tunc, & ē contra. &c. potuisset acceptare beneficium vacans vigore dicti mandati, etiam litteris non expeditis, non obstante regula. de non acceptando litteris non expeditis. quia licet dicta regula dicat, quod nullus valeat acceptare vigore gratiæ expectatiuæ, seu specialis reseruationis. &c. tamen fuit intellecta regula vigore specialis reseruationis durantibus gratijs expectatiuis. prout dicitur in proemio regularum super expectatiuis. Non obstat, quod mandatum de prouidendo, dicatur expectatiua pinguis. & ideo stante mandato, dicatur extare expectatiua. & ideo regula vigere debet. quia fuit dictum, quod ex quo præcesserat generalis reuocatio, gratiarum, expectatiuarum, mandatorum. &c. quod facta dicta reuocatione, regulæ expirauerant. Licet ergo post superuenerit mandatum de ✝ prouidendo,
2 quod expectatiua pinguis nuncupari poterat, tamen regula semel mortua ✝ reuiui-
3 scere non poterat. Non obstat, quod etiam ante concessionem dicti mandati. alia similis regula innouata fuerat. & gratiæ expectatiuæ concessæ fuerant. & postea mandatum de prouidendo, & vacatio beneficij. fuit postea de mense Augusti 1545. & sic videbatur, quod propter illam regulam innouatam, saltem requirebatur acceptatio. Quia fuit responsum, quod cum processus, ante mensem Februarij postea sequutum, quod non fuerint fulminati, quod tales gratiæ expectatiuæ, non essent in consideratione, nec per consequens regulæ super eis editæ. cum debeant intelligi, duran-
4 tibus ✝ gratijs expectatiuis, quæ effectum sortiri possunt. prout ita considerauit Staphil. in tract. de lit. grat. & iustit. fol. 5. par. 1. versic. nec est verum. &c.

SVMMARIVM.

Beneficium, quod de iurepatronatus, etiam forsan ex dotatione & fundatione existat, quomodo talis clausula intellecta.

1 *Beneficium esse iurispatronatus, an probetur ex confessione facta in noua prouisione.*

2 *Species, quando videantur comprehendi sub generali sermone, vel potius ex genere videantur extractæ. & num. 4.*

3 *Species quando veniunt post genus, quid operentur.*

5 *Confessio in vna oratione qualificata, an debeat cum sua qualitate acceptari.*

DECISIO XXXVI.

DOminus Nicolaus Virgilius, in quadam noua prouisione dixit hæc verba. vacante parochiali S. Thomæ de Braima, quæ de iurepatronatus laicorum etiam forsan ex fundatione & dotatione existit. Dubitaui ego die 13. Maij 1547. in vna Bononiensi, parochialis S. Thomæ. an
1 ex huiusmodi confessione ✝ facta in noua prouisione, constet quod parochialis sit de iure patronatus parochianorum ex fundatione, seu dotatione. Et fuit resolutum quod sic. per decis. 4. de probat. & 7. de iurepatron. Cassad. Non obstat, quod ex aduerso dicebatur, quod aut fiebat fundamentum in illis verbis. quæ de iure patronatus laicorum. & tunc, cum post illam generalem probationem essent specificatæ species, ex dotatione & fundatione, illæ non videbantur sub generali sermone comprehendi, sed
2 potius illæ species videbantur à ✝ genere extractæ. l. quæsitum. §. si quis fundum. vbi Glos. & Bart. de fund. instruct. & ideo cum per illam enumerationem, illę species essent extractæ, non comprehendebantur in illa generali loqutione, quæ de iure patronatus existit. sed potius aliæ species comprehensæ viderentur. videlicet ex consuetudine & præscriptione. Aut fiebat fundamentum super illis verbis. etiam forsan ex dotatione & fundatione. & cum illa verba dubitatiue essent prolata, non poterat in illis verbis fieri fundamentum. secundum Cassad. in dictis decisionibus, quando fit in eis differentia, an per verbum. vt asseris. aut, vt asseritur. Quia fuit responsum, quod quando species veniunt post genus gratia dubitationis tollendæ, & declarandi potius quod in genere comprehendebatur, tunc non diminuunt, sed potius augent.
3 ea ✝ quæ in genere ponuntur. & maxime respectu eiusdem personæ. secundum eundem Bar. in d. §. & Dynum in regula. generi per speciem. versic. tertio casu. nam quando genus legatur vni, & alteri species, tunc quia ista videntur habere quandam
4 repugnantiam, tunc bene verum est, quod species censentur à genere extractæ. at in casu isto nulla est repugnātia. sed illa verba. etiā forsan ex dotatione & fundatione, causa declarandi quid in genere comprehendi voluit censentur esse prolata. Et licet ipse proferens, illas species dubitatiue proferat dicendo, forsan. tamen quia asseruit quod

esset de iurepatronatus, statim intrat di-
spositio illarum decisionum, quod præsu-
matur esse ex dotatione & fundatione, ni-
si contrarium probetur. & maxime in ca-
su isto, vbi patroni erant in quasi possessio-
ne præsentandi. & probabantur multæ præ-
sentationes sortitæ effectum de antiquo. Et
ita fuit tentum per quatuor Dominos ex
sex, duobus Dominis vltimis contradicen-
tibus. Et aduerte quod isti duo vltimi non
sine ratione contradicebant. Nam hic a-
gitur de probando iuspatronatus ex con-
fessione Nicolai. nam si non adesset illa
confessio, certe Bernardinus aduersarius,
aliunde probare debebat. si ergo Nicolaus
simpliciter dixisset, quod parochialis erat
de iurepatronatus, tunc quia illa confessio
poterat comprehendere omnem speciem
patronatus: nimirum si illæ decisiones Cas-
sadori volunt, quod intelligatur etiam con-
fessio facta, quod parochialis sit de iure
patronatus laicorum. istud autem in casu
nostro dici non potest. quia etsi à principio
Nicolaus dixerit, quod parochialis esset
de iurepatroantus laicorum, tamen per
enumerationem specierum sub verbo. for-
san. voluit declarare, quod dotatio & fun-
datio, quæ sub genere comprehendebatur,
intelligebatur dubitatiue, non autem af-
firmatiue. Sed replicari potest, quod sta-
tim quod Nicolaus affirmat, quod paro-
chialis est de iurepatronatus, non attendi-
tur quid ipse sentiat, sed statim intrat
dispositio iuris, quod sit ex dotatione &
fundatione. Non obstat etiam, quod hic
simus in vna oratione qualificata. & ideo
5 cum sua qualitate ✝ illa confessio accepta-
ri debebat. Bart. in .l. Aurelius. §. idem
quæsiit. quia fuit responsum, quod illa
confessio, quæ de iurepatronatus accep-
tabatur, & illa opinio seu dubitatio con-
fitentis non attendebatur.

SVMMARIVM.

Mandatum generale ad omnes & singulas causas, non solum intelligitur de præsentibus, sed etiam futuris.

1 *Procurator quando censeatur constitutus ad causas futuras.*
2 *Obligans bona, etiam quod habeat bona de præsenti, tamen censetur etiam obligare bona futura, & quare.*

DECISIO XXXVII.

IN vna Placentina bonorum, seu hæredi-
tatis de Pallauicinis, fuit resolutum co-
ram me, die 16. Maij 1547. quod procu-
rator constitutus ad omnes & singulas cau-
sas, censeatur constitutus non solum ad
1 causas præsentes, sed etiam ✝ futuras. per
decis. 413. * in nou. & quia istam dicit com- * alias 32. de procur.
munem Alex. in addit. ad Bart. in .l. dam-
ni. §. si is qui. ff. de damn. infect. in verbo.
futuras. Non obstante quod additio ad de-
cis. 19. * in nou. distinguat, an quis habeat * alias 1. de procurat.
causas de præsenti, vel non. & sequatur Pa-
ris. consil. 43. num. 13. lib. 4. & etiam de-
cis. 563. * in antiq. simpliciter dicat, quod * alias 10. de procur.
non trahitur ad futuras. quia dicta decisio
413. & communis opinio, simpliciter dicũt,
quod trahitur ad futuras. & fundamentum
consistit in l. fin. C. quæ res pign. oblig. po.
2 vbi obligans bona, ✝ etiam quod habeat bo
na de præsenti, tamen censetur etiam obli-
gare bona futura. Eeratio est, quia tracta-
tur de modico præiudicio. & ita est in ca-
su isto.

SVMMARIVM.

Statutum Fulginatẽse, quod nulla mulier dotata possit petere supplementum legitimæ, sed suo legato contenta sit, quomodo intelligitur.

1 *Nigrum an declaretur per rubrum.*
2 *Copula. &. quomodo copulet præcedentia cum sequentibus.*
3 *Statutum quod fœmina non succedat nisi in certa parte ab intestato, stantibus masculis ex testamento, in eo in quo testator voluerit, quomodo intelligatur.*
4 *Vna pars statuti, declaratur per aliam.*
5 *Statuta an debeant intelligi attenta situatione, scilicet secundum rubricam sub qua ponuntur.*
6 *Mulier exclusa à successione ab intestato, censetur etiam exclusa à legitima.*
7 *Legata fiunt in codicillis, & ab intestato.*
8 *Ab intestato venientes, an dicantur venire ex tacita voluntate defuncti.*
9 *Verbum. legatum. generale est.*
10 *Statutum excludens fœminas propter masculos, an fauorabile, & extendendum de causa intestati, ad causam testati.*

DECISIO XXXVIII.

IN Ciuitate Fulginatensi adest statutum sub rubrica. De successionibus mulierũ ab intestato. nigrum subsequitur. Item statuimus & prouidemus, quod nulla mulier si, dotata fuerit à patre vel matre, auo vel proauo, auia vel proauia, seu per verba de præsenti desponsata legitime, possit venire ad successionem ab intestato patris vel mà-

matris, aui vel proaui, auiæ ſeu proauiæ, do-
nec ſupereſt aliquis maſculus, natus ex legi
timo matrimonio, de linea & ſtirpe maſcu-
lina deſcendens, omnium prædictorum vel
alicuius ipſorum. à quocunque dotata eſſet,
nec etiam poſſit venire ad ſucceſſionem
aſcẽdentiũ ſeu deſcendentiũ ex aliquo præ-
dictorum, donec ſupereſt aliquis maſculus
prædictorum deſcendens à prædictis. Et
poſt multa, in finalibus verbis eiuſdem ſta-
tuti ſũt verba. Et quod nulla mulier dotata
poſſit petere ſupplementum legitimæ, ſed
ſuo legato contenta ſit. & ſi qua peteretur
ſuper ipſa petitione non debeat aliquate-
nus audiri. Dubitaui ego, die 16. Maij 1547.
an ſtatutum Fulginatẽſe. de ſucceſſionibus
mulierum ab inteſtato in vltima parte in
illis verbis. & quod nulla mulier. &c. intel
ligatur etiam ab inteſtato, ſicut in præce-
dentibus, de ſucceſſione ab inteſtato loqui-
tur. vel ſaltem, clauſula. donec ſupereſt ali-
quis maſculus cenſeatur repetita. Et fuit
reſolutum, quod ſtatutum etiam in vltima
parte loqueretur ab inteſtato, & quando lo-
queretur ex teſtamento, intelligeretur re-
petita illa clauſula, donec ſupereſt maſcu-
lus. Et primum patet, quia eramus in
1 rubrica. de ſucceſſionibus ab inteſtato. ✝ &
nigrum declaratur per rubrum. Non ob-
ſtat, quod nigrum poſſit eſſe generalius.
quia eſt verum vbi expreſſe diſponit pluſ-
quam in rubro. ſed in dubio, nigrum, ſecun-
dum rubrum intelligitur. Item, quia illa di-
2 ctio. &, copulat omnia ✝ præcedentia cum
ſequentibus, & cum qualitatibus ſuis, &
ad hoc fuit allegata doctrina Bald. in .l. om-
nes populi. quam ſequitur Iaſ. in .l. 2. ff.
ne quis eũ qui. Quod ſi ſtatutum dicit, quod
3 fœmina non ✝ ſuccedat, niſi ex certa parte
ab inteſtato, ſtantibus maſculis, ex teſta-
mento verò in eo, in quo teſtator volue-
rit. intelligitur ex teſtamento, ſtantibus ma
ſculis. & ponit Bald. duas rationes, quæ
ad propoſitum faciunt. prima eſt, quia
4 vna pars ✝ declaratur per aliam. ſecun-
da ratio, quia copula, puta illa dictio, vero,
copulat cum qualitatibus ſuis. Non obſtat
quod ſtatutum generaliter loquitur in vl-
tima parte, ergo generaliter intelligi debet.
& ſic tam ab inteſtato, quam ex teſtamen-
to. quia fuit reſponſum, quod attenta ſi-
5 tuatione, ✝ debebat intelligi ſecundum
rubricam ſub qua ponebatur. ad vulgata
iura. Immo iſtud argumentum retorque-
batur. aut ſtatutum generaliter loquitur,
& tunc etiam erit intelligendum, etiam
quando extraneus eſſet inſtitutus, quod fœ-
mina dotata excluderetur à ſupplemento
legitimæ. & iſtud eſſet impium. aut vo-
lunt quod fœmina excludatur à ſupple-
mento ſolum contemplatione filiorum,
ergo illa qualitas. donec ſupereſt maſcu-
lus, repetenda erit. Non obſtat quod ſta-
tutum eo modo intelligendo, eſſet de in-
6 dubitabili, cum ſecundum ✝ communem
opinionem, mulier excluſa à ſucceſſione
ab inteſtato, cenſetur etiam excluſa à le-
gitima. vt per Alexand. in .l. Gallus. in .§.
& quid ſi tantum. ff. de liber. & poſthum.
Quia licet hodie iſta ſit communis, tamen
negari non poteſt, quin variæ fuerint opi-
niones, & contrariæ, etiam virorum do-
ctiſſimorum, & ideo nimirum ſi ad tol-
lendas ambiguitates & diſputationes do-
ctorum, ſtatutum voluerit ita prouidere.
Non obſtat quod ſtatutum loquitur de le-
gatis quæ fiunt in teſtamentis, ergo vlti-
ma pars intelligitur ex teſtamento. Quia
7 fuit dictum, quod etiam legata ✝ fiunt in
codicillis, & ab inteſtato .l. conficiuntur.
ff. de iur. codicill. not. in l. 1. ff. de leg. 1.
& in l. 1. C. commun. de legat. & etiam
quod ſupplementum legitimæ, præſupponat
cauſam teſtati, tamen etiam non repu-
gnat cauſæ inteſtati. quia filiæ poteſt re-
linqui aliquid in codicillis quod ſit mi-
nus legitima, & vigore ſtatuti ſupple-
mentum petere non poterit. Et cum in
toto ſtatuto non fiat mentio aliqua de
teſtamento, nec in aliqua parte præce-
dentium fiat mentio de legato, ſed tantum
in vltima parte dicatur. legato ſuo. propter
illam dictionem. ſuo. ego intelligerem illa
verba. & quod nulla mulier dotata poſ-
ſit petere ſupplementum, ſed ſuo legato
ſit contenta, ideſt dote, ex quo dicit, ſuo
legato, ideſt eo quod ſibi relictum eſt.
Nam nulli dubium, quod venientes ab in-
8 teſtato, dicuntur ✝ venire ex tacita vo-
luntate defuncti. & idèo cum ſtatutum,
tam in principio quàm in fine, loquatur
de muliere dotata, illam dotem, ſtatu-
9 tum legatum appellauit, cum ✝ verbum
legatum, generale ſit. ad not. in d. l. 1. ff.
de legat. 1. Non obſtat, quod ſtatutum ex-
cludens fœminas propter maſculos, ſit fa-
10 uorabile. ſecundum communem ✝ opi-
nionem. & ideo debet extendi de cauſa
inteſtati, ad cauſam teſtati. quia verum
eſt ſtantibus maſculis. ſed ipſis ceſſan-
tibus, odioſum eſt. & ideo ſtatutum no-
luit eas excludere niſi temporaliter. Et
ideo fuit concluſum, quod dictum ſtatu-
tum, loquatur ab inteſtato. & quan-
do eſſet intelligendum in cauſa
teſtati, deberet intelligi cum
illa qualitate. donec ſu-
pereſt maſcu-
lus.

SVM-

SVMMARIVM.

An facultas, seu licentia dispensandi super secundo consanguinitatis gradu, comprehendat vbi ille gradus, est prohibitus ex duplici capite.

1 *Dispensandi seu legitimandi facultas, an comprehendat duplicem casum, & mixtum defectum.*
An odiosa vel fauorabilis. num. 2.
3 *Consilium Calderini primum de consanguinitate & affinitate, quomodo intellectum.*

DECISIO XXXIX.

a Et dispensatio super matrimonio, licet matrimonium sit fauorabile, est odiosa, & stricte interpretanda, Paul. de Castr. consil. 221. Gemin. consil. 33. colum. 3. in fin. vers. nam verba. Cac. consil. 53. Barbat. consil. 54. volum. 1. Paris. consil. 32. num. 38. volum 4. Corn. consil. 101. colum. 3. in 2. volum. Et dispensatio concessa ad instantiã supplicantiũ, est odiosa. Gozadin. consil. 51. num. 41.

VIgesima Maij 1547. in causa Messanensi, baroniæ. supposito impedimento consanguinitatis ex duplici capite. An dispensationes seclusa copula suffragentur Don Georgio. Et in isto puncto, licet respiceret omnes dispensationes concessas Don Georgio, tamen pro parte Don Georgij, tantum fuit informatum super prima dispensatione, directa Archiepiscopo Messanẽsi, ad instantiam Vincentij Hieronymi, sub dat. 5. Augusti 1530. in qua Clemens dicit, quod exposito sibi pro parte dilecti filij Vincentij Hieronymi, & Isabellæ Larcan. quod ipsi desiderantes ex certis rationabilibus causis, inuicem matrimonialiter copulari, sponsalia inter se per verba de futuro contraxerunt. sed quia secundo consanguinitatis gradu inuicem sunt coniuncti, desiderium in hac parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicæ dispensatione. quare humiliter supplicari fecerunt, vt sibi de opportuno dispensationis remedio prouidere dignaretur. Papa committit, si est ita, cum eisdem Vincentio & Isabella, quod impedimento consanguinitatis huiusmodi non obstante, matrimonium inter se libere contrahere. &c. & de ista dispensatione constat fol. 180. Fuit enim dictum, quod et-
1 si variæ sint opiniones, an facultas ✝ dispensandi & legitimandi, comprehendat duplicem casum, & mixtum defectum. ad ea quæ habentur in .l. 2. de verbor. obligat. tamen illud declaratur procedere in priuilegio & facultate dispensandi, non respiciente fauorem certæ personæ, cum qua erat dispensandum. sed de facultate dispensandi simpliciter alicui, quo ad
2 patientem defectum. prima ✝ enim facultas, est odiosa, & stricte interpretanda. altera vero reputatur fauorabilis. Abb. & alij in cap. at si clerici. §. de adulterijs. colum. 5. versic. certe seruanda. & est communis opinio. vt per Claud. in d. l. 2. colum. 2. in princip. versic. sed circa quæstionem pertinentissime. &c. & ibi Alciat. col. 9. vers. fallit secundo Abb. & Felin. in cap. fin. de simon. Et videtur Princeps potius cõcessisse gratiam personæ nominatæ quam mandatario. quando vero committit in genere, reputatur Principis beneficium. & ideo late interpretandum .l. fin. ff. de constitut. princip. Non obstat consil. Cald. 1. sub tit. de consanguin. & affinit. ponderando ver-
3 ba de quibus ibi. dum dicit. & ✝ maxime personis nominatis. quia in primis, illud cons. intelligitur quando fuit facultas concessa, certa persona non nominata. & ita intelligit Præpos. in cap. quod dilectio. de consanguin. & affin. Non obstant illa verba. & maxime personis nominatis. quia totum illud consil. intelligitur quando illa facultas est concessa Episcopo motuproprio. & sic principaliter conceditur ipsi Episcopo, tamen secundario nominantur certæ personæ. at in casu isto, priuilegium dispensandi, fuit concessum illis personis nominatis, quia concessum ad supplicationem eorum. & ad effectum vt mitteretur exequutioni fuit commissum Archiepiscopo Messanensi, vt cum supplicantibus dispensaret. Et ita in isto puncto conclusum fuit. Item & secundo, fuit dictum, quod ex alio illa dispensatio non tenebat. nam posito quod verum esset, quod Archiepiscopus haberet facultatem dispensandi in vtroque duplici impedimento, tamen illud uoluit, cum tantum sibi simplex gradus prohibitionis narratus fuerit, vt patet in articulis coram eo productis. ergo super illo defectu tantum dispensare voluit, non autem super duplici, sibi non exposito, nec articulato.

SVMMARIVM.

Successor obligatus ad debita prædecessoris, post litem contestatam ad aliam Ecclesiam translati, etiã tenetur illa debita soluere.

1 *Episcopus translatus de vna ad aliam Ecclesiam, an teneatur sistere iudicio moto, dum præerat primæ Ecclesiæ, & iudicatum soluere.*

Præ-

2 *Prælatus, qui percipit fructus Ecclesiæ, tenetur ad onera & debita.*

DECISIO XL.

Vigesimatertia Maij 1547. in causa Zamorensi pecuniaria, proposui dubium. præsupposita litis contestatione, & processu facto cum R. P. D. Petro Emanuel, tempore quo ipse præsidebat Ecclesiæ Zamorensi super debitis sui prædecessoris. An translato eodem Petro ad
1 Compostellanam Ecclesiam, ✝ teneatur nihilominus idem sistere iudicio, & iudicatum soluere. Et fuit resolutum quod teneretur. per consil. Gemin. 3. dum vult, quod cum de fructibus sint soluenda onera
2 & debita Ecclesiæ, ille qui percipit ✝ fructus, tenetur ad onera & debita. & deinde si Prælatus qui percipit fructus, mortuus est, vel translatus. tenentur eius hæredes. & ideo cum Petrus perceperit fructus, & semel fuerit obligatus, & illa obligatio in iudicium fuerit deducta, per eius translationem obligatio non extinguitur, ne mora sua sibi proficua sit. & imputetur sibi, quia à principio non soluit.

SVMMARIVM.

Subreptio priorum litterarum, an per secundas sit sublata.

1 *Gratia non redditur subreptitia ex omni tacito, sed ex quo.*
2 *Mandatum de dispensando, an habeat vim dispensationis.*

DECISIO XLI.

Die 27. Maij 1547. in causa Messanensi baroniæ, fuit per me dubitatum. An ex secundis litteris Clementis, tollatur si qua prætensa subreptio fuit in primis. primæ litteræ continebant, quod impedimento secundi consanguinitatis gradus non obstante, Vincentius & Isabella matrimonium inter se, libere & licite contrahere valerent. & quia à nonnullis asserebatur, quod pro quanto dictus secundus erat duplex, poterat dubitari de validitate dictæ dispensationis, ideo superuenerunt secundæ litteræ dicti Clementis. in quibus narrato tenore priorum litterarum, & subiuncto, quod per Vicarium Archiepiscopi fuerat processum ad dispensationem, additur, quod tamen à nonnullis nimium curiosis, & plusquam aliquando oporteat scire satagêtibus, ex eo quia vnde secundus gradus consanguinitatis huiusmodi, ex duplici cõsanguinitatis gradu proueniret, expressa mentio facta non extitit de vigore dictarum litterarum, & illarum vigore subsequuta dispensatione, hæsitabatur, seu hæsitari posset, idem Clemens ad omne in præmissis dubium tollendum, committit Episcopo Neocastrensi, in ciuitate seu diœcesi Messanensi commoranti, quatenus si ita est, litteras prædictas, & illarum vigore subsequutam dispensationem ac matrimonium contractum, etiam carnali copula consumatũ, valida existere. dictasq. litteras, & subsequutam dispensationem eis suffragari in omnibus & per omnia, perinde ac si in dictis litteris, quod impedimentum secundi gradus huiusmodi, proueniebat ex vtraque linea, ex eo quod alter parentum ipsorum Vincentij & Isabellæ auunculus, & alter amita extiterant, expressa mentio facta fuisset, nunciaret, & declararet, prout iuxta casus huiusmodi successum, fuit de iure faciendum. Et quod subreptio esset sublata, di-
1 cebatur quod non ✝ omne tacitum, reddit gratiam subreptitiam, sed illud quod difficilius, vel quo expresso, Papa gratiam non concessisset. per decis. 4. Aegidij. sed hic, expressio duplicis impedimenti non fecit Principem difficiliorem, nec eum à concessione retardauit, vt patet ex secundis litteris, ergo prima gratia nonfuit subreptitia. Item quia in secundis litteris dicitur. à nonnullis curiosis dubitatur. & plusquam scire satagentibus. & Papa dicit. ad omne dubium tollendum. & sic Papa videtur significare, quod ista erat dubitatio curiosa, & non necessaria. ergo per secundas litteras declarat quod in primis litteris sub illo simplici, comprehendebatur casus mixtus. & qui declarat, nil de nouo facit. His non obstantibus, fuit resolutum, quod subreptio & defectus priorum litterarum, nõ esset purgatus. Quis licet in parte narratiua, Papa dicat, quod ab aliquibus curiosis & satagentibus scire plusquam oporteat, tamen hoc non obstante, non simpliciter declarat Papa, quod in prioribus litteris non sit subreptio, nec quod per priores matrimonium sit validum. sed committit Episcopo Neocastrẽsi, vt declaret & denunciet, matrimonium perinde valere, ac si in prioribus de duplici fuisset dictum. de secundo prout de iure fuerit faciendum. sed de iure istud Episcopus facere non poterat. quia si primum matrimonium erat nullum, non poterat Episcopus declarare illud fore validum, sed potius de nouo erat dispensandum. Item in secundis litteris, requirebatur propter clausulam, si ita est, informationem

nem sumere, & de ista informatione per Episcopum sumpta, non constabat, nec isto
1 casu, mandatum † de dispensando habebat vim dispensationis, ex not. per Paris. consil. 57. colum. fin. volum. 4.

SVMMARIVM.

Regula declaratoria regulæ de publicandis, videlicet, quod à die datæ, & non consensus præstiti, sex menses currant, quomodo intellecta.

1 *Regula Cancellaria declaratoria alterius regula, est intelligenda iuxta terminos regula declarata.*
Regula de publicandis, an posset intelligi, de consensu prastito post obitum.
2 *Resignatio beneficij, an sit perfecta consensu non prastito ante obitum, in Cancellaria, seu coram notario Camera.*
Verba regula Cancellaria, vbi non conueniunt, nec eius dispositio conuenire debet.
3 *Resignans ante consensum prastitum, an desinat esse Rector Ecclesia, & recte ei respondetur de redditibus Ecclesia.*

DECISIO XLII.

IN vna Segobiensi beneficij de Villa Castrin, coram D. Reomano fuit dubitatum, die 27. Maij 1547. An regule Pauli Tertij declaratoria regulæ de publicandis, in qua cauetur, quod sex menses dati ad publicandum, à die datæ, & non à die præstiti consensus currant. obstaret resignationi habenti consensum post obitum. Et fuit resolutum; quod dicta regula declaratoria non intelligeretur in consensibus præsti-
1 tis post obitum, quia † regula declaratoria erat intelligenda iuxta terminos regulæ declaratæ. regula autem declarata, videlicet regula de publicandis, non poterat intelligi in consensu præstito post obitum, patet, quia illa regula præsupponit, quod in vita sit præstitus consensus, & resignatio perfecta, dum dicit, quod si infra sex menses publicatio non fuerit facta, beneficium censeatur vacare per obitum, & non per resignationem. & sic supponit, resignationem ante obitum esse factam. sed quando ante obitum consensus formiter in Cancellaria, seu notario Ca-
2 meræ non est præstitus, non † potest dici resignatio facta. ergo cum non conueniant verba regulæ, nec eius dispositio, & ita si regula interpretata, non intelligitur in resignatione, in qua post obitum consensus præstatur; ita nec regula interpretans. & aliter intelligendo regula ad impossibile obligaret, videlidet, quod ante resignationem perfectam, quis teneretur eam publicare. Nec obstat, quod regula sit facta ad tollendum fraudes. quia dicebatur, quod nulla erat fraus, ex quo
3 ante consensum † præstitum, ille non desinebat esse Rector, & ideo iuste ei soluebatur, & verus erat interim Rector, & si qua fraus considerari poterat, illa fiebat lege permittente, postquam, per Alexandrinam, consensus potest post obitum præstari. & aliæ rationes fuerunt consideratæ, de quibus in informatione Aduocati.

SVMMARIVM.

Contractus in scriptis, quando dicatur fieri.

DECISIO XLIII.

CОntractus tunc dicitur fieri in scriptis quando dictum est, quod aliter non valeat. fuit resolutum in vna Placentina salis, coram D. Prospero, die 27. Maij 1547. quidquid dicat Paul. de Castr. in l. cum res. C. de probat: & in l. contractus. C. de fid. instrument. cuius dictum communiter dicit recipi Ias. consil. 153. volum. 2. quia illud dictum Paul. de Castr. communiter reprobari, dicit Dec. consil. 340. & in l. pactum, quod bona fide. colum. 2. versic. & ex hoc infere Paul. de Cast. 1
C. de pact. Claud. & Aret. in l. qui bis idem. ff. de verb. obligat. vbi etiam atte- 2
stantur dictum Pauli communiter reprobari, & Aret. consil. 160.

SVMMARIVM.

Exequutoriales per Rotam decretæ, & condemnato intimatæ, non potest declaratoria censuratum per Auditorem Cameræ fieri, nisi præcedat monitorium, quod coram eo compareat, ad videndum se declarari.

DECISIO XLIV.

LIcet Auditor Cameræ sit exequutor litterarum Apostolicarum, & omnium censurarum latarum in Curia, Tamen voluerunt Domini in vna Imolensi, pro Congregatione Vallis Vmbrosæ, coram me pedente, die 1. Iulij 1547. quod si exequuto-

torialcs sunt decretæ in Rota & exequutæ, non possunt postea reproduci coram Auditore Cameræ, & coram eo ad declaratoriam censurarum procedere, nisi in intimatione exequutorialium, fieret monitorium, vt comparere deberet coram Auditore Cameræ. quia cum exequutoriales essent decretæ per Auditorem Rotæ, non tenebatur diuinare ille, cui exequutoriales præsentabuntur, alia monitione sibi non facta, coram Auditore Cameræ: & sic propter mutationem tribunalis, absque citatione, sententia declaratoria erat nulla. & fuit dictum quod erant tres menses, quod ita iudicatum fuerat in vna Cordubensi beneficij de las Rosadas, pro Antonio Mendez, contra Rodericum Rallon, coram D. Rauellensi.

SVMMARIVM.

Vt quis incidat in pœnam cap. auaritiæ. de electio. in 6. non sufficit probare administrationem, quæ probatur statim quod probat Moniales præstasse obedientiam.

DECISIO XLV.

IN vna Calaguritana abbatissatus, in qua de mandato Reuerendissimi Cre- 1
scentij fuimus consulti, per D. Peregrinum Domini Fabius, Prosper, & ego, conclusimus, quod licet electa probaretur, quod fuisset in possessione ante confirmationem, quod si non probaretur, quod fructus percepisset, quod non incidisset in pœnam, cap. auaritiæ. & sic, quod in casu illius. cap. ex possessione non præsumeretur fructuum perceptio, vt quis in pœnam illius. cap. incidat. quia cum simus in pœnalibus. & text. loquatur de electo administrante in temporalibus, & spiritualibus, ante confirmationem. & glos. ibi exemplificet, cum illud. cap. auaritiæ. sit pœnale, non erat extendendum, vbi apparebat, quod tantum possessionem accepisset. bene tamen per omnes fuit conclusum, quod ex quo in illo casu constabat, quod ante confirmationem, omnes moniales obedientiam Abbatissæ electæ præstiterant, quod per talem præstationem obedientiæ diceretur administrasse, & incidisse in pœnam illius cap. auaritiæ. per ea quæ dicit Abb. in cap. qualiter. circa princip. de elect. dum loquitur de recipiente iuramentum fidelitatis, & obedientiæ. Vnde licet Abb. loquatur in monialibus iurantibus, idem erat dicendum in monialibus præstantibus obedientiam; cum inter iuramentorum, & simplicem loquelam, Deus non faciat differentiam, & quod ex sola possessione non incidat in pœnam illius. cap. facit. quod dicunt ibi DD. & in. §. cæteros, Franc. dum dicit, quod ex installatione facta de electo non incurritur pœna illius capituli.

SVMMARIVM.

Attentatorum iudicio pendente fuit mandatum, quod daretur ex fructibus sequestratis congrua portio, ascendens ad valorem pensionis soluendæ.

DECISIO XLVI.

IN vna Bononiensi rescissionis contractus, inter Illustrem Hermetem de Bentiuolis locatorem, & Peregrinos conductores. Pendebat iudicium attentatorum, super possessione bonorum apprehensa per ipsum locatorem, ex eo quia pro parte eius prætendebatur, quod non fuerat soluta pensio. & ideo propria auctoritate ingressus fuerat possessionem bonorum locatorum, prætendens id sibi licuisse ob non solutum canonem. Dicebatur pro parte Peregrinorum, illam apprehensionem possessionis fore attentatam, & ad euitandum scandala Rota voluit, quod ego auocarem possessionem bonorum locatorum, & deputarem sequestratores, & sic fuit factum. Pro parte locatoris fuit obtēta commissio, vt ego ex fructibus sequestratis assignarem congruam portionem, ascendentem ad valorem pensionis, prout iuris fuerit. Dubitaui ego die 7. Octobris 1547. An pendente iudicio attentatorum, ex bonis sequestratis deberet assignari congrua portio, ascendens ad valorem pensionis soluendæ. & fuit resolutum, quod sic. quia super pensione nulla erat lis, & ista solutio facienda, non contradicebat iudicio attentatorum. quia dato quod possessio per viam attentatorum reuocaretur, in omnem casum pensio erat soluenda. non obstat quod iudicium attentatorum sit priuilegiatum, quia dicebatur, quod ista solutio non retardabat dictum iudicium, ex quo omni casu solutio fieri debebat. Non obstat, quod in iure non reperitur, quod spolianti, & attentanti ex fructibus sequestratis sit subueniendum. nam cum ipse spoliando, & attentando delinquat non reperitur, quod ex culpa debeat reportare commodum aliquod. & text. in l. final. C. de ord. cognit. ibi ex fructibus sequestratis sit assignatio congruæ portionis

in

in fauorem spoliati, non autem spoliantis. & ideo videbatur in casu isto, quod ex istis fructibus, nō deberet dari aliqua portio, tamen fuit responsum, quod istud procederet si de attentato,& spolio constaret. Sed quia iudicium supra hoc pendebat, lite pendente debebat dari portio ascendens ad valorem pensionis.

SVMMARIVM.

Alternatiua, vbi est negatiue concepta, oportet, vt vtrunque verificetur.

DECISIO XLVII.

IN vna Vrgellensi prioratus, coram D. Rauellensi. in qua in quadam commenda facta, de quodam prioratu, & in ea dicebatur prioratum prædictum, qui conuentualis, aut curatus non est, commendamus. fuit dubitatum die 14. Octobris 1547. stantibus verbis gratię, An sit necessarium probare, prioratum non esse conuentualem, & non habere curam copulatiue. & fuit resolutum, quod sic. quia licet alias ad veritatem alternatiue, sufficiat alteram partem esse veram. l. si hæredi plures. cum alijs vulgatis. & istud etiam habeat locum, etiam si alternatiua, negatiue concepta sit. vt per Bart. & Ias. in l. si quis ita stipuletur. ff. de verb. obligat. Felin. in cap. inter cæteras. col. fin. versic. fallit. 4. & ibi Dec. colum. 3. de rescrip. tamen ad hoc, ne stipulatio committatur. oportet quod vtrunque per alternatiuam negatiuam expressum, interueniat. l. si is qui ducenta. §. cum ita. & in §. vtrum. vbi Socin. ff. de reb. dub. & ibi Ludouic. Tessera modernus, Ant. de But. in cap. inter cæteras. col. 1. num. 8. super glos. pen. versic. si negatiue. & ibi per Card. colum. pen. versic. si inter genera. & per Abbat. col. 2. nu. 2. in 3. nor. versic. aut per verba negatiua de rescript. præsertim quando inspicitur effectus eorum, quæ aguntur. vt considerauit Felin. in d. cap. inter cæteras. colum. fin. versic. fallit. 4. & ibi Dec. col. 3. versic. & prædicta regula. dum volunt quod ad hoc, vt stipulatio non committatur, iuxta intentionem promittentis, qui committi nollet, requiritur quod neutrum fiat. & sic in casu isto, ad effectum, vt gratia non dicatur subreptitia, oportet quod non sit conuētualis, nec curatus.

SVMMARIVM.

Verba, vacantia ad præsens, in gratia reseruæ posita, comprehendunt beneficia vacantia in mense ordinario.

1 *Gratia, quæ dat de vacaturis, an gratia expectatiua, seu reserua.*
Expectatiua, seu reseruatio ad vacatura regulariter, an soleat dari ad menses ordinarios, si non exprimatur.
2 *Clausula generalis in fine posita in gratijs expectatiuis, an debeat coarctari vel ampliari.*
3 *Appositum in vna parte orationis, an intelligatur repetitum in alia.*
4 *Gratia qualibet, an intelligatur, sine præiudicio alicuius etiam minimo.*
5 *Gratia ad vacatura, an comprehendat actu vacantia.*
6 *Verbum futurum in concessione, quando cōprehendat existens de præsenti, tempore facta dispositionis.*
7 *Verborum proprietas attendenda in materia stricta.*
8 *Prouisio de vacaturis odiosa. sed prouisio de vacanti fauorabilis. & num. 9.*
9 *Papa conferendo beneficia vacantia, nulli facit iniuriam. & quare.*
Papa cōcurrit cū quolibet ordinario. et n. 11
10 *Papa conferendo beneficia vacantia, non tenetur facere mentionē de mense Ordinarij. & quare.*

DECISIO XLVIII.

IN vna Calaguritana præstimonij de Castagnares, in qua bo. me. Cardinalis Cōpostellanus, sub die 26. Septembris 1540. habuerat gratiam reseruationis, ad vnum, duo, tria, valoris 400. in Astoricensi, Legionensi, & Calaguritana Ecclesijs. &c. beneficia. &c. & in gratia, erant ista verba. si quæ vacant ad pręsens, aut cū simul, vel successiue, per cessum, vel decessum, seu quamuis aliam dimissionem, vel amissionem. illa in titulum, vel commendam, aut alias quomodolibet obtinendam, aut in eis, vel ad illa ius habendam, etiam in aliquo ex mensibus, ordinarijs collatoribus, per constitutiones. &c. vacare contigerit, etiam si sæcularia. &c. quæ tu, per te, vel procuratorem tuum legitimum, infra vnius mensis spatium, postquam tibi, vel eidem procuratori tuo, illorum vacatio innotuerit duxeris acceptandum. ex nunc, prout ex tunc, & è contra, commendamus. Dictum præstimonium de Castagnares vacauerat die 12. Septembris, eiusdem anni.

ni, & sic in mense ordinario. Dubitaui ego die 17. Septembris 1547. An per illa verba, si quæ vacant ad præsens. beneficium vacans de mense Septembris, censeatur bonæ memoriæ Cardinali Compostellano commendatum. Et pro parte negatiua dicebatur, quod negari non poterat, quod ista gratia in quantum dabat de va-
1 caturis, † quin esset gratia expectatiua, seu reserua, ad not. per Perus. in cap. final. §. fin. in fine de concess. præben. in 6. & sicut expectatiua, & reseruatio ad vacatura, regulariter dari non solet ad menses ordinarios, nisi exprimatur: ita etiam dicendo erit quo ad beneficia vacantia. nec dici poterat quod illa verba, etiam in mensibus ordinarijs, referrentur ad beneficia vacantia, & vacatura, sed tantum ad vacatura: quia ex quo agebatur de
2 præiudicio ordinarij, clausula † generalis, & in fine posita, debebat coarctari, non autem ampliari, ad not. per glos. in Clem. 1. in verbo reperierint. de offic. delegat. & in Clem. 2. in verbo nolumus. de offic. ordinarij. Vnde clausula illa, etiam in men-
3 sibus ordinariis, pro qualitate vnius † orationis adiecta, quo ad vacatura beneficia non debet diffundere habenas quo ad vacantia, ad not. per Bart. in l. 4. §. eritq; hæc differentia. ff. de vi bon. rap. & in l. 1. ff. de public. Felin. in cap. causamque. colum. 4. versic. limita. tertio, de rescript. & in 7. limit. Non obstant illa verba, ad præsens vacantia, quia sunt intelligenda de beneficijs vacantibus in mense Apostolico, quorum vacatio adhuc durabat, non autem intelligenda erant de his quorum vacatio in mensa ordinarij vacare inci-
4 perant. cum qualiter gratia † intelligatur sine præiudicio alicuius, etiam minimo ad not. in cap. super eo maxime per Dec. de offic. deleg. Non obstat, quod verbum
5 vacaturam comprehendat, etiam † actu tunc vacans, ad not. per glos. in cap. si postquam de præbend. in 6. & in Clem. 1. in verbo notitia, de concessione præbendæ, quia illud est verum, nisi Papa considerasset, tunc vacantia, quasi sciuisset, quod tunc vacare posset. & tunc verbum vaca-
6 turum, non comprehendit † vacantia. quia separatim de vtroque mentionem fecit, ad l. hæc conditio. §. fin. & l. si iam facta. ff. de condit. & demonstrat. & ibi per Io. de Imol. & in l. si ita legatum la secunda. ff. eod. tit. sicut & patet. in l. nouissime. in principio iuncto fine. ff. iudicat. solui, vbi propter verbum præsens, abesse verbum ab futurum, aptum alias comprehendere præsens, ad l. verbum oportebit. ff. de verb. signific. præsens non comprehenderet. quia de comprehenso, & comprehen-

dere separatim, & specialiter est dispositum ad l. cum ex filio. §. filio. ff. de vulg. & pupill. Istis tamen non obstantibus fuit resolutum per omnes pro parte affirmatiua, quia Papa in gratia commendat beneficia ad præsens vacantia. ergo tam vacantia in mense Apostolico, quam ordinario. quoniã
7 etiam in materia stricta † non erat recedendum à proprietate verborum, ad l. cum lege, & ibi Aret. ff. de testam. item, quia si
8 Papa prouidendo de vacaturis, quæ † prouisio est odiosa. in cap. si nulla de concessione præbendæ, vult præiudicare ordinario in suis mensibus, à fortiori erit dicendum in
9 beneficio de vacanti. quæ prouisio † est fauorabilibus, ad not. in c. vt singulæ de offic. Archid. & tanto magis cum Papa conferendo beneficia vacantia, nulli faciat iniuriã. cum ipse Papa concurrat cum quolibet ordinario & ideo vel dicendum est quod con
10 ferendo beneficia † vacantia, Papa non debebat mentionem facere de mense ordinario. quia id facit iure proprio, & regula de quatuor mensibus loquitur quo ad beneficia vacatura, vel dicendum est, quod illa clausula, etiam in mensibus ordinarijs, referatur non solum ad vacatura, sed etiam ad vacãtia. quia si in beneficijs vacaturis Papa voluit præiudicare mensibus Ordinariorum, qui tamen menses per regulam erant ordinarijs reseruati, & quia etiam illa prouisio est odiosa. ergo à fortiori habemus fateri, quod voluerit præiudicare ordinariis, quo ad beneficia vacantia in mensibus ordinariis. attento, quod regula de ijs non loquitur. &
11 Papa concurrat † cum quolibet Ordinario, & prouisio talis est fauorabilis, nec verum quod commendando talia beneficia actu vacantia, sit præiudicium ordinarii. quia dicitur quod immo est fauor, & præiudicium esset ordinarij si talia beneficia in gratia non comprehenderentur, nam si Papa commendat vnum, duo, tria. &cæt. ad valorem quatuorcentum, si illud actu vacans non comprehenderetur, Papa de illo alteri prouidere posset. & nihilominus gratia, vsque ad illum valorem in aliis beneficiis vacaturis esset adimplenda, & in hoc ordinarius grauaretur. Fauor ergo est ordinarii, vt beneficium actu vacans comprehendatur, vt de illo Papa alteri prouidere non possit, & citius gratia impleatur.

*

SVMMARIVM.

Venditor, constituendo se tenere, & possidere nomine emptoris. an sit liberatus vt actione ex empto non teneatur ad traditionem.

1 *Vendens, constituens se precario possidere ab emente, an liberetur, a traditione rei.*
2 *Communis opinio, an sit pro aliqua parte consideratur, quod communiter DD. tenent in loco, vbi principaliter articulus disputatur.*
3 *Emptor an possit retinere precium, donec sibi tradatur actualis possessio.*

DECISIO XLIX.

IN vna Romana pecuniaria, corã D. Prospero, die 17. Octobris 1547. fuit dictũ quod Glos. in l. ab emptione. ff. de pact. dũ dicit, quod venditor constituendo tenere, & possidere, liberetur ab actione ex empto. sit vera, & communiter approbetur. prout dicit ibi Ias. eam communiter approbari. Non obstat, quod Corn. conf. 343. in causa vertente. col. 2. vers. nec huic decisioni. vol. 1. dicat. quod illa glos. & Bart. communiter reprobetur. quia potest dici quod Corn. loquatur, quando quis constituit se precario
1 possidere. & illo casu † verum est quod non liberetur. & ita loquitur glos. quæ in contrarium allegatur, Sed quia etiam Corn. sentit quod etiam in simplici constituto, dictũ Bart. communiter reprobetur. fuit dictum quod istud est falsum. quia an communis
2 opinio † sit pro aliqua parte, consideratur quid communiter DD. teneant in loco vbi principaliter articulus disputatur. Et cum in d. l. ab emptione, vbi articulus discutitur DD. communiter teneant opinionem illius vt patet ex dictis Ias. certe illa glos. dicetur cõiter approbari. Non obstat, ꝙ Corneus dicat cõiter reprobari, & alleget doctores tenentes contra illã glos. in loco in quo principaliter articulus non disputatur. fuit tamen dictum in casu illo, quod licet illa glos. esset vera. ꝙ esset liberatus actione ex empto. tamen quia dabantur alia remedia vtputa rei vindicatio, & interdictum vnde vi & in casu illo nõ erat inteutata actio ex empto. sed tantum per viam exceptionis em-
3 ptor volebat † retinere precium, donec sibi traderetur actualis possessio, quod poterat illud dicere. quia cui damus actionem, tãto magis exceptionem, & vt euitaretur circuitus iudiciorum. Item quia constituerat se tenere, & possidere, donec corporalem possessionem apprehenderet, & in hoc bene dicit Corn. in d. conf. 343. dum vult quod isto casu, non censeatur liberatus.

SVMMARIVM.

Restitutio in integrum, aduersus præscriptionem statutariam sexdecim annorum, communitati Lucanæ concessa.

1 *Præscriptio statutaria, an æquiparetur præscriptioni longissimi temporis triginta annorum.*
Restitutio in integrum, an detur in præscriptione longissima, ex iusta causa ignorantia, & num. 2.
5 *Statuti ignorantia, an dari possit in communitate.*
3 *Restitutio an detur aduersus præscriptionem quadragenariam, & quid in persona priuilegiata. num. 4.*

DECISIO L.

IN vna Lucana pecuniaria, coram D. Fabio, die 17. Octobris 1547. fuit resolutum. quod communitati Lucanæ daretur restitutio, aduersus præscriptionem statutariã sexdecim annorum, statuti Vrbis ita di-
1 sponentis. quia si ista æquiparatur præscriptioni longissimi temporis triginta annorum, & in illa detur restitutio, ex iusta causa ignorantiæ, vt erat in casu isto. in quo communitas, iuste potuerat ignorasse statutum Vrbis. vt in tali statuto ponit Ias. in l. 1. in secunda lectura. col. 15. vers. vnum tamen perpetuo nota. C. de Summa Trinit. & ibi Purpur. num. 165. vers. vltimo limiteris regulam. &c. & Alex. conf. 169. viso themato infrascripto, penult. colum. vol. 2. & quod aduersus præscriptionem triginta an-
2 norum, detur † restitutio. ponit Balb. in tract. de præscript. in 4. parte principali vers. vigesimonono principaliter quæro, & Dec. conf. 29. Nõ obstat, quod in statuto Romano, tam in primo libro, quam in quarto vbi ponitur dictum statutum, sint verba prægnantia, quia denegat audientiam, & concedit plenissimam securitatem. ergo videtur
3 deneganda restitutio. vt dicitur † in præscriptione quadragenaria, quia l. omnes. C. de præscript. triginta annorum, dicit plenissima securitate gaudeant. Quia fuit dictum,
4 quod illud procedit in maiori, secus autem est in persona priuilegiata, prout in minori loquitur Dec. in d. conf. 29. in fin. & communitas minori æquiparatur.

SVMMARIVM.

Attentatorum iudicium est priuilegiatum, vt etiam per cessionarium non possit procedi in negocio principali, ante purgationem attentatorum.

DECI-

DECISIO LI.

IN vna Callaritana, canonicatus, & prębendæ, coram D. Reomano. fuit conclusum 27. Octobris 1547. quod si attentans in causa beneficiali, pront erat in casu illo cedat iuri sibi competenti in fauorem tertij. quod licet tertius non succedat in re attentata, ve erat in casu illo, & ideo non teneretur purgare attentata. quia non eramus in terminis cap. bonæ. de appellat. & quod dicit ibi Franc. in tertio intellectu, & Dec. in 6. not. tamen fuit dictum. quod sicut cedens non poterat procedere in negocio principali, nisi purgatis omnibus attentatis. ita non poterat cessionarius. ne per viam indirectam tolleretur priuilegium at tentati, quod præiudiciale est semper, negocio principali. & ideo fuit dictum quod finiretur prius negocium attentatorum contra cedentē attentantē. & postea per cessionariū procederetur in negocio principali.

SVMMARIVM.

In causa Paduana iniuriarum, ex quibus causis ab iniurijs excusatus.

1 *Absolutio à censuris illatis ab homine, si nō paretur, an iterum causa cognita debeat fieri reintrusio.*

DECISIO LII.

IN causa Paduana iniuriarū die 21. Octobris 1547. proposui dubium, præsupposita liquidatione fructuum, per iudicem facta. à qua fuit appellatum, & clausula in supplicatione posita. sine preiudicio liquidationis fructuum. & partis. An Hieronymus publicando post talem liquidationem, excusetur ab iniurijs. Fuit resolutum, quod ex quo absolutio erat sine præiudicio liquidationis fructuum, quod dato, quod communis sit, 1 quod quando absolutio fit à censuris † ab homine illatis, si non paretur. iterum causa cognita debet fieri reintrusio. Tamen, quia aliqui DD. tenent in cap. eos de senten. excom. in 6. vt puta Io. Andr. & Franc. q etiam fiat sine aliqua causæ cognitione reintrusio. quod istud sufficiebat ad excusandum Hieronymum ab iniurijs. cum quælibet causa excuset. & dato quod diceretur, quod esset appellatum à liquidatione. Tamē fuit dictum, quod erat appellatum ab excessu. ergo in aliqua summa fructus erant certi, ideo pro illa summa debebat fieri solutio per Fratres, & etiam ad excusandum ab iniurijs fuerunt considerata aliæ causæ, de quibus per Aduocatos.

SVMMARIVM.

Vicarius Episcopi non habens speciale mandatum, non potest supprimere beneficium.

1 *Vicarius Episcopi non potest vnire Ecclesias, & quare.*
Vicarius Episcopi non potest ea quæ sunt ardua.
2 *Mandatum speciale, si non enunciatur, an possit præsumi.*

DECISIO LIII.

IN vna Calaguritana beneficij de Pobes fuit resolutum, coram D. Rauellensi, die 21. Octobris 1547. quod Vicarius Episcopi vigore sui Vicariatus nō potuerit supprimere beneficium, absque speciali mandato, fuit allegata additio ad Abb. in cap. cum accessissent, super verbo, & etiam confirmatum de constit. allegando Domin. in cap. fin. in 2. colum. de offic. Vicarij in 6. Feder. cons. 264. facit quod not. Archid. in 1 c. adhæc de offic. Archid. quod cum † vnire sit arduum cap. sicut vnire de excess. Prælat. Vicarius non potest. quia ea quæ sunt ardua, non veniunt in generali mandato refert, & sequitur Gemin. cons. 38. col. pen. vers. sed videtur obstare. multo fortius supprimere, non venit in generali mandato. ex quo est diminuere cultum Ecclesiæ, & licet essemus in tempore longinquo, plusquam triginta annorum. fuit dictum, quod ex quo 2 mandatum † speciale non enunciabatur, quod non præsumebatur, & ideo decis. 3. Cassad. de procuratoribus non obstabat.

SVMMARIVM.

Tacita repudiatio inducta ex lapsu temporis.

1 *Successioni ex testamento vbi est locus, cessat successio ab intestato.*
2 *Ius adeundi, an præscribatur spacio triginta annorum, etiam aduersus ignorantem.*
Hæreditatis repudiatio, ex cursu quanti temporis præsumatur, & num. 3.

DECISIO LIV.

IN causa Anagnina Castri Sceurculæ, die 26. Octobris 1547. proposui dubium. An stante testamento D. Honoratus possit agere remedio possessorio ab intestato. Pro parte negatiua dicebatur, quod non, per l. quandiu. ff. de acquir. hære. per l. antequā.

C.comm. de succeff.in quibus dicitur,quod
1 quandiu eſt locus † ſucceſſioni ex teſtamen
to,ceſſat ſucceſſio ab inteſtato. & iſtud etiã
eſt verum ſtante incertitudine hęredis, an
adierit. iuxta text.& not.in l.1. C. de bo.
poſſeſſ. ſecundum tab. item per text. in §.
cum autem. inſtit. de hęred. quæ ab inteſt.
defer. vbi tunc venitur ab inteſtato, quan-
do hæres eſſe deſierit, & ſic videtur quod
oporteat dicere teſtamentum eſſe deſtitu-
tum. Contrarium ſuit in caſu iſto deciſum.
ex quo, à tempore mortis Io. Felicis ad tem
pus quo Honoratus agere incepit, lapſi fue-
runt ſexaginta anni, & vltra. quo caſu, cum
Honoratus eſſet filius, ei ab inteſtato hære-
2 ditas deferretur, & ius † adeundi, ſpacio tri
ginta annorum præſcribetur, quod tempus
etiam ignoranti currit. iuxta gloſ. & com-
muniter DD. in l. licet. C. de iur. delib. ex
lapſu tanti temporis, inducebatur tacita re-
pudiatio. ſecundum Bal. in l.1. in 5. not. &
in 26. oppo. C. qui admit. Socin. conſ.63.
in 2. colum. verſic. ſed ijs & alijs non ob-
ſtantibus. cum ſequentibus. vol.1. Paul. de
Caſtr. in l.3. ff. de acquir. hęred. Ergo, cum
ex lapſu dicti temporis eſſet inducta repu-
3 diatio, erat locus ſucceſſioni † ab inteſtato.
& in terminis iſtam opinionem tenet Alex.
conſ.90. col.1. in fine. in 2. vol.

SVMMARIVM.

Statum Vrbis, loquens in minore non valente donare ſine ſolennitate, habet locum in minore confitente habuiſſe precium in contractu venditionis.

1 *Minor ſi non poteſt libere donare ſine certis ſolennitatibus, an poſſit confiteri ſine illis.*

2 *Statutum de donatione prohibita, an ſe extendat ad donationem præſumptam.*

3 *Minor curatorem non habens, an ſicut contrahendo poteſt ſibi præiudicare, poſſit & confitendo.*

4 *Statuta quomodo ſint intelligenda, prout iacent.*

5 *Interpretatio proueniens ex diſpoſitione legis, an in ſtatutis reijciatur.*

6 *Interpretatio ſumpta a ratione, an videatur ſuſcepta per interpretationem, ſeu extenſionem.*

7 *Fraus maior an poſſit interuenire in donationibus ſimplicibus, vel in illis quæ fiunt ſub aliquo colore.*

8 *Confeſſio mariti de dote recepta, an ſapiat donationem, vel dicatur facta ſub ſpe futuræ numerationis. & num. 9. & 11.*

10 *Matrimonium non ſolet eſſe ſine dote, & maritus onera matrimonij verſimiliter non ſuſtineret ſine dote.*

DECISIO LV.

IN cauſa Romana caſalis de la Bottaccia
die 26. octob. 1547. propoſui dubium.
an confeſſio de duobus millibus receptorũ
per minores in inſtrumento venditionis fa
ctæ, ſapiat donationem, itaut comprehenda
tur ſub prima parte ſtatuti. de pact. & do-
nat. non valit. vel ſaltem ex ea, minores di
cantur leſi. Et fuit reſolutũ per omnes, quod
ſecluſis quibuſdã coniecturis, quæ contra mi
nores adducebantur, quod ſimpliciter quæ-
rendo, an confeſſio minoris in inſtrumento
venditionis de receptione duorum millium
ſapiat donationem, itaut comprehendatur
ſub dicto ſtatuto. pro parte affirmatiua ꝙ
ſic. Quia ex quo minores non poterant libe
re donare, ſed interuenientibus quibuſdam
1 ſolennitatibus. non poterant etiã confiteri
ſine illis ſolẽnitatibus. per tex. in l. qui teſta
mentũ. ff. de probat. in l. cum quis decedens
§. Titia. & ibi Bart. ff. de leg.3. in l. ſi forte.
ff. de caſtren. pecu. & ibi Bart. Alias de faci-
li ſtatutum poſſet eluſorium reddi cũ minor
volens donare venderet, & fateretur ſe re-
cepiſſe. vt late conſuluit Soc. conſ.65. circa
primum. col.5. verſ. poſtremo prædicta con-
cluſio. vol.1. Vbi in terminis dicit, quod ſi
quis eſt prohibitus donare, vendat, & confi-
teatur precium habuiſſe, in fraudẽ legis fa-
2 cere videtur. & ſtatutum † de donatione ad
præſumptam donationẽ ſe extendit, ne alias
fraus inducatur. ſecundum Corn. conſ.185.
col.3. verſ. his tamen non obſtantib. vol.2.
Tiraq. in tract. de ll. connubialibus fol.185.
verſ. contrarium tamen in ſimili. Non ob-
ſtant adducta in contrarium, videlicet, dum
primo dicebatur. ꝙ minor curatorem non
3 habens, ſicut † poteſt contrahere, ita poteſt
confitendo ſibi præiudicare, vt per Abb. in
c. fin. col.3. nu.8. de confeſſ. ſtatutum ergo lo
quens in donatione, cum ſit ſtricti iuris, non
extendetur ad confeſſionẽ, de qua ſtatutum
non loquitur. maxime, cum in prohemio ſta
tutorũ in primo libro dicatur, quod ſtatuta
4 ſunt † intelligenda prout iacent. ergo nõ po
terit fieri extenſio ad confeſſionẽ. prout ita
dicit Iaſ. cõſ.50. in primo vol. Quia fuit re
ſponſum, ꝙ ſtatutum non excludit interpre-
5 tationẽ, quæ prouenit † ex diſpoſitione le-
gis, Corn. cõſ.324. in 3. vol. col.2. quæ in ſta
tutis ſẽper recipitur, Salic. in l.2. C. de no-
xal. Pariſ. cõſ.84. n.15. vol.1. & hoc ſine dif-
ficultate procedit in caſu noſtro, arguendo
à ratione expreſſa in ſtatuto. quę fuit ad ob
uiandum fraudibus, quæ cum comprehenda
6 tur ſub ratione, non † dicitur ſumpta per
interpretationem, ſeu extenſionem, gloſ. in
Clem. 1. in verbo eligatur de elect. cum
alijs. Et longe maior fraus interuenire
7 poteſt † in donationibus, quæ fiunt ſub ali-
quo colore puta confeſſionis, vel cauſæ, quã
in donationibus ſimplicibus. cũ in illis ma-
gis

* Vide aliquid ſupra deciſ. 7.

gis circumueniri posset minor. & quod istis donationibus coloratis principaliter statuẽtes occurrere voluerint, patet. quia voluerunt, consanguineos iurare non cedere in præiudicium minorum, quod non potest aptari ad simplicem donationem, cum illa sit aperte damnosa, cum donare sit perdere. sed tale iuramentum cõuenit aliis actibus ex quibus resultat donatio, ne in ipso actu minores decipiantur. Non obstat, quod dicebatur, quod si confessio comprehenderetur sub donatione, quod nemo dubitasset, quod si maritus constante matrimonio con
8 fitetur dotem recepisse, † talis confessio sapiat donationem. quod tamen voluit Bart. in l. assiduis. C. qui pot. in pig. hab. Roma. & Alex. in l. diuortio. ff. de verb. oblig. cum alijs adductis per Felin. in cap. si cautio. colum. 17. vers. prima conclusio. &c. de fid. instrum. imo talis confessio quando non est renunciatum exceptioni non numeratæ pe-
9 cuniæ videtur † facta spe futuræ numerationis. vt dicit Alexan. in l. si diuortio. col. 3. ff. de verb. oblig. Quia respondetur, quod procedit in dote confessata ratione præcedentis promissionis. & quia à communiter accidentibus, matrimonium non est sine do
10 te, & maritus onera † matrimonij verisimiliter non sustineret sine dote. l. 3. ff. de iur. dot. Socin. conf. 122. vol. 3. Aim. Crauet. conf. 40. 2. col. quæ cessant in casu nostro. & ideo, vbi præmissa non concurrunt, videmus quod confessio mariti ex alia causa emana-
11 ta, reputatur † donatio, & propterea non valet, vt per Socin. in conf. 65. superius allegato. Non obstat, dum respondebatur ad l. qui testamentum. in l. si forte. & consil. Socin. 65. quod illa iura loquebantur in personis prohibitis, quia fuit dictum quod ista responsio firmabat conclusionem istam. cum attento statuto, minor esset prohibitus sine certa solennitate donare. ergo & confiteri.

SVMMARIVM.

Aduocatus, contra eum pro quo est aduocatus, potest esse testis etiam inuitus.

DECISIO LVI.

CONclusimus, in vna Romana societatis trium millium ducatorũ, D. Io. Babula Guidobonus, & ego, quod aduocatus, contra eum pro quo est aduocatus, posset examinari etiam inuitus. per consil. Paris. 70. in 4. volum. & decis. Guid. Papæ 45. Non obstat dictum Io. Andr. in addit. ad Spec. in tit. de teste. §. quæ possunt contra testes opponi. colum. 23. in addit. incip. l. fin. quem videtur sequi Steph. Anfrestij. in tractat. de reprobat. testium. in §. adhærentes. vers. aduocatus inserto in 9. volum. tractat. dum vult quod in duobus casibus possit examinari, ergo extra illos duos non poterit. quia Io. Andr. loquitur per verbum. maxime. & sic vult, quod etiam extra illos casus possit examinari, & etiam Paris. in d. consil. 70. loquitur per verbum. maxime. dum dicit quod Aduocatus potest examinari quando interrogatur de his, quæ scit ante susceptam aduocationem.

SVMMARIVM.

In causa Messanensi Baroniæ.

DECISIO LVII.

DIe 4. Nouembris 1547. in causa Messanensi Baroniæ proposui dubium. An stantibus litteris in forma breuis, directis Proregi Siciliæ, potuerit coram iudicibus de partibus, valide procedi. & an primæ litteræ Clem. ad dispensandum super contrahendo, de quibus in hac causa agitur contineant materiam fauorabilem. Fuit dictum, quod alias prima pars dubij fuerat resoluta, vt patet supra fol. 13. pag. 2. & in breui erat etiam recepto iuramento perhorrescẽtię. secunda pars, etiã dubij erat resoluta, vt patet superius. fol. 16. pag. 1. Et quia pars aduersa, videlicet pupillorum noluit informare, ideo vtrumque punctum habui pro resoluto secundum prædictas resolutiones.

SVMMARIVM.

Fideiussor qui accessit societati durãti ad beneplacitum cum disdicta quindecim dierum, qui accessit, dico ad sex menses & non vltra, si societas intra sex menses disdicatur conueniri potest.

1 *Dictio. vltra. includit & excludit, sed quomodo.*

DECISIO LVIII.

ALphonsus contraxerat societatem cum Ioanne Clausa, ad sex menses, & deinde ad beneplacitum, cum disdicta quindecim dierum. cui societati de anno 1542. accesserunt Ioãnes Mahc, & Iacobus Thiabaudi ad sex menses, & non vltra. lapsis sex mẽsibus, & durante societate ad beneplacitum iterum ijdẽ fideiussores de anno 1544. accesserunt eidem societati de nouo ad alios sex menses, & non vltra. & voluerunt teneri in omnibus vt principalis. &c. facta dicta accessione post tres menses cum dimi-

dio Alphonsus disdixit societatem sub his verbis, quod non intendebat amplius dictā societatem durare, & beneplacitum suum reuocabat. &c. Dubitaui ego die 10. Nouembris 1547. in vna Romana releuationis indemnitatis. An fideiussores, qui societati duranti ad beneplacitum, cū disdicta quindecim dierū, antecesserunt ad alios sex menses & non vltra, potuerint infra sex menses disdicta societate conueniri. Et fuit per omnes resolutum quod sic. Quia fideiussores, qui noluerunt vltra sex menses teneri, censentur voluisse intra sex menses teneri, & conueniri posse, quādo societas intra dictos sex menses legitime dissolueretur. nam dictio. † vltra. de sui natura excludit, & includit. excludit tempus vltra sex menses, includit tempus infra sex menses. Bart. in l. cum ita. ff. de dot. prælegat. Ang. & Bald. in l. si vltra. C. de fideiuss. Dec. in l. actione. col. 3. num. 9. C. de transact. Item, quia expressum erat in obligatione, quod fideiussores volebant teneri vt principales, & ad omnia ad quæ principales tenebantur. sed certū est, quod disdicta societate, etiam intra sex menses principales tenebantur. ergo & fideiussores.

SVMMARIVM.

Gratia confirmationis in canonicum, quo casu intellecta in omnibus mensibus.

DECISIO LIX.

PApa confirmauerat creationem in canonicum factam per Ordinarium, & postea subiunxit. & nihilominus canonicatum & præbendam, inibi primo vacaturam etiā si generaliter reseruata, præterquam per obitum apud sedem, & familiaritatem alicuius Cardinalis, cuius consensus. &c. ac in mensibus ordinarijs collatoribus. &c. conferimus, fuit dictum in vna Concordiensi Canonicatus & præbendæ, coram Reomano, die 10. Nouembris 1547. quod Papa respectu suæ concessionis, quam de nouo faciebat, concedebat quantum in eo erat. & quia tantum aliqua excipiebat, quod gratia censeretur esse facta in omnibus mēsibus. quod etiam importabant illa verba. reseruata. nam reseruatio inducebatur per regulam reseruatoriam. Non obstabāt illa verba, ac in mensibus ordinarijs. quia ex quo Papa faciebat gratiam de nouo, si non expressisset, ac in mensibus ordinarijs. certe cōcessio sua fuisset intellecta sine præiudicio mensium ordinariorum. sed quia Papa vberem gratiam concedere volebat. ideo expressit, ac in mensibus ordinariis, quasi illa copula. ac. veniat augmentatiue. vt non solum Papa cōcederet in mensibus suis, sed etiam in mensibus ordinariis. Non obstāt quod hic essemus in confirmatione, & confirmatio non est extensio, & ideo quod videretur tantum confirmare in mensibus ordinariis. Quia fuit dictum, quod Papa, in prima parte confirmabat. & ideo respectu prioris partis, nō esset aliqua extensio iuris confirmati. sed in secunda parte, in qua Papa nouam gratiam faciebat, in ea concedebat in suis mēsibus, & in ordinariis. qui nisi expressi fuissent non venissent.

SVMMARIVM.

Quando ex parte actorum constat de iustitia sententiæ, potest iudex sententiam nullam confirmare de iure communi. nisi sit commissa causa nullitatis.

DECISIO LX.

IN causa Messanensi Baroniæ, die 14. Nouembris 1547. dedi dubium. præsupposito, quod testes super impedimento consanguinitatis, ab vtroque capite prouenienti, sint legitime examinati. & quod Ioannes & Angela, nullitatibus in processu de partibus facto renunciarunt, cum promissione de soluendo expensas. & ex processu de partibus nolint se iuuare, præterquam quo ad dictam probationem. An sit cognoscendum super negocio principali, priusquam dictæ nullitates specificentur, ita quod & negocium principale, & dictæ nullitates in eadem sententia terminentur. Et fuit resolutum, quod licet de iure communi, quando iudici appellationis constat de iustitia sententiæ quę est nulla, ex parte actorum. quę sunt valide gesta, quod tunc iudex potest nedum primam sententiam reformare, sed etiam confirmare illam. Ant. de But. in c. dilecto. in 6. col. de appellat. Alex. vbi plures refert in cons. 181. colum. fin. num. 14. versic. tertio respondeo. vol. 6. & est communis opinio secundum ipsum. cons. 79. col. 1. versic. tamen communis opinio. &c. in 2. volum. Tamen ista cessant ex forma commissionis, quæ erat data pro parte pupillorum contra Ioannem & Angelam. cum in ea esset dictum, vt prius super nullitate pronunciaretur. vnde per commissionem erat recessum à iuris dispositione. Et licet extaret alia commissio præsentata in vltima audientia, vt coniunctim vel diuisim arbitrio pronunciaretur; tamen pro parte Ioannis & Angelæ in principio audientiarum erat præsentata commissio, vt reiectis nullitatibus, & refectis expensis, siquæ de iure reficiendę veniebant, ad expeditionem negocii principalis, vel iuxta formam secundo loco præ-

insertæ, vel prout in prima, procederet. Et sic iuxta formam istius cõmissionis erant prius reiiciendæ nullitates. & sic specificandæ, & reficiendæ expensæ, & postea in negocio principali procedendum.

SVMMARIVM.

Mandatum de manutenendo vbi datur cogitur quis ad cauendum, ne in futurum molestet. Ad damna vero & intereſſe agendum est via ordinaria.

1 *Mandati de manutenendo iudicium, an proprium iudicium interdicti vti possidetis.*

2 *Mandatum de manutenendo, de stylo Rotæ datur constito de possessione saltem semiplene.*

In mandato de manutenendo, an fiat condemnatio damnorum & interesse.

DECISIO LXI.

IN causa Bononiensi iuris macinandi, die 14. Nouembris 1547. dedi dubium stante sententia & decreto de manutenendo per D. Antoniũ in interdicto vti possidetis obtẽto. Vtrum aduersarii cogi possint ad cauendum de vlterius non molestando, eorũque molestationes & impedimenta, illicita fuisse declarari debeat, iidemque in expensis, damnis, & interesse condemnandi sint. Et fuit resolutum, quod aduersarii cogendi essent ad cauendum de non molestando in futurum. per doct. Bart. in l. 1. §. interdictum. in fine. ff. vti possidet. Salicet. in l. 1. 4. & 5. quæst. C. vti possidet. late Aret. in §. quadrupli. num. 48. vsque ad 50. instit. de act. Super damnis & interesse, fuit dictum quod licet isti molestatores ad ipsa tenerentur. vt dicit Bart. in d. §. interdictũ. & alii Doct. superius allegati. tamen ad dicta dãna & interesse, via ordinaria agendum erat.
1 quia hic non eramus proprie † in interdicto. vti possidetis. Nam cum ex stylo Palatii esset receptum, quod constito de possessione
2 saltem semiplene, mandatum de † manutenendo detur, hoc idem in eodem mandato non debebat fieri condemnatio damnorum & interesse, sed ad talia, via ordinaria, agendum erat.

SVMMARIVM.

Exequutoriales latæ contra Capitulum, quando affecerint illum, cui Capitulum tradidit possessionem lite pendente.

DECISIO LXII.

IN vna Placentina, canonicatus & præbendæ, pro Io. Solano, contra Ferdinandum Galindez. in qua erat factum monitorium Capitulo Placentino de tradendo possessionem canonicatus & præbendæ ex nunc & fructibus, quamprimum vacarent, Ioanni Solano. & lata sententia contra Capitulum, & pendente appellatione, Capitulum dedit possessionem canonicatus & præbendæ vacãtis, & fructuũ, Ferdinando Galindez. Dubitauit D. Reomanus, die 14. Nouembris 1547. præsupposito quod monitorium factũ Capitulo de tradenda possessione canonicatus, habeat etiam de tradendis fructibus eũ primum vacauerint, & super eo lata sententia, An traditio possessionis & fructuum, deinde pendente appellatione facta, per dictum capitulum alteri, id operetur, vt accipiens videatur lite pendente super fructibus intrusus. & fuit resolutum non habito respectu, an esset sententia lata, sed ex quo lis erat, quod ille tertius, cui erat tradita possessio, diceretur intrusus, & teneretur parere exequutorialibus postea contra capitulũ decretis. per dictum Bal. in l. 1. colum. 2. circa finem. C. comm. diuid. & quod ibi dicit Salic. & idem Bald. in auth. litigiosa. C. de litig. Et multa fuerunt dicta quæ latius in informatione videri poterunt, sed illud dictum Bald. in d. l. 1. decidit istum casum. & ex illo Domini moti fuerunt.

SVMMARIVM.

Titulum coloratum quo casu iudicatum habere spoliatum.

1 *Titulum coloratum, an dicatur habere pro vsus de beneficio ex assertione iurispatronatus, cum clausula de consensu patronorum non docto de consensu. & num. 2.*

DECISIO LXIII.

IN vna Astoricensi parochialis de Torrenzo, coram D. Prospero, fuit resolutum quod spoliatus, qui habebat gratiã perinde valere, cum clausula. & quatenus de iure patronatus parochialis existat cum consensu patronorum. &c. quod dato ꝙ ex actis constaret, quod parochialis esset de iure patronatus, licet non doceretur de consensu dimidiæ partis patronorum, vt requirebatur ex forma gratiæ, quod nihilominus diceretur
1 spoliatus † habere titulum coloratum. nam licet esset probatum per aduersarium, quod beneficium esset de iure patronatus; tamen probatio non excludebat contrariam probationem. & ad istam probationem, in illo iudi-

iudicio possessorio non erat arctandus spoliatus, sed debebat omnino restitui, secus dicebant Domini fore, quãdo de iure patro
2 natus constaret † ex confessione ipsius spoliati. pront in eadem causa idem spoliatus produxerat primo gratiam, in qua dispositiue narrauerat beneficium esse de iure patronatus, & Papa prouiderat dummodo medietatis patronorum consensus interueniret. Et quia non docebatur, fuit dictum quod illa gratia non dabat titulum coloratum, & ideo fuit coactus expedire gratiam perinde valere. in qua omissa dicta narratiua, & sic confessione iurispatronatus fuit tantum de eo facta mentio conditionaliter.

SVMMARIVM.

In causa Romana hereditatis de Cardellis.

1 *Periti eligendi sunt pro examinanda identitate bonorum, & ad examinandum an qualitates enunciata conueniant.*

DECISIO LXIV.

Die 21. Nouembris 1547. in causa Romana, hereditatis de Cardellis, propo sui dubium. An ex testibus examinatis, & instrumentis productis, ac responsione ad præparatoria, probetur identitas domus an gularis. Et fuit resolutum, quod ex omnibus quæ adducebantur in informatione induceretur probatio identitatis, saltem quæ transferret onus probandi contrarium, in aduersarium. tamen quod per illas qualitates porticellæ, & quia dicebatur quod per illam porticellam ingrediebatur in medietatem domus deuentæ Iuliano, quæ erat iũcta cum alia medietate domus Io. Marci, quæ erat coniuncta cum horto & steccatis. Et quia istæ qualita[illegible] [illegible]ndum iudicium peritorum exami[illegible] qui maximum fumum præstabant [illegible] qualitates nõ
1 conueniebant, quod erant eligendi † de nouo periti, qui examinarentur super eo, an dictæ qualitates conuenire potuerint.

SVMMARIVM.

Priuilegium de non soluendis decimis, intelligitur de extraordinarijs.

DECISIO LXV.

In vna Burgensi decimarum, coram D. Prospero, die 21. Nouembris 1547. fuit dictum quod priuilegium eximens à solutione decimarum, intelligeretur de decimis * extraordinarijs, non autem ordinarijs. per dictum Bald. in l. fistulas. §. frumenta. ff. de contrahen. emption. & Franc. de Crema singul. suo 107. Felin. in cap. sedes. colum. 3. in fine. versic. & ista faciunt ad quæstionem. de rescript.

* Idem fuit firmatum die 2. Decembris 1547. in eadẽ. sed fuit dictũ, quod ex quo testes in remissoria examinati, dicebãt quod per longum tempus, decimæ quæ debebantur Curato & Rectori non soluebantur, quod negari non poterat quin priuilegium esset dubium, & ideo esset per consuetudinem interpretatum, ita quod erat standum consuetudini interpretatiuæ.

SVMMARIVM.

Mora purgari non potest, vbi in transactione est pactum resolutiuum.

1 *Purgatio moræ in emphyteuta non soluente datur, & quare.*

2 *Dispositio contrahentium recipit interpretationem a dispositione iuris, quomodo procedat.*

3 *Ratio viua vbi viget pro vna parte, non est ab ea recedendum per argumenta Aduocatorum.*

DECISIO LXVI.

In transactione erant posita talia verba, & si transacto dicto mense Septembris proxime futuri, dicti hæredes dicti D. Antonij huiusmodi cautionem non præstiterint, tunc præsens transactio & concordia, sint nullius roboris vel momenti. & neutri partium, propter hoc, in suis iuribus præiudicetur. Dubitauit D. Antonius Augustinus, in vna Viterbiensi pecuniaria, die 28. Nouẽbris 1547. An, stante dicto pacto resolutiuo, mora potuerit purgari. Et ex quinque votãtibus, excepto vno, omnes fuimus pro parte negatiua, quod non potuisset purgari. per id quod dicit Alexan. in l. si insulam. colum. penult. in decimasexta fallentia. ff. de verb. oblig. ponit Gratus cons. 93. num. 61. & 77. Ratio etiam viua est, quod ex quo post illud tempus abest consensus partium, non est in potestate nostra facere quod cõtractus sine consensu maneat. Nõ obstat, quando emphyteuta non soluit canonem lex resoluit contractum, & nihilominus admittitur purgatio moræ. cap. potuit. quia illud est in dispositione legis, quæ si contractum resoluit, ni-
1 hilominus † admittit purgationem moræ, & sic ipsa lex in hoc specialiter prouidit. hic autem non est talis prouisio, sed partes statim voluerunt contractum fore resolutum, & mitius agitur cum lege, quam cum ho-
2 mine. Item, non obstat quod dispositio † cõtrahentium recipiat interpretationem à dispositio-

spositione iuris. Bar. in l. vt iuris iurandi. §. si liberi. ff. de oper. liber. quia fuit dictum, quod illud procedit in dubio, hic autem sumus in casu claro. Et ideo fuit dictum, quod cum habeamus doctores istud asserentes, in quo
3 nō videntur habere contradictorē, & † aderat vna ratio. quod ista pars erat amplectenda, & non erat ab ea recedendum per argumenta Aduocati.

SVMMARIVM.

Societas contrahi potest super officio emendo.

1 *Societas officij si in se valet, & fideiussor accessit, ea dissoluta, tenebitur sicut principalis.*
2 *Societas contracta super officio emendo, eo non empto, an valeat, & an debeantur fructus.*

DECISIO LXVII.

Dubitaui ego in vna Romana releuationis indemnitatis, die 18. Nouembris 1547. An fideiussor, qui accessit societati, super officio emendo, contractæ ad sex menses, vt principalis in solidum, teneatur ad restitutionem pecuniarum, quas ille pro quo promisit recepit. si officium non emitur vigore dictæ fideiussionis. & fuit resolutum quod teneretur, quia societas poterat contrahi super officio emendo. l. si fratres. §. si quis societatem. & l. actione. §. item si societatem. & in l. cum societas. ff. pro socio. & instit. de societ. in princ. si ergo societas
1 valet, & † fideiussor accessit societati, ea dissoluta tenebitur, sicut & principalis ex quo accessit in omnem causam, in quam principalis tenebatur. Nec obstat, quod non em-
2 pro officio. fructus † deberentur potius, vt vsura. quia fuit dictum, quod hic non agebatur de fructibus, sed de sorte principali. item & quando fuisse actum de ipsis. solue, & repete ad c. debitores.

SVMMARIVM.

Societas durantibus quindecim diebus disdictæ, dicitur durare.

DECISIO LXVIII.

Die 5. Decembris 1547. in vna Romana societatis 300. scutor. pro hæredibus q. Ioānis Morelli, dedi dubium, An post disdictam societatem infra quindecim dies dicatur amplius societas durare. & licet vna tantum pars informauerit. videlicet illa, quæ prætendebat societatem, infra quindecim dies non durare. Tamen etiam, quod nō fuissent visa fundamenta partis affirmatiuæ Domini tenuerunt fundamenta, quæ fuerunt allegata, & quæ possunt videri in informatione, pro friuolis, & dixerunt, quod licet illi quindecim dies dentur, vt quis interim possit, eis lapsis satisfacere, & interim pecunias sibi comparare. tamen quod interim societas durabat, quia verba instrumenti sunt, quod societas duret ad sex menses, & deinde ad beneplacitum, cum disdicta quindecim dierum præcedente. licet ergo societas sit disdicta, tamē pēdentibus illis quindecim diebus, dicitur esse societas. quia ex forma conuentionis, quindecim dies disdictæ, debent præcedere beneplacitum reuocatiuum societatis. & ideo interim currunt fructus societatis. & si socius moriatur infra quindecim dies, lucratur alter socius pecunias.

SVMMARIVM.

Gratia Nicolai ex quibus subreptitia reputata.

1 *Prouisio Apostolica, etiam non præsentantibus patronis post quadrimestre. quando nō sit valida.*

DECISIO LXIX.

IN causa parochiali S. Thomæ de Braqua Bononiensi, die 5. Decembris 1547. dedi dubium. stante præsentatione procuratorum patronorum in manibus ordinarij, in fauorem fratris Hieronymi, de facto facta, & litteris de nouo productis, quod obtineatur prouisio à Papa per eosdem procuratores scriptos, & noua prouisione, per ipsum fratrem Hieronymum, postea obtenta, & institutione ab Ordinario postea subsequuta. An dicatur legitime prouisum dicto fratri Hieronymo, aut saltem dicatur sufficiēter contradictum, per pationos. ita vt gratia Domini Nicolai reddatur subreptitia. Et fuit resolutum, quod gratia Domini Nicolai diceretur subreptitia. tum quia erat obtenta. quia in ea erat narratum, quod patroni præsentauerant indignum. & istud nōn erat verum. quia cum mandatum esset datum ad præsentandum in manibus habentis potestatem admittendi. procuratores præsentando, coram Capitulo excesserunt fines mādati, & ita patroni nō dicebantur præsentasse. secundo quia prouisio Nicolai erat obtenta. quia narratum, quod patroni indignum præsentauerāt. & sic tanquam patroni essent priuati. quo casu

3 casu prouisio Apostolica, etiam † patronis non præsentibus post quadrimestre, non est valida, vt per Felin. in cap. cum Bertoldus. colum. 4. in princ. versic. secundo aduerte de re iudic.

SVMMARIVM.

Clausula absolutionis à pœnis, & censuris non habilitauit Ioannem del Mila inhabilem ad beneficia, ex pugna in duello facta.

1 *Motusproprius, an inducat dispensationem defectus gratiati, vel tollat illius inhabilitatem.*

2 *Clausulæ generales an tollant defectus personæ.*

Clausula ex certa scientia an operetur circa ea, quæ sunt facti.

DECISIO LXX.

Ioannes del Mila pugnauerat in duello propter quod dicebatur, quod erat inhabilis ad beneficia per not. per DD. in c. 1. & 2. de cler. pugn. in duello. Dubitauit D. Fabius, die 5. Decembris 1547. in vna Dertusensi sacristiæ. An Ioannes del Mila censeatur habilitatus per clausulas suæ gratię. videlicet motusproprij, & ex certa sciētia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac absolutione à censuris & pœnis. & fuit reso-
1 lutum quod non, quia motus † proprius, nō inducit dispensationem irregularitatis, vel alterius defectus, neque tollit inhabilitatē gratiati, Rota decis. 6. de præben. in nou. & not. in Clem. si Romanus de præben. & de-
2 fectum personæ, non tollunt † etiam generales clausulæ, non obstante decis. 1. de præbend. in fine. & clausula ex certa scientia nihil operatur quoad ea quæ sunt facti, quia præsumitur Princeps ignorare. Dec. consil. 198. colum. penult. & per alia fundamenta de quibus in informationibus.

SVMMARIVM.

Tertius veniens in tertia ad litem; in eo statu, & terminis à sententia contra eum lata appellari non poterit. quia erit contra eum tertia.

1 *Tertius veniens ad causam debet admitti in statu, & terminis. quomodo intelligatur.*

DECISIO LXXI.

Iacobus Cordellas habuit duas sententias contra quosdam. in tertia instantia ad litem venit quidam Remigius, pro interesse suo, petens se admitti ad causam in eisdem statu, & terminis, quibus lis huiusmodi reperiebatur, ac terminis substantialibus per alios seruatis. perinde, ac si per ipsum seruati forent. & venit vigore Commissionis. & sic fuit admissus. Fuit lata sententia contra Remigium. Dubitauit D. Rossanen. in vna Valentina de paterna, die 9. Decembris 1547. An sit res iudicata contra Remigium, ita quod, non sit audiendus in appellatione sua, nisi parito iudicato. & licet Felin. in cap. cum super circa fin. de re iudic. videatur decidere istum casum. Tamē fuit dictum quod Felin. in seipso videtur cōtinere repugnātiam, dum primo dicit, quod ista sententia diceitur esse tertia, & postea subiungit, quod si non appellet transit in rem iudicatam, itaque videtur sentire quod possit appellare. & tamen prius dicit, quod sit tertia sententia, ergo appellare non poterit. Item Felin. nil allegat, & ideo illud dictum Felin. fuit à Dominis reiectum. & fuit tentum, quod ista sententia diceretur, quo ad Remigium tertia. itaut non potuisset appellare. quia imputandum erat Remigio qui ad litem inchoatam venerat, cum potuisset ipse nouam inchoare. & ideo venien-
1 do ad litem, † debebat admitti in statu, & terminis, vt dicit text. in cap. 2. vt lite pendente in 6. prout etiam ipse petijt. Et admitti in statu, & terminis intelligitur, quo ad actus faciendos, vt dicit Franc. in d. c. 2. in 2. not. & cum in tertia nil aliud esset faciendum, & illa lis erat in illo statu, vt à tertia appellari non poterat. ergo nec Remigius potuit. quia veniendo in illo statu videtur fecisse illas sententias latas, contra alios, suas. & ideo si iam duas sententias contra reportasset, non posset appellare, ita & hic. quidam ex auditoribus allegauit Bart. in l. à sententia. colum. fin. vers. quęro, quid si primus est victus. &c. ff. de appellat. dicens quod ibi Bart. decidit istum casum distinguendo, an sciuerit, vel ignorauerit. sed dictum Bart. non facit ad propositum, quia ibi loquitur, quando sunt latæ tres sententiæ, & tertius à tertia sententia veniens ad causam, volebat appellare.

SVMMARIVM.

Sententia, an super nullitatibus, an super negocio principali sit ferenda.

1 *Nullitates si sint actis, & pars petat declarari quæ sint, an audienda. & n. 2.*

3 *Super*

3 *Super nullitate, & bono iure simul, an possit pronunciari.*
4 *Commissionem acceptare non dicitur excipiens generalia contra.*

DECISIO LXXII.

IN causa Massanensi Baroniæ, quia pro parte Ioannis Gallego, erat præsentata commisso, vt quo ad nullitates procederem, prout de iure. ideo dedi dubium, die 9. Decembris 1547. An stante commissione vltimo loco præsentata, sit procedendā ad expeditionem negocij principalis, absq; refectione expressarum, & declaratione prætensarum nullitatum. Et fuit dictum, quod de iure est. quod si sint nullitates in actis, & pars petat eas reuocari. quod negari non
1 potest † quin istæ nullitates tollantur, & declarentur, quæ sint. nam licet Alex. in conf. 181. col. fin. n. 14. in 6. vol. & idem conf. 79. col. 1. vol. 2. & Dec. in cap. in litteris. col. pen. circa fin. & Felin. col. pen. circa medium, de offic. delegat. dicant, quod quando, ex parte actorum constat de iustitia sententiæ. quod illa sententia potest confirmari. Tamen isti non negant, quod si pars aduersa diceret. nullitates esse declarandas, & expensas reficiendas. quin etiam super istis nullitatibus, & expēsis reficiēdis sit pronunciandum. Et aduerte, quia si omnia acta essent nulla. tunc causa nullitatis
2 esset præiudicialis, † & ideo ante omnia esset pronunciandum super nullitate. sed quia in casu isto, non omnia acta erant nulla, sed pro parte, & ex ista parte actorum sententia poterat ferri. dixerunt Domini, quod si-
3 mul super vtroque † pronunciari poterat. Tamen quia commissio dicebat, quod simul pronunciaretur, attento, quod negocium principale erat discussum, & pupilli dicebant, quod pro parte eorum, adhuc negocium non erat instructum. ideo dicebant Domini, vt viderem, quas materias pupilli dare volebant. vt si essent releuantes deliberare possent. dum etiam pupilli dicebant, quod per istam commissionem, anferebatur ius eis quæsitum, ex commissionibus pro parte aduersariorum præsentatis. fuit dictū, quod contra illas commissiones erat dictū,
4 generalia contra. itaq, non videbantur † cōmissiones acceptare. Item non erat etiam ius quæsitum ex oblationibus factis, quia factæ erant, quatenus de iure tenerentur.

SVMMARIVM.

Ius quod quis ignorat, non videtur remittere.

DECISIO LXXIII.

IN causa Pitiliana dotis, die 9. Decembris 1547. dubitaui An ex capite ignorantiæ Comes Io. Franciscus possit dicere per instrumentum vltimo loco productum, non remisisse ratificationem Liuię, in instrumento transactionis, sibi promissam, vel moram, in faciendo ratificare. Et fuit resolutum quod ius, qdod quis ignorat, non dicitur quis remittere. etiam quod in genere cogitare potuerit illud ius. vt probatur, in l. mater decedens. ff. de inofficioso testamento, & in l. tres fratres. ff. de pact. in l. legitimam. ff. de petition. hæred. nec Comes erat in ignorantia affectata, seu supina. ex quo Liuia non tenebatur, coram certo iudice ratificare. & verisimiliter credere poterat Comes Io. Franciscus, quod Illustris D. Io. Antonius promissionem factam adimpleuisset. maxime iuratam. nec credere debebat quod in periurium incidisset. maxime cū non essemus in facto, quod quis perquirere tenetur. vt est in Prælato. & hic eramus in facto alieno, de quo, quod esset factum, nulla fama erat. quia tunc fuisset iudicata crassa ignorantia Comitis.

SVMMARIVM.

Regula, quod Cardinales absentes, vtantur eorum indultis in sex mensibus, quomodo intellecta.

DECISIO LXXIV.

IN vna Tirasonensi canonicatus, coram D. Prospero, die 9. Decembris 1547, fuit resolutum. quod regula, moderans indulta Cardinalium absentium, ad sex menses, non esset restricta ad vnam Ecclesiam, & vnam Monasterium. prout erat in regula moderante indulta Cardinalium præsentiū. sed quod in omnibus Ecclesijs, eorum indulto vti poterant. tum quia regula generaliter loquebatur. tum quia repugnabant verba regulæ, dum in ea dicitur. quod quā primum in Aulam venerint, quod debebant eligerere. ergo absentes non tenentur, tum quia sufficiebat Papæ, quod sex menses eis abstulisset. & ideo ad vnam Ecclesiam, & Monasterium eos coarctare non voluit.

SVMMARIVM.

Ad probandum primum extremum, sufficit præsumptiua probatio.

1 *Possidens præsumitur possidere, ex titulo de quo constat, etiam quod titulus sit inutilis, & inualidus.*

2 *Præ-*

2 *Præsumpta probatio, quando sit liquida probatio.*

3 *Primum extremum in spolio debet plene probari, quomodo intelligatur.*

DECISIO LXXV.

DVbitauit D. Prosper, die 9. Decemb. 1547. in vna Albaracinensi parochialis de Huclama. An pro primo extremo sufficiat probatio præsumptiua, ex titulo vnionis. & fuit resolutum quod sic. quia ex confessione Episcopi solis cõstabat, quod Episcopus Albaracinensis præteritus, possederat, & cum ex actis constaret de titulo
1 vnionis, † præsumptio erat, quod ex illo titulo, ad l. quædam mulier, etiam quod titulus esset inutilis, & inualidus Socin. consil. 13. volum. 4. & probatio præsumptiua
2 dicitur liquida † probatio, vt per Dec. in rubrica, de probat. num. 24. & consil. 428. colum. fin. Nec obstat, quod Dec. istud limitat in dicta rubrica, nisi vbi requiritur plena, seu aperta probatio. & tamen constat, quod Rota vult, quod primum extremum plene probetur. ergo non sufficit præsumptiua. quia fuit responsum, quod pri-
3 mum extremum simpliciter † debet probari. sed quia erat difficultas, an plene vel semiplene. fuit determinatum quod plene. & ideo hic non eramus in casu, in quo ex constitutione, vel statuto requiritur plena probatio. quia tunc procedunt dicta per Dec. vbi supra. sed eramus in interpretatione iuris prudentum, volentium, quod pri-
4 mum extremum † plene debeat probari ad differentiam semiplene, & tanto magis in illo casu.

SVMMARIVM.

Conferendi facultatem habens an possit resignationem admittere.

DECISIO LXXVI.

ANtonius de Vega erat Rector, & possessor Parochialis de Villalar Zamorensis diœcesis, & Thomas Scogido rector, & possessor parochialis S. Mariæ de Caldes Compostellanæ diœcesis. & volentes. ad inuicem dictas Parochiales permutare, & quia erãt in diuersis diœcesibus, Episcopus Zamorẽsis narrando, quod ipsi desiderabãt dictas parochiales inuicem permutare, com misit Archiepiscopo Compostellano, quod si contingeret inter eos permutationem huiusmodi effectuari. auctoritate sua ordinaria, vel vt melius de iure, potest, & debet, præfatam Ecclesiam de Villalar conferendi, & in eadem præfatum Thomam Scorgido instituendi, plenam, & omnimodam facultatem concessit. Dubitauit D. Prosper in vna Zamorensi parochialis de Villalar, die 12. Decembris 1547. An Archiepiscopus Compostellanus potuerit admittere resignationem, & conferre, stante quod sumus in permutatione. Et pro parte negatiua allegabatur decis. Bisign. secunda de renunc. vbi vult Bisign. quod Episcopus, qui dedit facultatem conferendi ex causa resignationis, tamen ille non poterit resignationem admittere. ex quo expresse non erat dictum, quod resignationem admittere posset. Tamen, non obstante decisione Bisign. fuit contrarium decisum in casu proposito. & fuit dictum, quod in casu posito per Bisign. illa maior pars male dicebat, & minor pars bene, & iuridice contradicebat. quia vt ibi dicit Bisign. maior pars tantum allegabat dictum Archid. in cap. sicut, de verb. signif. in 6. quod dictum in se verum est, quoniam ibi il lud idem tenet Io. Andr. prout ibidem refert, & sequitur Franc. ibidem. tamen Archi. ibidem loquitur in priuilegio concesso per Papam inferiori, quo casu illud priuilegium conferendi ex causa restitutionis, debet intelligi sine præiudicio ordinarii. nimirum si data potestate conferendi ex causa resignationis, non est data facultas admittendi resignationem. & ita etiam loquitur tex. in cap. dudum. de præben. in 6. sed in casu nostro, & in casu Bisign. eramus in ordinario, concedente potestatem conferendi ex causa permutationis, & resignationis, & cum contra ipsum concedentem plenissima interpretatio fieri debeat, si ordinarius concedit, quod conferat ex causa permutationis, vel resignationis. in necessarium antecedens videtur concessisse, vt possit resignationem admittere. & isto casu bene faciunt omnia argumenta, quæ facit Archi. in d. c. sicut, pro parte affirmatiua. & pro ista decisione aliqualiter facit decis. 311. * in nou. & ideo in eadem fuit dictum, quod mandatum ordinarii concessum suo Vicario, conferendi per cessum, vel decessum. ex quo in eo tractabatur de præiudicio ipsius ordinarii, quod esset intelligendum vt Vicarius ex tali mandato, resignationem admittere posset ex quo contra concedentem plene debebat interpretari, & de alterius præiudicio non agebatur, & cessabant rationes Archi. in cap. sicut vt superius dixi. & ideo, quod vtale remissoria fuerat concessa, ad probandum stylum in partibus. quod de consuetudine est, quod vigore talium mandatorum Vicarii soleant resignationes admittere, & cum cessante consuetudine sit de iure.

* Alias 6. de ret. permut.

SVM-

SVMMARIVM.

Habilitates auctoris, non ita exacte proban dæ sunt, sicut, & proprie.

1 *Habilitates prædecessoris in beneficio, an di cantur sufficienter probatæ, ex testibus deponentibus de publica voce & fama.*
2 *Legitimus, an quis præsumatur, quando quis petit beneficium canonizari.*
3 *Clericatus an probetur per publicam vocem & famam.*

DECISIO LXXVII.

* Vide Aegid. de cis. 594.

FVit resolutum in vna Ouetensi archi-
diaconatus de Villa vitiosa, die 12.
Decembris 1547. coram me, quod succes-
sor in beneficio non tenetur ita exacte pro-
bare habilitates sui auctoris, sicut & suas,
& ideo probando clericatum sui auctoris
per publicam vocem & famã, & quod alias
erat habilis, licet in specie non articulasset,
quod auctor suus esset de legitimo matrimo
nio. Tamen quia testes dicebant de publica
1 voce, & fama, quod habilitates † sufficienter
probabantur, per decis. Aegid. 112. & 645.
Non obstat decis. Cassad. 2. de caus. possess.
& propriet. in fine, dum dicit, quod illa
Aegid. 645. loquitur, quando auctor fuit in
possessione. quia fuit dictum quod Cassad.
intelligitur quo ad probationem tituli, sed
secus est quo ad probationem habilitatum,
Non obstat decis. 343. * in antiq. vbi dici-
tur, quod quando quis petit beneficium ca-
2 nonizari, quod nõ † præsumitur legitimus,
nisi probetur. quia fuit responsum, quod
respectu auctoris sufficit illa probatio non
ita exacta. Non obstat, etiam decis. 312.
in * antiq. quæ vult, quod clericatus non
3 probatur per publicã † vocem & famam,
nisi quando quis possidet, quia fuit dictum,
quod in auctore, in quo non ita exacte pro-
bandum est, quod istud non sit verum, &
istud dixerunt Domini verum esse, dummo-
do de illegitimitate aliquis sumus non da-
retur; quia si esset datus tunc concludebant
quod talis probatio non esset bona.

* Alias 2. de præsumpt.

* Alias 13. de probat.

SVMMARIVM.

Excommunicatus non dicitur habere titu-
lum coloratum habilem ad restitutionem

1 *Collatio facta excommunicato, an ipso iure nulla.*
2 *Execrabilis, an sit restituendus.*
3 *Quæ sunt de iure speciali, an sint in considerations.*
4 *Gratia reuocata præstet titulum coloratum. quomodo procedat.*
5 *Titulus coloratus, an sit quando prouisio est nulla ex defectu prouisi.*

DECISIO LXXVIII.

IN vna Conchensi capellaniæ de Belmon
te, coram D. Reomano, fuit resolutum,
die 16. Decembris 1547. quod excè-
ptio excommunicationis, tempore
collationis, & captæ possessionis, ob-
staret ageti spolio. * Ratio fuit, quia
1 collatio facta excõmunicato, † est ip
so iure nulla c. postulasti de cleric.
excom. Rot in antiq. 363. * Cassad.
decis. 1. de præben. & ideo cum excõ
municatus non habeat titulum etiã
coloratũ, cum priuatio tituli sit in-
ducta à iure, vt dicit Abb. in c. cum
nostris. in fine, de concess. præben.
sequitur quod talis possessio non sit
restituibilis, sicut etiam dicimus in execra-
2 bili, quando de execrabilitate † constet ex
actis, vt alias fuerat decisum. Et ideo cum
in casu isto de excommunicatione constaret
ex actis, dicebatur, quod non erat restituen
dis. Nec obstat, quod poterat esse iste abso
3 lutus, quia ea quæ sunt de iure † speciali
non erant in consideratione, sicut etiam fue
rat consideratum in execrabili, nec etiam
obstat, quod gratia reuocata præstaret titu
4 lum † coloratum, vt sæpius decisum erat.
quia fuit dictum, quod reuocatio gratiæ nõ
facit, quod gratia prima sit à iure reproba
ta. hic autem excommunicatio facit proui-
5 sionem à iure esse nullam. Et ideo † titulus
non dicitur coloratus. sed huic obstat quod
dicit Abb. in dicto c. cum nostris. in fine dũ
æquiparat priuationem inductam ab homi-
ne, vel à iure, & per reuocationem est indu-
cta priuatio ab homine. istud est difficile cõ-
trarium, & informantes etiam in suis infor
mationibus nõ recte respõdebant, tamen cõ
clusio ista supradicta fuit firmata, postquã
bis causa fuit votata, in qua ex sex votanti-
bus quinque eam firmarunt, & vnus fuit in
contrario voto. Alia fundamenta possunt vi
deri in informationibus.

* Quod excõicato agenti spolio obstet exceptio dicit com mentator Regularu Cancellariæ super regula 13. col. 10. circa finẽ. versic. secus dicatur. Vide ad propositum Nicolaum Aretinum in tract. de heret. in primo notab.

* Alias 5. de senten. excommunic.

SVMMARIVM.

Restitutio iterum petita, quod detur ex
causa de nouo; quomodo intellectum.

DECISIO LXXIX.

IN vna Romana domus, pro Philippo Bes-
sono, corã D. Prospero, die 16. Decemb.
1547. fuit resolutum, quod licet ex eau-
causa noua, restitutio iterum petita dari
debeat, vt dicit text. in l. final. C. si sæ-
pius in integrit. restitution. postulat. &
dicitur ex causa noua, quando ex no-

 uis

uis probationibus petitur, vt declarat Bartol. in l. 2. eod. tit. C. si sæpius in integr. &c. tamen illud * intelligitur ex nouis probationibus super ætate, non autem super læsione, pront ita in terminis declarat Angel. in l. 1. C. si sæpius in integr. restit. post. post Bart. Ang. & Bald. in l. fin. C. si min. se maio. dix. vbi reddunt rationem differentiæ.

* Tamē illud intelligitur, &c. Vide infra decis. 377. vbi illa intelligētia reprobatur.

SVMMARIVM.

Sententia lata contra cedentem, tanquam contra ciuiliter mortuum, est nulla, sed quo ad expensas tenet.

1 *Cedens beneficio, an habeatur pro mortuo ciuiliter.*
Mors ciuilis, & naturalis, an æquiparentur.
2 *Sententia lata contra mortuum naturaliter, nulla, & quid in mortuo ciuiliter.*
Lis non extinguitur per mortem naturalem. Quid per ciuilem.
3 *Ad substantiam litis, an requiratur, quod quis habet ius.*
Cedens, an possit post cessionem in expensis condemnari.

DECISIO LXXX.

IN vna Arentina S. Quirici, dubitauit D. Rossanensis, die 16. Decemb. 1547. An sententia lata contra cedentem, præiudicet Iacobo cessionario, stante, maxime appellatione pro eius parte interposita, quæ est deserta, & stante declaratoria contra ambos lata, quæ in rem transiuit iudicatā.
1 Et fuit dictum quod Iacobus cedens, † habebatur pro mortuo ciuiliter, & mors naturalis, & ciuilis æquiparantur, Clem. fin. de procurat. Rot. in nou. * 376. Sicut ergo sententia lata, contra mortuum naturaliter, est
2 nulla, ita lata contra † ciuiliter mortuum. tamen quia per cessionem, lis non erat extincta. nam sicut non extinguitur per mortem naturalem, vt dicit Io. Andr. in cap. 2. vt lit. penden. in 6. in 2. col. Aegid. decis. 156. ita nec per mortem ciuilem. quia ad substan-
3 tiam litis † non requiretur, quod quis habeat ius, & ideo substentatio litis post cessionem facit, quod ille possit in expensis cōdemnari, & ita sententia respectu expensarum est valida, ne alias iudicium elusorium redderetur. & istud ab omnibus fuit approbatum. & dixi ego vnum, quod ex quo lis sustinebatur in cedente, quod si cessionarius
4 sciret, quod causa † contra cedentem ageretur, quod tunc sententia ei noceret. per text. in cap. pen. de re iudic. ibi dum dicit ex quo patitur auctorem agere, & l. sæpe de re iudic. secus autem erat, si cessionarius ignoraret. sed alius ex Dominis dixit, quod istud procederet respectu possessionis, allegando Felin. in c. eum. super de re iudic. sed respectu iuris, quod ista distinctio non procedebat super isto vltimo. nil fuit firmatum videndus erit Felin. in d. cap. eum super, & stante prima resolutione fuit dictum, quod cum sententia esset nulla, etiam quod appellatio esset deserta non noceret, item etiam sententia declaratoria esset nulla, cum executoriales nulliter essent decretæ.

* Alias 28 de procurat.

SVMMARIVM.

Accolitorum beneficia, an sint per extrauagantem ad regimen, reseruata.

DECISIO LXXXI.

DVbitauit D. Fabius in vna Salamantina beneficiorum, pro Didaco Vasquez contra Alphonsum Moran, die 16. Decembris 1547. Vtrum accoliti creati per legatos cōprehendantur in extrauaganti, ad regimen. Et dato quod sic, an requiratur exercitium ad inducendum reseruationem. Ex sex votantibus duo primi dixerunt, quod accoliti non comprehenderentur. quia ibi fiebat mentio de multis officialibus, & accoliti non erant numerati, & cum reseruatio sit odiosa, videbatur dicendum, quod ex quo de eis non erat facta mentio, quod eorum beneficia non essent reseruata. Et isti duo dicebant. quod illa verba, aliorum quorumcumque capellanorum, referebantur ad dictionem proxime præcedentem, cō mensalium, non postquam reseruauit beneficia commensalium, reseruauit beneficia aliorum quorumcumque capellanorum, qui etiam commensales sunt. nam dicebant quod Auditores, etiam erant capellani, & tamen fuit facta specialis mentio de eis. si ergo Papa voluisset reseruare beneficia accolitorum, ita & etiam expressisset, & noluisset eos includere, sub illa dictione capellanorum, sicut Auditores noluit includere. cum isti accoliti, etiam præeminentias habeant. & licet accoliti possent etiam dici capellani, ex eo, quia in cappella seruiunt. tamen illud est accessoriæ, & attenditur qualitas, quæ est principalis. Alij tres Domini subsequentes tenuerunt, quod Accoliti essent comprehensi, sub illis verbis generalibus, & aliorum quorumcumque capellanorum. nam postquam in præcedentibus certas species officialiū posuit, sub illis verbis generalibus voluit includere alios capellanos, qui etiā essent officiales, & multum ponderabant illā dictionem, aliorū, quę dicit similitudinē. vt sicut reseruauerat beneficia Auditorū, qui sunt capellani voluerit

rit reseruare beneficia aliorum quorumcũque capellanorum, vt comprehenderet omnes in capella seruientes, & cantores, & subdiaeones. Ego vt vltimus distinxi. quod aut officium accolitatus erat tempore editionis illius extrauagantis, & tunc ex quo non erat facta mentio de ipsis Accolitis, sicut fecit de aliis.eram cum voto primorũ, vt beneficia non dicerentur reseruata. aut illud officium non erat illo tempore, sed postea fuit ereatum, & tunc beneficia eorum sub illis verbis generalibus, aliorum quorũcumque, comprehenderentur sub illa reseruatione, cum & ipsi etiam in capella seruiane. Quoad secundam partem dubii Domini tenebant, quod non requireretur exercitium, sicut pluries Rota concluserat, quod beneficia omnium Prothonotariorum essent reseruata.

S V M M A R I V M.

In causa Messanensi Baroniæ.

1 *Iudex in eadem sententia, an possit super meritis causæ iudicare, & declarare nullitates processus.*

DECISIO LXXXII.

IN causa Messanensi Baroniæ. Dubitaui ego die 16. Decembris 1547. An pro parte D. Ioannis, & Angelæ remotis nullitatibus, processus remansurus sic in tali statu, quod super eo posset procedi ad espeditionem causæ principalis in eorum fauorẽ, si aliud pro pupillis nõ deduceretur. Et quia pars aduersa dicebat, quod in breui directo iudici de partibus, committebatur causa subreptionis litterarum, ex eo, quod ante datam litterarum non fuerae expressum, quod matrimonium esset contractum, & copula carnali consumatum, constito de præmissis, quod iudex iudicaret de subreptione litterarum, & tamen iudici de partibus de copula non constabat. ex quo ego præsupponebam, quod testes examinati super copula, erant nulliter examinati. de litteris non constabat, quia erant productæ pro parte Ioannis, & Angelæ, & nõ erant in forma probanti, quia tantum erant exempla, & sic cum ista narrata non esset verificata, iudex non poterat pronunciare ex illo processu in partibus facto. minus etiam poteram ego, qui eram iudex appellationis ex illo processu pronunciare, cum eadem iurisdictio, quæ erat penes primum iudicem, esset penes me. Fuit tamen isto non obstante, resolutum contrarium, quia ex lectura breuis apparuit, quod non solum erat data iurisdictio super subreptione litterarum, sed etiam super inualiditate matrimonij. itaque probantis impedimentis consanguinitatis, vt probabantur per testes in partibus examinatos non docto de sufficienti dispensatione, vt erat coram me disputatum. fuit conclusum,
1 qnod possem † pronunciare super inualiditate matrimonij, simul declarando nullitates processus.

S V M M A R I V M.

Religiosi, & sequentes Religionem Hierosolymitanam, exempti à iurisdictione Episcopi Meliuitani.

DECISIO LXXXIII.

CLemens septimus exemit Hospitale Hierosolymitanum, Magistrum, Priores, Baiuliuos, subditos & vasallos à iurisdictione euiuscumque Episcopi, Archiepiscopi, præterquam dicti Hospitalis, Ordinariorum, tam spiritualium, quam temporalium. &c. Fuit conclusum in vna Meliuitana iurisdictionis, coram D. Prospero, die 19. Decembris 1547. quod Hospitale, Magister, Priores. &c. & omnes sequentes Religionẽ essent exempti à iurisdictione Episcopi Meliuitani, per verba ipsius Clementinæ, sed quia per octo annos post dictam Clementinam, pro parte procuratoris generalis eiusdem Religionis, fuerat obtentum breue, tenoris sequentis, q̃ omnes & singuli, vtriusque sexus Christifideles, conuentum Religionis sequentes, qui Meliuitanæ Ciuitatis, seu diœcesis non fuerint, non sub iurisdictione, & correctione moderni Episcopi Meliuitani, sed Prioris Ecclesiæ Religionis pro tempore existentis, quo ad diuina, & spiritualia moderni Episcopi vita durante dumtaxat sint, & esse censeantur, & debeant. Fuit dubitatum, An per tale breue exemptio censeretur esse tantum ad vitam illius Episcopi, ita vt per mortẽ eius non censerentur exempti sequentes Religionem. & fuit decisum, quod per illud breue cõcessum Religioni post Clementinam, tamquam secundum * priuile-
1 gium † concessum eidem, non censeretur esse reuocatum primum. quia secundum priuilegium concessum eidem, non tollit primum text. est: & ibi Bart. expresse illum text. notat in. l. hac saluberrima. in fin. verbis. C. de
2 præposit. agen. in reb. lib. 12. Item † argumentum * à contrario sensu non sumitur, nisi ad limites verborum, vt in notalibi casu consuluit Dec. cons. 386. licet in controuersia. col. 2. vers. & hoc idem. & col. 3. vers. & ex his responsio, & sumendo hic argumẽtum à contrario sensu, non redintegrabatur iurisdictio Episcopi post mortem, sed tantum cessabat exemptio, & tunc subintrabat Clementina.

* Priuilegium secundũ eiusdẽ concessum nõ tollit primum.

* Argumentum à contrario sensu sumitur ad limites verborum.

omnia pro ista parte adduxit. D. Hieronymus de Castello. Pro parte autẽ negatiua,q
10 in gratia si neutri non esset necessaria † mẽtio familiaritatis, adducebatur Sarnen.q.8. in regula de impetran. beneficia.&c. Tamen reuera Sarnens. ibi loquitur quo ad consensum,& istud verum, quod propter maiorem reseruationem resultantem ex lite, nõ requirebatur consensus Cardinalis, sed Sarnens. non negat, quod non requiratur expressio tituli, & nominis Cardinalis, nam videmus quod si Cardinalis est absens non debet cõsentire, & tamen regula vult quod exprimatur nomen, & titulus Cardinalis, & ratio est. quia si exprimitur potest esse tale nomen Cardinalis absentis, quod Papa de beneficio, quod impetratur, non prouideret, & ideo Papa vult quod exprimatur nomen & titulus Cardinalis, & ideo si in simplici prouisione Papa non prouideret non exprimendo, idem est dicendum, ut per viam indirectam gratiam consequi non possit. Secũdo dicebatur, quod regula loquitur de impetrando beneficia per obitum, in gratia si
11 neutri non datur † certus modus, sed incertus vacationis, puta si per euentum litis, ergo eum non conueniant verba regulæ, nec ipsa regula, sed ad istud supra fuit responsum, quod quoad euitandum subreptio-
12 nem, non inspicitur certus, † vel incertus modus vacationis per decis. 24. de rescript. in nou. & Felin. superius allegatus. Non obstat quod de reseruatione sit facienda men-
13 tio † in gratia si neutri, quia dicebatur quod satis fiebat mentio, cum in gratia si neutri in illa clausula, etiam si ex illo quæuis generalis reseruatio, etiam in corpore iuris clausa, resultet, licet in aliis gratiis Re-
14 ferendarij soleant addere † præterquam per obitum apud sedem. tamen in gratia si neutri nil additur, quasi ex stylo signaturæ videatur concedi omnis reseruatio. & si conceditur illa, quæ est per obitum apud sedem, à fortiori illa quæ est per obitum familiaris. Sed ad istud potest responderi, quod sunt duæ regulæ, in vna Papa reseruat beneficia familiarium Cardinalium, & quo ad istam fateor, quod per illa verba, etiamsi ex illo quæuis generalis reseruatio. &cæt. fiat mentio de reseruatione, tamen vltra reseruationẽ, est alia regula, quæ vult quod
15 impetrans † beneficium familiaris debet exprimere nomen titulum, etiam quod Cardinalis nõ debeat consentire, & quo ad istã regulam non video, quod sit in aliqua parte satisfactum dictæ regulæ in gratia si neutri. Et per istam responsionem tollitur ratio primi mei responsalis, quam alii Domini, qui ita bene causam non viderant, sequebantur. nam ipse dicebat, quod non debebat fieri mentio, ex quo propter litem non requirebatur consensus Cardinalis in prouisione. nam ista ratio tollitur, nam regula vult expressionem nominis etiam quod Cardinalis consentire non debeat. & ideo ego dixi quod alias causa erat melius disentien-
16 da, & quod interim † consulere aliquos ex Abbreuiatoribus, an per illa verba etiam si ex illo quæuis generalis reseruatio. &cæt. extenderetur reseruatio ex familiaritate Cardinalis proueniens.

SVMMARIVM.

Legata vinea non venit cannetum separatum.

DECISIO LXXXV.

IN vna Romana hæreditatis, die 23. Decembris 1547. coram me, fuit decisum, quod in legato vineæ * non veniret arundinetum distans per medium milliare, & intra quam & arundinetum erant alia bona. nam licet vnico precio, & eadem emptione, & testator vsus fuisset arundineto ad vsum vineæ, tamen istud non sufficiebat per text. in l. prædijs. §. Titio. ff. de legat. 3. vbi vltra vsum text. vult ibi quod sub appellatione prædii Titiani veniret etiam Gabinianum, & text. in §. final. dictæ l. prædiis, vult, quod sit contiguum, & istud vult Paul. de Castr. in l. fin. ff. de seruit. vrban. prædio. hic autem cannetum erat separatum, ergo non veniebat, & facit text. & ibi Bart. in l. scio. §. tiranne. ff. de fun. instruct. & quod dicit Bart. in l. 1. colum. 2. versic. id quod dicitur. ff. de reb. dub. Petr. de Anchar. consil. 291. super pluribus Alexan. consil. penult. volum. 2. text. in l. cum fundus. ff. de legat. 2. dum dicit secus si separatim vsus sit.

* Idem punctus fuit datus die 5. Iunij 1551. & fuit præsuppositum, quod non distaret cannetum à vinea, nisi per octauam partem milliaris, tamen, quod aliqua bona erant inter media, & idem fuit decisum, quod legata vinea non veniret cannetum, & quod nil facere text. in d. l. prædijs. §. balneas. ff. de legat. tertio, quia vltra vsum patrisfam. alia ibi interueniunt, vt dicit ibi text.

SVMMARIVM.

Regula modificatoria indultorum Cardinalium absentium quo ad sex menses, quomodo intellecta.

DECISIO LXXXVI.

IN vna Tirasonensi canonicatus, & præbendæ, coram D. Prospero, die 23. Decemb. 1547. fuit resolutum, quod Cardinales absentes vltra sex menses alternatos, de quibus in regula modificatoria indultorum Cardinaliũ absentium, non haberẽt quatuor mẽses ordinariis collatoribus, per aliã re-

regulam durantibus expectatiuis concessos. quia regula concedebat, tãtum sex menses alternatos,exprimendo eos. & in alijs sex mensibus dicebat,quod Cardinales non vterentur indultis, & concessionibus. verbum, autem concessio, est plusquam indultum. nam quatuor menses stantibus expectatiuis comprehendentibus omnes menses, dicũtur ex concessione dari, vt in regula habetur. dum dicitur, vt gratiam reportent. &c. itẽ ex præcedenti regula, in qua præsentibus dat omnes menses,colligitur, quod absentibus tantum velit dare sex. item ex consuedine patris fam. quia dum Papa concedit alternatiuas Ordinarijs, sẽper dicit,vt qua tuor mens. Ordinarijs, cõcessis nõ vtatur.

SVMMARIVM.

Vacatio beneficij ex persona alicuius, quomodo probetur.

DECISIO LXXXVII.

VAcatio beneficij ex persona alicuius, probatur statim,quod probatur possessio, & obitus illius. nisi detur titulus alterius super illo beneficio,vel triennalis possessio. ita colligitur ex decis. 109. * in no. & Cass/d. dec. 2. per totam, illam decisionẽ de caus.poss. & propriet. ita fuit resolutum in vna Salutiarum cantoriæ, coram Domino Rossanensi, die 23. Decembris 1547.

* Alias 4 de rer. permut.

SVMMARIVM.

Alternatiua concessa Episcopo, prodest Capitulo in beneficijs spectantibus ad collationem vtriusque.

DECISIO LXXXVIII.

IN vna Tirasonensi canonicatus, coram D. Prospero, die 9. Ianuarij 1548.fuit dictum, quod alternatiua concessa Episcopo, prodesset,etiam Capitulo ,in beneficijs spectantibus ad collationem vtriusq; per cons. Calder. 21. incipien. An si Papa de præben. & ita expresse dicit Pauin. in tractat. de offic. & potest. capit. sede vacan. in 10. quæst. primæ partis. col. 6. num. 23. vers. quæro, an sede vacante. & dixerunt etiam Domini, quod postquam Episcopus, tamquam caput eligit habet alternatiuam, quod Capitulum non potest dicere.ego nolo ea vti,& volo habere menses ordinarios, per ea, quæ dicit Calder. in d. cons. 22. col. 2. & sic fuit dictum, quod vbi menses ordinarij, inter Episcopum, & Capitulum sunt diuisi ex concordia, quod alternatiua concessa Episcopo, prodest etiam Capitulo.

SVMMARIVM.

Cantoria in Ecclesia Salutiarum, an sit dignitas, personatus, vel officium, cum administratione.

1 *Archidiaconatus,& Archipresbyteratus nomen, an sonet in dignitatem, & quando.*
2 *Personatus quid sit.*
3 *Cantor in Ecclesia quid faciat.*
4 *Officium requirens administrationem, an debeat obtineri à maiori, & quid si officium est simplex.*
6 *Remissoria, an concedatur ad probandum beneficium collatum esse dignitatem.*

DECISIO LXXXIX.

DVbitauit D. Rossanensis, die 13. Iannarii 1548. in vna Salutiarum cantoriæ. An cantoria sit dignitas de iure communi, & fuit resolutum, quod non esset dignitas. cum tantum nomen Ar-
1 chidiaconatus,† & Archipresbyteratus sint dignitas, seu sonant in nomen dignitatis, de iure communi, secundum decis. Rotæ 173. * de thesauraria. &c. in nouis. nisi aliud sit ex consuetudine, secundum candem decis. item fuit dictum. quod non erat personatus, cum personatus secundum Staphil. in tractat. de lit. grat. & inst. fol. 57.
2 sit honor † sine administratione. & fuit dictum, quod non esset honor, sed potius officium, secundum decis. 2. de ætat. & qualit. in antiq. aliàs, num 276. tamen in hoc fuit aliqualis discrepantia inter Dominos, quia ego dixi, vna cum D. Achille, quod esset officium, non tamen simplex, sed cum
3 administratione, † ex quo primus intonat, & dat ordinem gerendorum in choro, & alia tenetur facere,de quibus per Ostien.in summa,in rub. de offic. primicer. & inconueniens esset, quod ista, minor vigintiquatuor annorum faceret, & ideo quod essemus in 2. parte d. decis. 276. dum dicit, quod officium requirens administrationem
4 debet † obtineri à maiori. secus quando est officium simplex. quia tunc sufficit, quod sit maior decimo quarto, & dicebam, quod illa decis. 276. extendebat tex. in c.vnico. de ætat. & qualit. in 6. dum loquitur in dignitate, & personatu, vt etiam habeat locum in officio habente administrationem.
5 Tamen aliqui ex Dominis dixerunt † quod cantoria esset officium simplex. Et propter istam contradictionem istud vltimum non fuit determinatum. sed in illo casu, cum essent duo testes deponentes, quod cantoria

* Alias 9 de præben.

ria

ria erat dignitas. licet non redderent bonam rationem. fuit dictum, quod daretur
6 remissoria ad probandum, † plene esse dignitatem. & cui collata fuit tempore collationis fore minorem.

SVMMARIVM.

Ius patronatus à clerico fundatum, an sit Ecclesiasticum, vel laicum.

DECISIO XC.

IN vna Palentina Capellaniæ, coram D. Prospero. clericus iam centum, & circa ducentos annos dotauerat capellaniam relinquendo pro dote certas domos & prædium, & ius præsentandi reliquerat proximioribus suis, & per dictum tempus fuerāt in quasi possessione præsentandi. Dubitauit D. Prosper, die 13. Ianuarii 1548. ex quo non constabat, an illa dos esset de bonis patrimonialibus, seu Ecclesiasticis, An illud iuspatronatus diceretur Ecclesiasticum, seu laicum. Et fuit resolutum quod ex quo hæredes testatoris erāt in possessione, quod præsumeretur, esse laicum. per id quod dicit glos. in cap. sint manifestę 12. quæst. 1. & in cap. 1. 12. quæst. 5. Abb. in cap. cum esses in repet. colum. 11. versic. aut dubitatur, an acquisiuerint. &c. de test. & Abb. in cap. 3. de pec. cleric. Non obstat quod dicit Curt. in tractat. iurispatronatus in verbo ius. colum. penult. & Lamberti. in eod. tract. chart. 69. in 7. quæst. quia illi loquuntur simpliciter, non habito respectu quando aliqui videlicet, vel laici, vel Ecclesia sint in possessione. nam ex quo in casu isto hæredes erant in possessione, & per testatorem erat eis relictum ius præsentandi, erat præsumptio per eis, donec probaretur contrarium, secus est quando nullus est in possessione, quia tunc procederent adducta per Curt. & Lambert.

SVMMARIVM.

Sententia lata contra hæredem, non præiudicat fideicommissario non citato, saltem per proclama.

1 *Sententia lata contra hæredem, an possit exequi contra fideicommissarium.*
2 *Fideicommissarius vt afficiatur ex sententia lata contra hæredem, an debeat saltim citari per proclama.*
3 *Citandi an sint per proclama habentes secundario interesse.*
Creditores omnes etiam conditionales, & qui habent ius in spe, an sint citandi vt actus afficiat.
4 *Tertius pro suo interesse si vult, potest appellare, non propterea cogitur.*
Exequutio an possit fieri contra tertium.
5 *A communi opinione in iudicando non est recedendum.*

DECISIO XCI.

VIgesimatertia Ianuarij 1548. proposui dubium, in vna Nouariensi, siue Papiensi bonorum, pro D. Antonio Comite Castri contra Priorem Messanensē. præsupposito, quod Antoninus sit fideicommissarius. An res iudicata contra Hælisеam hæredem, possit exequi contra Antoninum fideicommissarium non citatū in iudicio, saltem per proclama. Et in facto erat quod Mercurinus, alias Cancellarius Cæsaris, promiserat Signorino ex causa cessionis bonorum, factæ per ipsum Signorinum, certos annuos redditus ascendentes ad summā duorum millium, & omnia bona sua hypothecauerat, & in specie certa bona in Regno Siciliæ. Mortuo Mercurino, dicta summa dicto Signorino Priori non assignata, Signorinus egit contra Hælisеam hæredem, & tres sententias contra eam reportauit, & obtinuit litteras exequutoriales decerni. quę litteræ exequutoriales fuerunt, mortua Hælisea hærede, intimatæ Antonino fideicōmissario, qui Antoninus allegauit, se non teneri dictis litteris exequutorialibus parere. Inde fuit ortum dubium de quo supra. Et quod posset fieri exequutio contra fideicommissarium, allegabatur text. vbi videtur casus in l. ex contractu. ff. de re iudic. in l. si patroni. §. fin. ff. ad Trebell. in l. 1. §. denunciari. ff. de vent. inspic. in quibus iuribus
1 videtur probari, quod † sententia lata contra hæredem, potest exequi contra fideicommissarium. Istis tamen non obstantibus, maior pars tenuit, quod exequutio fieri non potuisset. ex quo saltem per proclama fideicommissarius non erat citatus, quia licet sententia valeat contra hæredem latā, fideicommissario non citato. Tamen vt exequutio, & sic præiudicaretur fideicommissario
2 saltem erat citandus † fideicōmissarius per proclama, ad doctrinam Bart. in l. si eo tempore. C. de remiss. pig. & ibi Bal. Alex. in l. de vno quoque. colum. 3. versic. item fallit quantum. ff. de re iudic. Felin. in cap. humilis de maior. & obed. colum. 2. vers. intellige prædicta, Socin. in l. cum filius familias. col. 1. ver. tertio principaliter. ff. de verb. oblig. Capic. decis. 107. in causa Martii numer. 4. & num. 8. & num. seq. Dec. in l. in iure ciuili. num. 4. ff. de reg. iur. Curt. Iun. cons. 23. præsupponitur in facto. colum. 5. versic. & remittendum est, Iason. in l. nequicquam in. §. vbi decretum. colum. 7. versic. li-

fic. limita not. ff.de offic.proconf. & legat.
& in l.decem. col. 11. verfic.tenendo iftam
partem. ff.de verb. oblig. Loffredum . con-
fil. 10. col. 1.per Ferdin. Loazes in repet. §.
diui.num.62. cum fequenti , & fequenti, &
ibi Crot.col.12.num.42. verf.limitatur ifta
conclufio , & num.45. verf. fallit etiam, &
multæ aliæ quotæ allegatæ fuerunt,de qui-
bus in informatione Aduocati,& huic ma-
iori parti non placuit diftinctio,quæ daba-
tur ad doctrinam Bart.in d.l.fi eo tempore,
dum dicebatur,quod Bart.loqueretur in his
qui ius de præfenti , vt puta in pluribus cre
ditoribus,fecus autem eft in his,qui habent
ius in fpe, vel fub conditione. quia fuit di-
ctum, quod ex dictis dictorum Doctorum
colligebatur, quod non folum puri, fed etiã
3 conditionales , † & habentes fecundarium
intereffe,faltem per generale proclama funt
citandi.vt etiam habetur in d.l. fi eo tépo-
re, & in auth. fi omnes. C. fi min. fe ab hæ-
red. abftin. & in §.fancimus io aut. de hæ-
red.& falcid. in quibus probatur,omnes cre
ditores etiam conditionales , & fideicom-
miffarios,effe citandos , qui tamen habent
ius in fpe. Non obftat etiam quod fideicõ-
miffarius in cafu noftro facta intimatione
exequutorialium,appellare potuiffet,prout
dicit Alexand. in d. §. diui. col.2. & 3. &
ibi Ripa. num.92. quia quilibet tertius po-
4 teft pro fuo intereffe, † fi vult appellare,nõ
tamen cogitur , nec propterea contra eum
poteft exequutio fieri,Felin.in cap.veniens.
2.colum.3. cum feq. de teft. & in cap. cum
fuper. col.3.& feq.de re iudic. Ad.l.ex cõ-
tractu fuerunt datæ variæ refponfiones, de
quibus in informationibus , & vnus ex Do-
minis dixit , quod ille textus nihil faciebat
cum dubium ibi erat, propter abftenfionem
factam per tutores . nam dubitabatur ibi ,
an fententia valeret contra fubftitutum ,
tamen ibi textus non excludit , quin fubfti-
tutus foret citandus . Et dicebat ifta ma-
ior pars, quod ex quo tot Doctores tenebãt
quod effet facienda citatio per proclama ,
& non reperiebatur contradicentem , quod
ifta pars in iudicando erat tenenda , quia
5 à communi † non erat recedendum.

S V M M A R I V M.

Epifcopus, an habeat iurifdictionem de iure, de confilio, vel confenfu Capituli .

1 *Iurifdictio quomodo pertineat ad Epifcopum in capitulares. num.2.3. & feq.*
5 *Præfentia, an videatur importare confilium, & num.6.*
7 *Epifcopus, an poffit folus procedere contra capitularem, vel confanguineum.*
8 *Iurifdictio, quod pertineat ad Epifcopum de confilio Capituli, quomodo intelligatur, & num.9. & 10.*

D E C I S I O XCII.

Vigefimatertia Ianuarij 1548. in vna
. Palentina iurifdictionis . Dubitauit
D.Profper , An iurifdictio competat Capi-
tulo, vna cum Epifcopo de iure communi .
Et fuit dictum, quod erat text.in c.irrefra-
gabili,iũcto.§.exceffus. de offic.ordin.quod
1 iurifdictio † pertineret ad Epifcopum per
illum text. dum ibi datur facultas Epifco-
po ,corrigendi clericos, & in §.exceffus di-
cit,quod exceffus canonicorum, vnde exci-
piendo à regula fuperiori , datur intelligi ,
quod etiam appellatione clericorum venie
bant canonici, quos tamen non poterit cor
2 rigere , † vbi confuetudo eft in contrarium
nifi facta præfixione termini,& iftud dicunt
ibi Innoc. in princ. & Oftien. in §.exceffus
Collectar. & Abb. dum dicunt , quod nifi
effet confuetudo canonicis,prætermiffis Epi
fcopus corrigit. Fuit tamen dictum quod li-
cet de iure iurifdictio ad Epifcopum perti-
neat, & videtur text.in cap. 1. de offic. or-
din. tamen difficultas eft, an ipfi vna cum
3 confilio † Capituli, an vero cum confenfu .
Et quod pertineret cum confilio, videbatur
text. in cap. 3. iuncta glof.fin. de confuet.
in 6. in c. nouit, & in c. quanto.de his quæ
fin. à præla. & tenuit glof. in d. cap. ir-
refragabili. in fin. glof.magnæ, & glof. in
c. ex litteris. in verbo fegregari de diuort.
Corn. conf.193. in princ.volum.2.& multi
alij DD.qui pro ifta parte fuerunt allegati,
prout poteft videri in informationibus . Et
quia Felin.in d.c.irrefragabili allegat mul-
tos DD. tenentes quod iurifdictio compe-
tat Epifcopo de confenfu Capituli , fuit di-
ctum quod multi DD. per eum allegati id
non dicebant , & primo Oldrad. conf. 251.
nos Reginus, dixit alternatiue de confilio ,
vel affenfu , item Domin. per Felin. addu-
ctus. in cap. 1. colum. 1. & in fin. de hæret.
in 6. dicit,non excludi Capitulum,non quo
4 ad † confenfum , fed quo ad confilium , vt
patet dum allegat text.in cap.3.de confuet.
in 6. item Archi. ibidem,non requirit con-
5 fenfum, fed præfentiam, & præfentia † vide
tur importare confilium iuxta glof. in l. fi
quis mihi bona. §.fi coram in glof.in verb.
recte puto . ff. de acquir. hæred. immo ex-
cludit confenfum iuxta text. in l. coram. in
fine. ff. de verb.fignif. Innoc.etiam per Fe-
lin.adductus in cap.graue,verfic.item fecus
fi agatur de crimine,de præben.loquitur ibi
de Epifcopo cum clericis , & iuxta text. in
c. nouit quẽ allegat,eft intelligendus de cõ-
filio, vt etiam voluit Innoc.in cap.nouit,de
his quæ fiunt à prælat. glof.etiam in c.Epi-

fcopus

scopus 24. dist. licet loquatur de consensu, tamen, iuxta text. quem allegat, capit con-
6 sensum † pro præsentia, & eodem modo intelligitur glos. in cap. cum nos, de his quæ fin. à prælat. eodem modo intelligitur glos. iu cap. si quid vero 86. dist. quia ibi capit consensum pro præsentia, eodem modo glos. in c. ex pœnitentibus, circa medium. 50. distinct. nam ibi secundum text. quem allegat capit consensum, pro præsentia glos. etiam in cap. 1. iu verbo iudicio de excess. prælat. dum dicit de consensu, intelligitur præsentia iuxta text. quem allegat, & ideo quia Abb. iu cap. nouit in 1. & 2. quæst. dicit, quod regulariter requiritur consilium, exceptis casibus per eum notatis, & idem etiam videtur voluisse idem Felin. in cap. edoceri. col. penult. versic. similiter dicit Butr. &c.
7 de rescript. quod quando proceditur † contra Capitularẽ, vel consanguineum possit Episcopus solus * procedere & quia erant iura clara, loquentia de consilio, & glos. & DD. loquebantur de consilio. glos. vero quæ lo quebantur de consensu, vel intelligebantur de consilio, vel præsentia iuxta iura quæ allegabant, ideo fuit firmata conclusio, quod iuris dictio
8 spectaret † ad Episcopum de consilio Capituli. Sed fuit dictum quod daretur dubium, an iura quæ volunt requiri consilium intelligantur
9 de † consensu, prout ita intelligit Imol. post Io. Andr. & alios quos allegat. iu d. cap. nouit. de his quæ fi. à prælat. Item quia Innoc. iu d. c. nouit, & DD. sequuntur quod in ar-
10 duis nedum requiratur † consilium sed etiam consensus, quod daretur dubium, an hic essemus in arduis. Item si probabatur consuetudo immemorabilis, au concilium tollens consuetudinem, intelligeretur tollere consuetudinem immemorabilem.

* Solus procedere, idem dicit Abb. in c. nouit col. 1. vers. secundo dicunt. &cæt. quod quando Prælatus vult procedere contra consanguineum, vel amicum collegij, quod possit sine consilio de his quæ fiunt à prælat. & Hostien. in d. c. nouit. col. 1. vers. aliorum cons. & ibi Ioan. And. circa princ. & ibi Card. col. 1. in 5. not. & declara istud, vt per Ant. de Butr. in d. c. nouit. col. 1. vers. & declaro, &cæt. & clarius Imol. in d. c. nouit col. 5. vers. vlterius aduerte. &c. Ostien. in summa de his quæ fin. à prælat. sine consensu Capituli. in §. in quibus consilium. colum. 2. versic. sed quid si forte prælatus. &cæt.

SVMMARIVM.

Derogatio indulti Cardinalis, intelligitur de indulto Cardinalis extraordinario, non autem Cardinali Ordinario, concesso.

1 *Derogatio in dubio, an referatur ad ordinarios, vel extraordinarios.*
2 *Clausula, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, quomodo intelligatur.*
3 *Papa concedendo indultum Ordinario, an dicatur solum remouere obstacula.*
4 *In derogatione facta à principe, an censeatur potius sublatum ius commune, vel extraordinarium, & num. 7.*
5 *Priuilegium quod potest respicere ordinaria, & extraordinaria, quomodo intelligatur.*
6 *Priuilegium de non soluendis decimis, quomodo intelligatur.*

DECISIO XCIII.

Alias in vna Toletana, canonicatus, & præbendæ, coram D. Peregrino, proposita 26. Martij 1546. inter Franciscum Pesquera ex vna, & Petrum Nauarro & Christophorum de Cardenas, ex alia. fuit resolutum, quod sub derogatione indultorum Cardinalium, ab vsu patris familias, non esset derogatum indulto Cardinalis Ordinarij, prout annotaui in secundo libro annotationum mearum decis. 412. vbi habetur casus, & resolutio. sed quia ad instantiam eiusdẽ Francisci Pesquera, ego tamquam subrogatus eiusdem D. Peregrini, sub die 27. Ianuarij 1548. eundem punctum proposui, & per Aduocatum multæ rationes de nouo fuerunt adductæ. Quibus tamen non obstantibus Rota permansit in eadem resolutione facta; ideo quia rationes videbantur vrgentes, volui subijcere responsionẽ ad rationes in contrariũ addnctas. Et primo di diceba tur, quod posito, quod verba derogationis essent dubia, & possent referri ad Cardinales Ordinarios collatores, & extraordina-
1 rios, quod in dubio, derogatio † erat referenda ad ordiuarios, non autem ad extraordiuarios. argumẽto. l. si eio. §. medico, & quod ibi Bart. ff. de an. legat. Bart. & moder. in l. sed & si quis. §. quæsitum. ff. si quis caut. & quæ tradit Sarnensis, in princ. regularum. quæst. 6. colum. 3. quod clausula, non
2 obstantibus † constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, intelligitur de iure communi, non autem de extrauagantibus, quæ sunt extraordinariæ. Item quia Papa
3 concedendo indultum ordinario, † nil facit, nisi remouere obstacula, & reducit illum ad terminos iuris communis, vt per Cassad. decis. 3. 4. & 8. de priuileg. & in derogatio-
4 ne facta à Principe, censetur † potius sublatum ius commune, & ordinarium, quam priuilegia extraordiuaria, vt per multa probat Galiaula in repet. l. Centurio. col. 22. vers. quarto. vltra DD. ff. de vulg. & pupill. Ias. in l. postquam liti. col. penult. versic. secundo not. ex hac glos. &c. C. de pact. sed ad ista fuit responsum, & primo ad illud quod dicitur, quod priuilegium quod potest respicere ordinaria, & extraordinaria
5 intelligitur * de ordinarijs, † quod istud non videtur verum, ex not. per Felin. in cap. sedes.

* Quod exceptus

à muneribus intelligitur exēptus à muneribus extraordinarijs, nō autē ab ordinarijs ponit Bart. Belenz. in tract. de charit. subsid. q. 32. pag. 2. in princ. Vide Frāc. Rip. in l. si ex toto. num. 13. delegat. 1.

des, col. 3. vers. & primo vide. &cæt. de rescript. ex cuius dictis, in vna Burgensi decimarum, fuit resolutū prout posui supra decis. 65. quod priuilegium de non soluendis deci-
6 mis, † intelligebatur de decimis extraordinarijs, non autem ordinarijs. Item & secundo potest responderi. quod etiam indultum Cardinalis in quantum tollit impedimenta, videlicet expectatiuas, & reseruationes, dicatur etiam quoddam priuilegium, & cum reducat ad primæuū ius, sit maius priuilegium, quam illud extraordinarium, & ideo difficilius ei dero-
7 getur. Non obstat, † quod Princeps censetur potius tollere ius commune, quā priuilegium, ex nota Galiaulæ allegata. quia ex dictis per Galiaulā, colligitur solutio, quia aut ius commune est odiosum, & priuilegium æquum, & ex causa concessum, & tūc potius censetur esse sublatum ius commune quam priuilegium, secus quando contrariū est. nam in casu nostro indultum ordinario concessum est æquum, & fauorabile. cōcessum vero Cardinali non ordinario, est odiosum, & irrationabile. nimirum si Papa derogando potius videatur, quod non est iusta causa concessum, tollere, quam illud, quod est ex causa cōcessum, & ideo, ab vsu patrisfamilias, non censeatur illi derogare velle, nisi expresse istud dicat. Non obstat quod dicebatur tollere omnem difficultatem, quod istud dici posset, vbi essent indulta ordinaria, & extraordinaria, sed cum in casu de quo agebatur, non essent, nisi illa duo indulta Cardinalium Ordinariorum, videlicet Hispalensis, & Toletani, ergo de illis de necessitate erat intelligendum, vt per plura com probabatur, nam si testator mandat, quod debita soluantur non intelligitur de debitis cum bona fide præscriptis, tamen si nulla alia debita habeat, nisi præscripta, intelligitur de illis. Bart. in l. quibus diebus. §. diuus, & ibi late Socin. ff. de condict. & demonstr. & pet text. in l. fundus qui locatū. ff. de fund. instruct. & multa alia similia adducta in informatione. Ad quod fuit responsum, quod attenta supplicatione istud fundamentum parum vrgebat, nam cum Papa in supplicatione concessisset ad duas collationes nominandas, cum derogatione indultorum Cardinalium, ex quo illa derogatio poterat operari in collationibus, in quibus, Cardinales indultum extraordinarium habebant, in illis talis derogatio operari debebat, non autem in illis collationibus, in quibus Cardinales ordinarij indulta sua habebant. & per hoc cessabat aliud fundamentum, dum dicebatur, quod alias verba derogationis in isto casu erāt superflua, cum diceretur, quod si Frācīscus expediuisset ad alias collationes, derogatio non fuisset superflua. eodem modo fuit responsum, quod verba bullæ loquebantur de Archiepiscopo Toletano, & derogatio de indulto Cardinali concesso, & non erat alius Cardinalis in illa diœcesi Toletana, quam Archiepiscopus Toletanus. quoniam fuit dictum, quod illa derogatio in bulla expedita, erat intelligenda, prout in supplicatione, & si in supplicatione intelligi non poterat, nisi de indulto Cardinalis extraordinarij, ita & in bulla.

SVMMARIVM.

Clausula, augendi, vel minuendi, vsque ad verum valorem, etiam in secunda expeditione, quomodo intellecta.

DECISIO XCIV.

IN vna Oxomensi beneficij de Bagnos, in qua Franciscus Vrones expresserat beneficij valorem in prima expeditione ad vigintiquatuor ducatos, quod per alium ob malam expressionem, fuerat impetratū, & Franciscus secundo loco volebat expedire litteras ad valorem verum, ex quo habebat clausulam, augendi, vel minuendi, vsque ad verum valorem, etiam in secunda expeditione. Dubitauit D. Rossanensis, die 27. Ianuarij 1548. an posset. Et fuit resolutum, quod quia Franciscus tenebatur inquirere verum valorem ante primā expeditionē, & ex quo male expresserat, quod præsumebatur dolosus, nisi ipse doceret, quod ex aliqua causa esset motus ad exprimendum minorem valorem. Non obstat clausula etiam in secūda expeditione, quia intelligebatur, quando ex aliqua causa ad minorem valorem expediuisset, quia tunc, & secundo ad verum valorem expedire poterat, si autem sine causa expediuisset, cum tunc in dolo diceretur esse, ne priuilegium censeretur esse concessum doloso, & in præiudicium officialium, qui ex prima expeditione fraudati erant, secundo expedire non poterat, & tanto magis stante impetrante in medio, per ea quæ dicit Felin. in c. in nostra. col. 3. circa princ. versic. & hanc limitationem firmat etiam pulchræ. &c. de rescript.

Iterum fuit posita, die prima Februarij 1548. & idem fuit resolutum, quod Franciscus Vrones teneretur docere de aliqua causa, quare expediuerat ad minorem valorem. alias quod non posset.

SVM-

SVMMARIVM.

Minor, maior infante, an citari posśit, & talis citatio interrumpat prescriptionem regulæ de triennali.

DECISIO XCVI.

*Vide decis. Afflicti 262. fuit in consilio, &c. & not. quod vbi minor fuit citatus intelligitur, vt legitime cōpareat, Bald. in l. non ideo minus in fine, & in l. in pecuniarijs C. de procurat. & si minor tunc compareat potest iudex absenti, & non petenti curatorem deputare, Bald. & Salicet. in l. 1. qui pet. tut.

IN vna Segobiensi archipresbiteratus corā D. Antonio Augustino, fuit * resolutum quod maior infante, si tutorem habebat non potuerat citari, sed citandus erat eius tutor, secus autem si tutorem non habebat, quia tunc citatio ab eo incipere potest, & in hoc sequuti fuimus distinctionem istam, quam fecit Aret. in l. si ex legati causa ff. de verb. oblig. & in eadem maior pars tenuit quod talis citatio facta cōtra maiorem infante prodesset, ad interrumpendam perscriptione regulæ de triennali. nam licet Aret. dicat quod talis citatio non constituat minorem in contumacia, nec posset procedi ad aliquid preiudiciale ipsi minori. Tamen hic non tractabatur de præiudicio minoris, sed tantum de interrumpenda negligentia illius, contra quem prescribebatur, ad effectum, vt ille non diceretur negligens.

SVMMARIVM.

Legata domo, venit etiam domus illi adiuncta.

DECISIO XCVI.

IN vna Bononiensi domus, testator legauerat cuidam Hospitali vnam domum ad presens suæ habitationis, confinatam suis confinibus. Dubitauit Dominus Antonius Augustinus die 27. Ianuarij 1548. An in legato facto per Bartholomeum de domo suæ habitationis, veniat domus post testamentum, per ipsum Bartholomeū acquisita, & priori, prout testes deponunt vnita. Et fuit resolutum quod sic, per tex. in l. si ex toto in prin. & l. quod in rerum, §. si quis post ff. de legat. 1. & in l. cum fundus, ff. de leg. 2. & per ea quæ dicit Socin. in l. 1. col. 3. vers. tertius casus est. &c. ff. de reb. dub. fuit tamen dictum quod videretur, an testator illis duabus domibus vsus fuisset pro vna.

SVMMARIVM.

Testamentum manupropria testatoris scriptum, non publicatum corum testibus, & notario, an valeat.

DECISIO XCVII.

IN vna Romana hæreditatis, & bonorum, in qua testator instituerat filium, & filiam, vxori vero vsufructum certæ domus reliquerat, & cuidam filiæ suæ dotem reliquerat, eandem in ea instituendo, & postea dixerat, quod si filius, & filia decederent sine filijs, pro medietate succederet altera filia, & pro alia medietate societas Sancti Rocchi, & quædam alia legata fecerat, & in principio testamenti testator dixerat, quod, ex quo erat suspitio pestis, volebat quod presens voluntas valeret, ac si de ea rogatus esset notarius publicus; ista voluntas reperiebatur tota scripta, manu ipsius testatoris, in quodam libro rationum suarum, & manus testatoris fuit recognita, non tamen dicta voluntas fuerat publicata, nec notarius rogatus, nec testes aliqui in ea appositi. Dubitauit D. Rossanēsis die 30. Ianuarii 1548. An huiusmodi testamentū valeret, & pro parte affirmatiua dicebatur, quod ista voluntas, licet esset imperfecta ratione solennitatis; tamen erat perfecta ratione voluntatis, cum in ea appareret de legatis, de institutione, & substitutione facta, ita vt nil vltra desiderari posset ad perficiendam voluntatem alicuius, & sicut talis voluntas erat valida inter liberos, per auth. quod sine, & in hoc Domini non dubitabant, quod ita valeret ad pias causas, ex quo euenerat casus, quod filij sine filijs decesserant, ita vt pariter deberent ex ista voluntate succedere filia, & societas S. Rocchi, & allegabatur. Bart. in l. fideicommissa §. 1. ff. de legat. 3. & in l. si is qui col. 2. ff. de testam. Alex. cons. 4. col. 3. vol. 7. & remissiue ponebat Alex. in l. hac consultissima. §. ex imperfecto col. 3. C. de test. Ias. cons. 61. col. fin. vol. 1. late Ruin. consil. 71. col. 6. & seq. vol. 3. Nicola. Boer. in decis. suis decis. 93. an ex testamēto col. fin. Sed istis non obstantibus, Domini contrarium voluerunt, quia de iure canonico vt testamentum valeat, vel, vt relicta debeantur, etiam ad pias causas, debent esse duo testes, vt in c. cum esses, & in c. relatum de test. & ita per dicta iura, tenet Alex. cons. 76. ponderatis his col. 4. vers. super 4. &c. vol. 3. & istud etiam voluit Aret. licet pro parte aduersaria, ad sui fauorem allegaretur, in d. l. si is qui col. 1. de testam. dum allegat tex. in l. fin. C. fami. her. & subiungit, quæ tamen limitatur hodie, per aut. quod sine C. de testam. & pro

eaq;

ea quæ habentur in c. relatum,& c. cum esses de testam.

S V M M A R I V M.

Procuratores, vbi duo sunt constituti, sine clausula, & quemlibet eorum, cum, clausula, promittens habere ratũ quidquid ab altero actum fuerit, valet quod ab vno ex eis factum fuit.

DECISIO XCVIII.

* Die 8. Feb. idẽ dubium, fuit datum & resolutu, vt prius Non obstãt not. per Ias. in l. r. col. 5. n.21.vers. secundo querũt hic doct. ff. de off.procur.Cesa. vbi si est constitutus procurator ad talem,& talem actũ & deinde subijciat clausulam, & promisit habere ratum quæcumque gesta per eum, &c. non tamen per talia verba censetur procurator habere mandatum cum libera. quia ibi fuit dictum, quod ibi nulla precedebant verba dubia, quæ per sequentia declarari possent, sed in casu nostro erãt verba debia aliqualiter scilicet cõstitutio illorũ duorũ, quę recipit declarationem ex verbis sequentibus. ex quo sumus in eadem dispositione nõ obstat quod per C. si duo de procurat. in 6. constitutio duorum sine clausa insolidũ nullam recipiat dubietatem. quia verũ est si simpliciter cõstitutio suisset factum, sed ex quo in eadem dispositione subiecit illam clausam, quod vult habere ratum, quod ab altero eorum factum foret. satis mẽtem suam declarauit, quod noluit illam constitutionem duorum insolidum facere.

IN vna Ciuitatensi * coram me in qua Garsias constituerat duos Procuratores ad resignandũ quoddam beneficium inę fauorem sui nepotis, reseruatis fructibus,& regressu, & non posuerat clausulam, & quemlibet eorum in solidum. tamen in mandato erat clausula, promittens habere ratum, & gratũ, quidquid ab eis, seu altero eorum actum, gestum, &c. Resignatio facta fuit per vnũ ex istis procuratoribus, Dubitaui ego die 30. Ianuarij 1548. An resignatio valeret, an impetratio facta per Didacum Vesga per obitum resignatis. Et fuit resolutum quod talis resignatio valeret, quia licet clausulæ exequutinæ non augeant, tamen declarant, & cum illa verba cõstitutionis procuratorum duorum, aliquo modo, seu aliqualem dubitationem recipere possint, an vnus dictorum constitutorum, actũ facere potuisset. ideo fuit posita clausula illa declarans, quod etiã si per alterum factum foret quod cõstitnens volebat habere ratum, & gratum. Item dicebatur quod illa verba promittens, &c. non erãt mere in parte exequutiua, sed poterat dici quod essent etiam in parte dispositiua, ex quo continebant illam promissionem, quod promittebat habere ratum,& gratum quicquid, ab altero ex eis factum foret. & sic cum ratificatio retrotrahatur, & mandato æquiparatur, sicut si ab initio constituisset amboscoiunctim, & etiã alterum eorum diuisim, ita etiam esset, quando ex post facto, idem disponens, promittit se habere ratum, quidquid ab altero factum foret. nam est perinde ac si etiam ab initio alterum eorum constituisset. & tanto magis cum resignationes in Curia sint fauorabiles, & nulla fraus excogitari poterat, ex quo, in fauorem nepotis, eo omnia posita in mandato seruata erant. Non obstat decis. 346. in * antiq. & decis. Bisig. 1. de procurat. quia in illis decisionibus in parte dispositiua nil erat positum, ex quo pars exequutiua illam declarare posset. Item clausula releuationis indẽnitatis nihil commune cum clausula ista; promittens habere ratum quidquid ab vno,&c. quia ex quo promittebat, ex illa promissione illud gestum vires sumebat.

* Alias 23. de procur.

S V M M A R I V M.

Statutum Salamantinum siue concordia quomodo intellecta.

1 *Dignitas superueniens, an immutet naturam priorem.*
2 *Collatio, an sit nulla, si conferatur vni, cum deberet alteri conferri.*
3 *Collatio si ex statuto debeat fieri certa personæ, ea non facta datur appellatio.*

DECISIO XCIX.

IN vna Salamantina canonicatus, in
qua ex forma concordiæ, capitulum te-
nebatur prouidere de canonicatu vacanti
antiquiori portionario, quę concordia per
Sedem Apostolicam erat approbata. Dubi-
taui ego die 1. Februarij 1548. An capitulũ
teneretur prouidere de canonicatu vacanti
Antonio portionario, & archidiacono. di-
cebatur quod non. quia statutum loqueba-
tur de simplici, ergo non habebat locum
in mixto. fuit responsum quod iste non erat
casus mixtus, sed quod Antonius gerebat
personã duorum, vidlicet portionarij, & di-
gnitaris, & vt portionarius Capitulum te-
nebatur eidem prouidere, & quod digni-
1 tas † superueniens, non immutabat naturã
priorem l. maior C. de dignit. & l. 1. C. de
primicerio lib. xij. Soc. in l. falsa demon-
stratio. §. sed, & si. ff. de cond. & demost.
Non obstat quod licet capitulum teneretur
conferre, tamen per hoc collatio alteri
2 facta, † non annullatur, vt est tex. in c. di-
lectus 2. de preben. & ibi glos. in verbo
conferendum. Quia fuit dictum quod istud
procederet, vbi collatio esset libera ipsius
Capituli, vt in terminis illius tex. in quo
valet collatio contra mandatum Papæ, licet
Capitulum in alio puniatur, sed in casu no-
stro, per concordiam, collatio non est libera
Capituli, sed tenetur certo generi perso-
narum, seu certæ personæ conferre, cui ex
concordia est ius quesitum. & ideo potest
3 appellare † à denegatione, & per superio-
rem compelli, vt iuxta tenorem concor-
diæ fiat collatio.

S V M-

SVMMARIVM.

Narratiuæ Papę de facto alieno motuproprio est standum, donec contrarium probetur.

DECISIO C.

Die 20. Februarij 1548. proposuit D. Nouatus dubium. An standum sit Papæ motu proprio narranti sub ijs verbis. Cũ sicut accepimus, ex bellis septentrionalibus inter Ottonem electum Constantiensem, & Ludouicum se pro Episcopo Constantiense gerentem, & mala conditione temporum Ecclesiam tanto ęre grauatam, vt Ioannes de Lupffen eandem resignare in manibus suę sanctitatis coactus fuerit. & ideo se timere ne Ioannes Archiepiscopus Lundensis, à Capitulo, & canonicis in Episcopum Constantiensem vocatus, ex eadem causa Episcopatum relinquere cogatur. &c. Et fuit determinatum, quod narratiuæ Papæ, etiam de facto alieno in quo fundat intentionem suam motu proprio, esset standum. & quod ita dicit Card. in Clem. 1. de probat. in 10. quæst. Pet. de Anchar. ibi in prima quæst. Imol. ibidem in 4. col. vers. prædicta limitat esse vera & Alex. conf. 112. vol. 7: Curt. Inn. consil. 61. quicquid dicat Bonifac. de Vitalinis in d. Clem. & Vitalin. in tract. clausularum. in clausula, de verbis enunciatiuis in priuilegijs. dicunt etiam præfati DD. quod licet stetur prædictæ narratiuæ factæ motu proprio, potest tamen probari contrarium.

SVMMARIVM.

Appellatio à sententia, quatenus contra, non suffragatur aduersario, si nulla in fauorem eius est lata.

1 *Appellatio, an deuoluat totum negotium, quando est facta in parte, qua facit contra appellantem.*

2 *Appellatio, quatenus contra, an de iure fieri possit.*

DECISIO CI.

In vna Venetiarum matrimonij, coram D. Nouato, die 24. Februarij 1548. fuit resolutum, quod appellatio Ioannis à sententia, quatenus contra, non suffragaretur Isabellæ eius aduersariæ. per not. per Philip. Franc. in cap. si duobus. col. 3. vers. sed quæritur primo. &c. de appellat. in 6. vbi si sententia continet vnum capitulum, vel plura
1 connexa, si appellat † à parte quæ facit cõtra eum, & in alia approbat, quod tunc appellatio deuoluit totum negotium. & in sequenti quæstio ne ponit, quando sunt plura capitula separata, & appellatur à sententia, quatenus cõtra, deuoluit tantum illud capitulũ. ex quo est separatum. In proposito fuit dictum, quod aut sententia continebat vnum capitulum, aut plura connexa. & ex quo in nulla parte erat pronunciatum contra appellantem qui appellauerat, quatenus contra.
2 quæ appellatio † fieri poterat, iuxta text. in cap. Raynaldus. de testam. & certe nullũ negocium deuolutum erat. Aut erant plura, & etiam non fiebat deuolutio. ex quo in nihilo contra eum pronunciatum fuerat. Non obstat, quod Ioannes commisisset etiam causam appellationis, & rescripta sint communia. quia dictum fuit, quod causa appellationis à sententia lata in fauorem Isabellæ, & contra eum fuerat commissa, vt est forma ipsarum commissionum. & tamen repertum fuit, quod nulla sententia in fauorem Isabellæ fuerat lata. & ideo nil erat commissum.

SVMMARIVM.

Appellatio à diffinitiua sine scriptis, non est valida.

1 *Appellatio à diffinitiua infra decem dies non in scriptis, si post decem dies detur cedula, an sit bona.*

2 *In appellatione à diffinitiua si est legitime interposita, etiam quod iudex non deferat, tamen ius ipsum defert.*

3 *Appellatio ab interloquutoria si sit friuola & non admittenda, si tamen iudex causæ admisit, & appellationi detulit, an tota iurisdictio sit ad superiorem deuoluta.*

4 *Appellatio sine scriptis, an possit fieri in beneficialibus.*

5 *Non appellare à diffinitiua, an respiciat decisoria, vel ordinatoria.*

DECISIO CII.

In vna Gerundensi Camerariæ de Rosis, coram D Rossanensi, die 24. Februarij 1548. fuit resolutũ, quod appellatio à diffinitiua infra decem dies, non in scriptis, facta, sed viua voce, & post decem dies fuerat data cedula, præcedente protestatione partis, quod poneretur dies cedulæ datæ, quod non valeret, & diceretur deserta, etiã quod iudex appellationi detulisset. quia in-
1 continenti † potest in voce appellari, nõ autem ex interuallo. vt per text. in l. 2. in fine. ff de appell. Non obstat quod dicit Frãc. in c. vt debitus. col. 11. vers. vltimo pone. &c. de appellat. & decis. 385. * in nou. quia loquũtur in appellatione ab interloquutoria, non autem diffinitiua. & ratio differentiæ est manifesta. quia in appellatione à diffinitiua, si est legitime interposita, etiã quod

* Alias 54. de appel.

2 iudex † non deferat, tamen ius ipsum defert. Et ideo non est in cõsideratione quod iudex deferat, sed tantum est in consideratione quod sit legitime interposita. sed in appellatione ab interloquutoria, bene est in consideratione quod iudex deferat. quia postquam detulit, tota iurisdictio ad superiorem deuoluitur. Et illę decisiones, tantum loquuntur de deuolutione. Hine vide-
3 mus, quod licet † appellatio ab interloquutoria, sit friuola & non admittenda, si tamen iudex eam admisit, & appellationi detulit, tota iurisdictio est ad superiorẽ deuoluta. & sic quo ad deuolutionem delatio cõsideratur in appellatione ab interloquutoria. quod non consideratur in appellatione à diffinitiua. quia semper sit deuolutio, siue index deferat, siue non. Non obstat, quod in causis in quibus proceditur summarie, sine strepitu, prout est in beneficialibus. inx. Clem. dispendiosam. de iudic. ap-
4 pellatio possit fieri sine † scriptis. prout etiã videtur sentire Franc. in d. c. vt debitus. col. 7. versic. septimo quaeritur. cum sequen. colum. Quia fuit dictum, quod Francus etiam loquitur in appellatione ab interloquutoria. & in appellatione à diffinitiua illud non firmat. maxime cum Dec. in cap. Ecclesia S. Mariae. num. 43. versic. ex praemissa. &c. de constit. dicat, quod non appel-
5 lare † à diffinitiua, respiciat decisoria, non autem ordinatoria, prout ibi dicit Franc. Et illam opinionem Franc. noluit Rota approbare. quia sic introduceretur stylus, quod in omnibus causis beneficialibus appellaretur sine scriptis. bene tamen voluit in isto casu, quod si incontinenti doceretur de bono iure, quod audiretur. ex quo procurator in totum non fuerat negligens.

SVMMARIVM.

Scriptor Apostolicus à Curia absens, gaudet praerogatiuis in eorum bulla contentis.

1 *Priuilegia data scriptoribus Apostolicis, an sint data ratione laborum, vel ratione precij.*
2 *Praerogatiua qua dantur in regula prima praerogatiuarum; quare dentur.*
3 *Absentes à Curia de licentia Papa, an habeantur pro praesentibus.*
Auditores Rota, & Referendarij, an possint se absentare ab Vrbe sine licentia Papa.

DECISIO CIII.

IN vna Leodiensi canonicatus & praebendae S. Bartholomaei. Dubitauit D. Antonius Augustinus, die 24. Februarij 1548. An scriptor Apostolicus absens à Curia, gaudeat priuilegijs & praerogatiuis, concessis Scriptoribus, per eorundem priuilegiorum bullam in actis productam. Et fuit resolutum quod sic. * quoniam ista priui- *Idem fuit decisum infra decis. 168.*
1 legia † non dantur Scriptoribus ratione laborum, sed ratione precij quod in emptione officiorum exponunt, vt inuitentur
2 ad emendum ea, sed praerogatiuae † quę dantur in regula prima pręrogatiuarum, dantur ratione laborum. & ideo regula expresse posuit, actu sua officia exercentes. Non obstat, quod ista ratione attenta, Auditores, & Referendarij à Curia absentes, non deberent gaudere. quia dicendum est, quod
3 ex quo absunt de licentia Papę, † & aliter à Curia non possunt se absentare; habentur pro pręsentibus. & etiam quod absint, pro laboribus pręteritis maiora merentur.

SVMMARIVM.

Prior Ecclesiae in consilio praecedit Episcopum Meliuitanum.

1 *Episcopalis dignitas non conferens ad actũ, an inducat mutationem loci circa praecedentiam.*
2 *Antiquitati quando non deferatur in praecedentijs.*
3 *Prior Ecclesia ordinis S. Ioannis Hierosolymitani pracedit omnes alios Priores, quantumcumque prius receptos.*
4 *Minor dignitas, habens administrationem inter illas personas cum quibus conuenit, an debeat pracedere maiorem dignitatem non habentem administrationem.*
5 *Maior dignitas, debet reuerentiam minori, in loco in quo maior nullam habet iurisdictionem.*
6 *Episcopi in Concilio quomodo sedere debeant.*
7 *Maior ordo quando praponatur.*
8 *Episcopus interueniens in Capitulo vt canonicus, quem locum habere debeat.*

DECISIO CIV.

IN vna Meliuitana pręeminentię, die 27. Februarii 1548. dubitauit D. Prosper. An D. Prior sit caput Religionis, taliter quod possit pręcedere Episcopum. Et fuit resolutum, quod Prior non esset caput Religionis. quia magnus Magister erat caput Religionis. & quia in puncto tractabatur de praecedentia Prioris, vel Episcopi in consilio. Ex septem votantibus, quinque tenuerunt, quod Prior Ecclesiae in consilio deberet praecedere Episcopum Meliuitanũ.
1 Ratio quia dignitas Episcopalis, non † conferens ad actum, non inducebat mutationẽ loci. ita Felin. in cap. ex litteris. in primo not. de

not.de probat. & aliquid sentit Purpurat. in l. etsi prætor. in princ. ff. de offic. eius cui mand. est iurisdict. Cum ergo dignitas Episcopalis,quo ad illum actum interessendi in consilio, non conferat ad illum actum consilii, ergo non facit mutationem loci. Non obstat doctrina Rom. in l. si vero. §. de viro. col.55. versic.nono defertur. ff. solut. matrim. & singulari suo 691. in qui-
2 bus locis Roman. tenet, quod licet † deferatur antiquitati ratione receptionis, tamen quando ille qui vltimo recipitur, est in dignitate, vt Episcopus, tunc antiquitati non defertur, sed Episcopus præcedere debet. & sic erat dicendum in casu isto. Quia fuit responsum, quod doctrina Romani,procedit vbi omnes sunt pares,& tantum inter illos receptio consideratur. & tunc verum quod dignitas superueniens debet præcedere, sed in casu nostro non erámus inter pares, quoniam licet Prior Ecclesiæ sit de ordine Priorum,tamen statim quod crea tur Prior Ecclesiæ, etiam quod sit vltimo
3 receptus, nihilominus præcedit † omnes alios Priores, quantumcumque prius receptos, & istud alia ratione non potest esse, nisi quia Prior Ecclesiæ,habet dignitatem cum administratione. Quod habeat dignitatem patet. quia omnes prioratus in illa Religione sunt dignitates, sed nullam iurisdictionem in conuentu habent. Prior vero Ecclesiæ, vltra dignitatem, habet iurisdictionem in spiritualibus, vt in facto præsuponebatur, & quo ad aliqua, est text. in c. canonica. de senten. excom. Vnde si Prior Ecclesiæ vltimo receptus, præcedebat alios Priores prius receptos, non poterat alia ratione considerari, nisi quia ipse habebat dignitatem cum administratione, alii vero non. Et ex hoc sequebatur, quod minor di-
4 gnitas, habens † administrationem, inter illas personas cum quibus congregatur, debet præcedere maiorem dignitatem,non haben tem administrationem aliquam, quo ad illas personas cum quibus congregatur. l.omnes. C.vt dignit. ord. seruet. lib.12. Card. Alex. in cap.Episcopos. col.2. vers.& quan do maior.17. distinct. Hinc videmus, quod
5 maior dignitas,debet † reuerentiam minori, in loco in quo maior nullam habet iurisdictionem, ad Barbat. in cap. volentes. col.penult. vers.aut minor est intra locum. Secundo fuit dictum, quod Rom.in §.de viro.in loco superius allegato,pro dicto suo al legat tex. in cap. placuit 17. dist. qui text. nil facit ad propositum. Nam dum dicit tex tus,quod in synodo Episcopi debent secundum eorum ordinem sedere,sed Metropoli-
6 tanus † debet præcedere;illud ideo est,quod omnes illæ dignitates conferunt ad actum Concilii. nimirum, si maior dignitate præferri debet. sed in casu nostro, Episcopatus dignitas non confert ad actum consilii,cum ibi sit vt deferens magnam Crucem, & non vt Episcopus. Item idem Roman. in singul. 691. allegat text. in cap.statuimus. de maiorit. & obed. qui etiam text. nil facit ad propositum,quia omnes illi ordines, subdia conatus, diaconatus, & presbyteratus ad
7 idem conferunt. † nimirum si maior ordo proponatur. hic autem secus est, quia dignitas Episcopatus non confert ad actum consilii. Non obstat secundo, quod dicebatur, quod Episcopus in secundo loco, post magnum Magistrum sedere debebat. per glos. in cap. à collatione. de appellat. in 6. & quod dicit Abb. in cap.postulasti. de con cessione præbend. dum dicunt, quod Epi-
8 scopus interueniens † in Capitulo vt canonicus, debet habere secundum locum post caput Capituli. Quia fuit responsum, quod istud procedit, vbi Episcopus interuenit in loco, in quo inter personas quæ sunt in loco, Episcopus iurisdictionem habet. nam licet Episcopus non sit caput Capituli, tamen negari non potest, quin iurisdictionem habeat inter illas personas Capituli. quod secus est in casu nostro;nam cum Religio sit exempta ab Episcopo, Episcopus nullam iurisdictionem in istos Religiosos habet, sed est simplex ibi Consiliarius, & ita illam glos. in cap. à collatione, superius allegatam, & dictum Abb. in d.c.postulasti, intel ligit Catalogus gloriæ mundi. in 4.par. in 45. consideratione.

SVMMARIVM.

Resignans,si mansit in possessione triennio, præsumitur retrocessio, vbi à principio resignatio est perfecta.secus quando est tantum supplicatio porrecta, & post triennium præstatur consensus.

DECISIO CV.

IN vna Astoricensi parochialis, coram D.Antonio Augustino,die 27.Febr.1548 fuit decisum, ꝙ licet quando resignatio est irreuocabiliter perfecta, si resignãs maneat triẽnio in possessione,præsumatur retrocessio.per allegationẽ Lapi.89.Tamen illud nõ habet locum, vbi resignatio non est irreuocabiliter perfecta, sed reuocabiliter. puta, quia tantũ erat porrecta supplicatio,& con sensus fuit præstitus post triẽnium; & sic ante consensum præstitum,resignatio non erat irreuocabiliter perfecta. Et ratio fuit, quia quando non est in totũ perfecta, quia tantum interuenit porrectio, certum est quod porrigens potest penitere, & ideo si possidet triennio, dicitur possidere ex iure proprio, quod adhuc ab eo per porrectionem non erat abdicatum. Sed quando resigna-

tio est perfecta, & est sequuta possessio triennalis, præsumitur retrocessio, ne præsumatur, quod tanto tempore sine titulo diceretur possedisse, & ideo recurrimus ad istam præsumptionem retrocessionis. quæ in isto casu non debet capi, ex quo apparet ex quo titulo possideat. Item, in terminis allegationis Lapi, consideratur possessio triennalis, ex parte resignantis & negligentia resignatarij, in casu isto nulla negligentia ex parte resignatarij potest considerari. ex quo consensus non erat præstitus, & illa gratia erat informis. & sic non erat locus allegationi Lapi.

SVMMARIVM.

Gratia, quo casu iudicata subreptitia.

1 *Derogatio iurispatronatus, an detur in totum, quando resignatio fit in compatronū.*
2 *Gratia facta de iurepatronatus ex assertione, quod erat compatronus; si tamen præsentatio fiebat alternis vicibus. an sit subreptitia.*

DECISIO CVI.

DVæ familiæ, videlicet de Petrissolis, &
familia de Anguissolis, erant patroni.
iuxta Clem. plures. de præbendis. conuenerant, vt alternis vicibus pręsentarent. & facta dicta conuentione, familia de Petrissolis præsentauit Nicolaum. qui vigore dictę præsentationis possedit per quadraginta annos. & postea resignauit in Vincentium eius nepotem, dicendo, quod beneficium erat iurispatronatus laicorum. & petebat deroga-
1 ri in totum, attento quod † resignatio fiebat in compatronum. & fuit data derogatio in totum. Die 27. Februarij 1548. in vna Regiensi capellaniæ, coram D. Rossanensi; fuit resolutum, quod talis gratia esset subreptitia. quia ex quo narrauit se compatro-
2 num, Papa intellexit quod in illa † vacatione, ipse esset taliter compatronus, vt concurreret in præsentando. at hic, cum vigore conuentionis non concurreret, ideo gratia fuit iudicata subreptitia. quia si fuisset dictum, quod ipse non habebat vocem, Papa non concessisset.

SVMMARIVM.

Nullitas processus iudicis, vbi causat spolium, & super vtraque pronunciatur, causa est appellabilis.

DECISIO CVII.

QVando pronunciatur, iudicem nulliter processisse, & ideo spoliasse, & spoliatum restituendū fuit dictum corā me, in vna Romana hæreditatis Vetrunij, die 27. Februarij 1548. quod causa erat appellabilis. quia ex quo istæ causæ erāt cumulatæ insimul, & possessorium dependebat à causa nullitatis, quod ratione nullitatis, in possessorio poterat appellari, quia ab illo petitorio nullitatis dependebat possessorium. quia si ego iudicaui nulliter processisse, alius poterat iudicare, quod bene processerat. Et adhoc fuit allegatum consil. Bald. 330. & 331, in primo volum.

SVMMARIVM.

Appellatio extraiudicialis intimata ad effectum subrogationis, non inducit litis pendentiam.

DECISIO CVIII.

DVbitauit D. Reomanus, in vna Palentina, canonicatus & præbēdæ, pro Antonio Romero, die 2. Martij 1548. An per appellationē extraiudicialem, interpositā & intimatam, sit lis. ad effectum saltē subrogationis. Et fuit resolutum quod quicquid, quo ad alios effectus, tamen quo ad effectū subrogationis, vt erat in illo casu, quod ante commissionem causę, non diceretur lis, vt tamquā collitigans posset subrogari. vt videtur sentire Cassad. decis. 1. nu. 4. 5. & 6. de appellat. expresse Cōment. regul. super reg. de subrogand. quæst. 17. pag. 5. versic. & per appellationem. Sarnensis in reg. de subrogan. quæst. 12. vers. idem quo ad effectū. &c. Et quia quo ad hoc, vt lis dicatur pendere, debent interuenire tres personæ. & ante commissionem causæ, non est iudex. & per alias rationes, de quibus in informatione iuris. non obstante, quod contrarium videatur dicere Aegid. decis. 749. in princ.

SVMMARIVM.

In causa medietatis casalis de la Bottaccia super consignatione segetum.

1 *Consignatio rei venditæ, an probetur facta ex illis verbis, dedit, tradidit, assignauit, realiter, & cum effectu.*

DECISIO CIX.

IN causa Romana medietatis casalis de la Bottaccia, dubitaui, die 5. Martij 1548 præsupposito quod testes dicant, per factorē D. Paulæ consignatas esse segetes agentibus, siue hominibus D. Camillæ. & ꝙ duo testes dicant audiuisse à messoribus, ꝙ metebant nomine D. Camillæ. iunctis verbis instru-

1 instrumenti, videlicet. D. Paula dedit,† tradidit, assignauit, & consignauit, realiter, & cum effectu, Dominæ Camillæ, & eius filijs venditoribus, ibi præsentibus.&c. An probetur consignatio facta, taliter quod præiudicet fratribus de la Cithara. Et fuit resolutum, quod non probaretur consignatio. quia per illa verba instrumenti, tantum probabatur licentia apprehendendi, concessa illis de la Cithara, non autem probabatur realis traditio, ex quo res non erat in præsentia. testes vero, qui deponebant de consignatione facta agentibus, seu hominibus Dominæ Camillæ, non probabant. quia probatio nimis vaga, & tolleretur materia reprobandi illis de la Cithara, qui non possent probare contrarium, ex quo nomina illorum agentium non expressa erant. Ex illis duobus testibus, qui deponebant de auditu à messoribus, vnus erat, videlicet Petrus Andreas, factor possessionum, & iste tractabat de se exonerando, & ideo non erat idoneus. Et ista resolutio fuit facta, etiam accedente illa coniectura, quod si isti de Fabiis soluissent quinque mille & quingentos ducatos, cum pro duobus millibus & quingentis, quod erat reliquum precij, haberent dilationem septem annorum, certe accepissent ipsi de Fabijs possessionem casalis. maxime cum Barnabæus frater Paulæ, qui dicebatur cõsignasse segetes, erat constitutus procurator in instrumento venditionis ad tradendum possessionem dicti casalis ipsis de Fabijs. Dixerunt tamen Domini, quod viderentur alia puncta, videlicet. an alia bona probarentur esse consignata, & forsan tunc mutarent votum. & ideo erit deueniendum, an probetur, alia bona esse consignata.

SVMMARIVM.

Consensus in resignationibus debet præstari coram notario Cameræ, aut Cancellariæ.

DECISIO CX.

Alphonsus Martinez porrexit supplicationem suæ resignationis parochialis, de quibus agebatur, in fauorem Constantini del Castillo, de mense Augusti 1542. quæ supplicatio per Papam recepta, & signata fuit. deinde de anno 1543. de mense Maij dictus Alphonsus constituit Antonium de Arauzo, procuratorem ad consentiendum resignationi. & quia idem procurator adhuc non consenserat, successiue idem Alphõsus, de anno 1543. de mense Octobris, narrando supplicationem porrectam, & vt præfertur signatam, illam ratificauit, & ipsemet iuxta illius formam & tenorem, consensit, & resignauit. Dubitauit D. Antonius Augustinus in vna Astoricensi, parochialis & beneficij, die 5. Martij 1548. An ex dicto consensu sic præstito per dictum Alphõsum, resignatio esset valida. Et fuit resolutum quod resignatio non teneret. quia consensus in resignationibus, ad euitandum fraudes, debet præstari in manibus notarii Cancellariæ, aut Cameræ. secundum Sarnensem in reg. de publican. quæst. 7. n. 4. alias infinitæ fraudes fieri possent, vt dicit Cor. cons. 137. vol. 3.

SVMMARIVM.

In generali hypotheca bonorum, venit vsus fructus. intelligitur tamen de commoditate.

DECISIO CXI.

In vna Romana pecuniaria, seu cessionis bonorum, pro Hectore de Mutinis, contra Horatium de Lancellotis. Dubitaui ego die 5. Martii 1548. An in generali hypotheca omnium bonorum per Aurelium facta, veniat vsusfructus bonorum ad eum spectans. Et fuit resolutum quod veniret. quia intelligebatur, quod censeretur hypothecata commoditas. vt per Bart. in l. si is. in §. an vsusfructus. ff. de pign. Glos. in l. 1. C. si pign. pign. Negus. in tract. de pign. in tertio mẽb. 2. p. col. 2. vers. item dubitatur. &c.

SVMMARIVM.

Pro laudo præsumitur, licet ab eo fuerit reclamatum post decem dies.

1 *Laudum, si non iustificatur ex probationibus deductis, an possit præsumi iustificatum ex probationibus non redactis in scriptis.*

DECISIO CXII.

In vna Panormitana pensionis, fuit resolutum, corã me die 9. Martii 1548. quod pro laudo, à quo fuerat reclamatum post decẽ dies, præsumeretur, itaut dicẽs de iniquitate eius, deberet docere de læsione. per ea quæ dicit Alciat. in tract. præsumpt. in 3. reg. in 12. præsumpt. post moder. videlicet Felin. & Dec. in c. quoniã contra. de probat. Item fuit dictum, quod licet arbitri, seu arbitratores, retulerint se ad probationes factas in Curia, & extra, in remissoria, quod li-
1 cet ex illis † probationibus laudum nõ iustificaretur, quod poterat iustificari ex aliis probationibus non redactis in scriptis. prout ita dicit Io. Bapt. de Perusio in tract. de arbit. cap. 5. in 8. col.

SVMMARIVM.

Variatio in reseruatario, quo casu permissa non fuerit.

DECISIO CXIII.

IN vna Cordubensi dimidiæ portionis, verba reseruationis talia erant. tibi omnes & singulos fructus, redditus, & prouentus dictæ portionis, per te quoad vixeris, vel alium, propria auctoritate percipiẽdos, ac in tuos vsus & vtilitatem conuertẽdos, loco pensionis annuæ, aut si malueris loco illorum pensionem annuam centum ducatorum super fructibus huiusmodi. &c. reseruatarius per sex vel septem annos, percepe rat, pensionem annuam centum, & postea voluit variare, & percipere omnes fructus. Dubitauit D. Fabius die 9. Martij 1548. An reseruatario licuerit variare post electam viam pensionis. Et fuit resolutum, quod non licuerit variare. per text. in l. apud Aufidiũ ff. de opt. legat. Non obstat text. in l. si sterilis. §. qui domum. ff. de act. empt. quia loquitur in debitore. qui à lege tacite habet electionem. vt ibi sentit Glos. & Bart. in l. eum, qui certarum. §. 1. ff. de verb. obligat. & idem fuit responsum ad l. pater Seuerinam. §. fin. ff. de condict. & demonstrat.

SVMMARIVM.

Exempti à Papa, non tenentur ad ius reuerentiale Episcopo.

DECISIO CXIV.

DEcimasexta Martij 1548. fuit dictum in vna Meleuitana, coram D. Prospero, quod licet exempti teneantur ad ius reuerentiale Episcopo. per l. fin. & ibi Bal. C. de bon. libert. ꝙ istud procedit, vbi sunt exempti solum ab Ordinario. secus si à Papa, & exemptio est plena, vt per Felin. in cap. cum. inter col. 2. de re iudicat.

SVMMARIVM.

Priuatio beneficij parte non citata, facta à Papa ex certa scientia, est valida.

DECISIO CXV.

FVit resolutum coram me, die 9. Aprilis 1548. in vna Cæsaraugustana fructuum, pro Reuerendiss. Capo de ferro, contra Matthæum Pasqual, quod priuatio de Archidiaconatu de Daroca, per Papã facta ipso Matthæo non citato, cum esset facta ex certa scientia Papæ, foret valida. ex quo eramus in beneficialibus. in quibus priuatio facta ex certa scientia, etiam parte non citata, est valida. per ea quæ ponit Felin. in cap. quæ in Ecclesiarum. col. 21. vers. limita sexto. de constit. Curt. Iun. cons. 1. post tract. feud. col. 11. Felin. in cap. cum olim. col. 10. de re iudic. Non obstat, quod delicta narrata non probarentur. quia fuit responsum, quod priuatio, motu proprio erat facta. & Papa volebat, quod probatio in contrarium non admitteretur, & sic per quoscumque iudices iudicari.

SVMMARIVM.

Collatio vbi pertinet ad Episcopum & Capitulum, non debet fieri per eos collegialiter.

DECISIO CXVI.

COllatio, vbi spectat ad Episcopum & Capitulum, vt in præbendis Ecclesiæ cathedralis, secundum Cassad. decis. 22. de præbendis Episcopus consideratur vt singularis, itaut in collatione, quæ fit per Capitulum, ipse interuenire non debeat. quia considerantur vt duo corpora, quæ ad inuicem non confunduntur. ita fuit per maiorem partem resolutum in vna Toletana canonicatus & præbendæ, coram me, die 27. Aprilis 1548. per ea quæ dicit Ioannes de Selua in tract. de beneficio. in 2. par. in 17. quæst. vbi latissime loquitur, quando duo corpora confundantur, vel considerentur vt duo corpora, vel vt vnum.

SVMMARIVM.

Restitutio plenaria restituit ad bona in alium translata.

DECISIO CXVII.

REsolutum fuit, in vna Cæsaraugustana fructuum, pro Matthæo Pasqual, contra Cardinalem S. Georgij, alias de Capite ferreo, coram me pendente, quod restitutio plenaria, facta de ipso Matthæo, restitueret ad bona per Papam in alium translata, & possessa. per ea quæ dicit Car. & Imol. in cap. quia diligentia. de elect. Felin. in c. inter quatuor. n. 6. vers. secũdo limita de maior. & obed. Alex. in l. Gallus. §. & quid si tantum. & ibi Iaf. nu. 77. ff. de lib. & posth. & ibi Claud. col. 6. vers. quod tamen singulariter limita. Soc. in 5. colum. num. 17. Galiau. num. 64. Ruin. 119. Crot. num. 56. Felin. in cap. vergentis. colum. 2. de hæret. latis-

latissimeParis.cons.1.col.5.nu.36.cũ pluribus seq.vol.4. Non obstat quod Decius voluerit contrariũ,in d.c.quia diligentia.post Car. & Io.de Anan.per eum relatos. quia si bene videatur Decius, remanet tandem cũ opinione Card. in d. c quia diligentia. & etiam idem sentit Dec. in c. fin. de const. Et ista resolutio fuit facta die 30. Aprilis, coram me 1548. Sed quia in casu per me proposito,tractabatur de fructibus donatis Reuerẽdiss.Cardinali,quos tamẽ ipse Cardinalis numquã perceperat,sed cõtra Matheũ restitutum ad dictos fructus, agebat. fuit dictum quod daretur dubium. An illa restitutio plenaria,restitueret ad fructus Cardinali donatos.

SVMMARIVM.

Curator sicut, & procurator ante litem contestatam potest reuocari.

1 *Curator,habenti curatorem non datur.*

DECISIO CXVIII.

IN vna Romana, hæreditatis de Valle, fuit resolutum, die 30. Aprilis 1548. quod sicut procurator potest reuocari ante litem contestatam, ita, & curator per en quæ dicit Bart. post Glos. in l. si quis cũ procuratorio. §.fin.ff.de procurat.Non ob-
1 stat.quod curator dari † non possit curatorem habenti. per tex. in l. curatorem. C. qui dar.tut. vel cur.poss. quia verum est in curatore ad negocia. secus quando curator ad lites est datus. per not. per Bart. in loco superius allegato.

SVMMARIVM.

Inductio in possessionem per Capitulum facta, an habeat vim collationis.

DECISIO CXIX.

IN vna Toletana, canonicatus & prebendæ,pro Petro Nauarto contra Franciscũ Pesquera, pendente. in qua presupponebatur, quod collatio canonicatus, & prebendę,spectabat ad Archiepiscopum & Capitulum, & Archiepiscopus contulerat. & vigore illius collationis, fuit petita possessio à Capitulo, sub penis, & censuris, de quibus in litteris. qua petitione facta,Capitulum respondit, quod faceret id quod iustitiæ esset. & postea die sequenti Capitulũ respondendo dixit, quod obediẽdo mandatis sui superioris,mandauit duobus Canonicis vt possessionem traderent,cum omnibus fieri consuetis. & ita illi Canonici tradiderunt possessionem. Dubitaui ego die 4. Maij 1548. An traditio possessionis per Capitulum, fit tantum in exequutionẽ prouisionis Archiepiscopi, ita vt non dicatur habere vim collationis. Et quatuor ex Dominis dixerunt, quod dicta traditio possessionis, diceretur habere vim collationis.per decis. 441.* in nou.quæ secundũ dictos quatuor, procedit siue nulla præcedat collatio, siue aliqua non tamen perfecta, vt erat in casu isto. nam ex quo isti habebant potestatem conferendi, ne daretur vitiosus ingressus, videbantur in necessarium antecedens, velle conferre. nam illa decisio tantum dubitauit, an traditio possessionis habeat vim collationis. & determinat, quod si nulla interuenit collatio, intelligebant isti, etiam quod precederet aliqua, tamen inualida. & tanto magis dicebant isti, in isto casu, in quo isti canonici petierant tempus ad deliberandum, vt facerent quod iustitiæ conueniret. non ergo,postea obediendo, faciebant metu censurarũ,sed obediebant,quia iustitiæ conueniebat. Item,quia in casu isto, illi duo canonici deputati ad dandum possessionem, dederunt illam in presentia aliorum, cum plenitudine iuris canonici. quo casu tradendo possessionem cum plenitudine iuris canonici, videntur voluisse conferre. Alij tres dixerunt oppositum, quod illa traditio possessionis,non haberet vim collationis, sed tantum veniret in exequutionem prouisionis Archiepiscopi. intelligentes illam decis. 441.* quando nulla penitus interuenit collatio, at secus esset in casu nostro, in quo aliqua interueniebat, licet esset imperfecta. & istud confirmabant. quia licet diceretur quod mature respondisset Capitulum, tamen dicebatur, quod obediendo mandatis Archiepiscopi, & sic in exequutionem collationis precedentis. Et licet diceretur, quod isti Canonici tradiderint possessionem cum plenitudine iuris canonici,dicebant quod illa verba, referebantur ad exequutionem facti. vt per Staphil. in tract. de lit. grat. & iust. fol. 16. col.2. vers. hactenus. &c. D.Verallus, qui erat vltimus in votando, pro illa audientia non dedit votum, promisit pro sequenti se daturum.

* Alias 16.de cõcess. præbend.

* Alias 16.de con cess. præb.

Die 7. Maij 1548. D.Verallus dedit votum suum, & fuit cum illis tribus. & sic fuerunt quatuor pro Petro Nauarro, & quatuor pro Pesquera.

SVMMARIVM.

Littera Petri del Maio adimpleta.

DECISIO CXX.

Die 7. Maij 1548. in causa Bononiensi locationis, dubitaui. An commissio Comitis Francisci, quo ad litteram Petri del Maio, probetur adimpleta, concurrentibus littera Ill. Dominæ Iacobæ, relatione Russillarij, & fide eiusdem, ac Matthęi Amorini. Et fuit resolutum quod probaretur adimplementum dictæ litteræ, & sic quod Peregrini soluerint. 400. scuta. quia statim quod Peregrini faciunt litteram cambij, effecti fuerunt debitores ipsius Petri, & creditores Bentiuolorum. vnde, dato quod numquam soluissent Petro, vel tarde soluissent, Bentiuoli nullum interesse pretendere poterant. nam ipsi Bentiuoli, statim transacto tempore de quo in littera cambij, poterant agere contra Petrum, dicentes, quod ipse Petrus habuerat litteram cambij ex commissione eorum; & sic quod deberet reddere rationem de dicta littera. quod autem littera esset facta, probabatur ex confessione ipsius Petri, personæ approbatæ per Bentiuolos. item probabatur ex exhibitione ipsius litteræ in actis. Et dum dicetur, quod licet probaretur quod littera esset facta, non tamen probabatur, quod in tempore. quod erat necessarium probare, ex quo agebatur de caducitate. quia fuit responsum, quod ex quo littera reperiebatur facta, præsumebatur in tempore facta. alias cum esset præiudicialis ipsis Bentiuolis, quia per eã euitabatur caducitas, Peregrini incidissent in crimen falsi. & delictum nõ erat præsumendum. Item probabatur ex litteris Dominæ Iacobę, scriptis 9. Decębris 1545. in quibus scribens dictis Peregrinis, facit eis bonos 400. scutos, datos Petro del Maio.

SVMMARIVM.

In causa Cæsaraugustana preceptoriæ de Villel.

1 *Terminus ad soluendum condemnatis, quanti temporis detur. & nu. 2. & 3.*

4 *Confessis debitum, an detur dilatio ad soluendum, & quomodo.*

DECISIO CXXI.

IN causa Cęsaraugustana preceptoriæ de Villel. dubitaui die 14. Maij 1548. An attento iure communi, & stabilimentis incipiẽte circa illud maxime. de quo in registro fol. 184. & alio stabilimento incipiẽte consuetudo certe laudabilis. fol. 876. D. Hieronymus nõ soluens ante processum priuationis Castellani, fuerit inobediens, & rebellis. Et fuit resolutum pro parte negatiua, quod non esset. quia de iure com-
1 muni † si condemnatis datur tempus quadrimestre ad soluendum. iux. l. si debitori. ff. de indic. multo fortius erat huic D. Hieronymo dandum, qui non erat condẽnatus, licet per breue Pauli esset declaratus debitor. Et licet quantum tempus debeat dari
2 debitori ad † soluendum, sit arbitrarium iudici. iuxta not. in l. quod dicimus. ff. de so-
3 lut. tamen iudex, propter magnam † summam debitam, maius tempus arbitrari debebat. iuxta Glos. communiter approbatam in l. Aemilius. ff. de minor. arbitrantes in casu nostro Domini, propter dictum Glos. tempus mensis, non esse tempus congruum vt contra Hieronymum ad priuationem pręceptorię procedi potuisset. & omnes dicebant, quod saltem dictum tempus quatuor mensium, quod condemnatis conceditur fuisse expectandum. Non obstat quod
4 dictum tempus non datur † nisi confessis dilationem petentibus, & offerentibus cautionem. vt dicunt DD. in d. l. si debitori. & videtur esse tex. in. §. 1. inst. de off. iudic. quia fuit dictum, quod illud procederet, si cautio fuisset petita, iuxta not. late per Ias. in l. vniuersa. C. de precib. imper. offer. Itaq; lex dat illud tempus quadrimestre condẽnatis. & si petatur cautio, tunc est offerenda, alias à iure dilatio conceditur. Non obstant stabilimenta, quæ dicunt. illico, omni dilatione, & contradictione cessante. item, & aliud stabilimentum, quod dicit. eo ipso pęnã priuationis incurrat. quia intelliguntur, quando quis effectualiter est debitor. vt puta, decurso dicto tempore, quod condemnatis conceditur.

SVMMARIVM.

L. si quis maior, loquitur in maiore iurante.

DECISIO CXXII.

IN vna Romana, hæreditatis de Castellanis, coram D. Rossanensi, fuit resolutũ, 14. Maij 1548. quod lex, si quis maior. C. de transact. locum haberet in maiore, non autem minore iurante. vt dicit Bart. in d. l. si quis maior. circa princ. quem sequuntur Doctores communiter, vt dicit ibi Cur. Iun. col. 1. in 1. requisito.

SVM-

SVMMARIVM.

In causa Bononiensi locationis, Peregrini factis litteris cambij statim liberati.

1 *Inter mercatores proceditur de bono & aquo, & non seruantur apices iuris. Delegatio, an dicatur inducta inter mercatores ex acceptatione litteræ cambij.*
2 *Delegatio non fit absque stipulatione de iure, sed an procedat inter mercatores.*
3 *Liberatio an inducatur ex promissione facta in diem.*

DECISIO CXXIII.

Die 18. Maij 1548. in causa Bononiensi locationis, proposui dubium. An Domini de Peregrinis, stante littera cābij & commissione, ac partitis Petri Bonfilij, censeantur statim liberati eadem die 12. Decembris. Et fuit resolutum quod sic, nam; ex quo littera cābij erat facta à mercatore mercatori, videlicet à Peregrinis
1 Petro Bonfilio, inter quos † proceditur de bono & æquo, & non seruantur apices iuris, & Peregrini erant debitores Bentiuolorum committentium, fuit dictum, quod esset delegatio. Non obstat, quod hic non interuenisset stipulatio, & delegatio non fit
2 nisi † mediante stipulatione. quia fuit responsum, quod sufficit in casu isto, quod agatur inter mercatores. Non obstat, quod esset promissio facta in diem, quo
3 casu non inducitur † liberatio, vt per Soc. in l. singularia, col. pen. in 2. limitatione. ff. si cert. pet. quia fuit responsum, quod procedit, nisi Petrus Bonfilius litteram acceptasset, & eadem die Peregrinos debitores fecisset, & Bentiuolos creditores in suis libris creasset. quia ex tali creatione apparet, quod Bentiuolos creditores facere voluerit, & Peregrinos loco eorū debitores facere. Non obstat, quod libri Petri Bonfilij non probent in præiudicium tertij, & sic Bentiuolorum. quia fuit responsum, quod hic probabant in præiudicium ipsius Petri, ex quo creauerat ipsos Bentiuolos creditores.

SVMMARIVM.

Collatio Archiepiscopi Toletani in casu isto de canonicatu facta, fuit valida.

1 *Collationi factæ non contradicendo, an ius habens in conferendo, videatur illi collationi acquiescere, & acquiescendo videatur & ipse conferre. & nu. 2.*
2 *In collatione beneficiorum, an requiratur aliqua forma verborum.*
3 *Clausula, non obstantibus. &c. in noua prouisione quid operetur.*

DECISIO CXXIV.

In causa Toletana, canonicatus, & præbendæ, pro D. Petro Nauarro, contra Frāciscū de Pesquera die 18. Maij 1548. proposui dubium. An collatio canonicatus & præbendæ per Archiepiscopum facta, possessione per Capitulum tradita, sit valida taliter quod impetratio Francisci de Pesquera obtenta à Papa, cum clausula, dummodò non sit alicui alteri ius quæsitum, in termino sex mensium, in quo Capitulum poterat contradicere, & non contradixit, sit valida. Fuit resolutum, quod collatio fuit valida. Tum propter patientiam Capituli post traditam possessionem per Capitulum. & si Capitulum alteri voluisset conferre, contra dixisset intra sex menses.
1 Non contradicendo † ergo videbatur illi collationi acquiescere, & acquiescendo ius sibi competens pro illa vice, donare, Tum quia in collatione non requiritur
2 aliqua † forma verborum itaq; Capitulum non contradicendo, videbatur conferre. Non obstat dum dicebatur, quod per clau-
3 sulas † non obstantium, videbatur in noua prouisione derogatum iuri ad rem, quia fuit dictum, quod dictæ clausulæ respiciebant tantum gratias de vacaturo.

SVMMARIVM.

In causa Bononiensi locationis bonorum.

1 *Verbum, promitto, in litteris mercatorum, an importet quamcunque promissionē, siue per delegationem, siue fideiussionem.*
2 *Verbum, cautum facere, quid importet.*

DECISIO CXXV.

Vigesima tertia Maij 1548. in causa Bononiensi locationis, proposui dubium. An, stātibus litteris D. Iacobæ sub die 29. Nouembris, & litteris Peregrinorum sub die 7. Decembris 1544. & responsione positionum litteræ cambij per Peregrinos factæ censeatur causa fideiussionis, & fuit
1 resolutum quod † verbum promitto de quibus in litteris tam Dominę Iacobæ, quam litteris Peregrinorum, erat generale, & importabat quamcunque promissionem siue per delegationem, siue fideiussionem, itē,
2 & verbum, cautos † facere. de quibus in positionibus, etiam capiebatur generaliter, de

de quacunque cautione, vt latius in informationibus in hac causa pro parte Peregrinorum datis.

SVMMARIVM.

In causa Bononiensi locationis, delegatio ex quibus inducta.

1 *Littera cambij postquam est acceptata, non potest amplius reuocari, etiam quod acceptatio sit facta in diem. & num. 2.*
2 *Debitor delegatus, ante diem solutionis an sit liberatus.*
3 *Littera cambij, an differant à mandato de soluendo.*
Mandatum potest reuocari quandocunque.
Littera cambij, postquam factæ sunt an irreuocabiles.
4 *Nouatio an inducatur ex impropria delegatione, & num. 5.*
6 *Delegatio propria quæ requirat.*
7 *Delegatio inter mercatores, inducitur absque stipulatione.*
Stipulatio inter mercatores, an habeatur in consideratione.

DECISIO CXXVI.

DIe 4. Iunij 1548. in causa Bononiensi locationis, proposui dubium. An commissio Comitis Francisci, facta Peregrinis debitoribus in diem, vt faciant litteram cambij ad soluendum adueniente die, inducat delegationem, dato quod Petrus Bonfilius, cui facienda est solutio scribat in libris suis D. Peregrinos debitores, quibus est facta commissio de faciendo talem litteram, & scribat Dominos de Bentiuolis creditores. quorum Bentiuolorum debitum cum Petro Bonfilio non apparet, nisi ex præsumptione inducta ex mandato de illi soluendo, & ipsis partitis librorum. Et fuit resolutum, quod ex quo Peregrini adimpleuerant formam commissionis, nam eis per Comitẽ mandatum erat vt facerent vnam litteram cambij, & littera cambij per ipsos Peregrinos erat facta, & per Petrum Bonfilium acceptata, vt in puncto apparet, quod non erat honestum quod Peregrini essent duobus obligati, Bentiuolis delegantibus & mãdantibus, & Petro Bonfilio mandatario. nã
1 ex quo littera cambii per Peregrinos † erat facta, & per Bonfilium acceptata, ista littera cambii reuocari non poterat, ex quo res non erat integra, prout in simili dicit Dec. in l. singularia. colum. 10. versic. quarta conclusio est. &c. ff. si cert. pet. Non obstat,
2 quod istæ litteræ sint in diem factę, † quo casu debitor delegatus, ante diem solutionis non videtur liberatus, per ea quæ dicit Soc. in l. singularia. col. fin. in secunda limit. ff. si cert. petat. Quia fuit responsum, quod dictum Soc. ibi, loquitur in mandato de soluendo non autẽ in litteris cambii, inter quę
3 magna † est differentia cum mandatũ possit reuocari, litteræ autem cambii sunt irreuocabiles. prout ita declarat se ipsum idem Soc. in cons. 68. in princ. in 3. vol. & ibi Soc. col. 3. vers. subsequenter ex præmissis. &c. loqui de litteris in diem, quia loquitur de termino conuento. & tamen dicit, quod facta acceptatione promittentes sunt liberati. & Salicet. qui allegatur per Soc. in d. l. singularia. in l. pro debito. C. de bo. auct. iudic. possess. in versic. ego autem. Primum capitulum. &c. de directo facit contra Bentiuolos &. probat, quod quia Petrus Bonsilius credidit plene Peregrinis, quod Peregrini sunt effecti debitores ipsius Petri, & liberati à Bentiuolis. & ad idem Salicet. in l. si filius. in princ. ff. ad Maced. Non obstat, quod Bentiuoli non essent debitores Petri Bonsilij, & ideo hic nõ simus in propria
4 delegatione † quo casu non videtur inducta nouatio cum l. fin. C. de nouat. reperiatur limitata in propria delegatione, prout ita vult Dec. in l. singularia. col. 11. versic. & concludendo dici potest. &cæt. ff. si cert.
5 pet. Quia fuit † dictum, quod conclusio Decii procedit, quando ille qui delegatur non est debitor, & tunc dubitatur, an sit delegatio vel non. & procedunt, quæ dicit Dec. sed in casu nostro, Peregrini erant debitores Bentiuolorum delegantium, & licet Bonsilius, cui Peregrini delegabantur nõ esset creditor Bentiuolorum, per hoc tamen non
6 cessabat † quin esset delegatio. per text. in l. delegare. & ibi Paul. de Cast. ff. de nouat. Non obstat. quod non interuenit stipula-
7 tio, ergo † non est delegatio, quia inter mercatores non consideratur. secundum Dec. cons. 107. Soc. in l. singularia. num. 17. vers. tertia conclusio. ff. si cert. pet.

SVMMARIVM.

Statutum Fulginatense, quomodo intellectum.

1 *Statutum, si excludit filiam à successione parentum, an tanto magis interpretandum sit, quod voluerit excludere ab hæreditate fratris.*

DECISIO CXXVII.

STatutum Fulginatense * sic se habet. Item statuimus, & prouidemus, quod nulla mulier, si dotata fuerit à patre vel matre, auo, vel proauo, auia, seu proauia, seu per verba de præsenti desponsata legitime, possit

* Vide sup. decis. 1. hoc libro 1.

posſit venire ad ſucceſsionem ab inteſtato patris vel matris, aui, proaui, auiæ ſeu proauiæ, donec ſupereſt aliquis maſculus natus ex legitimo matrimonio, de linea & ſtirpe maſculina deſcendens, omnium prædictorum, vel aliciuis ipſorum à quocumq; dotata eſſet. nec etiam poſſit venire ad ſucceſſionem deſcendentium, ſeu deſcendentis ex aliquo prediɫorum, donec ſupereſt aliquis maſculus prædictorũ deſcendentium de prædictis. nec mater ſuccedat filio ſuo ſeu filiæ ſuperſtiti. In vna Fulginatenſi hęreditatis, pro Marco Antonio, & litis conſortibus, contra Innocentiã, pendente coram me, in qua Marcus Antonius tranſuerſalis volebat excludere prętatam Innocentiam à ſucceſsione ſui fratris carnalis. Dubitaui ego die 4. Iunij 1548. An eadem ratio excluſionis fœminæ propter maſculum, militet in ſecunda parte ſtatuti, quæ militat in prima parte. Et licet pro parte ſororis, quod non excludatur à ſucceſſione ſui fratris per Marcum Antonium tranſuerſalem, ſit conſ. Cornei 134. vol. 2. quem ſequitur Brun. in tract. de ſtat. exclud. fœm. propter maſculos. art. 12. quæſt. 28. in fine. tamen ex ſeptem votantibus, ſex fuerunt pro maſculo. quod ex dicto ſtatuto, Marcus Antonius à ſucceſſione fratris excluderet ſororem fœminam, quia negari non poterat quin dictum ſtatutum, eſſet factum ad conſeruandam maſculinitatem. Et ſi ſtatutum in prima parte excludebat fœminam à ſuc-
1 ceſſione † parentum propter maſculum, & ſic ab hęreditate, quæ erat magis debita deſcendentibus; à fortiori dicendum erat, quod in ſecunda parte, ſtatutum voluerit excludere fęminam propter maſculum ab hæreditate fratris, quæ eſt minus debita. Confirmabatur iſta pars per illa verba, nec etiam poſſit venire. &c. quæ eſt continuatiua & repetitiua omnium præcedentium, vt latius in informationibus dicitur.

SVMMARIVM.

Excommunicatus, licet poſsit reſcriptum impetrare, non tamen proſequi, ſi opponatur. Abſolutio ab excommunicatione, non intelligitur quando inſorduit.

DECISIO CXXVIII.

IN vna Florentina, S. Felicitæ, coram D. Aliſano die 4. Iunij 1548. fuit dictum, quod licet in Curia, excommunicatus poſſit reſcriptum impetrare; tamen ſi opponatur excommunicatio, non poteſt in cauſa procedere, & proceſſus eſt nullus. per c. pia. de excep. in 6. & Rot. deciſ. 594. * in antiquis. & quod abſolutio à cenſuris, ad effectum ſententiæ Sinulpho non ſuffragabatur, quia per triennium & vltra, in cenſuris inſorduerat. & quod generalis abſolutio, ad huiuſmodi excommunicationem ſe non extendebat. per deciſ. Nicol. Boer. 290. & quod excommunicatio oppoſita, annullet proceſſum. Rot. Deciſ. 519. * in antiq.

* alias 2. de ſent. excom.

* alias 21. de ſẽt. excom.

SVMMARIVM.

In cauſa Cæſarauguſtana præceptorię de Villel, verba. ſub pœna priuationis etiam à lege poſita, dicunt canonem ferendę ſententię, & non latę.

DECISIO CXXIX.

DIe 8. Iunij 1548. in cauſa Cæſarauguſtana præceptoriæ de Villel, propoſui dubium. dato quod de iure D. Hieronymus habuerit, poſt intimatum breue, quatuor menſes ad ſoluendum. An illis elapſis inciderit in priuationis pænam ipſo iure, vt abſque alia ſententia priuationis, valuerit acceptatio & prouiſio D. Ludouici, vigore litterarum ſuæ antianitatis. Et fuit reſolutum, quod cum beneficium vacaſſet per reſignationem, & ex cauſa reſignationis Hieronymus teneretur ſoluere duas annatas, ſcilicet vacans, & mortuarij, & in ſtabilimento ſub rub. de annatis ſoluendis de beneficijs vacantibus per reſignationẽ, quod incipit. circa illud maxime intendendum eſt. &c. reſignatarij tenentur ſoluere ſub pena priuationis. quod dicta verba non dicunt canonem latæ ſententię, ſed ferendę. Nõ obſtat quod dixit Felin. in c. ſicut tuis. col. 2. in 2. limit. de ſimon. dum dicit, quod verba. ſub pœna priuationis à lege prolata important canonem latæ ſententiæ, & nõ ferendæ. quia contrarium eſt verius, quod talia verba, ſiue ab homine ſiue à lege prolata, ſemper dicunt canonem ferendæ, & non latæ ſententiæ vt tenet Gloſ. in c. vnico. de ſagit. & omnes Doct. in d. c. ſicut tuis. videlicet, Gloſ. Gofred. Oſt. Io. And Abb. Antonius de But. Car. Pet. de Anchar. Anania in 3. col. verſ. in gloſ. 2. Et iſtam dicit communem Præpoſitus in c. Salonitanæ. 63. diſt. col. 1. Nõ obſtat quod ſecũdo loco dicebatur, quod ſtabilimẽtum de annatis ſoluẽdis per reſignationem, dicat. ad duas annatas ſoluendas noſtro communi theſauro, pro ſuppletione iurium mortuarij, & vacan. non aliter quam ſi reſignantes mortem obijſſent. ergo ſicut quando quis tenetur ſoluere per obitum duas annatas, non ſoluens eas eo ipſo priuatur, vt in ſtabilimento quod incipit. conſuetu-

tudo certe laudabilis, de quo in registro
primæ instantiæ. fol. 876. ita & per re-
signationem. cum stabilimentum per illa ver
ba, ista parificet. Quia fuit responsum, quod
parificatio fit quo ad solutionem, videlicet
quod resignatarii tenentur soluere, sicut &
succedentes per obitum. sed quo ad pœnam
differunt. quia in dicto stabilimento de an-
natis soluendis per obitum, imponitur pęna
priuationis ipso iure. & in alio per resigna-
tionem, imponitur pœna priuationis per sen
tentiam, ex quo dicit sub pœna priuationis.
quæ dicit canonem ferendæ sententię, non
autem latę, vt superius dixi.

SVMMARIVM.

In causa Romana, hæreditatis de Valle.
Præstatio cautionis, in datione curato-
ris ad lites, est de præparatorijs iudicij.

1 *Ordinatoria iudiciorum quæ dicantur.*
2 *Satisdationes quæ præstantur à procura-
toribus, an dicantur de ordinatorijs.*
3 *In ordinatorijs, attenditur locus iudicij.*
4 *Curator ad lites, an debeat satisdare. Et
quid de stylo Rotæ. & num. 5.*
6 *Curator ad lites non administrat, & ideo
inuentarium non facit.*
7 *Causæ omnes in Rota, sunt summariæ.*
8 *Consuetudo, an ex identitate rationis exten
datur.*
*Stylus introductus in causis summarijs, an
extendatur ad causas ordinarias ex iden
titate rationis.*
9 *Iudicium summarium, an differat ab ordi-
nario.*

DECISIO CXXX.

IN causa Romana, hæreditatis de Valle,
die 8. Iunij 1548. proposui dubium. An
præstatio cautionis in datione curatoris ad
lites, sit de ordinatoriis iudicii. & si sic, an
stylus in summarijs, suffragetur in causa hæ
reditatis de Valle. Fuit resolutum, quod ta-
lis præstatio cautionis, sicut & datio cura-
toris, esset de præparatoriis iudicii. quia ta
lis præstatio non respicit decisoria, sed tan
tum respicit ordinem processus. ergo est de
1 ordinatorijs. † vt per Soc. cons. 71. col. 2.
volum. 4. & facit text. cum ibi notatis per
Doct. in §. fin. inst. de satisdat. vbi satisda-
2 tiones † quæ præstantur à procuratoribus,
dicuntur de ordinatoriis. Et adhoc proposi-
tum quod sint de ordinatoriis, ea quæ ha-
bentur in d. §. fin. dixit Ias. in l. 1. colum. 5.
num. 20. C. de sacros. Ecclesiis. & ideo, cum
3 simus in ordinatoriis, † attenditur locus iu-
dicii in quo causa agitur. Glos. & communi-
ter Doct. in c. quod clericis. de for. compet.
Roch. in cap. fin. col. 232. vers. secundo li-
mitatur, & colum. 272. versic. primo igitur
erit regula. &c. de consuet. secundum par-
uam impressionem. Et hoc præsupposito, fuit
4 etiam resolutum, quod licet de iure, † cura-
tor ad lites debeat satisdare. vt per Gloss.
& Bart. in l. etsi ad species. ff. rem pupill. sal.
for. Ang. Aret. inst. de curat. in fine princ.
Papien. in forma libell. quo agitur ad red.
rat. tut. §. in suo vltimo testamento. in 2.
colum. versic. vlterius ibi 3. 4. & 5. tamen
5 quia * Rota recepit † opinionem Speculat.
in tit. de curat. §. vt autē. circa princ. quod
curator ad litem, non satisdat. quæ opinio
Speculat. in omnibus curiis, & parlamentis,
de cōsuetudine est recepta. vt dicit Stephan.
Bertrandi. cons. 281. quamuis Bart. vol. 3.
6 in nou. Et ratio est, quia † curator ad lites
non administrat, & ideo inuentarium non
facit, vt dicit Specul. in d. loco, & posui in
addit. ad Angel. Aret. in princ. circa finem
inst. de curat. Ista ratio quare recepta fuit
opinio Specul. in Rota, militat in omnibus
iudiciis, siue summariis, siue ordinariis. Nā
7 cum omnes † causæ in Rota committantur
summarie, Rota in illis causis recepit opinio
nem Speculatoris. & ex identitate rationis
idem seruasset in causis prophanis ordina-
riis, si summariæ non essent commissæ. cum
in eis militet eadem ratio, & ideo non ob-
stat fundamentum, quod pro parte aduer-
sa fiebat, dum dicebatur. de iure curator de-
bet satisdare. à iure in Rota in causis sum-
mariis fuit recessum. & ideo tantum præscri
ptum quantum possessum. stylus ergo in
summariis, non debet in ordinariis extendi.
Quia fuit responsum, quod ex quo in ordi-
nariis causis, in Rota non apparebat de sty-
lo contrario ab illo stylo qui est receptus
in summariis, quod isto casu consuetudo,
8 propter † identitatem rationis, extendeba-
tur de summariis ad causas ordinarias. per
Gloss. in cap. 1. in verbo. Italiæ. de temp. or-
din. in 6. Abb. in cap. at si clerici. in princ.
col. antepenult. & in §. de adulteriis. col. 3.
de iud. ponit late Roch. in cap. fin. col. 103.
versic. vltimo crederem. de consuet. secun-
dum paruam impressionē. & si in Rota fuis-
sent causæ ordinariæ commissæ, idem stylus
qui fuit receptus in summariis, fuisset etiā
in ordinariis receptus, propter identitatem
9 rationis, quia causa summaria † ab ordina-
ria, tantum differt circa abbreuiationem
telæ iudiciariæ, non autem circa istas solen-
nitates. Item, & alia ratione fuit dictum,
quod curator iste deputatus, non colluserat,
sed obtinuerat, illos de Tuscanella, aduersa-
rios illorum de Valle, condemnari in iudi-
cio attentatorum. in quo iudicio obtinuit
expensas taxari in notabili quantitate, quas
Brutus de Valle receperat. si ergo curato-
rem approbauerat, non poterat modo, quo
ad negocium principale illum reprobare.

* Curator ad lites tam in iudicijs sūmarijs, quam ordinarijs in Rota non debet cauere.

SVM-

SVMMARIVM.

Gratia in qua dicitur, nullum, seu modicum fructum ex priori gratia reportasse. quomodo intelligatur.

1 *Beneficium litigiosum obtinens, potest impetrare aliud in forma pauperum, propter dubium litis euentum.*

DECISIO CXXXI.

Die 8. Iunij 1548. in vna Portugalensi, coram D. Antonio Augustino. Dubitauit ipse, An, ex quo D. Alphonsus Valasci, vigore prioris gratiæ reseruationis ad tercentos ducatos parochialium, & simplex beneficium valoris octuaginta ducatorũ acceptanerat. in quibus tamen beneficiis alius erat intrusus, & super illis lis pendebat. An ex quo in gratia reualidata motu proprio prioris reuocatæ, Papa asserit accepisse, dictum Alphonsum, nullum seu modicum fructum ex gratia priori reportasse, gratia reualidata dicatur subreptitia, vel nulla. etiã si postea, sententiam & executoriales per audientiam contradictarum, intruso per edictum citato, obtinuerit. Et an dicta gratia dicatur subreptitia vel nulla, quo ad dictã summam octuaginta ducatorum, vel in totum. Fuit resolutum, quod, quia tempore reualidationis, beneficia valoris octuaginta erant litigiosa, quod talia beneficia non poterant diei in consideratione, vt gratia reualidata diceretur esse subreptitia. per regulã Cancellariæ, qui possunt acceptare beneficiũ in forma pauperum. In qua dicitur, quod
1 obtinens beneficium † litigiosum, possit impetrare in forma pauperum, propter dubiũ litis euentum. Et ita in casu isto esset dicendum, vt stante dubio litis, quod D. Alphonsus, qui acceptauerat beneficia valoris tercentum, potuerit sine vitio subreptionis dicere, se nullum, aut modicum fructum ex priori gratia tercentum reportasse, cum mens Papæ esset, quod ipse ad tercentum ducatorum beneficia haberet. Bene verum est, quod Domini dixerunt per eandem regulam, quod attento quod ipse postea cõsequutus fuerat dicta beneficia valoris octuaginta, quod debebat illum valorem defalcare ex gratia reualidata per dictam gratiã

SVMMARIVM.

Fama publica de obitu, quo casu non constituerit Ordinarium in negligentia.

DECISIO CXXXII.

In vna Eugubina præpositura, coram me pendente, fuit resolutum de mẽse Maij 1548. quod licet fama de obitu, per negligẽtiam Ordinarii, post sex mẽses deuoluat collationem ad Episcopum, Tamen in illo casu publica vox, & fama de obitu Iulii, oriens à Comite Antonio de Bentiuolis, & aliis sociis, qui publice dixerunt in Ciuitate Eugubina, quod Venetiis dicebatur quod Iulius decesserat in loco Pontenæ patriæ Friuli, non esset talis, quod constitueret Ordinariũ in negligentia. ex quo Ordinarius, videns quod fama oriebatur ab illis auctoribus, deponentibus de auditu, iuste tali famæ potuit non credere. cum potius dicatur quidã rumor incertus, quam fama. & tanto magis cum illo tempore, quo dicta fama per Comitem Antonium & alios fuit diuulgata, nullus luctus, nec signum aliquod obitus inter consanguineos probabatur factus. sed post, bene puta post obitum patris, tunc soror luxit, & Iulium fratrem. Item, quia erant productæ litteræ à consanguineis dicti Iulii, in quibus scribebant ad Cardinalem, quod Iulius non erat defunctus. sed non est multum curandum de istis litteris. quia sunt factæ per annum post famam alia tam de obitu. Item fuit dictum, quod alii deponentes de publica voce & fama, intelligeretur deponere de illa fama orta à Comite Antonio, & sociis.

SVMMARIVM.

In causa Eugubina præposituræ.

DECISIO CXXXIII.

In causa Eugubina præposituræ, die 13. Iunii 1548. proposui dubium. præsupposito, quod ex relatione Antonii de Bentiuolis, & aliorum insimul à Venetiis redeuntium, non fuerit inducta fama obitus. An deinde ex aliis proberur fama, quæ constituerit Ordinarium in negligentia. Et eadem die fuit resolutum, quod licet fama orta ex dicto Comitis Antonii de Bentiuolis & aliorum sociorum, non constituerit Ordinarium in negligentia, cum ortum habuerit ab auditu in Ciuitate Venetiarum, vt dixi in proxima decisione, quæ tanto magis confirmata fuit in hac audientia. cum hic appareat, quod Iacobus frater Iulii noluerit ipsi famæ credere, sed dispofuerit in animo, & ita postea fecerit, vt iuerit Venetias, & ad locum Pontenæ, ad perquirendum de obitu ipsius Iulii. & ideo si frater non credidit illi famæ, tanto fortius potuit non credere idem Ordinarius. Tamen Domini dixerunt, quod ex quo testes deponebant, quod Iacobus iuit ad perquirendum, & post redditum eius ad Ciuitatem Eugubinam, fama diuulgata

Ss per

per Comitem Antonium, fuit confirmata, & quod tunc foror Iulij portauit velum, & luctum fecit. quod talis fama erat potens ad constituendum Ordinarium in negligentia. sed quia de reddiru ipsius Iacobi ad Ciuitatem Engubinam, non constabat, quod huic famæ principium negligentiæ Ordinarij dari non poterat. Et maxime, quia presbyter Cæsar missus à Galasio, testis examinatus, dicit. quod ipse in Dominica prima Quadragesimæ 1544. iuit ad locum Pontenæ, & redijt in fine eiusdem Quadragesimæ. & quod portauit fidem à presbytero loci Pontenæ, de obitu Iulij. & tamen illa fides, est signata sub mense Martij 1545. Itaque istud dictum, videbatur in se repugnantiam continere. Item, Iacobus dicebat, quod iuerat ad locum Pontenæ. & quod presbyter Georgius sibi dixerat, quod alius die exter na interrogauerat eum de obitu Iulij, & fidem ab eo habuerat. Si ergo Iacobus fuit post Cæsarem, qui fidem reportauit de anno 1545. dicendum est, quod redditus Iacobi fuerit post illam fidem. quo casu, vsque ad diem priuationis, Ordinarius non fuerit in negligentia. & tanto plus, cum Iacobus dicat in sua depositione, quod in eundo Venetias, transiuit per Bononiam, & ibi per quadragintaquinque dies mansit. itaque magna negligentia Iacobi in eundo argui potest. item in famis aliorum auctorum, puta à Capitaneo Agnello, & eius socio. item à Capitaneo Cambiani. item à Capitaneo Philippello. ex quo istæ famæ probantur per testes singulares, de eis fuit dictum, quod non probarentur. cum fama per duo testes probetur.

SVMMARIVM.

Familiaritas ad effectum reseruationis ex quibus probata.

DECISIO CXXXIV.

Eadem die 13. Iunij 1548. in causa Cordubensi, portionis & beneficii, inter Petrum de Villa Real ex vna, & ex alia Matthæum Pinello, & Ferdinandum Mathienso. proposui dubium. An ex testibus examinatis, iunctis collationibus tam Cardinalis Arborensis, quam Iulij Secundi, ac litteris in forma breuis, necnon, motu proprio concesso tribus parafrenariis cuiuslibet Cardinalis, cum rotulo subscripto per eundem Cardinalem, constet Didacum de Varanda, fuisse parafrenarium, ac continuum cōmensalem præfati Cardinalis, & familiarem eiusdem Iulii, non obstante examine Agnetis de Cea, facto in partibus lite pendente. Et fuit resolutum, quod postquam erat in actis vnus testis, videlicet Orphinus clericus Fulginatensis, qui semiplene probabat de familiaritate per multos annos, & erant etiam testes de auditu, maxime Petrus de Medina, qui dicebat, quod audiuerat dici, quod publice reputabatur familiaris Cardinalis & testes de auditu, tam ab eo. quam aliis, erant tres. item erant collationes Cardinalis Arborensis, & Iulij, & omnia suprascripta. Quod ex istis probaretur familiaritas.

SVMMARIVM.

Instrumentum de anno 1272. est in forma probanti.

DECISIO CXXXV.

IN causa Bononiensi S. Thomæ de mercato, inter D. Carolum de Graffis ex vna, & Vincentium Garrico ex alia, die 13. Iunii 1548. Dubitaui. An primum instrumentum de anno 1272. sit in forma probanti. Et quia eundem punctum proposueram die 18. Ianuarii 1548. & tunc fuerat resolutum, quod non esset in forma probanti. quia deficiebat probatio consilii octingentorum Ciuitatis Bononiæ. & quia in illo instrumēto, non erat positum signum Alberti notarii. & ideo dicebatur quod esset exemplum exempli. Ideo proparte D. Caroli fuerunt habitæ compulsoriales, vigore quarum extractum fuit dictum instrumentum ab archiuio Bononiensi, cum signo eiusdem notarii. Item probatum fuit, in Ciuitate Bononiēsi fuisse consilium octingentorum. & ideo fuit dictum, quod instrumentum esset in forma probanti. Item erat probatum, consilium octingentorum extitisse. & facultas concedendi auctoritatem extrahendi, propter antiquitatem præsumpta.

SVMMARIVM.

Iuspatronatus ex quibus non probatum.

DECISIO CXXXVI.

DIe 15. Iunii 1548. in causa Bononiensi S. Thomæ de Braina, inter Nicolaum Virgilium ex vna, & fratrē Hieronymum ex altera, proposui dubium. An ex actis probetur iuspatronatus, non obstante productione litterarum perinde valere. Et fuit dictū, ꝙ in quantum pro parte Fratris Hieronymi fiebat fundamentū in confessione, quam Nicolaus fecerat de dicto iurepatronatus, ꝙ illa confessio non erat in supplicatione, sed erat in litteris. quæ confessio in dictis litteris

litteris facta, tollebatur per gratiam, perinde valere. in qua dicebatur, quod litteræ cum inde sequuris, perinde valeant ac si expressum esset, quod non esset de iure patronatus. & ideo illa confessio facta in primis litteris, poterat reuocari. ex quo constabat de contrario per gratiam, perinde valere, ex instrumentis. Etiã fuit dictum, quod ius patronatus non probabatur. quia instrumentum de anno 1280. non erat in formã probanti, quia exemplum exempli. ex quo in eo non erat signum notarii. vt erat dictũ in illo instrumento contra Carolũ de Grassis, in causa Bononiensi S. Thomæ de mercato. Aliud instrumentum de anno 1309. licet esset in forma probanti, tamen quia non constabat quod esset sortitum effectum, puta quod habuisset possessionem, ideo non probabat quasi possessionem præsentandi; sed tantum probabat illud quod in eo erat. videlicet electionem factam à vicinis, & institutionẽ factam; & ex quo non probabatur quod esset sortita effectum, illa præsentatio non faciebat statum. Alia instrumenta non erant antiqua, & ideo non poterat dici quod esset probata immemorabilis.

SVMMARIVM.

In causa Bononiensi locationis.

DECISIO CXXXVII.

IN causa Bononiensi locationis, die 15. Iunij 1548. proposui dubium. An per extornationem summæ tercentum scutorum factã ante aduentum termini solutionis, resultet quod, adueniente termino, Peregrini potuerint dici esse debitores eiusdem summę, ratione affictus. Et fuit resolutum, quod postquam per delegationem, vt alias fuit resolutum, Peregrini à Benriuolis erant liberati, quod postea promittendo, licet ex causa affictus promitterent, cum ad id consensus ipsorum Benriuolorum non interuenisset, non dicebantur debitores cum eisdem pœnis vt prius erant.

SVMMARIVM.

In causa Romana hereditatis de Valle.

1 *Curatoris deputatio cum clausula, citra an sit valida, etiam quod in instrumento curatoriæ non sit extensa clausula, promisit vtilia facere, &c.*

2 *Clausula, citra reuocationem, quomodo intelligatur.*

3 *Iuramentum quædam iurata promissio.*

4 *Curator, quid promittere debeat.*

DECISIO CXXXVIII.

DEcimaoctaua Iunii 1548. in causa Romana hereditatis de Valle, proposui
1 dubium. an deputatio † curatoris cum clausula, citra, sit valida, etiam quod in instrumento curatorię, non sit extensa clausula. promisit vtilia facere. &c. Et fuit conclusum quod valeret. quia illa clausula. citra reuocationem. &c. non poterat intelligi de illo curatore, quem in commissione impugnauerat, in qua dixerat, quod sibi nulliter curator per Gubernatorem fuerat depu
2 tatus. Illa ergo clausula. † citra reuocationem. intelligi debebat de alio curatore valide deputato, non autem de illo quem nulliter sibi deputatum esse dicebat. Circa secundam partem dubii, fuit dictum, quod notarius in extensione dixerat, quod curator iurauit vtilia facere, & damnosa vita
3 re. & ita illud iuramentum, erat † quædam iurata promissio. Item, etiam in extensione dicebatur, curatoriam iuxta informationem sibi allatam defendere. item iura ipsorum minorum defendere. Itaque non so
4 lum † promisserat vtilia facere. &cæt. sed etiam pupillos indefensos non relinquere, iuxta not. per Bart. in l. legitimos. ff. de legit. tut.

SVMMARIVM.

Edicta iuxta formam cap. fin. de clandest. despons. in quo loco proponi debeant.

1 *Matrimonium, vt non dicatur clandestine contrahi, quid sufficiat.*

DECISIO CXXXIX.

IN vna Coloniensi legitimitatis, coram me, fuit die 18. Iunii 1548. resolutum, quod * edicta, quę proponi debent iuxta formam cap. fin. de clandest. desponsat. erant proponenda in locis vbi maiores erant, non autem in loco remoto, per dictum Alex. in cap. fin. colum. 5. de clandest. despon. Et ideo cum, in casu illo, Sophia esset nata in loco de Nuuerstar, & matrimonium postea erat contractum inter ipsam & Ioannem, in loco de Antzerrot. quod postea detecto impedimento ipsius Sophiæ, quod fuerat professa; quod matrimonium esset nullum. per text. in cap. fin. §. 1. de clandest. despons. Et tanto magis, cum ipse Ioannes cognouerit ipsam Sophiam in loco Distarnich, habitantem inter ipsas Beuras. quę licet

* Fuit die 12. Octobris 1548. casus, de quo hic, iterum propositus in Rota, sub isto dubio dato. Præsupposita professione Sophię, & contractu matrimonij in loco de Antzerrot, præpositis solitis, edictis, qui est locus maiorum Ioannis, vt præsupposui, pro tunc, & post contractum matrimonij per

licet non probaretur, quod professionem emitterent, tamẽ ab eis sciscitari debebat, an Sophia esset professa. vel saltem in illo loco edicta proponere, & non eam ab illo loco trasportare, & alibi edicta proponere. Non obstat, quod Parisius dicat. cons. 13. & 15. in 2. volum.
1 quod † sufficit vt matrimonium non dicatur clandestinum, quod contrahatur in facie Ecclesiæ. scilicet præsentibus testibus, & amicis. Quia Parisius loquitur, vbi non est consuetudo proponendi edicta. At in casu isto, est in partibus Germaniæ consuetudo, quod proponantur.

quadraginta annos pro coniugibus reputati fuerunt. An soboles nata censeatur legitima. Et fuit resolutum idem, quod hic. propter edicta non proposita in locis maiorum vtriusque & alia, de quibus in decis. hic facta die 18. Iunij. Nõ obstat, quod ex diuturnitate temporis quadraginta annorũ, debebat præsumi dispensatum. nam ex causa Papa poterat dispensare. per not. per Innoc. in c. cum ad monasterium. de stat. monach. ergo ex diuturnitate temporis quo coniuges fuerunt in matrimonio, præsumendum est pro dispensatione. ad cons. Dec. 409. in tertio vol. Quia fuit respõsum, quod Decius loquitur in his quæ sunt solita concedi. vt licentia alienandi; & alia de quibus ibi per eum. sed ista dispensatio cum professa, est insolita. & non conceditur nisi ex causa quæ respiciat rempublicam. quæ causa in istis priuatis cadere non poterat & quod in insolitis non præsumatur dispensatio ex diuturnitate temporis, facit quod dicit Felin. in c. cum ex officij. col. 6. vers. si modo diceret. de præscript. Item Dec. in d. cons. 409. num. 13. loquitur data tolerantia superioris. & in casu nostro, Papa qui nesciuit defectum, non potest dici quod tolerauerit. cons. Grammat. 168. loquitur in terminis, quando in loco non est consuetudo, quod edicta proponantur. & hic fuit probatum, quod esset consuetudo.

SVMMARIVM.

Regula moderaroria indulrorum, quo ad præsentationem collatorum, quomodo intellecta.

1 *Indulta reducunt nos ad pristinum ius, & per ea conseruatur auctoritas Ordinarij.*

DECISIO CXL.

Regula Cancellariç, de mensibus Ordinatiorum, de qua in regulis Cancellariæ fol. 68. moderatoria indultorum Cardinalium, in vna Paduana, canonicatus & præbendæ, die 18. Iunii 1548. fuit intellecta, coram D. Reomano, stricte. vt tantum haberet locum in beneficiis ad præsentationem collatorum & collatricum, & institutio pertinet ad Cardinales. quia regula loquitur sempet de beneficio, cuius præsentatio pertinet ad inferiorem. Et noluerunt Domini, quod dicta regula haberet locum in illo canonicatu, cuius electio pertinebat ad Capitulum collegiatæ Ecclesiæ, & confirmatio ad Cardinalem Pisanum. Eo quia verba constitutionis debent stricte intelligi. & tanto magis, cum illa regula sit contra fauorẽ Ordinariorum. Nam indulta teducunt nos
† ad † pristinum ius. & per ea conseruatur auctoritas Ordinarii. & per illam regulam Papa ab eis recedit.

SVMMARIVM.

Mensis qui datur ad petendam subrogationem, quando incipiat.

1 *Subrogatio habet fomentum à iure cõmuni.*

DECISIO CXLI.

Eadem die, dubitauit idem D. Reomanus in vna Palentina, mensis qui datur colliriganti ad petendam subrogationem, quo tẽpore debeat incipere. Et tres ex Dominis, videlicet Nouatus, Pighinus, & Fabius, tenebant quod à die obitus, vt dicit Glossator super dicta regula, peritos curiales ita tenere. & quia talis videtur mens Papæ. Tres autem alii, videlicet Achilles, Antonius Augustinus, & Puteus, dicebant quod dummodo subrogatio veniret infra mensem à die impetrationis, quod imperratio esset nulla. quia verba ita expresse cantabant, & à verbis non erat recedendum. * Vide infra decis. 144.
1 Item, quia subrogatio † habebat fomentum iuris. vt in cap. 2. vt lit. pend. in 6. Et ideo Papa voluit, quod quandocumque veniret infra mensem à die impetrationis, quod subrogatio valeret, & non impetratio.

SVMMARIVM.

Attenrara dicuntur, facta post inhibitionem obtentam ab asserto procuratore.

1 *Cautio rati, an habeat locum quando sumus in dubio.*

DECISIO CXLII.

In vna Taruisina pensionis, coram D. Peregrino, fuit dubitatum. An ex quo assertus procurator fuit admissus cum cautione de rato, facta post inhibitionem ab eo obtentam ante ratificationem principalis, dicantur attentata. Duo ex Dominis dicebant, quod non essent attentata. quia
1 cautio † rati, non habet locũ quando sumus in dubio. sed hic eramus in casu claro, q̃ nullum erat mandatum. item, quia ratihabitio nõ trahitur retro in pręiudiciũ tertii. his non obstantibus, reliqui sex tenuerunt contrarium. ex quo procurator fuerat admissus cũ cautione de rato, nec ille cui facta erat inhibitio in partibus, scirę poterat an esset mandatum, vel non. sed ex quo videbat procuratorẽ assertum cum cautione fuisse adadmissum, debebar supersedere, & contra-
dicere

dicere illi admissioni. ex quo ergo non contradixit, non poterat inhibitioni conuenire. Item pro ista parte fuit allegata decis. Aegidij 592. videbitur si facit ad propositum.

SVMMARIVM.

Fama quando non fuerit potens ad probandum obitum.

DECISIO CXLIII.

IN causa Eugubina praepositurae, die 22. Iunij 1548. proposui dubium. An fama quae oritur à Comite Antonio, & alijs; licet non sit potens ad constituendum Ordinariũ in negligentia, aut saltem ex ea probetur obitus Iulij. & si non probatur, an priuatio facta, sit valida. Et fuit dictum, prout resolutum fuerat, quod talis fama non esset potẽs ad constituendum Ordinarium in negligentia, ita nec etiam erat potens ad probandum obitum. quia si ex illa fama probaretur obitus, ex illa etiam probaretur negligentia Ordinarij & supra fuit resolutum quod non probaretur negligentia, ita nec obitus. quia sicut illi famę frater Iulij non credidit, quia iuit ad perquirendum an verum esset quod obijsset, item nec ipse frater nec alij coniuncti, propter talem famam fecerũt luctum de Iulio, ita & merito Ordinarius potuit credere non esse mortuum, & ideo potuit ad priuationem procedere. Super secunda parte dubij, an priuatio esset valida, quia pro parte Galasij dicebatur, quod erat facta lite pendente, fuit dictum quod videretur an esset verum.

SVMMARIVM.

Mensis qui datur in regula de subrogandis quo tempore incipiat.

1 *Subrogatio in beneficialibus innititur dispositioni iuris communis.*
3 *Regulae de subrogandis, mens quae sit.*

DECISIO CXLIV.

IN vna Palentina canonicatus, dubitauit, die 22. Iunii 1548. D. Reomanus. An mensis positus in regula de subrogandis, debeat computari à die vacationis, siue à die notitiae, siue à die datae impetrationis tertii. Et fuit resolutum, quod deberet computari à die datae impetrationis tertii. quia verba regulae id volunt, & aliter intelligi nõ possunt; quae intelligentia habet fomentum

* Vide sup. decis. 140.

1 iuris, quia † subrogatio innititur dispositioni iuris communis. iux. text. in cap. 2. vt lit. pend. in 6. nimirum si Papa voluerit ipsum subrogandum in hoc praeferre, vt eius subrogatio quantumcumque valeat. dummodo tamen veniat infra mensem à die impetrationis non collitigantis. Non obstat, quod esset absurdum vt quis quandocumque possit subrogari ad impediendum impetrantẽ. quia istud absurdum cessat. quia collitigans sciens quod beneficium potest impetrari, erit diligens ad petendum se subrogari, &
2 sufficit sibi quod ista † diligentia & subrogatio, fiat intra mensem post impetrationem factam a non collitigante. Non obstat quod dicit Sarnensis, in regula de subrogan. quaest. 10. quia illa fuit opinio Sarnensis, & non Rotae. item Sarnensis loquitur limitate, dummodo non sit iusta causa, puta absentiae, vt erat in casu isto, & verba regulę sunt, quod impetrationes infra mensem ante concessionem. itaque si à die impetrationis, ad datam subrogationis. non est lapsus mensis, impetratio est nulla. itaque mens
3 regulae † est irritare omnes impetrationes infra mensem ante subrogationem factas.

Et ita fuit dictum iterum causa posita, die 8. Octob. 1548. Et cum ista decisione tenet Commentator regularum, super regula vigesimaseptima.

SVMMARIVM.

In causa Bononiensi locationis.

DECISIO CXLV.

DIe 27. Iunii 1548. in causa Bononiensi locationis. Dubitaui ego, an litterae sub die 9. Decembris, & cedula computorum nouiter producta, obstet Peregrinis quo ad partitam tercentorum scutorum. & an Domini Bentiuoli possint illa vti in parte tantum, & non in totum. Et fuit resolutum, quod non obstarent.

SVMMARIVM.

In causa Romana, seu Pitiliana dotis.

1 *Statutum Vrbis de pactis non valituris loquens de muliere, an habeat locum quando mulier recipiendo dotem, liberat.*
2 *Liberatio mulieris non facta cum solennitate statutaria, an nulla.*
3 *Statutum Vrbis de pactis non valituris an habeat locum quando cadit potentia lesionis in muliere.*

DECISIO CXLVI.

DIe 27. Iunii 1548. in causa Romana Pitiliana dotis, proposui dubium. An propter pactũ in contractu positum, q̃ quandocũq; Illust. Comes restitueret dotẽ teneatur D. Liuia & Comes Nicolaus liberare

Comitem, sit locus statuto Vrbis de pactis
1 non † valituris. In primis est aduertendum quod punctus non videtur bene formatus. quia si videatur pactum de quo supra, non dicit quod, teneantur liberare, sed potius dicit, liberant. quod videtur magnæ importantiæ. quia si diceret. teneantur liberare posset dicere D. Liuia tempore liberationis ego adhibebo solennitatem statutariam,
2 sed quia dicit liberant. & illa liberatio † nō est facta cum solennitate statutaria, ideo videtur iotrare dubium. Et Domini inclinabant, quod propter tale pactum esset locus statuto. quia soluendo dotem marito cui soluenda erat ex quo ipse portabat onera matrimonij, & ex ista solutione inducebatur liberatio Comitis, & hypotheca bonorū propter pactum in instrumento appositum tollebatur. ex hoc certe D. Liuia lædebatur cum Comes Nicolaus dictam dotem consu-
3 mere poterat. & ideo quia † interueniebat læsio, dicebant locum esse statuto. Item quia instrumentum dotale in talem euētum cassabatur, in quo erat hypotheca pro accencio æstimato ad summam mille scutorū, etiam in hoc videbatur D. Liuia lædi. Item & circa donationē propter nuptias. Et ideo ex istis, Domini potius inclinabant, quod tale pactum subijceretur statuto, sed propter grauitatem personarum causa dilata fuit ad Kalendas Octobris, & ideo melius corrigendo punctum poterit dubitari. An propter pactum in contractu positum, quod quandocumque Ill. Comes restitueret dotem, D. Liuia & Comes Nicolaus liberant Comitem, sit locus statuto Vrbis de pactis non valituris.

SVMMARIVM.

Gratia expectatiua ad duas collationes, an vigore illius possit sub eodem tecto duos canonicatus & præbendas acceptare, Ordinario non contradicente.

1 *Papam velle prouidere eodem tempore de duobus canonicatibus sub eodem tecto, non est verisimile.*

2 *Mens Papæ, an ex futuro euentu interpretari possit.*

DECISIO CXLVII.

Petrus de Medina, habnerat gratiam expectatiuam ad largam, ad duas collationes. videlicet ad Legionensem, & aliam. & in Legionensi acceptauerat primo loco canonicatum & præbendam. quos assequutus fuit, & illos in fauorem tertij resignauit. facta resignatione huiusmodi, iterum & secundo, in eadem Legionensi iterum vacarūt canonicatus præbenda, quos secundo loco idē Petrus acceptauit. & dicebat, quod eos acceptare poterat loco alterius collationis, ex quo ordinarius Legionensis non contradicebat. per decis. Castad. 2. de concessione prę ben. Hoc non obstante, in vna Legionensi canonicatus & præbendæ, corām D. Pighino, in qua, die 4. Iulij 1548. sed per prius causam duabus vicibus posuerat, in quibus ipse dubitauit. An dictus Petrus de Medina, qui habuit gratiam expectatiuam ad largam, potuerit duos canonicatus & præbendas, in vna Ecclesia & collatione acceptare. Fuit resolutum per maiorem partem Dominorum, quod non potuisset acceptare. attendendo initium gratiæ, & tempus datæ. nā tempore datæ, non est verisimile quod Pa-
1 pa voluerit † eodem tempore, sub eodem tecto de duobus canonicatibus prouidere. Nec obstat, quod hic non esset prouisum eodem tempore eidem de duobus canonicatibus, cum iam primos canonicatus dimisisset. quia fuit dictum, quod mens Papæ
2 non † erat interpretanda ex futuro euentu, idest ex eo quod Petrus de Medina facturus erat. latius videbitur in informationibus.

SVMMARIVM.

In causa Eugubina præposituræ.

1 *Priuatio beneficij facta lite pendente, inualida & attentata.*

DECISIO CXLVIII.

Die 4. Iulij 1548. in causa Eugubina præposituræ proposui dubium. An priuatio sit facta lite pendēte, ita vt attentata sit reuocāda. & an electio, & confirmatio sit bona. Et fuit resolutum, quod esset facta lite
1 pendente, † & per consequens attentata. nisi doceretur de moderatione inhibitionis.

SVMMARIVM.

In causa Bononiensi S. Thomæ de mercato.

1 *Narratiua plurium instrumentorum antiquorum, quando probet.*

2 *Præsentationes quando dicantur cumulatiue facta cum alijs patronis.*

DECISIO CXLIX.

In causa Bononiensi parochialis S. Thomæ de mercato, die quarta Iulij 1548. proposui dubium. An ex narratiua antiquorum præsentationum parochianorū, iunctis vltimis

vltimis, constet de dotatione & fundatione. & an presentationes particulariũ, fuerint priuatiue ad eosdem parochianos, stantibus inde sequutis. Et circa primum caput dicebatur, quod licet Felin. in c. cũ causam.
1 de probat. dicat, quod narratiua † in antiquis, quando sunt plura instrumenta, probet; tamen idem Felin. dicit, illud esse verum, quando illa instrumenta sunt confecta inter tertios. non autem quando omnia originem habent ab vno, & maxime suspecto vt erat in casu isto. in quo emanabat ista narratiua à patronis, & canonicis, de quorum interesse tractabatur. Sed replicabatur quod licet tractaretur de interesse canonicorum, tamen etiam illi comites de Panigo, illi de Pretis, & Giglijs, non negabant canonicos habere ius instituendi, vnde videbatur illi narratiuę in totum standum esse. maxime quod tanto tempore, præcedentes, & subsequẽtes presentationes per parochianos sortitę erant effectũ. Quo ad secundum dubium etiam, domini inclinabant,
2 quod presentationes essent † cumulatiue factę. ex quo illi particulares de Panigo, & alij, presentabant nomine etiam aliorum adhęrere volẽtium. Tamen causa fuit dilata ad Kalend. Octobris vt melius intelligeretur.

SVMMARIVM.

Citatio per edictum, habens terminum breuem ad comparendum, est nulla.

1 *Citatio, habens terminum breuem, an arctet ad comparendum.*
2 *A citatione habente breuem terminum, an sit appellandum, & talis citatio probet iustam causam appellandi.*
3 *Citatio per edictum quando debeat fieri in locis viciniorib⁹.*

DECISIO CL.

CONclusimus in vna Abricensi pensionis, die xiij. Augusti 1548. D. Pighino proponente, in S. Augustino. in qua procedebatur ferijs non obstantibus. iunctis votis trium Auditorum. scilicet Rossanensis, Fabij, Putei, & Reomani quod Card. Annibant qui fuerat citatus, per edictum, & erat in partibus Normandiæ, ex quo Monasterium in periculo maris, super quo erat imposita pensio, est in partibus Normandiæ & Cardinalis de Annibant, erat citatus ad instantiam Cardinalis Carpensis per edictũ in Ciuitate Mediolani, & Ianuensi, cum termino quadriginta dierum. quod talis citatio erat nulla. per decis. Cassad. 6. de dol. & cont. & per ea quæ dicit Matthæus de Afflict. in constit. incipien. si quem nostrorum. in 7. notab. in 1. lib. constit. Reg. fol. 182. in quibus locis habetur, quod ci-
1 tatio habens terminum breuẽ, est nulla, † nec arctat ad comparendum etiam post terminum. Non obstant, quæ dicit Arch. 5. quæst. 2. in summa. & ibi Domin. & Præposit. & Ant. de But, in c. 1. de dilat. Bonif. in Clem. 1. col. 2. in 9. not. de iud. dum di-
2 cunt † quod à citatione habente breuem terminum, est appellandũ. & quod talis citatio præbet iustam causam appellandi. & ita si dicit iniustitiam non dicet nullitatem. Quia fuit responsum, quod dictũ Ant. & Archid. & aliorum, intelligendum erat vel in citatione personali, habente breuẽ terminum, vel quando constaret quod de citatione per edictum cum breui termino, citatus habuisset notitiam, & ab illo breui termino non appellasset. quod suadetur dum dicunt præfati doct. quod præbet iustam causam appellandi. ergo oportet quod deueniat ad notitiam si vult appellare. Sed in casu nostro non constabat, quod ante executionem citationis nec post, citatus habuisset notitiam dictæ citationis, ergo à breuitate termini præfixi appellare non poterat. In eadem fuit dictum, quod licet Cassad. dicat in d. decis. 6. quod quan-
3 do † citatio non est facta in locis viciniorib⁹, quod tunc esset nulla, quod istud ideo erat, quia in commissione istud expresse dicebatur. & licet ipse idem Cassad. in fine decis. dicat, quod istud etiam procederet dato quod in commissione non diceretur, fuit, quod ex quo iudex arbitratus fuerat quod in illo casu citationes fierent in Ciuitate Mediolani, & Ianuensi, quæ erant Ciuitates insignes, & ad quas de omni natione confluunt, quod satis ex isto capite illa citatio sustineri poterat. sed ex capite breuis termini fuit dictum quod esset nulla.

SVMMARIVM.

Pensionarius qui est in possessione exigẽdi à predecessore titulati, si eius successor non vult soluere pensionem dicitur spoliati, & competit remedium redintegranda.

DECISIO CLI.

DVbitauit in vna Abricensi pensionis de mense Augusti, in qua D. Pighinus procedebat ferijs non obstantibus, cum voto quatuor Auditorum, videlicet Rossanensis, Putei, Fabij, & Reomani, idem D. Pighinus. posito quod Prælatus antecessor soluerit pensionem, & sic quod per talem solutionem, pensionarius fuerit constitutus in

quasi

quasi possessione exigendi, si postea successor illius Prælati recusat soluere. An per talem recusationem, dici possit spoliare pensionarium sua possessione predicta, & ipsi pensionario competat remedium redintegranda. Et fuit per omnes resolutum quod sic. per decis. Gnid. Pap. 619. incip. supra quæstione. &c. qui casum decidit in terminis.

SVMMARIVM.

In causa Visensi parochialis de Seigueros iura male extracta.

1 *Iura compulsata, parte non citata, nulliter extracta.*

2 *Iura transumptata ex processu, an exempla exempli. Et verba quod iura fuerunt extracta ab originalibus in hoc casu quomodo intellecta. & nu. 3.*

DECISIO CLII.

Die 5. Octobris 1548. dubitaui in vna Visensi parochialis de Seigueiros. An instrumenta presentationum Ludouici Anez, & sententia continens institutionē de ipso Ludouico factam, sint legitime extracta, ita vt fidem faciant. Et fuit resolutum quod instrumenta non essent legitime extracta. quia procurator Antonij Lopez seu ipse Antonius Lopez, credo fol. processus de partibus 148. * comparuit coram Prospero Auditore Nuneij, & petijt remissoriam pro pluribus locis. & postea ab eodem Auditore petijt compulsoriam, primo contra Episcopum Dangia, & secundo loco contra Vicarium Visensem. & fol. 149. sequenti citauit procuratorem Feliciani admittendum, ad videndum iurare testes, & videndum compulsari iura. & sic ista citatio ista generaliter, & indeterminate facta, est intelligenda secundum petitionem factam. videlicet ad videndum iurare in locis petitis ad faciendum probationes. & ad videndum compulsari contra Episcopum Dangia, & Vicarium Visensem contra quos petita fuerat cōpulsoria. Vnde cum postea Prosper fol. 151. processus, decreuerit remissoriam, & compulsoriam directam Roderico Vasci, & ille Rodericus, seu potius eius notarius compulsauerit iura in Ciuitate Visensi non contra Vicarium, sed contra Felicianum, Feliciano, nec eius procuratore, citato nec in decreto compulsorialium, nec in ipsa extractione,

1 sequitur quod ista iura fuerint † compulsata parte nō citata, & ita ex defectu citationis, extractio est nulliter facta. Itē & secūdo cū notarius dicat in extractione iuriū quod illa extraxit à processu, vt patet fol.

2 216. & fol. 250. & sic cum sint iura † trāsumptata ex processu, sunt exempla exempli. & sic quantumcunque legitime extracta, non facerent fidem. per not. per Purpurat. in auth. si quis in aliquo C. de eden. * Nō obstat quod notarius in eodem fol. 250. dicat extraxisse à proprijs originalibus. quia illa verba, vt concordent cum alijs quæ bis dixit, † quod extraxit à processu, sunt intelligēda ab originalibus registratis in processu. & sic vocat iura registrata, originalia, & tamen reuera sunt exempla. & negari non potest quin ista verba sint ambigua, & possint intelligi de originalibus proprijs, vel de iuribus registratis. & ideo non faciunt fidem.

SVMMARIVM.

Statutum. de pactis non valituris.. &c. quo casu locum habuerit.

1 *Promissio de dote restituenda cui de iure, quomodo intellecta.*

2 *Statutum Vrbis. de pactis & donationibus non valituris, an habeat locum in muliere faciente quietantiam de dote recepta.*

Statutum predictum an habeat locum in quietante ex causa necessaria. nu. 3.

DECISIO CLII.

In causa Romana Pitiliana prætensi residui dotis, dubitaui ego die 8. Octobris 1548. An per pactum in cōtractu appositū, quod quandocunque Ill. D. Comes restituerit dotem, teneantur Domina Liuia & Comes Nicolaus, liberare Comitem. sit locus statuto Vrbis. de pactis non valituris. Et fuit resolutum, quod cum in pacto diceretur, quod in euentum quod dos esset restituta. & sic intelligēdum est, ei cui † de iure

1 restitutio fieri debebat, & sic marito ad sustinendum onera matrimonij, quod in talem euentū, liberant Comes Nicolaus, Liuia, & Ioannes Antonius pater, Comitem perinde ac si instrumentum dotale factum non foret. quod ex quo in instrumento dotali, tam pro dote, quam pro donatione propter nuptias, vt patet ibi dum Comes in euentum restitutionis dotis promittit restituere secundum consuetudinem Baronū, secundum quam donatio propter nuptias debetur. & sic pro istis omnibus, Comes obligauerat bona sua, quod in euentum restitutionis, & dos & donatio propter nuptias reperiebatur sine hypothecis. & ideo in hoc Domina Libia lædebatur per illam refutationem quietationem, & pactum denon.

* Alias 147. pag. 2.

de non petendo, & ideo erat casus com-
2 prehẽsus † in statuto. Non obstat quod solu
tio ex causa, & consentiente filia, siue nuru, & eius patre, posset fieri filio, etiam existenti in potestate, ad text. in l. mutus §. manente. ff. de iur. dot. & not. per Iason. in l. 2. col. 5. vers. & isto fundamento. ff. solut. matrim. & ideo si solutio fieri poterat, sequitur quod D. Liuia quietare, & pactum de non petendo facere poterat. quia dicebatur fieri ex causa necessaria, videlicet ex
3 causa solutionis. & sic † non est casus com-
prehensus in statuto, per ea quæ dicit Rom. consil. 280. & 394. per Iason. in l. si vnus. §. pactus ne peteret. colum. 8. cum seq. ff. de pact. Quia fuit responsum, quod pater ex iusta causa, de voluntate nurus, potest filio existenti soluere dotem ex iusta causa, vt erat in casu isto, quando aliter commode non potuisset assignare fructus dotis ipsi filio, prout ita dicit Ripa in l. 2. col. 5. in fine, versic. fallit in socero. cum seq. colum. ff. solut. matrim. & per Alexan. in l. si cum dotem. §. transgrediamur, colum. 3. versic. sed dubium est. &c. ff. solut. matrim.
4 vbi quando filius † est suspectus de dilapi-
datione, pater, etiam quod sit iusta causa, non tenetur restituere, nisi data cautione de dote conseruanda. Vnde cum pater non teneretur restituere, nisi saltem data dicta cautione, & hoc non fecerit, certe in hoc nurus læditur. & ideo cadit sub statuto.

SVMMARIVM.

Successor in beneficio quis dicatur.

DECISIO CLIV.

IN vna Carthaginiensi liquidationis fructuum, fuit resolutum, die 8. Octobris 1548. quod successor in beneficio, diceretur ille, qui erat in possessione beneficij, etiam vt agere posset contra eum qui mouerat sibi litem super beneficio, & sic in petitorio prætendendo beneficium esse suum, ad restitutionem eorum, quæ successori in beneficio debebat. per not. per Innoc. in c. transmissam versic. si vero habent contradictores. & vers. sed secus intelligimus de elect. & per Innoc. in cap. constitutis. colum. 3. versic. illud autem non sufficeret. de appellat. & vtrobique rationem reddit inter possessorem, & non possessorem. & est decis. Rotæ 542. in * antiquis.

* Alias 18. de restit. spol.

SVMMARIVM.

Portionarius, qui ex statuto propter antiquitatem potest ascendere ad canonicatum, poterit ascendere etiam quod relinquat portionem grauatam pensione.

DECISIO CLV.

DIe 8. Octobris 1548. Dubitaui in causa Salamantina canonicatus. An ex eo quod portio D. Antonij de Loarte, reperiatur grauata centum & decem ducatorum annuæ pensionis, idem Antonius sit inhabilis ad optandum canonicatum. Fuit resolutum per maiorem partem, quod non esset inhabilis. quia statutum tantum respicit, vt quis sit antiquior portionarius. & propter antiquitatem dimittendo suã portionem. dat sibi optionem. & Antonius dimisit portionem. & si imposuit pensionem illud iure permittente fecit, cum portio esset sua. & in re sua quilibet est moderator & arbiter, & quilibet potest vti re sua ad sua commoda. Non obstat, quod hoc modo posset parari via fraudibus. quia quis expectans optionem, posset grauare beneficiũ suum, & sic alius, nihil vel parum haberet. Quia fuit dictum; quod si aliqua coniectura fraudis esset, vt quia canonicus esset infirmus. vel aliqua, de qua in cap. fin. de
1 renunciat. in 6. tunc stante † tali coniectu-
ra, ex illo capite annullari poterat. at in hoc casu nulla erat coniectura. quia Antonius per tres annos antea, consenserat reseruationi pensionis. & tempore vacationis, ipse non erat antiquior. sed remansit antiquior, quia antiquiores noluerunt optare. Non obstat, quod statutum esset factum in remuneratioñe laborum, etiã aliorum antiquiorum, & ideo si portio erat grauata, labores sequentium non remunerabãtur. quia fuit dictum, quod ex quo omnes fructus nõ erant absorti in pensione, cum remanerent adhuc nonaginta ducati quos lucri faciebat, quod erat satis pro remuneratione. Item, quia titulum assequebatur. nam sequẽs ex dimidio portionario habebat nomen portionarij. item, quia sequens, si talis portio grauata non sibi placebat, non cogebatur optare. Fuit tamen dictum quod erat dubitandum, an saltem Antonius teneretur illam pensionem cassare. Et ex supradictis satis colligitur quod non.

SVMMARIVM.

In causa Eugubina Præpositurae.

1 *Iudex an possit testificari de actu facto per eum, licet non scripto.*

2 *Causa*

1 *Causa qualibet, etiam iniusta, excusat à dolo, & pœna.*
3 *Resolutio & decretum Auditorum, quando excuset ab attentatis.*

DECISIO CLVI.

IN causa Eugubina Prepositurę, die 12. Octobris 1548. proposui dubium. An probetur per litteras productas quod inhibitio fuerit moderata, & sententia priuationis sit valida. Et fuit resolutum quod probaretur, quia iudex potest testificari
1 ri † de actu facto per eum; licet non scripto. Rot. decis. 89. * in nouis. Milis in verbo. testificari potest iudex. & maxime cum ageretur de attentatis, & sic dolo: & quæli-
2 bet causa † etiam iniusta, excusat à dolo, & pœna. Non obstat quod D. Prosper diceret, quod inter eos fuit resolutum quod censeretur inhibitio moderata;. & D. Aquēsis dixit, quod fuit conclusum inter eos quod deberet moderari inhibitio, prout per D. Thomam fuit moderata. quia omnia ista dicta, tendunt ad concludendum, quod inter eos fuit conclusum, quod inhibitio
3 haberetur pro moderata. & istud † decretū, & resolutio inter Auditores, erant sufficiens ad excusandum partes ab attentatis. Circa secundā partem dubij nil fuit resolutū: quia pro parte Galassi, nulli defectus circa priuationem fuerunt allegati.

* alias f. de testib.

SVMMARIVM.

Iuspatronatus mixtum, iudicatum laicale, & ideo non venit in reseruatione.

1 *Magis dignum, quando trahat ad se minus dignum. & nu. 3.*
2 *Legatus de latere, an possit conferre beneficia quæ sunt de iurepatronatus.*
4 *De stylo Papa in totum derogat iurispatronat. mixto. Sed quan lo est iuspatronatus laicale, derogat solum pro medietate, & nu. 5.*

DECISIO CLVII.

DVbitauit in Fanentina parochialis S. Seueri die 12. Octobris 1548. D. Achilles de Grassis. An regula reseruatio octo mensium, capiat beneficia iurispatronatus mixti, videlicet clericorum. & laicorum. Et pro parte affirmatiua, quod caperet, allegabatur decis. Rotæ 266. * in antiq. Aeneas de Falc. in tract. reseruat. in 4. quæst. princ. in 14. effectu. Staphil. in tract. de lit. grat. & iust. fol. 54. pag. 2. vers. quid autem si Fundamentum Rotæ in
1 d. decisione, est quia † magis dignum trahit ad se minus dignum, istud fundamentū est falsum in iure in isto casu. quia prout dicit Abb. in c. fin. de iurepatr. & in c. dilectus. de offi. legat. & istud dictum est cō-
2 mune, Legatus de latere potest † conferre beneficia quæ sunt de iurepatronatus elericorum. c. cum dilectus. de iur. pat. & tamen non potest conferre beneficium iuris patronatus mixti. vt cōcludit Abb. & doct. in d. locis. ergo in ista materia, magis dignum non trahit ad se minus dignum. ergo vera est conclusio quam ponit Felin. in tract. quando lit. Apost. in 6. ampliatione.
3 vt magis † dignum trahat ad se minus dignum, quando est fauor ipsius magis digni trahere ad se minus dignum. Secunda ratio est Aeneę de Falconibus in loco superius allegato, quod Felin. in d. 6. ampliat. loquatur in Legato, non autem in Papa. Sed respondetur, quod licet in princ. Feliu. loquatur in Legato; tamen ratio & conclusio per eum facta, ita concludit in Papa, sicut & in Legato. Et quod illud quod dicit Felin. habeat locum etiam in Papa voluit Gigas in tract. de pens. quæst. 24. nu. 3. Tertia ratio fuit Staphilęi in loco superius allegato. argumentum ab vsu patrissam ilias, & ab
4 stylo Curiæ. nam videmus, quod Papa † passim & indistincte, derogat patronatui mixto in totum. quod si tale iuspatronatus indicaretur laicum, non derogaret nisi pro medietate. ergo stylus Curiæ videtur interpretari tale iuspatronatus potius pro clericali quam laicali. ex quo in totum Papa illi derogat. Sed huic fundamento quod satis coloratum est, ego respondi, quod Papa
5 quando est iuspatronatus mere laicū † semper derogat pro medietate, & quia illud priuilegium derogandi pro medietate, quādo est mixtum non vult amittere. & pro parte clerici non est necessaria derogatio. ideo cum remanear pars laici, quæ indiget derogatione, derogat in totum. Et ideo ego retorsi istam rationem contra Staphileum. quia si ius patronatus mixtum iudicaretur clericale, non esset necessaria derogatio. & quia derogatur, Curia fuit iuterpretata tale ius patronatus esse laicale. & hoc dixi tenere Cassad. decis. fin. nu. 10. de probat. Et ideo sublatis istis rationibus tamquam nō concludentibus, Domini sex votantes, ne-
6 mine discrepante † tenuerunt cum Felino in d. tract. in 6. ampliat. & quia cum Felin. tenent Rota quam allegatur Felin. decis. 467. licet non reperiebatur. Ioan. de Selua in tract. de beneficio in 4. par. quæst. 3. col. 13. & 14. Rochus de Curte in tract. iuris pat. in verbo. ius. quęst. 7. Lambert. in tract. iuris pat. fol. 8. & fol. 370. & fuit allegatus etiam Paul. de Citad. in tract. suo iurispat. idem tenere Rebuff. in tract. nominat. in 15. quæst. col. 3. vers. tertio non comprehenduntur.

* alias 46 de cōcess. preben.

SVM-

SVMMARIVM.

Renuncians beneficio, si à tertio spolietur, habet remedium possessorium contra tertium, non autem contra resignatarium.

1 *Resignans in fauorem certa persona, an videatur conditionaliter resignare, ita vt nō adimpleta conditione, non abdicetur ius à resignante, & num. 3.*
2 *Ius quod alteri non quaritur, an à me abdicetur.*
4 *Resignans in fauorem certa persona, ante acquisitionem an dicatur possidere, & titulum coloratum habere.*
6 *Renuncians simpliciter non ad fauorem alicuius, post renunciationem an dicatur habere titulum coloratum in beneficio.*

DECISIO CLVIII.

DVbitauit D.Fabius, die 15. Octobris 1548. in vna Burgensi præstimoniorum, pro Francisco Pesquera, contra Gasparem Auelloineda. præsupposito quod D. Franciscus de Pesquera, continuauerit possessionem, post resignationem, per sexaginta tres dies, prout ipse deduxit in articulis. An sit sufficiens continuatio vt veniat restituendus. Et ex sex votantibus, quatuor fuerunt pro restitutione, reluctantibus duobus: quia illi quatuor dixerunt, quod vera erat opinio antiquorum Auditorum dicentium, quod renuncians beneficium, & persistens in possessione seu detentatione, habet remedium restitutoriū * contra tertium spoliantem, licet non contra resignatarium. per decision. 1. de renunciatione in nouis, alias 158. Cassad. decis. 4. de restit. spoliat. licet ipse ibi teneat contrarium. tamen maior pars Dominorum voluit, quod daretur restitutio. Sarnensis in regula de triennali. quæst. 24. circa finem. versic. sed circa præ-
1 missa. Ratio istius decis. fuit. quia † resignās in fauorem certæ personæ, videtur conditionaliter resignare. videlicet dum tamen beneficium illi quæratur. & ius quod alteri
2 non quæritur, † à me non abdicatur. l. nec vtilem. ff. ex quib. cau. maior. l. qui absenti. ff. de acquir. possess. Donec ergo & possessio & titulus sit resignatario quæsitus, non est à
3 resignante † ablatus. & ideo cum sit facta resignatio in fauorem certæ personæ, ante
4 acquisitionem, resignans dicitur, † & possidere, & titulum coloratum habere. Non licet ergo tertio, in cuius fauorem non est resignatum, resignantem suo titulo & possessione spoliare. Non obstat, quod resignatarius, in casu isto resignationem ratam habuisset, quia etiam hoc concesso, potest esse quod beneficium propter incapacitatem resignatarij, non foret illi quæsitum. & ius, & possessio, quę erant cessa in fauorem certæ personæ, quia illi non quæsita, remanserunt pænes resignantem, ideo non licuit tertio
5 spoliare † resignantem, qui nihil in fauorē tertii resignauerat. Non obstat, text. in c. sollicite. & in cap. accepta. de restit. spol. & quod dicit ibi Abb. & Card. Alexañ. in c. quod restitutio. colum. 14. vers. quid autem si post renunciationem. & text. 3. q. 1. quia fuit responsum, quod dicta iura & doctrina, loquuntur in renunciatione simpliciter
6 facta, quia † in illa bene renuncians nullū titulum coloratum dicitur habere, ex quo simpliciter renunciauit. sed secus est quando renunciatio est facta in fauorem certæ personæ. Et hoc modo saluatur illud quod semper dixerunt antiqui Auditores, quicquid dixerit Cassad. in d. decis. 4. ad cuius dicta patet responsio ex superius dictis. nā contra tertium, & renuncians dicitur habere & titulum, videlicet suum primum titulum, & possessionem. quia tantum est amissa in fauorem resignatarij.

* Et intelligo, vt infra decis. 175.

SVMMARIVM.

Subrogatus, etiam quoad litem, vbi fructus sunt deducti in iudicio, censetur esse subrogatus etiam quo ad fructus.

1 *Fructus beneficij an veniant in lite, quando lis est super spolio beneficij.*

DECISIO CLIX.

QVando lis est super spolio beneficij, &
1 sic fructus veniunt in lite † saltem officio iudicis. per l. ædiles. §. item veniunt. ff. de ædil. edict. si quis subrogatur ad beneficium & ad litem, in tali subrogatione veniunt etiā fructus. per decis. Aegid. 366. Ita fuit decisum in vna Carthaginensi liquidationis fructuum, coram D. Antonio Augustino, die 15. Octobris 1548.

* Vide in 2. lib. annot. mearum. decis. 330. incipit decisio subrogatus in omni iure. &c.

SVMMARIVM.

Statutum Vrbis de donationibus, & pactis non valituris. isto casu non comprehendit causam dotis.

1 *Statutum generaliter loquens, an comprehendat causam dotis.*
2 *Statutum generale, an comprehendat causam dotis, quando dos reperitur specialiter priuilegiata.*
3 *Mulier sine solennitatibus, an possit se pro dote obligare.*

4 Stan-

4 *Stante statuto, quod mulier non posit contrahere sine certa forma, an posit se obligare pro dote.*

5 *Statutum Vrbis. de contractibus mulierum non valituris sine certa solennitate. an comprehendat obligationem pro dote factam.*

DECISIO CLX.

ALoysius de Gaddis, tamquam pater & legitimus administrator, tradidit nuptui filiam suam Constantiam D. Antonio Caietano, & ei constituit certam dotem. pro qua soluenda, idem Aloysius obligauit bona sua. & D. Claudia eiusdem Aloysij coniux, & mater dictæ Constantiæ ibidem præsens, cum presentia & consensu mariti sui, pro satisfactione dictę dotis, expresse obliganit & hypothecauit, omnia & singula iura sibi competentia super castro Mõtorij. & obligauit se vt principalis in forma Cameræ. postea, dum mortuo Aloysio, Antonius ageret contra Claudiam ad satisfactionem dotis, & forsan actione hypothecaria ad castrum Montorij, Claudia allegauit se non teneri, ex quo non interuenerat solennitas statuti Vrbis, sub rub. de donat. & pact. non valituris. quasi dicta obligatio saperet donationem, & ideo cum esset facta sine solennitate statuti, non
teneret. Et ideo * die 19. Octobris 1548. in vna Romana dotis
pro D. Claudia, cõtra Antoniũ dubitauit D. Reomanns. An statutũ
de donationibus, & pactis, &c. habeat locum in casu de quo agitur.
videlicet in isto casu, in quo mulier
pro dote. Et licet Domini viderentur inclinare in eam partem, quod
1 statutum † generaliter loquens,
comprehendat etiam causam dotis. per ea quæ latissime cumulat
Tiraquell. in tract. de retract. fol.
132. pag. 1. vers. sed illa mentio.
&c. cum tribus seq. paginis. & dixi late in vna apostilla ad cons. 5.
Decij in 1. vol. Tñ quia secũdũ dictum Salicet. in l. fin. C. de iu. dot.
quod est communiter receptum,
2 quod quando dos † reperitur specialiter priuilegiata in aliquo casu, quod tunc statutum generale nõ
comprehendit causam dotis. &
isto casu dos reperitur specialiter
3 priuilegiata, vt † mulier possit pro
dote se obligare. secundum tex. in l. fin. C.
ad Vellei. & l. si dotare C. ad Vellei. Et
quod stante statuto, quod mulier non pos-
4 sit contrahere sine certa forma, possit † tamen se obligare pro dote. vide Negusan.
in tract. de pignor. in 1. memb. 8. p. nu.
26. vers. insuper si essemus. &c. vbi allegat
Bald. & Soc. ita tenentes. & Marian. Soc.
Iun. cons. 8. in præsenti consultatione, col.
6. nu. 23. vol. 2. Vnde, cum dos isto casu reperiebatur specialiter priuilegiata, fuit de-
5 cisum, quod dictum † statutum Vrbis, non
comprehenderet istam obligationem pro
dote factam.

* Et die 22. Martij 1549. in eadẽ coram eodem, fuit resolutum quod etiam dictum statutum, non comprehenderet causam dotis. etiam quod vxor intercessisset pro viro pro dote promissa cõmuni filiæ. quia etiam isto casu mulier promittẽs pro dote, non iuuatur Velleiano. & dos est priuilegiata, vt dicit Bald. in l. 1. col. 2. in 15. speciali. ff. solut. mat. & ibi Roma. col. 6 in 30. & 31. speciali. Soc. cons. 80. col. fin. nũ. 17. Bal. nouell. in tract. de dot. in 6. parte in 3. special. in fine. & speciali 112.

S V M M A R I V M.

In causa Romana casalis de la Bottaccia.

1 *Positiones, quando articuli, & articuli positiones.*

2 *Ponens an dicatur fateri omnia contenta in positione.*

DECISIO CLXI.

IN causa Romana casalis de la Bottacia pro Fabijs, contra illos de la Cithara dubitaui die 19. Octobris 1548. An per scripturas nouiter productas, iustificetur effectuatio instrumenti, quo ad summam 3500. & quo ad tutelas mulierũ hinc inde. Et fuit resolutum, quod quoad tutelas, licet in protestatione dicatur. Camilla prætensa tutrix, tamen postea in positionibus & articulis, in primo et secundo, dicitur, Camilla mater & tutrix. & etiam in primo articulo, Paula vocatur mater & tutrix. & ideo Camilla, quæ in articulis dicitur tutrix, etiã in protestatione potest dici prętensa, quia ista nõ contrariantur. Itẽ & secũdo, fuit dictum, quod etiam in articulis & positionibus aderat confessio de summa 3500. ducatorũ, habitorum in tot bonis mobilibus. & quod erat clara confessio. Nõ obstat, quod
essemus in articulis, & non in positionibus.
1 quia fuit dictũ, † quod erant positiones. & articuli positiones. quia ponebant. & si essent
negatæ, tũc intendebant illas probare vt di-
2 cebatur in principio positionẽ. & ideo, † ponens dicebatur fateri contenta in positione. ad not. in c. fin. de iure iur. in 6. Non obstat, quod confessio esset relatiua ad instrumentum. quia in illa parte in qua fatebatur de summa 3500. ducatorum, nulla erat relatio ad instrumentum. Sed aduerte, quia pro parte istorum fratrum posset dici, quod Petrus Paulus promisit de rato pro Bernardino, & Bernardinus non ratificauit. itaq; ista confessio Petri Pauli non posset ipsi Bernardino nocere. nisi dicatur, quod stantibus alijs probationibus, de consignatione animalium, & aliorum bonorũ, quod ista confessio suppleat illas probationes, quæ ex se non erant sufficientes.

S V M-

SVMMARIVM.

In causa Eugubina Præposituræ.

1 *Iudex quando possit in causa testificari.*
2 *Nuncij relatio, ex quibus verbis dicatur facta.*
3 *Citatus ad aliquem actum, si actus fiat aliter quam in citatione dicitur, an actus dicatur factus parte non citata.*

DECISIO CLXII.

IN causa Eugubina Præposituræ, dubitaui die 19. Octobris 1548. An per litteras productas, probetur quod fuerit moderata inhibitio, & sententia priuationis sit valida. Quo ad primum caput, fuit illud idē resolutum, quod supra. videlicet decis. 156. hoc 3. lib. quod per tales litteras probaretur inhibitio. quia hic non tractabatur de præiudicio alicuius, cum inhibitio esset facta vigore impetrationis factæ per obitum. & illi Capitulares volebant procedere ad priuationem contra viuentem, & iura Galassi remanebant illæsa quo ad possessionē.
1 & ideo † iudex poterat deponere. per ea, quæ dicit Felin. in cap. cum à nobis. in 6. fal lentia. de testibus. Quo ad secundum, capita tria opponebantur. videlicet, quod non reperiebatur tertium edictum. sed istud est falsum in facto, cum sit in processu de partibus Secundum, quod non adesset relatio nuncij in isto tertio edicto. tamen Domini dixe-
2 runt, quod satis erat facta † relatio nuncij per illa verba. prout Georgius publicus baiulus retulit. &c. Tertium dicebatur, quod terminus erat viginti dierum, & tamen in fine termini non erat accusata contumacia,
3 sed longe post. vnde videbatur facere † illud quod dicit Bart. in l. aut qui aliter. in princ. ff. quod vi aut clā. Tamen fuit dictū, quod non eramus in doctrina Bartoli in qua quis citatur ad videndum fieri aliquid certo tempore, quia alio tempore non poterat fieri. sed in casu isto, isti viginti dies dabantur pro termino, Iulio, & dilatione ad comparendum. vnde quocunque tempore poterat accusari contumacia, quod infra viginti dies non venisset ad residendum. Vnde erit dandum dubium. An per supplicationem impetrationis pro parte Ludouici productam, probetur obitus Iulij ante priuationem. & maxime, quia prætenditur pro parte Galassi, quod Ludouicus ratificauerit dictam productionem.

SVMMARIVM.

Beneficia patrimonialia, cadunt sub indulto Cardinalis.

1 *Indultum conferendi beneficia concessum à Papa quid oporetur.*

DECISIO CLXIII.

DVbitauit D. Fabius 19. Octobris 1548. in vna Burgensi, dimidiæ portionis. An beneficia patrimonialia Burgensia, cōprehendantur sub indulto Cardinalis. Et fuit resolutum, quod licet Episcopus, talia beneficia patrimonialia teneatur conferre filijs patrimonialibus, cum indultū nil aliud
1 faciat, † nisi præseruare iurisdictionē ordinariam aduersus gratias præuentiuas; quod indultum comprehendet etiam ista beneficia. ita vt Cardinalis possit ea conferre, non obstantibus dictis gratijs, illis quibus tenetur conferre.

SVMMARIVM.

Ordinarius collator quis dicatur, & quomodo talia verba in præseruatione facta in reseruatione, fuerint intellecta.

1 *Ordinarius collator an dicatur, habens indultum à Papa conferendi. & quomodo.*
2 *Gratia facta respectu laborum, & motu proprio, an fauorabilis.*
Exceptio de ordinarijs collatoribus facta, de quibus ordinarijs intelligatur.
3 *Qualitas vni capitulo addita, an determinet illud solum.*

DECISIO CLXIV.

IN vna Florentina S. Felicitæ, in qua Reuerendissimus Rodulphus Archiepiscopus Florētinus, resignauerat Archiepiscopatum; tamen reseruauerat sibi collationē beneficiorum. postea Papa, concesserat bo. me. Raynaldo, gratiam ad vacatura in toto dominio Florētino exceptis his, in quibus Sāctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales fuerint ordinarij collatores. quorum ordinariæ collationi, ac dispositioni, & indulto illis Apostolica auctoritate concessis, per præsentes præiudicare non intendimus. Dubitauit D. Nouatus, die 19. Octob. 1548. in d. causa pendente inter Sinulphū Petruccium ex vna, & Marcum Brachiū ex altera. An Cardinalis de Rodulphis, excludatur à reseruatione D. Raynaldi, consideratis tā verbis dictæ reseruationis, quā collationis beneficiorum reseruatæ d. Cardinali in admissione resignationis Archiepiscopatus Florentini. & per qua-

tuor ex sex votantibus, repugnantibus duo bus, videlicet Rossaucsi, & Antonio August. fuit dictum, quod licet Cardinalis, vigore dictæ reseruationis collationis beneficiorũ di
1 cerétur ordinarius, † tamẽ non proprie sed large, & habens iurisdictionẽ extraordinariam. per ea quæ dicit Dec. in c. post cessionem. in primo not. de cõcess. præb. post Paul. de Castr. cons. 3. in 1. volum. nouissimæ impressionis, & tenẽt Aret. & Felin. in d. c. post cessionem. Vnde, cum gratia Raynaldi esset fauorabilis respectu laborum, & motu pro
2 prio concessa, erat † fauorabilis. illa ergo exceptio de Cardinalibus ordinarijs, intelligenda erat de collatoribus ordinarijs vere, & naturaliter, & proprie, non autem de istis per accidens, & extraordinariis. & ideo illa verba. quorum ordinariæ collationi. intelligenda erant de vera & naturali, & propria. item & sequentia. ac dispositioni & indulto Apostolica auctoritate concessis. intelligenda erant de dispositione & indulto concessis vigore illius ordinariæ & propriæ iurisdictionis. Non obstat, quod essent intelligenda de ordinaria iurisdictione & indulto concessis Apostolica auctoritate, & sic de illa ordinaria Apostolica auctoritate reseruata. quoniam fuit dictum, quod illa verba. Apostolica auctoritate concessis. tantum qualificabant verba immediate præcedentia. dispositioni & indulto. non autem præcedentia. ordinaria iurisdictione. per ea quę dicit Dec. in c. tertio requiris de appellat.
3 quod † qualitas vni capitulo addita, determinat illud.

SVMMARIVM.

Possessor qui dolose desijt possidere potest condemnari in fructibus perceptis, itaut eos soluere teneatur.

1 *Alienans lite pendente, an dolosus, & sic habeatur pro possessore.*

DECISIO CLXV.

IN vna Perusina bonorum, coram me pẽdente, in qna Alphonsus Barrolinus. in uegocio attentatorum, fuerat condemnatus in fructibus perceptis. & quia ipse alienauerat bona lite pẽdente, & sic doeebat, quod pro certis annis post alienationem factam non perceperat fructus. & ideo petebat, ꝙ ex fructibus liquidatis ab anno 1532. vsque ad annum 1540. dedueerentur fructus quinque annorũ, in quibus coustabat nullos fructus in dictis quinque annis percepisse propter alienationem supradictam. nam licet potuisset condemnari in fructibus qui percipi potuissent, propter dolum; tamen quia erat condemnatus in fructibus perceptis, & nullos perceperat, ergo illi liquidari non poterant. Tameu hoc non obstante, maior pars Dominorum voluit contrarium. quia cum
1 alienasset lite † pendente, erat dolosus, & sic habebatur pro possessore. cap. pro possessore vbi glos. de regul. iur. in 6. Sicut ergo quando est possessor, tenetur ad fructus perceptos, ita & quando habetur pro possessore, & pro hoc videtur text. in l. fructus. ff. de rei vend. Et ita fuit resolutum, die 22. Octobris 1548.

SVMMARIVM.

Tertius potest venire coram delegato pro interesse suo, licet non sit expressus in commissione.

1 *Iudex appellationis, an repræsentet in omnibus iudicem primæ instantiæ. Et an idem ius seruare debeat, quod & iudex primæ instantiæ.*

DECISIO CLXVI.

IN vna Toletana, canonicatus & præbendæ, coram me, fuerat lata iu prima instãtia, sententia pro Petro Nauarro, contra Franciscum Pesquera. à qua pro parte Francisci appellatũ, causa appellationis fuit mihi commissa. & pendente appellarione decessit Petrus. cuius ius habuit D. Didacus de Lasso, & venit ad causam. & ad docendũ de suo interesse, produxit processum gratiæ suæ Franciscus Pesquera opposuit, quod eum nõ poteram admittere, & quod nullam habebã
iurisdictionem. cum essem index delegatus, & in causa appellationis pendente inter Petrum & Franciscum. & cõmissio appellationis nou haberet clausulam. omnesq; alios. & allegabat. text. in cap. P. & G. de offic. delegat. Hoc non obstante, fuit resolutum contrarium. per dictum Innoc. in c. veniens. de sponsal. ibi. nam hic illa quæ dicitur. &c. refert & sequitur Abb. in c. veniens. el secondo. de testibus. col. 4. vers. sed nunquid. & ibi Felin. col. 5. num. 16. vers. vltimo. in hac materia. idem Felin. ibi post Abb. in c. P. & G. iu 3. col. vers. secuudo limita. de offic. deleg. & est decis. Rotæ 103. iu fine * in nouo. Non obstat, quod causa pendeat in gradu appellationis, & in secũda instautia. quia & in causa appellarionis idem firmat Felin. in c. cum super colum. 3. vers. etiamsi prin-
1 cipalis. de re iudicat. quia iudex † appellationis repræsentat in omnibus iudicem primæ instantiæ. & idem ius seruare debet, quod & iudex primæ instantiæ. prout dicit Alexan. cons. 164. colum. 2. vol. 6. Fuit etiam dictum, quod ad docendũ de interesse suo, sufficiebat docere de processu gratiæ
2 suæ. † quia sufficit appareuter docere de aliquo

* Alias 22. de rescript.

aliquo interesse. secundum Felin. in c. cum super. colum. 6. num. 16. versic. & ad hoc vt tertius. &c. de re iudicat.

S V M M A R I V M.

Procurator specialiter constitutus, non reuocatur per dationem procuratoris generalis.

DECISIO CLXVII.

IN vna Conchensi capellaniæ, coram D. Reomano, die 22. Octobris 1548. Fuit resolutum, quod si præcedit mandatū speciale, vt erat in illo casu, in quo erat procurator constitutus ad omnes causas in Romana Curia deuolutas, quod per mandatum generale, in partibus postea factum ad omnes causas in quibuscunque partibus motas & mouendas, non censeretur procurator specialiter in primo mandato constitutus, reuocatus. per decis. Rotæ 298. * in nou. & quod dixi ibi in apostilla.

* Alias 22. de procurat.

S V M M A R I V M.

Menses sex de quibus in Concilio Lateranensi, sunt continui à die commendę. & si Papa voluit, quod currerent à die habitæ possessionis, & non derogauit Concilio, commenda est nulla.

1 *Tempus, in dubio an sit continuum.*

DECISIO CLXVIII.

IN vna Sabinensi Archipresbyteratus, in qua per obitum familiaris Cardinalis Tranensis fuerat commendatum eidem Cardinali beneficium valoris vigintiquatuor ad sex menses à die habitæ possessionis, & non fuerat derogatum Concilio Lateranensi, fuit conclusum, die 26. Octob. 1548. corā D. Antonio Augustino, quod sex menses, de quibus in Concilio Lateranensi currunt à die gratiæ & commendæ factæ. quia in du-
1 bio, † tempus est continuum. ad glos. in rubrica. ff. de diuersis & temp. præscript. Et cū aliquod initium non sit appositum, intelligendum erit à die commendæ. & si ita Concilium Lateranense est intelligendum, quando Papa voluit, quod istud tempus curreret à die habitæ possessionis, in hoc erat contra Concilium Lateranense, & cum Concilio nō fuisset derogatum, fuit dictum, quod talis prouisio & commenda esset nulla. & ita accepi, alias per maiores nostros iudicatum fuisse contra bo. mem. Card. Cæsarinum.

S V M M A R I V M.

Primitiæ debentur Ecclesiæ prædiali, sicut & decimæ, non autē Ecclesiæ in qua Domini prędiorum percipiunt sacramenta.

1 *Decimæ prædiales de iure communi cui Ecclesiæ soluendæ.*
2 *Primitiæ eodem modo soluuntur ex prædijs, sicut & decimæ.*
Primitiæ quæ.
3 *Primitiæ an ex necessitate, vel ex voluntate præstentur, & an sint de præcepto, & num. 4.*

DECISIO CLXIX.

DVbitatū D. Achilles in vna Cæsaraugustana primitiarum de Pennaflor, die 26. Octobris 1548. An primitiæ debeāt solui in Ecclesia vbi sita sunt prędia, an in qua percipiuntur sacramenta per dominos prędiorum. Et fuit resolutum, quod sicut
1 decimæ † prędiales de iure communi, seclusa consuetudine, sunt soluendæ Ecclesiæ parochiali prædiali ad glos. in c. cum sint homines. vbi Innoc. Ost. & Abb. de decim. & est tex. in cap. fin. de paroch. cap. cum contingat. & cap. cum in tua diœcesi. de decim. cap. ad decimas. de restit. spol. lib. 6. glos. in cap. 1. 13. quæst. 1. Abb. cons. 58. ad contrariam partem. lib. 1. ita dicendum fit de pri-
2 mitijs. cum eodem modo † soluantur ex prædiis, sicut & decimæ. cum sint oblationes de primis frugibus. iuxta not. per Doct. in c. 1. de decim. Non obstat, quod primitiæ non
3 ex † necessitate, sed ex voluntate præstentur secundum Sanctum Thomam 2. 2. q. 86. art.
4 vltimo. Quia fuit dictum, quod † primitiæ quo ad sui substantiam, ita sunt de præcepto sicut & decimæ, licet quantitas earum ex voluntate pendeat secūdum Ioan. de Turrecremata 16. quæst. 7. vers. ad secundam. & sentiunt Doct. in d. c. 1. de decim.

S V M M A R I V M.

Regula contra impetrantes certo modo, quomodo interpretata.

DECISIO CLXX.

POstquam Io. Albertus Marchio Brandeburgensis, custodiam Ecclesiæ Maguntinæ per sex annos pacifice possederat, Episcopus Hildesemensis exposuit Papæ. Io. Albertū obtinentē dictam custodiā, fuisse deputatū coadiutorem in regimine & administratione Mādeburgensis, & Habistanēsis Ecclesiarum, quod Alberto Cardinali cum futura

successione, & hujusmodi successioni locus fuerat, prout in supplicatione ipsius Episcopi. & Papa, ad huiusmodi expositionem, decreuit vacare custodiam, & eam Episcopo commendauit. Dubitauit D. Fabius, die 26. Octobris 1548. An D. Hildesemensi obstet regula Pauli. * contra impetrantes certo modo. Et maior pars inclinauit quod sic. per verba regulæ. in vers. & cui fide dignorum relatione innotuit. in illis verbis. quos valetudinatios, seu senio confectos conspiciunt, aut alias certo modo cito defecturos, vel eorum beneficia dimissuros sperant, improbe ac per media illicita aspirantes huiusmodi beneficia, tamquam certo modo vacantia, & absque aliquo titulo seu minus canonice detenta, à Sede Apostolica impetrabant. Et in alio vers. sic. attendentes malitijs hominum non esse indulgendũ, sed potius. &c. in illis verbis. & ad impetrantes beneficia illorum, qui aliquo euidenti impedimento detinerentur, quamuis senio confecti, aut infirmitate detenti non forent, extendendo. etiam voluit. &c. & dicit vacantia, vel vacatura, & istud beneficium poterat dici vacaturum per amotionem. & ita statuit Papa, ne aliquis moueatur ad impetrandum beneficium viuentis, tamquam vacans vel vacaturum. quod si faceret, voluit quod teneretur ad obseruationem regulæ.

* Dubium istud fuit iterum propositum, die 19. Nouẽbris 1548. & fuit quasi per omnes tentum cõtrariũ eius, quod prima vice votatum fuerat, & sic Rota variauit, & recessit à prima opinione sua dicentes Domini, quod licet iste casus, sub verbis regulæ comprehenderetur in illis verbis per amotionem. &c. tamẽ quod mens regulæ nõ couentebat ex quo hic nullus dolus seu fraus pro parte Episcopi impetrãtis considerari poterat. Et attenta ista varietate opinionum, fuit dictum, quod causa iterum proponeretur. & ideo nihil affirmo.

Causa iterũ posita 14. Decembris 1548. fuit per omnes Dominos resolutum, quod nec ex verbis, nec ex mente regula in isto casu locũ habere posset. ex verbis non. quia illa verba. per priuationem, & amotionem, vel alias. idest alio modo, restringebantur ab illis verbis. propter excessus & crimina. itaut priuatio & amotio induceretur propter excessus & crimina. & cum hic nullus esset excessus, ergo & ita si cessabant verba, cessabat etiam mens.

SVMMARIVM.

In causa Eugubina, obitus Iulij probatus per supplicationem, & per testes.

1 *Supplicatio, quando per impetrantem præsumatur impetrata, vel de eius licentia.*

2 *Confessio procuratoris, quando possit reuocari, vel non.*

3 *Obitus de longinquo, an probetur per publicam vocem.*

DECISIO CLXXI.

IN causa Engubina præpositurae dubitaui, die 5. Nouembris 1548. An per supplicationem impetrationis pro parte D. Ludouici productã, & per duos testes, quorum vnus deponit, quod Iacobus redijt ante mẽsem Maij 1545. & alter, ante mensem Septembris eiusdem anni, probetur obitus Iulii ante priuationem. Et fuit resolutum, quod sic. nam in primis ex quo agebatur contra Ludouicum, ex cõfessione eius in supplicatione, impetrata de mense Iulij 1545. constabat de obitu Iulii. quæ supplicatio,
1 aut † præsumebatur per ipsum impetrata. iuxta glos. & Doct. in cap. nonnulli. de rescript. aut ad instantiam eius, ex quo eius fauorem concernebat, & expensas. iuxta not. per Oldrad. cons. 136. Sarnen. in regula de impetrandis benef. viuen. quæst. 5. & in regul. de triennali. quæst. 38. Et quando fuisset per procuratorem impetrata, confessionẽ prædictã non poterat reuocare. ex quo omnia gesta & procurata per Acciolum procuratorem, ratificauerat. Nec obstat, quod ratificauerat præterita quorum scientiam habebat, & supplicatio post ratificationẽ erat producta. quia fuit dictum, quod in ratificatione, vltra quod ratificabat præterita, ratificabat etiam quæcunque in causa huiusmodi gerenda per procuratorem cum inde sequutis. Vnde cum procurator produxisset postea supplicationem sequebatur ratificatio illius. Et licet diceretur, quod talis ratificatio, quo ad gerenda, haberet vim mãdati, & ideo poterat Dominus reuocare cõ
2 fessionem † factam per procuratorem erroneam. Fuit ad id responsum, quod ex quo semel dederat mandatum, & illa confessio facta, erat de mandato eius, quod illum tamquam erroneam reuocare non poterat, nisi docto de errore. Ad secundum fuit dictum, quod etiam obitus probaretur per testes. ex quo duo testes probabant reditum Iacobi ante mensem Septẽbris. & per alios testes probabatur, quod post redditum Iacobi fuit tunc publica vox, & fama de obi-
3 tu Iulij. & obitus † de longinquo probatur per publicam vocem, vt per Bart. in extrauaganti. ad reprimendũ. in verbo mortuum. Non obstat, quod isti testes esset singulares. ex quo vnus dicebat, ante mensem Maij. alter, ante mensem Septembris. quia
4 fuit dictum, quod dicta singularitas † non erat obstatiua. & sufficiebat quod ambo testes in hoc conuenirent, quod ante mensem Septembris Iacobus redierat. Et ita, cum tam per supplicationem quam per testes, obitus Iacobi probaretur à fortiori probabatur coniungendo supplicationem cum testibus.

SVM-

SVMMARIVM.

In causa Salamantina canonicatus.

1 *Collatio canonicatus, & prabenda in Ecclesia cathedrali, pertinet ad Episcopum & Capitulum.*
2 *Pacto confirmato per Sedem Apostolicam, an per clausulas generales censeatur derogatum.*

DECISIO CLXXII.

EAdem die 5. Nouembris 1548. in causa Salamantina, canonicatus & praebendae, pro Antonio de Loarte, contra Antonium de Vega. Dubitaui, an ex actis constet de iure Datarij, excludente notorie ius Episcopi. Fuit resolutum, quod ex quo de iure
1 re communi † collatio pertinebat ad Episcopum & Capitulum, & ex pacto confirmato per Sedem Apostolicam, dicta collatio in alternatiuam erat redacta, quod nisi doceretur de aliqua clausula derogante dictae alternatiuae ex pacto confirmato. cum per quascumque clausulas generales non cen-
2 seatur † pacto confirmato derogatum. vt per gloss. in Clem. dudum, de sepult. quod nō constaret de notorio iure Datarij excludente ius Episcopi. Item fuit dictum, quod Ioannes de Olasso, nemine cogente, & non discusso iure Episcopi & Datarii, non pote
3 rat † bonam fidem agnoscere. per text. in l. atqui natura. §. cum me absente. ff. de neg. gest.

SVMMARIVM.

Regula declaratoria regulae de publicandis, quomodo intellecta.

1 *Regula Cancellaria declaratoria regula de publicandis resignationibus, respicit resignationes seu cessiones, futuras, & non praeteritas.*
Constitutionis natura est respicere futura.
2 *Clausula. de caetero. an praeterita vel solum futura, respiciat.*
3 *Verba. in quacunque instantia. quomodo intelligantur.*

DECISIO CLXXIII.

IN vna Segobiensi de Villa Castrin, coram D. Antonio Augustino, fuit resolutum, die 5. Nouembris 1548. quod regula Pauli publicata in Cancellaria 10. Martij 1547. declaratoria regulae de publicandis
1 resignationib. † respiceret resignationes, seu cessiones futuras, & non praeteritas. nam vltra quod ea est natura constitutionis respicere futura, & nō praeterita, etiam in re-
2 gula erat † dictio, de caetero. quae tantum futura, & non praeterita respiciebat. Non obstat, quod regula diceret, quod in quacunque instantia, de dicta regula dari posset, & ideo in causa appellationis poterat dari de dicta regula, etiam quod tractaretur de resignatione ante regulam facta, quia fuit dictum, quia illa verba. in quacumque instan-
3 tia. † intelligebantur quo ad causas, & negocia futura, quod de caetero posset dari de dicta regula in quauis instantia. sed non poterat referri ad causas, & negocia praeterita.

SVMMARIVM.

Allegatio lapi, habet locum etiam in beneficio in Curia vacanti.

1 *Diligentia facta in regestro de reperiendo prouisionem, an obstet in terminis allegationis Lapi.*
2 *Titulus inualidus si reperiatur, an tamen sit praesumendus alius validus in materia allegationis Lapi.*
3 *Allegatio Lapi, an procedat etiam contra regressum.*
4 *Prorogatio regula de triennali, an operetur vt allegatio Lapi, locum non habeat.*
Allegatio Lapi in quo sit fundata.

DECISIO CLXXIV.

PEr obitum Cardinalis Brundusini, vacauit in Curia praepositura mensis Decembris Ecclesiae Valentinae, ad quam praepositurum habebat regressum Archiepiscopus Brundusinus. tamen eo non obstante, intrusit se in partibus in dicta praepositura, quidam Manfredus Seriua, & eam possedit pacifice vltra triennium, per obitum dicti Mānfredi in partibus defuncti, impetrauit eam Guilermus Guimera, contra quem dabatur de regressu Archiepiscopi. At Guilermus allegabat decis. Lapi pro se. Et Domini, die 5. Nouembris 1548. in vna Valentina praepositurae mensis Decembris, coram D. Antonio Augustino, causa posita inclinarunt, quod allegatio Lapi suffragaretur dicto Guilermo Guimera, etiam quod beneficium vacasset in Curia. dicentes, quod allegatio Lapi, habebat locum etiam in beneficio vacanti in Curia. per decis. Cassad. 4. de cau. poss.
1 & propriet. Nec obstabat † diligentia facta in regestro, de reperiendo prouisionem Manfredi, & non fuisset inuenta, & tamen de tali beneficio solus Papa prouidere poterat. quia dato, quod aliquis titulus fuisset reper
2 tus etiam † inualidus, tamen ius semper praesumit validum. & ideo talis diligentia

3 non proderar, & dicta allegatio † procedit
etiam contra regressum, vt per Cassad. de-
cis.5. de cau.possess. & propriet. tamē quia
in casu isto Archiepiscopus Brundusinus,du
rante triennio impetrauerat prorogationē
regulæ de triennali ad annum, & durante
dicta prorogatione Manfredus de-
cesserat; * Domini inclinabant ex
isto capite, contra Guilermum di-
centes quod allegatio Lapi non suf-
1 fragaretur, ex quo dicta † allegatio
est fundata in negligentia illius. qui
poterat petere. at in isto casu, appa-
rebat quod iste non erat negligens
petendo tempus triennij sibi proro-
gari. nec obstabat quod ista esset,
quædam declaratio extraiudicialis,
quæ suffragari non debebat sicut &
quæcūque extraiudicialis protesta-
tio. Quia fuit responsum, quod hic
non solum eramus in declaratione
extraiudiciali, sed etiam Archiepi-
scopus procurauerat remouere illud
impedimentum à regula proueniens
maxime cum in dicta prorogatione
diceretur, & ob non euocationem
in triennio, minime à iure suo cadat
si ergo non debet cadere sequitur,
quod allegatio Lapi, ei nō obstabit.
maxime quod posset fieri fraus dictæ proro
gationi. quia postquam quis triennio pos-
sedisset, posset resignare. & si resignatarius
iuuaretur regula de triennali, defraudare-
tur ille qui prorogationem obtinuisset.

* Prorogatio regulæ de triennali operata, vt allegatio Lapi locū non habuerit. Die 14. Nouembris 1548. in ista causa iterum dedit dubium D. Antonius Augustinus. An stante prorogatione sit locus allegationi Lapi, & fuit idem decisum. videlicet quod non esset locus, quia allegatio Lapi à negligentia procedit, quæ negligentia stante prorogatione dari nō potest.

S V M M A R I V M.

Sicut resignatarius potest spoliare resignan
tem, & non datur restitutio, ita & sub-
rogatus in locum resignatarij.

D E C I S I O C L X X V.

FRanciscus de Pesquera * resignauerat
præstimonia in manibus Papę, in fauo-
rem Francisci de Hugonibus. & in prouisio
ne, Franciscus obtinuit se subrogari in ius
& possessionem Francisci de Pesquera. dein-
de Gaspar de Auellaneda, post obitum Fran
cisci de Hugonibus, similiter gratiose obti-
nuit se subrogari in ius & possessionē eius-
dem Francisci. Fuit resolutum die 5. Nouē-
bris 1548. in vna præstimoniorum, coram
D. Fabio, quod licet supra conclusum fuerit,
quod resignans, si spolietur à tertio, possit 1
petere se restitui; tamen isto casu aduersus
Gasparem qui eum spoliauerat, restitutio-
nem petere non poterat, cum Gaspar non
posset dici simpliciter tertius. nam sicut
Franciscus de Hugonibus, spoliando Franci
scum Pesquera, non tenebatur restituere,
ita nec Gaspar, in ius & possessionem Fran-
cisci subrogatus, vt eodem iure vtatur sub-
rogatus, quo & principalis. Nā sicut Fran-
ciscus Pesquera, resignando in fauorem Frā-
cisci de Hugonibus, dicitur amittere & ius
& possessionem, ita & videtur amittere fa-
uore eius, qui in locum Francisci & ius &
possessionem fuit subrogatus. & satis est,
quod Pesquera, contra tertium spolio pos-
sit agere. sed iste subrogatus nō est tertius,
cum sit subrogatus in ius & possessionem
per eum dimissos. & ratione subrogationis
videtur Franciscus Pesquera, in fauorem
subrogati ficte resignasse. nam tertius ideo
non potest spoliare, quia Pesquera non in
eius fauorem, sed in fauorem Francisci resi
gnauerat. & si resignatio est bona, ius re-
manet in persona resignatarij, si non est bo-
na remanet in persona resignantis, & ideo
tertius nullo modo potest spoliare, cum ni-
hil in eius fauorem sit actum. At isto casu, si
resignatio est bona, ius erat quæsitum Fran-
cisco de Hugonibus, & per subrogationem
Gaspari. sicut ergo propter talem euentum
validitatis, Franciscus potuisset spoliare &
non daretur contra eum restitutio; ita &
Gaspar. Non obstat, quod in beneficiali-
bus non detur successio. quia istud non com
petit ratione successionis, sed ratione sub-
rogationis.

* Vide sup. decis. 157. hoc lib. 3.

S V M M A R I V M.

Consuetudo Archipresbyteratus, & non
Archiepiscopatus in modo decimandi
isto casu fuit considerata.

1 *In solutione decimarum primo attenditur ius commune, de inde consuetudo aliorum locorum. An attendatur consuetudo loci dominantis. num.2.*
3 *Decimæ, de consuetudine debentur Ecclesiæ prædiali.*
4 *Consuetudo præiudicialis, etiam quod sit præter ius, an sit extendenda ad alium locum.*
5 *Legem, vel consuetudinem, vbi non habemus, an sit deueniendum ad simile legis, vel consuetudinis. & num.6.*
Simile consuetudinis, vincit simile legis.
7 *Consuetudo vigens in loco, vincit legem.*

D.E C I.S I O C L X X V I.

1 DVbitauit D. Rossanensis, in vna Tole-
tana decimarū de Gosquez, & Oluen-
da, die 7. Nouembris 1548. posito, quod
probetur consuetudo magis generalis in Ar
chipresbyteratu de Madrid, quod decimæ
soluantur pro medietate, & in aliquibus lo
cis, etiam de nouualibus. & in Gosquez, &
Oluen-

Oluēde nulla sit consuetudo de decimis fructuum terræ, quamuis de agnis,& alijs animalibus, sit consuetudo, quod decimæ soluantur integraliter Ecclesiæ parochiali,vbi domini pecorum percipiunt sacramenta,& sic soluebant parochiani de Valdemoro quando in dictis nouali bus alebant pecora. An decima de nouali b. in Gosquez,& Oluen de debeant solui secundum consuetudinem supradictam in Archipresbyteratu probatam,videlicet pro medietate, vel secundum ius commune & generalissimam consuetudinem totius diœcesis Toletanę. Et casus erat quod parochiani parochialis de Valdemoro colebant in parochia de Gosquez & Oluende, quæ erat annexa parochiali S. Martini & Rector de Valdemoro volebat pro medietate decimas fructuum prouenientium ex dictis terris existentibus in Gosquez, & Oluēde. Pro parte negatiua, quod decimæ non deberentur pro medietate.primo dicebatur, quod ex quo in Gosquez & Oluende nulla erat consuetudo,quod primo debebat attē-
1 di ius commune, † deinde consuetudo aliorum locorum. secundum dictum Vincentij, quod refert & sequitur Abb. in cap. cum olim. in 3.col. de consuetud. secundo quod cum consuetudo Archipresbyteratus de Madrid,esset consuetudo membri particularis, non illa, sed Archiepiscopatus, tamquam
2 loci dominantis,† esset attendenda.per not. in l.si conuenerit. §. si nuda. & ibi Alexan. in addit.ad Bart. ff.de pig.act.Tertio,quod ista consuetudo erat præiudicialis Ecclesiæ parochiali prædiali. nam,vt dicit Glos.quā ibi sequuntur communiter Doct.in cap.cum sint homines.de decim. seclusa consuetudi-
3 ne,† decimæ debentur Ecclesiæ prædiali. vnde cum ista ratione consuetudo dicatur esse præiudicialis,etiam quod sit præter ius,non
4 est † extendenda ad alium locum, vt per Felin. in c. audītis. de præscript. & Rochum in c.fin. de consuet. Tamen illis non obstantibus per omnes fuit conclusum, quod attēderetur consuetudo Archipresbyteratus de Madrid. Et est præsupponendum, quod in isto casu non habemus legem casum determinantem.nam licet Glos.& Doct. in d.c.cum sint homines. istud determinent,tamen non dicitur cautum iure communi.& ideo Abb. in d.c.cum sint homines, & in c. ad Apostolicæ. dicūt, quod consuetudo nun est contra ius, sed præter ius. Item est præsupponendum,quod hic sumus in materia consuetudinaria.& cum in loco de Gosquez,non habeamus consuetudinem,& sic non habeamus in
5 isto casu, † nec legem nec consuetudinem, ideo deueniendum est ad simile legis & consuetudinis.& simile consuetudinis,vincit simile legis.secundum Ias. in l.de quibus.col. 7.in princ. vers.aggredior secundū.&c. de legib.& cum Archiepiscopatus sit diuisus in plures Archipresbyteratus,& quo ad decimationem,Archipresbyteratus habeat cōtrariam consuetudinem Archiepiscopatus, vt paret in puncto dato, si simile consuetudinis est attendendum, erit attendendum simile consuetudinis,de quo in Archipresbyteratu. per text.in cap.ad Apostolicæ. de decim. vbi Papa,scribens ad Archiepiscopum Strigoniensem, vult quod attendatur simile
6 consuetudinis, † existentis vel in prouincia Vngariæ, vel in diœcesi, in quibus sita sunt prædia, vel habitantes. quia illa verba, seu illa dictio. ibidem. in fine.text.posita, non potest referri,nisi ad Vngariam, vel diœcesim. hic autem non potest referri ad consuetudinem generalem Archiepiscopatus, ex quo diuiditur per Archipresbyteratum; & Archipresbyteratus habet consuetudines cōtrarius. & ideo cum text. in cap. cum sint homines. dicat,quod recurritur ad consuetudinem. ille textus intelligendus est secundum text. in cap.ad Apostolicæ.vt attendatur consuetudo prouinciæ,seu diœcesis. Nam si intelligeretur de consuetudine speciali ipsius loci,tunc nullum habetet textus dubiū.
7 cum semper consuetudo † in loco vincat legem. Et tanto magis ista opinio placuit Dominis,cum inter istas duas parochias,videlicet de Valdemoro,& S.Martini,inter quas agebatur,esset talis consuetudo, vt pro medierate fieret decimatio. Non obstant contraria; dum primo dicebatur,quod ius commune est attendendum, quando in loco non est cōsuetudo.quia in isto casu,in loco,idest in Archipresbyteratu, erat consuetudo, & istud sufficiebat,vt supra. Nec est verū, quod ista consuetudo in terminis cap. cum sint homines.sit præiudicialis.

SVMMARIVM.

Priuilegium, seu bulla Innocentij, quod magister possit conferre beneficia vacantia in Curia, per cessum vel decessum non comprehendit beneficia vacantia per resignationem, in fauorem certæ personæ.

DECISIO CLXXVII.

Die 14. Nouembris 1548. in causa Cæsaraugustana præceptoriæ de Villel, in qua dedi dubiū. An priuilegium Innocentij comprehendat vacationem per resignationem in manibus Papæ.Et Domini, attendentes mentem dubij, & quia informantes informabant super resignatione facta in manibus Papæ in fauorem certæ personæ, ex quo ibidem tractabatur de resignatione facta per Ioannem de Aragonia in fauorem Hieronymi de la Cauallaria,

dixe-

dixerunt, quod licet priuilegium Innocentij habeat illa verba, vt Magister possit prouidere de vacanti in Curia per cessum, vel decessum. tamen non comprehendebat resignationem factam in Curia in fauorem certæ personæ. quia aut Magister volebat prouidere in fauorem Hieronymi, in fauorem cuius Ioannes resignabat, & istud Hieronymus de la Cauallaria admittebat. sed quia Magister, non Hieronymo sed Ludouico prouiderat; dicebatur quod talis prouisio non valebat. quia ex quo non prouidebat in fauorem illius, in cuius fauorem resignabatur, non dabatur vacatio beneficij. & Papa etiam in fauorem alterius quã eius in cuius fauorem resignatur, prouidere non potest. & ideo ista ratione fuit dictum, quod priuilegium Innocentij, non comprehenderet resignationem factam in fauorem certæ personæ.

SVMMARIVM.

Bonam fidem agnoscere, quando & quomodo quis possit, dato quod non sit tractus in iudicium.

DECISIO CLXXVIII.

Episcopus Salamantinus, & eius Capitulum, conuenerant, & auctoritate Apostolica conuentio fuerat confirmata, vt de canonicatibus, alternis vicibus prouideret. modo de anno 1538. Episcopus in suo turno existens, contulit canonicatum & præbendam cuidam Ioanni de Olasso. qui prouisus, per Franciscum de Azza à Capitulo de eodem canonicatu prouisum, fuerat spoliatus. quare Ioannes de Olasso commisit causam contra Franciscum. & pendente eau sa super spolio inter dictum Ioannem de Olasso & Franciscum de Azza, Ioannes de Olasso, habens notitiam quod Datarius habebat gratiam reseruationis, cum decreto, & alijs clausulis fortissimis, quæ gratia ius ipsius, videlicet prouisionis Episcopi, absorbebat, concordauit se cum Datario. & Datarius, ius suum in fauorem Ioannis cessit, reseruata pensione centum ducatorũ. & facta cessione, Ioannes ius Datarij contra Franciscum in ius deduxit, & obtinuit illud canonizari per tres sententias. & litteras executoriales habuit. & tandem consequutus fuit possessionem. Dubitaui ego, die 14. Octobris 1548. in vna Salamantina canonicatus & præbendæ, inter Antoniũ de Olarte ex vna, & Antonium de Vega ex alia, an Ioannes de Olasso, non tractus in iudicium per Datarium, potuerit sponte bonã fidem agnoscere. Pro parte negatiua quod non, allegabatur Bart. in l. emptorem. in princ. ff. de act. empt. vbi vult, quod requiratur libellus, & sententia. ad idem, text. in l. at qui natura. §. cum me absente. & quod ibi dicit Paul. de Cast. ff. de neg. gest. dum text. dicit quod debet aliquem summittere. &c. Istis tamen & alijs, de quibus in informatione, nõ obstantibus, fuit contrarium cõclusum, quod quis possit bonam fidem agnoscere, vt fecerat hic Ioannes de Olasso, videns quod gratia Datarij absorbebat collationem Episcopi sibi factam. sed quod grauabatur in hoc, quod tenebatur ostendere, quod gratia Datarij, per decretum & alias clausulas inficiebat collationem Episcopi. Et ad hoc fuit allegatus Io. de Imol. in cap. fin. colum. fin. de empt. & vendit. & ibi Ant. de Butr. colum. 3. Alex. in l. non solum. §. morte. col. penult. num. 46. ff. de non. oper. nunc. Et ad dicta per Bart. in d. l. emptorem. & tex. in l. atqui natura. §. cum me absente. & ibi Paul. fuit dictum, quod procedunt illa, quãdo quis vult agere de euictione, vel non vult grauari onere docendi de notorio iure. Et quod potuerit agnoscere bonam fidem fuit allegatus. tex. in l. si rem. quam. in princ. cum glos. ff. de euict.

SVMMARIVM.

In eadem Salamantina, quod turnus Episcopi non fuerit consumptus.

1 *Collator quando impeditur in suo turno, an habeat sequentem.*
Impedimentum non præstat, quod de iure non sortitur effectum.

2 *Gratiam an consumat electio, seu acceptatio nulla.*

DECISIO CLXXIX.

In eadem Salamantina, dubitaui die 19. Nouembris 1548. præsupposita prouisione Episcopi in fauorem Ioannis, in suo mense & turno. & quod Ioannes se concordauit cum Datario, & remansit in possessione canonicatus. An Episcopi turnus sit consumptus. Et omnes Domini dixerunt, quod præsupposita resolutione, de qua in præcedenti decisione, quod Ioãnes potuerit agnoscere bonam fidem. & quod ius Datarij foret notorium, quod non inducebatur † con-
1 sumptio turni. per decis. 190. * in antiquis; Nam non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectũ. & sic vt electio nul-
2 la, & acceptatio † nulla, non consumit, vt in informationibus, ita ista prouisio. Non obstat, quod Ioannes remanserit in possessione, quia remansit ex iure Datarij. & licet Datarius cesserit ius suum per centum, illud fecit, quia nolebat residere, lites fugere, & de suo facere quod volebat.

* Alias 11. de præben.

SVM-

SVMMARIVM.

In causa Cæsaraugustana. An Ludouicus habuerit titulum coloratum pro restitutione.

1 *Beneficia regularia, an cadant sub reseruatione, de qua in cap. 2. de preben. in 6. An præceptoria S. Ioannis Hierosolymitani. Quæ beneficia cadant sub dicta reseruatione, & nu. 2.*
2 *Beneficia regularia, an sint reseruata per extrauagantem.ad regimen.*
3 *An quælibet regula reseruatoria, habeat tale decretum irritans, quod inficiat titulum & possessionem.*
5 *Reseruatio, quando impediat restitutionẽ. Reseruatio, quæ discoloret titulum.*
6 *Affectio, quando inducatur per appositionem manus Papæ. & nu. 7.*

DECISIO CLXXX.

IN causa Cæseraugustana præceptoriæ de Villel, dubitaui die 19. Nouembris 1548. præsupposita resolutione, quod in Bulla Innocentij, non comprehendatur vacatio per resignationem in fauorem certæ personæ. An Ludouicus, ex prouisionibus de quibus in actis, habeat titulum coloratũ pro restitutione. Domini in illa audientia inclinauerunt pro titulo colorato,
1 dicentes, quod beneficia regularia † non cadunt sub reseruatione, de qua in c. 2. de præben. in 6.cum,secundum Archid. ibi, il-
2 la beneficia veniant † in reseruatione illius cap. quæ deuoluuntur ad superiorem,& regularia non deuoluuntur, & licet beneficia
3 regularia, † sint reseruata per extrauagantem. ad regimen. dicta extrauagans est temporalis. Et licet sit innouata,& quæli-
4 bet regula reseruatoria † habeat decretum irritans. secundum Cassador. decis. 1. de rest. spol. Tamen Domini dixerunt, quod solum decretum irritans, positum in reseruatione clausa in corpore iuris, vel super certo beneficio,est illud quod inficit titulũ & possessionem. cum autem in casu nostro non sit super certo corpore, nec sit reseruatio in corpore iuris clausa, ergo non pote-
5 rat † impedire restitutionem.& non discolorabat titulum. ex quo titulus erat habitus ab illo qui erat Ordinarius. vt per Cassad. decis. 7. super reg. Cancellariæ.
6 Ad illud etiam,quod Papa † manus apposuisset, & sic inducebatur affectio, itavt nullus potuisset prouidere, dicebatur quod illud respiciebat petitorium. & ex quo inferior erat Ordinarius, quod illa affectio
7 titulum † illius non discolorabat per dictã decis. 7. Et dixerunt Domini, quod si Don. Franciscus volebat punctum super ista affectione,ei daretur.

SVMMARIVM.

In causa Eugubina. Confirmatio Episcopi, in qua contulit. siue præmisso, siue alio quouis modo.valida.

1 *Patientia & non contradictio, prætendentium habere collationem, quando habeat vim collationis.*
2 *Collatio facta spreto patrono, est valida si patronus infra tempus non contradicat.*
3 *Præsentatio facta à patrono Ecclesiastico, an habeat vim electionis.*

DECISIO CLXXXI.

VIgesima sexta Nouembris 1548. in causa Eugubina præpositura, proposui dubium, videlicet. An collatio,& prouisio Vicarij sit canonizanda. Et fuit dictũ, & resolutum, quod licet electio esset facta per priuationem, & sententia cõtra Iulium esset facta per priuationem, & cum esset lata contra mortuum, & mortuus non potuerit priuari,per consequens non valeret. Tamen, quia confirmatio dictæ electionis facta per Vicarium confirmabat, & vltra Vicarius prouidebat Ludouico de dicta præpositura, siue præmisso siue alio quouis modo vacaret, quod siue beneficium esset electiuum, siue collatiuum, ex quo Canonici infra sex Menses non elegerant, si electio ad eos pertinebat, siue infra dictos sex Menses, si collatio erat communis Capituli & Episcopi.iuxta decis. 22.de præben.per Cassad.quod tali casu,patientia & non con-
1 tradictio † Canonicorum, haberetur pro consensu. De primo videlicet, quod si non eligunt infra tempus, quod videantur consentire, ponit Abb. in c. quod sicut, in 7. notab. vers. alias autem tacentes, de elect. de secundo videlicet, de collatione notatur in c. ea noscitur. de his quæ fit à Prælat. & in c. continebatur.eod. tit. & sicut di-
2 cimus in collatione † facta spreto patrono, quæ valida est, patrono infra tempus non contradicente.ad not. per Felin. in c.cum Bertoldus, col. 4. de iudic. & tamen
3 præsentatio † facta à patrono Ecclesiastico,habet vim electionis.

*

SVM-

SVMMARIVM.

Possessio canonicatus, quo casu litigiosa.

1 *Commissio conditionalis, ante verificationem conditionis, an tribuat iurisdictionem.*
Conditio tacita qua inest, an faciat conditionem.
2 *Litem, an faciat iuris prætensio.*

DECISIO CLXXXII.

DVbitaui in vna Legionensi, canonicatus & præbendæ, die 26. Nouembris 1548. stante signatura commissionis, videlicet. placet de legitima exequutione. An possessio canonicatus fuerit litigiosa, & quia in corpore cōmissionis dicebatur. oratoremque, si exequutoriales in sui auctoris fauorem exequendæ veniāt, in possessionem canonicatus immittat. videbatur quod talis commissio esset conditionalis. & ideo nō verificata conditione. si exequutoriales essent exequendæ, quæ tamen exequi non poterant super possessione, cum essent exequutoriales decretæ super sententia absolutoria, ideo commissio conditionalis, ante verificationem conditionis non tribuebat
1 † iurisdictionem. Sed ad istud fuit responsum, quod ista conditio, tacite inerat. & ideo non faciebat conditionem. l. 3. de condit. & demonstr. Item, ista conditio respiciebat exequutionem, non autem cognitionem. nam si exequutoriales debebant exequi vel non, in hoc nulla posita erat conditio. licet facta cognitione si non erant exequendæ, exequutio fieri non debebat. Et ideo dixerunt Domini, quod cum præ-
2 tensio iuris † faciat litem. iuxta not. per Franc. in c. 1. circa fin. vt lit. pend. in 6. licet re vera exequutio super possessione, vigore exequutorialium, fieri non posset, sufficit quod Hieronymus prætenderet, vigore illarum fieri posse. & ideo possessio canonicatus interim esset litigiosa.

SVMMARIVM.

Canonici de nouo creati, quod habeant stallum in choro, & locum in Capitulo, an sit præiudicium considerabile.

1 *Clausula, sine præiudicio, an debeat intelligi præterquam in expressis.*
2 *Canonici creati supernumerarij, an habeant vocem in capitulo, & locum in choro.*

DECISIO CLXXXIII.

IN causa Placentina canonicatuum nouiter erectorum, die 26. Nouembris 1548. proposui dubium. An sit præiudiciū considerabile antequam sit locus applicationi fructuum, quod creati per nouam Adriani erectionem habeant stallum in choro, & vocem in Capitulo. Et fuit resolutum, quod quo ad stallum in choro, ex quo istud respiciebat diuinum cultū, quod indistincte stallum in choro poterat dari. sed quo ad vocem in Capitulo, non daretur in concernentibus administrationem bonorum, vel aliquod commodum bursale, nec etiam in electionibus, sed quod daretur in concernentibus statum Ecclesiæ super cultu diuino. Et quod non esset præiudicium in istis considerabile, fuit allegatus Innoc. in c. mandatum. col. 2. num. 6. de rescript. & idem Innoc. in c. fin. col. 2. vers. & est ratio. &c. de cler. non residen. & ibi Ioan. And. Card. & Pet. de Anchar. Ant. de But. & Imol. ibidem in 7. col. num. 16. & ideo illa verba. sine præiudicio. in fine supplicationis, non possunt referri ad supradicta. cū secundum Innoc. nullum sit præiudicium.
1 Præterea illa † verba. sine præiudicio præsentium. debent intelligi, præterquam in expressis. Et cum in supplicatione fuerit petitum stallum in choro & locus in Capitulo & in fine reformationis dicatur. & sine præiudicio. illa verba, possunt intelligi, præterquam in expressis. Sed melior est illa responsio ex mēte Innocentij vt supra quod non dicatur præiudicium considerabile. intelligendo vt supra. Non obstat, quod ca-
2 nonici creati † ex consuetudine, non habeant vocem, & locum in choro. quia fuit responsum, quod isti canonici habebant firmius ius, cum essent creati numerarij, & perpetui, & ex tunc omnia habebāt. & solam fructuum perceptionem expectabant, vt ex supplicatione apparebat. alii vero canonici, erant supernumerarii. & adueniente præbenda, eorum canonicatus expirabat, & alius quærebatur de nouo.

SVMMARIVM.

Vacatio canonicatus, quo casu nō computata Episcopo, nec Capitulo.

1 *Sede vacante, capitulum an conferat iure proprio, ita vt non consumatur turnus, quem habet vna cum Episcopo.*

DECISIO CLXXXIV.

IN causa Salamantina * canonicatus die 28. Nouembris 1548. proposui dubium

* Idem dubiū fuit propositū

3. Decēb. 1548. & idem fuit resolutū.

bium. An prouisio facta per Capitulum sede Episcopali vacante, de anno 1529. computetur Episcopo vel Capitulo. & posito quod computetur Episcopo, an consumpserit tur num, vt præsens prouisio de anno 1538. spectet ad Capitulum. Et fuit resolutum, quod istud dubium, resoluebatur per septimum capitulum in concordia positum. ex cuius verbis apparebat, quod neutri eorum imputaretur. videlicet, nec Episcopo nec Capitulo. sed quod Capitulum, sede vacante. per text. in cap. 1. in princ. ne sede va-
1 cante. in 6. per mortem † Episcopi conferret iure proprio. & ideo cum, Capitulum de anno 1526. in suo turno contulisset, & postea de anno 1529. iure proprio, sede vacante contulisset, quod sequens turnus de anno 1538. esset Episcopi. quia per sextum & septimum capitulum, per mortem Episcopi, modus alternandi non alterabatur.

SVMMARIVM.

Acta facta per Petrum Paulum, quo casu præiudicauerint Bernardino.

DECISIO CLXXXV.

IN causa Romana, medietatis casalis de la Bottaccia, die 28. Nouembris 1548. Proposui dubium, an acta vltimo loco pro parte dominorum de Fabiis producta, præiudicent D. Bernardino de la Cithara. Fuit resolutum, quod ex quo Rota quasi fuerat resoluta, quod testes probarent consignationem animalium & feminum, tamen quia dicebant, quod consignatio erat facta agenti D. Camillæ in genere, ideo Rota desiderabat maiorem probationem. Et cum esset producta dicta confessio Petri Pauli de dicta consignatione animalium & feminum, fuit dictum, quod ista omnia erant sufficientia pro plena probatione, etiam quo ad Bernardinum. quia non est verisimile quod ille cōfessus fuisset, nisi dicta animalia habuisset.

SVMMARIVM.

Instrumentum ex archiuio monasterij extractum, quo casu iudicatum non esse in forma probanti.

1 *Iura extracta ex archiuio, quo casu non sumant robur ab archiuio.*
2 *Antiquum esse instrumentum, an ex sola data probetur.*
3 *Instrumentum quantumcunque antiquum, an probet si non constet de notariatu illius, qui dicitur rogatus.*

DECISIO CLXXXVI.

DIe 3. Decembris 1548. in causa Tarraconēsi parochialis del Codogno, proposui dubium. An instrumentum donationis ex archiuio Monasterij de Petris albis sit in forma probanti. Et Domini dixerunt quod non. quia archiuium erat priuatum, & non publicum. cum esset archiuium ipsius Monasterij, & eorum qui prætendunt habere in-
1 teresse in causa. & ideo iura in eo † recondita, ex solo archiuio auctoritatem habere non debent. Non obstat, quod notarius qui transumptauit, dicat extraxisse ab originali, & propter antiquitatem, cum esset data instrumenti de anno 1330. non erat neces-
2 saria recognitio. quia † quod instrumentū esset antiquū, non probabatur ex sola data. cum potuisset fieri de nouo, sub illa data. & ex quo, nec per testes nec per alia instru-
3 menta non constabat de notariatu † illius qui dicebatur rogatus. nec illud instrumentum erat repertum in archiuio publico, ita vt propter auctoritatem archiuij, posset dari tali instrumento fides. ideo non erat credendum illi simplici instrumento. Ideo Domini voluerunt, vt aliquo modo darentur aliqua adminicula instrumento ad hoc vt faceret fidem. nec testes in partibus super recognitione adhibiti, aliquam fidem faciebant, quia potius iudicabant quam deponerent.

SVMMARIVM.

Cursori, referenti quod talis sequestrum acceptauit, creditur.

1 *Cursori dicenti, quod aliquem citauit, & quod ille respondit, se nolle venire, an credatur.*

DECISIO CLXXXVII.

IN vna Romana sequestri, coram D. Rossanensi, die 3. Decembris 1548. Fuit resolutum, quod esset credendum relationi cursoris dicentis, quod tali intimauit sequestrum, & quod ille responderat quod illud acceptabat. nam sicut creditur cursori
1 dicenti † quod aliquem citauit, & quod ille respondit, dixisse se nolle venire ex quo sumus in dependentijs & connexis. prout ita attestatur esse communem Præposit. in cap. cum parati. colum. penult. & ibi posui vnam additionem ad eum de appellation. & ibi Dec. col. fin. vbi dicit istam esse veriorē de iure, per rationes quas ibi ponit; ita dicendum est in casu isto, vt credatur cursori dicenti, quod ille cui sequestrum intimauerat, dixerat quod illud acceptabat.

SVM-

SVMMARIVM.

Filio, non nato ex damnato coitu, pater potest legare, etiam de iure ciuili.

1 *Filius natus ex coitu meretricio, an dicatur natus ex coitu damnato.*
2 *Filius natus ex coitu meretricio, an possit appellari naturalis.*
3 *Filio nato ex damnato coitu, relinqui non potest.*

DECISIO CLXXXVIII.

IN vna Romana legati, corã D. Antonio Augustinó, die 3. Decembris 1548. fuit resolutum, quod filio nato ex coitu meretricio, quem pater pro filio agnouerat, ex
1 quo non erat † natus ex coitu damnato. vt dicit Caccialupus in l. si qua illustris. credo nu. 14. C. ad Orfic. & de æquitate canoni-
2 ca potest appellari filius † naturalis. secundum Aymon. conf. 166. col. 3. quod tali filio, pater potuerat legare summã duorum millium scutorum, non stante sobole legitima. & istud etiam procedit de iure ciuili. Nam licet Aymon. in d. conf. dicat, quod tales, secundum æquitatem canonicam, vocentur naturales, tamen quia lex ciuilis vult, quod tantum natis ex damnato coitu
3 relinqui † non possit. per auth. ex cõplexu. C. de incest. nupt. ideo cum iste non esset talis, ergo de iure ciuili, ipsi relinqui poterat.

SVMMARIVM.

De iure, canonicatus, & dignitates in eadem Ecclesia, sunt incompatibiles.

DECISIO CLXXXIX.

IN vna Calciatensi, coram D. Fabio, die 5. Decembris 1548. fuit resolutum quod canonicatus & dignitates in eadem Ecclesia, essent incompatibiles. per not. in c. 1. de consuetud. in 6. vbi dicit Glos. & sequuntur Doct. quod ex dispẽsatione Papæ, vel consuetudine, retineri possunt.

SVMMARIVM.

Indulto Cardinalis S. Crucis Episcopi Eugubini, per quæ verba censeretur derogatum.

1 *Indulta Cardinali concessa, an capiant beneficia electiua.*
2 *Indulta, an amplient, vel solum praseruent iurisdictionem Ordinarij.*
3 *Conferendi ius habens, quãdo collationi factæ videatur consentire, ita vt sibi præiudicet, vt conferre non possit.*

DECISIO CXC.

IN causa Eugubina præpositure, dubitaui die 14. Decẽbris 1548. nunquid per supplicationẽ, vltimo loco productam pro parte Galassi fuerit derogatum indulto Cardinalis collatoris. & an dictum indultum capiat beneficia electiua. Quo ad primam partem, fuit resolutum quod derogaret. verba enim supplicationis derogantis indulto, & posita in corpore gratiæ si neutri in corpore, quæ gratia habebat etiam per viam simplicis prouisionis in clausulis, & in corpore in nõ obstantijs, dicebant ita verba. non obstantibus constitutionibus. &c. priuilegijs quoq; indultis, & litteris Apostolicis Ecclesię præfatę, illiusq; Prçsuli, etiam Cardinali, atque Capitulo & canonicis, ac quibusuis alijs personis sub quibusuis tenoribus. &c. latissime extendẽdis derogare placeat. Ex quo ergo verba dicebãt. indultis &c. Præsuli etiam Cardinali, & vnus fit Præsul Eugubinus Cardinalis, ergo indulto eius censebatur derogatum. Verum est, quod ex quo in indulto Cardinalis dicebatur, quod ex quo erant posita verba, quod indultum non posset reuocari sine eius consensu, dubitarunt aliqui ex Dominis, an propter talia verba, de quibus in supplicatione non fiebat mẽtio, censeretur indulto derogatum. quod penes me, & etiam aliquos ex alijs dominis, non erat dubium. ex quo dicebatur. sub quibusuis tenoribus. &c. latissime extendẽdis, propter quã clausulã dicebã, quod omnia poterant extendi. Ad secũdam partem fuit resolutum, * quod indultũ cape-
1 ret † beneficia electiua, propter verba. ad collationem, prouisionem. &c. & quamlibet aliam, similem vel dissimilem, dispositionẽ tuam, nam cum in beneficijs electiuis. Episcopus habeat confirmationem, ergo per illa verba, indultum capiebat beneficia electiua. Item erant alia verba, & ad illa consueuerint qui per electionem assumi. Non obstant quod indulta non amplient, sed tã-
2 tum præseruent iurisdictionẽ † Ordinarij. vt in terminis est decis. 3. Cassad. de priuil. quia fuit respõsum, quod decisio Cassad. loquitur in prçiudicium eligere habentium. nam in eorum præiudicium non capit. sed bene capit in præiudicium Apostolici vt erat in casu isto. in quo non tractabatur de præiudicio eligere habentium, ex quo nõ elegerant. & ideo non eligendo videban-
3 tur † consentire collationi factę per Vicarium vt per Abb. in c. quod sicut. in 7. not. de elect. Et ita Domini respondebant ad id quod dicit Ripa in 2. lib. responsorum, responsf.

* Indult. tum Card. capit beneficia electiua.

ſponſ. 34. videtur quod indultum, & eodem titulo reſponſ. 23. num. 1. & ante finem. de quibus meminit, & ſequitur Rebuff. in forma mandati Apoſtolici. pag. 159. in Gloſ. in verbo ſingulis.

SVMMARIVM.

In cauſa Cæſatauguſtana.

1 *Regula Pauli III. innouatoria extrauagantis. ad regimen. an habeat tale decretum, quod inficiat titulum & poſſeſſionem.*
2 *Reſeruatio de qua in cap. 2. de praben. in 6. an extendatur ad alias reſeruationes.*
3 *An omnis regula reſeruatoria, habeat decretum irritans.*
4 *Regula reſeruatoria, an poſſit produci poſt ſpolium, ad impediendam reſtitutionem.*

DECISIO CXCI.

DIe 17. * Decembris 1548. in cauſa Cæſarauguſtana præceptoriæ de Villel. Dubitaui. An regu-
1 la Pauli † innouatoria extrauagantis. ad regimen. habeat tale decretū, quod inficiat titulum & poſſeſſionē. Pro parte Hieronymi ponderabatur, quod hic erat reſeruatio & decretū, & ideo iſtis duobus concurrentibus, decretum regulæ inficiebat titulum, & poſſeſsionem. Secundo, quia caſus erat deciſus. per Caſſad. deciſ. 1. de reſtitut. ſpoliat. Tertio, fuit allegata deciſ. 489. alias 29. de præbend. in nou. vbi reſeruatio. cap. 2. de præb.
2 in 6. extenditur † ad alias. & ibi Rota extendit ad reſeruationem de qua in extrauaganti. execrabilis. Cōtra Hieronymum retorquebatur primum fundamentum, quia eo attento, regula reſeruatoria beneficiorum collectorum & ſubcollectorum, deberet inficere titulum & poſſeſsio
3 nem, cum omnis regula † reſeruatoria habeat decretum irritans. immo decretum, in fine iſtarum regularū reſeruatoriarum, referatur ad omnia præcedentia. & tamen iſtud eſt contra deciſ. 16. circa finem alias 3. de reſtit. ſpoliat. in nou. Secundo dicebatur, quod regula, ante productionem, non dicitur eſſe notoria, & ideo non debet ligare. Fuit dictum quod daretur dubium. An regula reſerua-
4 toria † hodie poſſet produci, poſt ſpolium pro parte Ludouici probatum, & an Hieronymus poſſet verificare gratiam ſuam. Et aliqui Domini, dicebant quod poſſet verificare. quia concernebat poſſeſſorium. nam ſi beneficium vacabat ex cauſa reſignationis, quæ eſſet valida ex quo erat facta in manibus Papæ intrabat tunc reſeruatio per regulam inducta. & ex quo iſta exceptio concernebat poſſeſſorium, ideo erat admittēda. & ideo dicebant Domini, quod ſi Hieronymus verificaret gratiam ſuam, & conſtaret de bono iure Hieronymi, itaut præceptoria non diceretur vacare per obitum Ioannis reſignantis, quod ex quo tunc conſtaret de non iure Ludouici, quod non eſſet danda ei reſtitutio.

* Iſta die, Domini inclinarunt pro maiori parte quod dicta regula haberet tale decretum. quod inficeret titulum & poſſeſſionē. per fundamenta adducta hic pro parte Hieronymi. Et quia volui videre iſtam materiā in iſtis vacantijs Natiuitatis, ideo viſa materia, mihi placet etiam iſta opinio. ſed non ita ſimpliciter in omni regula reſeruatoria, nec in omni reſeruatione, ſed tantum in ea, quæ licet requirat aliquā diſcuſſionem, tamē de facili poteſt ſciri, vel veriſimiliter ſcitur, & iſtud eſt quod dicit deciſ. 16. alias 3. de reſt. ſpoliat. in nouis. col. 2. verſ. quam quidē diſtinctionem. Et ideo dico, quod deciſio Caſſadori prima de reſtit. ſpol. eſt vera. nā licet in illo caſu requiratur probatio temporis, tamē, quia tempus & locus ſunt concomitantibus ipſam vacationem, ſtatim quod quis ſcit vacationem, veriſimiliter, vel de facili, ſcit & tempus, & locū Et idem dicerē in reſeruatione beneficij, reſultante per obitū perſonæ multū notæ vt Auditoris Rotæ, & Clerici Cameræ qui non ſolum Vrbi, ſed etiam Orbi ſunt noti, quod talis reſeruatio habeat decretum irritans inficiens titulum, & poſſeſſionem. Ad propoſitum applicando cum beneficia regularia, quæ vacant in Curia ſint per extrauagantē. ad regimen. reſeruata, quæ extrauagans per regulam eſt innouata, & ſic contineat Papalem reſeruationem & decretum, ergo debet inficere. Iſtam conſiderationē dixi in Rota 14. Ianuarij 1549. & placuit Dominis. Vide quæ dixi infra deciſ. 196.

SVMMARIVM.

Iudices dati in compulſorialibus, non debent eſſe in dignitate conſtituti.

1 *Compulſio pro extractione iurium, an poſſit committi clericis, & tabellionibus.*

DECISIO CXCII.

IVdices in compulſorialibus litteris dati, non debent eſſe in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti, nec in ipſis ſeruandum eſt cap. ſtatutum. de reſcript. in 6. quia ſunt dati iudices ſeu exequutores, ad compellendum. & tales non includuntur ſub diſpoſitione dicti cap. ſtatutum. Ita colliges ex his quæ dicit Staphil. in tract. de lit. grat. & iuſt. fol. 41. Hinc videmus, quod in litteris compulſorialibus, talis compulſio committi
1 tur † clericis, & tabellionibus. Ita dixi in Rota, die 19. Decembris 1548. & placuit Dominis.

SVMMARIVM.

Variare iſto caſu non licuit.

1 *Variare an poſſit qui ſemel elegit.*
2 *Penſio, quando reſeruatur motu proprio ſine conſenſu partium, an tunc æquiparetur vltimæ voluntati.*

DECISIO CXCIII.

IN vna Cordubensi, dimidiæ portionis, in qua verba reseruationis, ita se habebant. tibi, omnes & singulos fructus, per te vel alios propria auctoritate quoad vixeris petcipipiendos; loco annuæ pensionis, seu si malueris, loco illorum annuam pensionem, ab omni decima liberam, centum ducat. &c. Resernatarius, & ab illo qui consenserat, & ab alijs duobus successoribus, semper exegerat pensionem centum, postea mutata volũtate elegit percipere fructus propria auctoritate. Dubitauit D. Fabius die 11. Ianuarij 1549. An licuerit variare in vna Cordubensi dimidiæ portionis. Et eadem die sicut & alias iam bis, fuit resolutum quod non liceret, quia siue essent plures pensiones, siue vna, ex quo dabatur electio, accipiendo alteram partem alternatiue, siue fructus quo ad vixerit propria auctoritate, siue pensionem annuam centum ducatorũ quod ex quo
1 semel † elegerat, non poterat amplius variare. l. apud Aufidium. ff. de dot. prælegat. Et in eadem fuit dictum, quod quando pensio
2 reseruatur motu proprio † sine cõsensu partium, quod tunc pensio æquiparatur vltimæ voluntati: secundum Roman. cons. 348. secus quando de consensu partium, vt per Rom. cons. 369. colum. 2. Gig. in tractat. de pens. quæst. 58. num. 5. & quæst. 99. num. 16, Sarnen. in reg. de infir. resign. quæst. 16. num. 4. & de non tollen. ius quæsitum. q. 4. nu. 12.

SVMMARIVM.

Venditio iuramento puberum confirmatur.

1 *Iuramentum puberum an confirmet contractum.*

DECISIO CXCIV.

IN causa Romana medietatis casalis, dubitaui, die 11. Iannarij 1549. An Domini de Cithara possint impugnare contractũ venditionis, de quo agitur. stante præsertim eorum, tunc puberum, iuramento. & taciturnitate quindecim annorum subsequuta, & actis factis in capitulo vltimo productis. Et non discussis vltimis duobus, fuit ex primo, videlicet ex iuramento resolutum, quod dato, quod venditio esset nulla ex defectu solennitatum non seruatarum, tamen quod
1 iuramentum † puberum, confirmabat contractum. per text. in anth. sacramenta puberum. nec erat hactenus doctum quod ipsa venditio aliquam læsionem contineret. nam licet in solutione, quoad illos bis mille ducatos confessatos, esset læsio; illud respiciebat solutionem, & si venditio tenebat poterant Fabij compelli ad illos realiter soluendum.

SVMMARIVM.

In causa Malacitana.

DECISIO CXCV.

DVbitaui, die 11. * Ianuarij 1549. in causa Malacitana decimarum. An bulla Innocentij sit subreptitia, in qua de recuperatione Oppidi de Archidona propriis sumptibus Petri Gioron dicitur. Et Domini tennerunt quod non esset subreptitia. ex quo Episcopus Rodericus qui in partibus erat, qui veritatem rei sciebat non considerauit quod ipse solus sumptibus suis recuperauerit, sed quod ipse auctor & principalis fuerit, & tunc intrabant fundamenta, quæ pro parte Comitis fiebant.

* Iterum die 23 Ianuarij. 1549. Dubitaui. an bulla Innocentij sit verificata ex instrumento donationis Roderici Episcopi, & ex testibus vna cũ donatione Regis quo ad oppidũ de Archidona. Et fuit resolutũ, quod quia concessio Roderici dicit. exercitu suo, consanguineorum, & amicorum proprijs expensis, non tamen dicit, omnibus, quod sit attendendum quæ copiæ & impensæ fuerint maiores. an copiæ & impensæ Magistri, an vero aliorũ qui postea superuenerunt vt actus potentiori attribuatur. & ita si Episcopus probaret, quod copiæ & impensæ aliorum quã Petri maiores essent, quod tũc gratia esset subreptitia. secus si istud non probaret. ex quo pro parte Petri, erat probatum de certo numero militũ. numerus vero aliorũ erat incertus.

SVMMARIVM.

Reseruationis exceptio obstat agenti spolio.

1 *Reseruatio an inficiat nedum titulum, sed & possessionem.*
2 *Exceptio qualibet respiciens possessionem, an admittenda in quolibet interdicto, etiam recuperandæ.*
3 *Resignatio facta, non alias, aliter, nec alio modo, est conditionalis, quo casu, resignatione non existente valida; ius remanet pœnes resignantem.*

DECISIO CXCVI.

DIe 14. Iannarii 1549. dubitaui. An regula reseruatoria, hodie possit produci post spolium pro parte Ludouici probatũ, & Hieronymus possit gratiã suam, videlicet resignationis, verificare. & fuit tentũ per sex ex septem votantibus, & septimus dubitauit quod sic. Ratio decis. fuit, quia agenti spolio potest opponi exceptio reseruationis. & licet tunc non constet ex actis, potest probari, & admittendus est opponens ad probandum. Rot. decis. 7. & 475. & 275. ** in illis verbis. vel quando paratus est inconti-

** Secunda de rest. spol. 10 de cau. possess. & propriet. 11 de rest. spoliat.

continēti, quę declarat materiā in antiquis. Soc. in l. rem. quæ nobis. in 9. quæst. ff. de acquir. possess. Ripa in l. naturaliter. §. nihil commune. col. 13. num. 81. in 11. fallentia. ff. de acquir. possess. Ratio rationis est, quia
1 reseruatio † nedum inficit titulum, sed & possessionem, vt dicta decis. 16. * in nou. &
2 omnis exceptio respiciens possessionē † est admittenda, etiam in interdicto recuperandæ. secundum Soc. & Ripam vbi supra. Non obstat, quod istud est verum, nisi ista reseruatio, puta ista resignatio facta in Curia in fauorem Hieronymi, requireret extrinsecā probationem, puta quod Hieronymus esset in ætate duodecim annorum, & sic gratiam
3 verificare. cum resignatio † esset facta non alias aliter, nec alio modo, & sic conditionaliter, quo casu resignatione non existente valida, ius remanebat penes resignantē, & magister per obitum potuerat prouidere. & quando reseruatio requirit extrinsecam probationem, tunc decretum, & reseruatio non obstant. vt per dictam decis. 16. in fin. in * nou. dum loquitur de collectore, & sub collectore Domini responderunt recedentes à dicto Collectoris ibi. dicentes non esse, quia si reseruatio respicit non solum titulū, verū sed etiam possessionē, debet admitti talis exceptio, & verificatio venit accessoriæ & adminiculatiuæ ad probandū ipsam reseruationem, dum tamen incontinenti probetur, iuxta dictam decis. 275. * in antiquis. Et aduerte, quod licet Soc. & Ripa loquantur in speciali reseruatione, tamen rationes eorum concludunt in omni reseruatione, etiam quod requirat extrinsecam probationem. Et stante ista decisione vera, consideratio mea, quā feci supra decis. 191. hoc lib. 3. procederet etiam in omnibus reseruationibus insurgentibus ex vacatione per obitum omnium officialium, de quibus in extrauaganti. ad regimen. & sic an sit specialis, vel generalis reseruatio non refertet. Et aduerte, quod dictum Collectoris posset falsari. secundum distinctionem decis. 275. * in antiq. quia si incontinenti illa reseruatio resultans ex obitu Collectoris vel capellani, potest probari, tunc dictum Collectoris non erit verum. secus quando non incontinenti. & tunc erit verum dictum Collectoris.

* Alias 1. de rest. spoliat.

* Alias 3. de rest. spoliat.

* Alias 11. de rest. spoliat.

* Alias 11. de rest. spoliat.

SVMMARIVM.

Condemnatus in fructibus perceptis non tenetur de fructibus per alium perceptis.

1 *Sententiæ verba strictè intelligenda.*
2 *Possessor qui desijt dolo possidere, an dicatur vere possessor, & an veniat in dispositione loquente de possessore.*

DECISIO CXCVII.

IN causa Perusina pro Alphonso, contra Marthā, dubitaui die 14. Ianuarij 1549. An D. Alphōsus cōdēnatus in fructibus perceptis ab anno 1532. teneatur de fructibus per alium perceptis, ex bonis per eum in alium trāslatis post inhibitionem rotalem, & sic lite pendente. Et fuit resolutum quod
1 non. quia verba sententiæ sunt † strictè intelligenda, ad not. per Doct. in l. Iulianus verum debitorem. ff. de condict. indeb. & ideo Alphonsus condemnatus in fructibus perceptis, debet intelligi quod sit condemnatus in fructibus vere per eum perceptis, non autem per alium, quia tunc dicitur ficte percepisse. & ideo text. in c. pro possessore. de regul. iur. in 6. dicit, quod pro
2 possessore habetur, & sic ficte. Item ille † qui desijt dolo possidere, non dicitur vere possidere, sed ficte. & ideo non venit in dispositione loquente de possessore. Aret. post Bald. in rubrica de acquir. poss. in final. verbis, & licet Alphonsus, per dictum cap. pro possessore. potuisset condemnari in fructibus per alium perceptis; tamen fuit dictum, quod non fuerat condemnatus. & ideo non tenebatur ad fructus per alium perceptos.

SVMMARIVM.

In causa Fundana præceptoriæ S. Antonij Gratia, in qua non est facta mentio de intrusione, nec mala fructuum perceptione, nulla.

DECISIO CXCVIII.

DIe 18. Ianuarij 1549. in causa Fundana præceptoriæ S. Antonij. Dubitaui an ex nouiter productis cōstet de bona prouisione Episcopi. & nouiter producta erāt quædam noua prouisio, & gratia si neutri, cum derogatione priuilegiorum concessorū ordini S. Antonij, cum clausula, quorum tenores. latissime extendenda. Et fuit dictū, quod nec noua prouisio, nec gratia si neutri, essent bonæ gratiæ. quia Episcopus, in resignatione sibi facta per patruum suum, fuit ei cōmendata dicta præceptoria ad sex menses, itaut intra dictos sex menses teneretur habitum suscipere, & professionem emittere, itaut si infra dictos sex menses ista non fecerit lapsis sex mensibus præceptoria vacaret, & eam dimittere teneretur. & cum nō constaret de istis, & in gratia si neutri, & nouæ prouisionis Episcopus fateatur, post commendam sibi factam, possedisse per decem & nonem annos, sequitur quod post sex menses, non constito de professione & habitus susceptione, Episcopus dicatur intrusus,

trusus. Et cum in gratia si neutri, & nouæ prouisionis, non sit facta mentio, nec de intrusione, nec mala fructuum perceptione, sequitur quod vtraque gratia sit subreptitia Calder. cons. 13. an possidens. de rescrip. & cons. 11. an valeat impetratio. de præben. per Felin. in c. in nostra. colum. 6. num. 21. versic. an autem sit idem. & colum. 8. nu. 16. in secundo corollario. de rescrip. & late per eundem. in cap. postulasti. col. pen. & fin. de rescript. Cassad. decis. 6. de præben.

S V M M A R I V M.

Præfertur miles pauperi, & graduato in parochiali Ecclesia.

DECISIO CXCIX.

Die 18. Ianuarij 1549. dubitaui in vna Seguntina de Nouiales, quis sit præferendus, pauper & graduatus, an miles S. Petri. Et fuit resolutum quod miles. quia si graduatus volebat inniti regulæ prærogatiuarum, in qua, in prima cellula graduantur nobiles de illustri genere, in secunda graduati. &c. illa regula, in fine habet exceptionem. saluis prærogatiuis familiaribus antiquis concedendis, quibus per præsentem constitutionem derogare non intendimus. & cum milites sint descripti in rotulo descriptorum inter primum & vltimum, sequitur quod ista regula, graduato non possit suffragari, si iste volebat inniti regulæ in qua pauperes præferuntur quibusuis, quantumcunque prærogatiuatis, dicendo, gratiam suam esse expeditam in forma pauperum, per regulam, quod pauperes præferantur omnibus. &c. Et fuit dictum, quod ex quo hic agebatur de parochiali Ecclesia, quod erat casus exceptuatus à regula, & ita in beneficio simplici, & non curato loquitur Staphil. in tract. de lit. grat. & iust. fol. 117. & 118. Si iste graduatus volebat fundari in regula quæ habet, quod Doctores in parochialibus Ecclesijs præferantur omnino reliquis regula fuit intellecta, reliquis nõ priuilegiatis, nam illa regula non erat quemadmodum & alia de pauperibus. dum vult, quod pauperes præferantur quibusuis, quacunque prærogatiua suffultis. Et ex istis tribus, iste pauper & doctor per priuilegium, & primo Baccalaurus factus in Hispania, per militem fuit exclusus, ex quo milites sunt positi inter descriptos. bene fuit dictum, quod si fuisset actum de simplici beneficio, quod ipse tanquam pauper, & ratione suæ gratiæ in forma pauperum fuisset præferendus. per ea quæ dicit Staphil. in d. fol. 117. Cui ego addo, quod principalis causa concedendi expectatiuas, & istas gratias præuentiuas, fuit vt prouideretur pauperibus clericis, vt dicit regula reseruatoria octo mensiũ in prin. cum ergo pauper dederit causam in concessione huiusmodi gratiarum, non est verisimile, quod Papa per alium excludi voluerit.

S V M M A R I V M.

In causa Romana, legati & restitutionis in integrum.

1 *Restitutio non datur, vbi nulla considerari potest læsio.*

DECISIO CC.

In causa Romana, legati & restitutionis in integrum, die 23. Ianuarij 1549. dubitaui. An Peregrinæ competat restitutio aduersus tres conformes, stante absolutione à iuramento, & læsione, ad futuram successionem eius parentum. Fuit resolutum, quod nulla cõpeteret restitutio. quia ex quo ex legato ex mille ducentis, Peregrina habuerat sexcenta scuta, & de bonis patris habuerat quadringenta ante obitum patris & matris,
1 nulla † poterat considerari læsio. quia adhuc incertum erat quid pater, & mater in bonis relicturi erãt. ita vt dicta quatuorcentum data plusquam hæreditas eorum relinquenda valere possent.

S V M M A R I V M.

Fructus non intelliguntur deducta pensione, quando agitur de valore in impetrationibus exprimendo.

1 *Valor beneficij intelligitur deductis oneribus, de quibus oneribus intelligatur temporalibus, an perpetuis.*

Pensio imposita, beneficio onus temporale, an perpetuum reputetur.

DECISIO CCI.

In vna Panormitana beneficiorum, coram D. Peregrino, die 23. Ianuarij 1549. fuit resolutum, quod pensio non deduceretur de fructibus, vt quis veniat excusãdus à mala expressione valoris, iraut si beneficiũ valeret ducentũ, & viginti non esset excusandus ille, qui expressit in centum & viginti, licet probaret, quod super fructibus illorum beneficiorum esset reseruata pensio centum. per ea quæ dicit Beleneinus post Io. Andr. in tract. de charit. subsidio. quæst. 37. in fin. quicquid dixerit Gigas in tract. de pensionibus. quæst. 89. nam illa sunt intelligenda secundum Belencinum, & anctoritates quas allegat

9 allegat Gigas, quod fructus † intelliguntur deductis oneribus, omnes intelliguntur de oneribus perpetuis; non autem temporalibus. & pensio est onus temporale.

SVMMARIVM.

Iuramentum impuberis proximi pubertati, confirmat contractum venditionis. Et in materia indiuidua, in qua iurant pubes & impubes non proximus pubertati, iuramentum puberis non confirmat contractum.

DECISIO CCII.

Die Lunæ 28. Ianuarij 1549. in causa Romana casalis de la Bottaccia. Dubitaui. An iuramentum confirmet contractum venditionis, de quo agitur. Et quia venditio erat facta per Petrum Paulum, & Bernardinum de la Cithara, maiores quatuordecim annorum, & Iulium etiam fratrem maiorē duodecim, minorem quatuordecim annorum, dicebatur quod contractus venditionis, respectu Iulij, minoris quatuordecim, non confirmabatur iuramento, quia auth. sacramenta puberum. loquitur in iuramento puberis, & cum hic essemus in iuramento impuberis, contractus venditionis non confirmaretur illo iuramento. Tamen hoc non obstante, fuit decisum, quod secundum communem opinionem canonistarum, iuramentum impuberis proximi pubertati confirmaret talem contractum. prout istam attestatur cōmunem Ias. in dicta auth. sacramenta puberum. colum. 5. & ibi Iacobinus. col. 4. & Corn. ibidem. Corn. cons. 36. colum. 2. vol. 2. & idem Corn. cons. 187. colum. 4. vol. 3. & Corn. cons. 240. vol. 1. & hoc stante. non obstat illud quod dicit Curt. Iun. cons. 53. col. 2. dum vult, quod ex persona minoris, alij etiam puberes non teneātur stare iuramento. quia Curt. Iun. loquitur in materia iurisdictionis, & sic indiuidua. quo casu loquitur lex. si communem. ff. quēadmo. ser. amit. prout eam declarat Felin. in cap. 1. col. 5. de præscript. & in terminis firmat Corn. cons. 36. col. 2. vol. 2.

SVMMARIVM.

Comes Palatinus, an possit legitimare infantes ex generali potestate legitimandi ei tradita.

DECISIO CCIII.

IN vna Bononiensi fideicommissi, coram D. Reomano, fuit conclusum, die 28. Ianuarij 1549. quod in generali facultate data Comiti Palatino legitimādi, non censeretur data facultas legitimandi infantes. per text. & ibi Ang. in l. fin. ff. de his qui sunt sui, vel alien. iur. Præposit. in cap. per venerabilem. §. quod autem. col. 39. versic. non inconuenienter quæritur. qui fil. sint legit. Curt. senior cons. 65. col. 5. Paris. cons. 15. col. 5. vol. 2. Ias. in l. eam quam. col. 5. C. de fideicōmiss. Curt. Iun. cons. 32. col. 5. & seq. Istud tamen fuit intellectum, procedere quo ad reductionem infantis in patriam potestatem, quia istud non potest facere. secus autem est quo ad abstersionem maculæ. prout ita distinguit Alex. cons. 11. col. 4. vol. 7. Socin. in l. Gallus. §. forsitan. n. 6. ff. de lib. & posthum. Dec. cons. 167. num. 6. col. fin. versic. secundo allegatur. & cons. 316. col. 2. versic. secundo non obstat. & cons. 55. col. 4. in principio. Ias. cons. 156. col. 4. n. 3. & consil. 125. col. 5. vers. sed præmissis. vol. 4. Marian. Soc. Iun. cons. 97. n. 24. & seq. & cons. 154. nu. 7. & seq. vol. 2. Et ista declaratio fundatur optima ratione. quia abstersio maculæ, non potest esse nisi vtilis infanti. & ideo in ea videtur consentire, & pro consentiente habetur. in eo autem quod ex ista legitimatione reducatur in patriam potestatem, quia posset esse onerosū noluerunt leges illū habere pro cōsentiente, nisi sequeretur eius ratihabitio, prout erat in casu isto, in quo infans factus maior legitimationem ratam habuerat, & ideo fuit dictum, quod esset bona. per §. & generaliter. in auth. quib. modis natur. effic. legit. Item & secundo, fuit dictum, quod Comes non potest legitimare infantes ex generali facultate. nisi in ea dictum fuisset, quod posset quoscunque. & cæt. quo casu propter dictam dictionem, quoscunque, poterit etiam infantes legitimare, secundum Dec. in d. cons. 55. & cons. 367. colum. pen. in fin. & cons. 316. Paris. cons. 15. num. 35. vol. 2. Gozadin. cons. 6. num. 45. & Marian. Soc. Iun. in d. cons. 97.

SVMMARIVM.

In causa Romana casalis, fuit resolutum quod non constaret de falsa causa venditionis.

1 *Decreto iudicis causa cognita in contractu minorum interposito, quando standū sit.*
2 *Decreto iudicis stante, & interuentu proximiorum in contractu facto à minore, an præsumatur quod fuerit factus ex causa, & valida.*
3 *Venditio an possit fieri partim in pecunia partim quod in solutione dētur alia res.*
4 *Iuramentum minoris, an confirmet contractum ex falsa causa.*

5 *Iuramentum minoris, licet suppleat defectum solemnitatis an tamen suppleat defectum causæ.*
6 *Iuramentum minoris, an suppleat consensum.*

DECISIO CCIV.

IN causa Romana, casalis de la Bottaccia, die prima Februarij 1549. dubitaui. An constet de falsa causa venditionis, & posito quod sic. an iuramentum ex falsa causa interpositum confirmet contractum venditionis de quo agitur. Factum sic se habet. quod vẽditio erat facta per minores de medietate casalis. & in venditione asserebatur quod venditio fiebat ex causa æris alieni, & quia creditores vrgebant, & instabant, & non erant alia bona vnde fieret solutio, & ideo fuit vendita medietas dicti casalis, precio octo millium scutorum, in his solutionibus. videlicet, quod fuerunt soluta scuta mille. videlicet, tercentum septuaginta in pecunia numerata, & reliquum, vsque ad summam mille, in tot argentis. duo milla scuta fuerunt confessata. 2500. scuta soluta. in tot segetibus & animalibus, & ad 2500. scuta fuit data dilatio septem annorum. Ex istis solutionibus arguebatur pro parte illorum de la Cithara, quod talis venditio non esset facta pro soluendo ære alieno. quia non essent consignata animalia & segetes. nec confessio de receptis facta. nec dilatio septem annorum data. His non obstantibus, fuit pro parte contraria conclusum, ex quo iudicis decretum causa cognita
1 interpositum fuerat, † cui decreto standum erat. iuxta dictum Pauli de Castro in l. cum hi. §. si prætor. ff. de transact. item non solũ erat decretum interpositum, sed contractus erat factus per matrem tutricem illorum de la Cithara, & per Ludouicum de Pichis eorum auunculum qui etiam promiserat, quod dicti minores facti maiores contractum ra-
2 tum haberent. Vnde ex decreto † & interuentu istorum proximorum, præsumendum erat, quod venditio ex causa facta fuisset. & cum mille ducati in pecunia & argentis soluti fuissent, ex illis potuit creditorib.
3 satisfieri. Item, non est nouum, † quod venditio fiat partim pecunia, partim in solutio ne dentur aliæ res, item confessio de duobus millibus, potuit esse vera, licet Rota iudicauerit illam confessionem minoribus non nocere. Dilatio etiam potuit fieri sub spe, quod creditoribus in fine dilationis solueretur. Et sic fuit resolutum q̃ non constaret de falsa causa. tamen posito quod de falsa causa constaret, fuit resolutum ad secundam par-
4 tem dubij, * quod iuramentũ non † confirmasset contractum venditionis ex falsa causa per notat. per Dec. consi. 403. col. penult. versic. secundo ad iuramentum, vbi loquitur in proprijs terminis. & licet iuramentum
5 suppleat † solennitatis defectum, non tamen supplet defectum causæ. vt per Dec. in d. cõsil. Et ratio in promptu est. quia minor videtur ex illa causa motus, & si causa est falsa,
6 non adest consensus, & iuramentum † non supplet consensum. vt per Aymon. consi. 144. num. 16. & 17. Paul. de Castr. consil. 122. in nouis.

* Iuramentũ minoris non confirmat contractũ vẽditionis quãdo est interpositũ ex falsa causa.

SVMMARIVM.

Commendatarius, non agit spolio contra commendantem.

1 *Depositarius contra deponentem, an possit agere spolio, & quid contra tertium.*
2 *Commendatarius constitutus ab Episcopo, si infra sex menses habeat nouam prouisionem à Papa, an dicatur ex titulo Apostolico possidere, & possit agere spolio.*
3 *Possessionis causa, an statim dicatur mutata ex superuenientia tituli Apostolici.*

DECISIO CCV.

EPiscopus Turritanus, commendauerat canonicatum ad sex menses, & deinde ad beneplacitum. elapsis sex mensibus, Episcopus ingressus est possessionem. commendatarius agebat spolio contra eum in vna Placentina canonicatus & præbendæ, coram D. Peregrino 1549. Fuit resolutum, quod cõtra commendantẽ non posset agere. per decis. 1. * in antiq. & per ea quæ dicit Socin. in l. rem quæ nobis. ff. de acquir. possess. dum
1 vult quod depositarius, † contra deponentem non potest agere spolio, licet contra tertium possit, & commenda non sit nisi depositum. tamen si quia in casu isto, commen-
2 datarius † habuerat nouam prouisionem infra sex menses, & sic ex titulo Apostolico dicebatur possidere, fuit dictũ, quod ex isto capite posset agere spolio. cum superuenien-
3 te titulo † Apostolico, statim sibi foret mutata causa possessionis, & non diceretur amplius vt commendatarius possidere.

* Alias 1. de restit. spol.

SVMMARIVM.

In causa Salamantina, canonicatus & præbendæ, resolutum quod prouiso per Episcopum incumberet onus probandi, de quo mense obierit.

1 *Turno proprio non potuisse vti ob impedimentum, asserenti incumbit onus probandi.*
Impedimentum, cum est fundamentum intentionis alicuius debet illud probare.

DECI-

DECISIO CCVI.

Die 4. Febr. 1549. in causa Salamantina canonicatus & prebēdæ. Dubitaui. cui incūbat onus probandi, beneficiū vacasse de mense Apostolico, vel ordinario. Et fuit resolutū quod ex quo prouisus per Ordinariū videlicet Antonius de Vega, erat actor, & Michael del Faro erat reus & possessor, & non petebat nisi absolutoriam, quod incumberet onus probandi ipsi Antonio. Item & secundo, quia Antonius probabat vacationē de anno 1533. & probata vacatione ordinarius habebat conferre, & turnum suum
1 consumere; Si autem Ordinarius † dicit se impeditum, eum istud impedimentum sit fundamentum intentionis suæ, debebat illud probare.

SVMMARIVM.

In causa Augustensi iurisdictionis, Episcopus non censetur renunciasse iuri quæsito ex sententia arbitramentali.

1 *Renunciare an quis videatur iuri quod quis ignorat.*
Ignorantia an præsumantur in facto antiquo.
2 *Prælatus, iuri in fauorem Ecclesiæ acquisito renunciare non potest.*

DECISIO CCVII.

In causa Augustensi, iurisdictionis, dubitaui die 4. Februarij 1549. An, stante sententia arbitramentali de anno 1524. lata, quæ dat facultatem Episcopo Augustensi visitādi dūtaxat Ecclesiastica beneficia curata de membris prepositure montis Iouis in suæ diœcesi existentia, visitando modernus Episcopus, qui non habuit notitiam de dicta sententia, passim omnia beneficia, tam curata quam simplicia, dicatur contrauenisse dictæ sententiæ, adeo quod Ecclesiæ suæ præiudicasse censeatur, & non possit se dicta sententia iuuare. Et fuit resolutum quod sibi non præiudicasset. & quod dicta sententia sibi suffragaretur. tum quia iuri quod
1 quis ignorat, † non censetur renunciare. & & ignorantia præsumebatur ex quo eramus in facto antiquo. Non obstat quod ex quo ipse sententiam produxerat, præsumebatur quod scientiam de ea habuisset. quia fuit responsum, quod Episcopus quia habebat intentionem fundatam de iure cōmuni, passim omnia beneficia visitauit. sed postquam causa contra eum fuit commissa, & priuilegia exemptionis fuerunt producta, tunc fecit diligentiam de perquirendo, & dictā sententiam inuenit. tū & secūdo posito ꝙ Episcopus notitiam habuisset de dicta sententia, tamen quia per eam ius fuerat acquisi-
2 tum Ecclesiæ, iuri † in fauorem Ecclesiæ acquisito renunciare non potuit.

SVMMARIVM.

In causa Malacitana decimarum.

DECISIO CCVIII.

In causa Malacitana * decimarum, die 8. Februarij 1549. proposui dubium. An stantibus tribus testibus de visu, & aliis de communi auditu, sit verificata narratiua bullæ Innocentij, & quia in narratiua dictæ bullæ Innocentij referebat se ad instrumentum & concessionem Roderici, in qua dicebatur, quod Petrus Giron, cum exercitu suo, suorum propinquorum, & consanguineorum oppidum de Arehidona proprijs expensis recuperauerat, & hic tractabatur nedum de subreptione, sed etiam obreptione dictarum litterarum, voluerunt Domini quod satis narratiua prædicta, verificaretur ex dictis testibus. cum vnus diceret de tercētum equitibus, & alij duo de certo numero equitum. tamen omnes in hoc erant concordes, quod illi equites eum Ludouico Capitaneo, obsiderant oppidum. & sic obsessio facta fuit per dictos equites. item probabāt dicti testes, quod magnus Magister misisset postea gentes de Osuna. & postremo, quod ipse Magister cum gente venisset, & quod alios certiores fecisset vt venirent ad auxilium expugnationis. & sic, cum constaret de multitudine transmissa per magnum Magistrum, & cum ipse principalis fuisset in expugnatione cum alij testes de communi voce & fama deponerent, quod magnus Magister expugnasset, & quod ad auxilium venerunt Domini, & Ciuitates regales, quod nisi ex aduerso doceretur de maiori numero militum, quam esset numerus militum magni Magistri, quod gratia esset verificata.

* Vide supra decis. 195. hoc lib.

SVMMARIVM.

Decanus Capituli potuit agere possessorio recuperandæ pro rebus spectantibus ad Capitulum, quibus Capitulum erat spoliatum.

1 *Decanus Capituli an caput illius. & factum ab eo an possit dici factum à persona priuata.*
2 *Decanus Capituli, an respectu extraneorum à Capitulo, dicatur persona priuata. Et an dicatur habere iurisdictionem.*
3 *Decanus vt Prælatus in rebus communibus an fine*

an sine Capitulo agere possit.

4 *Decanus Capituli vt caput, an dicatur habere generalem administrationem in bonis communibus, & nu. 5.*

6 *Prælatus sine Capitulo, an agere possit in possessorio cuiuscunque rei, quantuncumque ardua.*

DECISIO CCIX.

Capitulum Lucense, cum alias esset in quasi possessione exercedi iurisdictionem in certis rebus, fuit spoliatum ab Episcopo dicta quasi possessione. & cum Decanus ipsius Ecclesię egisset spolio, & procuratorem constituisset, & sententiam, nomine suo, & Capituli restitutoriam obtinuisset, pro parte Episcopi fuit oppositum quod sententia esset nulla, ex defectu mandati ipsius Capituli. ex quo Capitulum in causa procuratorem non constituisset. ideo dubitauit Dominus Fabius die 8. Februarij 1549. An sententia Martini de Spinosa in fauorem Capituli, contra Petrum Ribera Episcopum Lucensem lata, obtenta per procuratorem constitutum à Decano Ecclesię Lucēsis, sit valida. Et fuit resolutum
1 quod sententia esset valida. quia † Decanus tamquam caput Capituli non erat persona priuata. prout dicit Felin. in c. ex parte Decani. col. 2. de rescript. Et istud est verum respectu Collegij cui præest. vt notat. per Abb. in c. cum ab Ecclesiarum. col. 2. de offic. ordio. ita quod licet Decanus, respectu extraneorum à Capitulo, dicatur
2 persona † priuata, prout intelligunt Doct. in d. c. ex parte decani. vt colligitur ex dictis Felini in d. 2. col. tamen respectu ipsius Collegij cui preest, dicitur habere iurisdictionem. & ita procedit quod dicit Bald. in l. 1. C. de ser. reipub. manum. allegatus per Felin. in d. c. ex parte decani. Et cum in casu isto, lis esset inter Capitulū & Episcopum, cuius Capituli caput erat Decanus, cum essemus in rebus communibus De-
3 cani & Capituli, Decanus † vt Prelatus in rebus communibus, sine Capitulo agere poterat. vt dicit Felin. in c. edoceri. col. 2. vers. solus Prelatus. de rescript. & licet loquatur in Prelato, habet locum in quocunque Prælato inferiori ab Episcopo. vt per Imol. in d. c. edoceri. col. fin. Et ratio est, quia sicut
4 Episcopus dicitur † esse generalis administrator bonorū Ecclesiæ suæ, ita etiā Decanus, vt caput Capituli, dicitur generalē administrationē in istis bonis communibus habere. Secundo, quando verū esset, quod Pre-
5 latus in bonis communibus, absque † Capitulo, non posset agere in arduis, prout declarat Felin. in d. c. edoceri. in 3. col. in prima declaratione. tamen istud restringitur secundum Felin. ibidem, vers. restringe tamē notabiliter. &c. vbi sumus in possesso-
6 rio † cuiuscunq; rei, quantumcunq; arduę. quia tunc etiam solus Prælatus sine Capitulo agere potest. Et cum hic essemus in possessorio, ideo potuit Decanus, vt caput Capituli agere possessorio recuperandæ.

SVMMARIVM.

Valor expressus in litteris, quomodo intelligatur.

1 *Valor beneficij debet considerari quātum valet in portatis. sed an dempto cambio.*

2 *Fructus Beneficij, an debeant intelligi quātum valent in absentia ab Ecclesia. & num. 3.*

DECISIO CCX.

Dubitauit D. Antonius Augustinus, die 8. Februarij 1549 An fructus pro ex-
1 pediendis litteris, † debeant considerari in portatis, dempto cambio. Et quod deberent considerari dempto cambio, allegabatur Glossator super regula 60. prope finem cōmenti. & in regula 23. in fine. Bellamera decis. 2. prope medium. Staphil. fol. 29. in 1. facie, in fine. Sarnen. in regula de exprimendo vero valore quæst. 8. Istis tamen non
2 obstātibus, fuit resolutū, quod fructus † deberent intelligi quantum valent in absentia ab Ecclesia, etiam si sit in loco beneficii. quia non debemus considerare quod tantum valeant in portatis in Vrbe deducto cambio. quia istud nullibi cauetur. licet Glossator, & Sarnen. istud inaduertētur affir-
3 mauerint. quia re uera, fructus † dicūtur illi qui debentur in absentia ab Ecclesia vbicūque ille sit. & illud cambium quod soluitur in pecunijs transmittendis, non est in consideratione. alias vno modo valeret beneficium quando quis esset in Vrbe, alio modo quando esset Venetijs, alio modo quando in Ciuitate Constantinopolitana. ita vt certus ualor haberi non posset.

SVMMARIVM.

Filius bona sibi relicta possidendo, declarat ex iuris dispositione possidere illa pro legitima.

1 *In legitimam, an imputet filius quicquid cōsequitur à patre quouis titulo, & nu. 4.*

2 *Filius possidens aliquid ex bonis patris, an dicatur declarasse se possidere pro legitima. Possidens, an censeatur possidere ex titulo quem habet in se.*

2 Ti-

3 *Titulus pro hærede, & pro legitima, an sint incompatibiles.*

DECISIO CCXI.

IN causa Romana, seu Venetiarum, die 15. Februarij 1549. proposui dubium, An Domini de Alidosijs litigantes vt hæredes, prout in actis, possidendo bona de quibus agitur, spatio triginta annorum & vltra, declarauerint velle possidere pro legitima, itaut nulla præscriptio cucurrerit. Et fuit resolutum, quod ex tali possessione, & retentione bonorum dicerentur declarasse voluntatem possidendi pro legitima. Quia
1 quicquid consequitur † filius à patre quouis titulo in legitimam imputatur. l. quoniam nouella. C. de inoffic. testam. not. in l. illud. C. de collat. ponit Bart. in l. in quartam. vers. venio ad quartam partem. ff. ad l. fal. Et cum Iapinus possederit relictum à testatore, & illud imputetur ex iuris dispositione in legitimam, ergo dicitur decla-
2 rasse se possedisse pro legitima. quia † quilibet censetur possidere ex titulo quem habet in re. Glos. in l. quædam mulier. ff. de rei vendic. Alex. cons. 8. col. 5. vol. 5. Non obstat, quod Domini de Alidosijs conuenti à Comite reconueniendo ipsum Comitem in commissione dixerint, se hæredes Nicolai testatoris, & ideo petierunt successionē aliorum bonorum, & sic declarauerint se possidere pro hærede, & non pro legitima. quia
3 fuit responsum, quod titulus † pro hærede, & pro legitima, non sunt tituli incompatibiles. itaque possidendo pro hærede, dicitur etiam possidere pro legitima. quia quicquid
4 quocunque † titulo relinquitur, computatur filio in legitimam. ergo dato quod sit relictum titulo hæreditario, debet etiam computari in legitimam. & ita possidebit iste talis pro legitima.

SVMMARIVM.

Concilij Tridentini capitula duo, quomodo intellecta,

1 *Visitare, quomodo possit Ordinarius auctoritate Concilij Tridentini. & num. 2.*
3 *Concilium Tridentinum, ex auctoritate tributa Ordinarijs, an censeatur voluisse tollere facultatem inferioribus prælatis tributam.*
4 *Generalis dispositio, an extendatur ad casus decisos sententia, vel transactione.*
5 *Delegato Papæ, an obstent ea quæ non obstarent Papæ met.*

DECISIO CCXII.

IN causa Augustensi iurisdictionis, dubitaui, die 15. Februarij 1549. An stante Concilio Tridentino, liceat Episcopo Augustensi visitare beneficia simplicia de membris præpositurae Montis Iouis in sua diœcesi existentibus, & canonicos & alios regulares extra Monasterium degentes visitare, delinquentes corrigere, & punire, non obstāte sententia arbitramentali. Et fuit resolutum per tertium capitulum sextæ sessio
1 nis, dum dicit quod quilibet secularis, † seu regularis extra Monasterium degens possit auctoritate Apostolica, ab Ordinario tamquam delegato visitari, & corrigi, quod posset. Item per octauum capitulum septimæ sessionis, in quo dicitur, quod Ordina-
2 rij † locorum teneantur Ecclesias quascunque, auctoritate Apostolica visitare. & si quascunque, ergo & Ecclesias simplices maxime cū dicat, & si qua animarum cura. &c. Non obstat, quod generalis dispositio Con-
3 cilij, non tollit facultatem † inferiori tributam. iuxta ea quæ habentur per Glos. in l. sciendum. in princ. ff. qui satisdat. cogant. & ibi Ias. col. 3. sicut & generalis dispositio
4 non † extēditur ad casus decisos sententia, vel transactione. ad text. in l. causas. C. de transact. cum alijs de quibus ibi per Iason. quia fuit responsum, quod cum in istis capitulis dicatur, quod Ordinarius visitet auctoritate Apostolica, & tanquam delegatus
5 Apostolicus, quod sicut contra Papam † sententia, nec aliquid obstat, ita nec cōtra eius delegatum. & sic si Ordinarius vellet iure ordinario visitare forsan posset, ei forsan sententia arbitramentalis. sed quia vt delegatō à Papa id sibi conceditur, certe sententia arbitramentalis ei non obest. Fuit tamen dictum, quod dubitaretur an appellatione Prælati, vt in tertio capitulo dicitur, & appellatione Ordinarii, intelligeretur tantum de Episcopis, an etiam de aliis prælatis inferioribus.

SVMMARIVM.

Capitula plura vbi sunt in eadem obligatione posita, an sint correspectiua, vt de vno ad aliud inferri possit

1 *Connexa capitula, quæ dicantur, & nu. 3.*
2 *In rescripto continente plura capitula, quando ex determinatione vnius, inferatur ad determinationem aliorum.*
4 *Correspectiua quæ dicuntur.*

DECI-

DECISIO CCXIII.

IN causa Mantuana Succarorum. Dubi-
tauit, die 15. Februarij 1549. D. Reoma-
nus, quando in vno contractu sunt plura ca
pitula per ipsos contrahentes apposita, verũ
omnia dicantur ita inter se connexa & cor-
respectiua, vt de vno ad omnia alia infera-
tur. Et fuit resolutum, quod nõ statim quod
plura capitula ponuntur in eadem obliga-
tione, non ideo dicantur connexa & corre-
spectiua. nam si sunt plura negotia, & diuer
sam rationem habentia, tunc non statim
dicuntur esse connexa. l. scire debemus. ff. de
verb. obligat. l. cum eisdẽ. ff. de ędilit. edict.
l. etiam. §. 1. & ibi glos. ff. de minor. Bart. in
l. Aurelius. §. idem quæsijt. ff. de lib. legat.
vbi dicit, quod illa capitula dicuntur con-
1 nexa, † quando vnum venit ad determina-
tionem alterius, & ideo vnitas rationis, &
non scripturæ facit capitula esse connexa,
vt etiam sentit Abb. in cap. dilectus. col. 2.
versic. in glos. tertia. de præben. per Dec. in
cap. si duobus. ante numerum 17. de appel-
lat. Sicut etiam dicimus, quod licet sit vnũ
2 rescriptum † continens plura capita, non ta
men ex determinatione vnius non infertur
ad alia quæ sunt separata. c. secundo requi-
ris. & c. inquisitioni. de appellat. Ias. in l. 3.
§. filius. col. 5. vers. sed caue. de lib. & posth.
Non obstat quod dicit Cardinalis in cap.
peruenit. 2. in fine. de iureiuran. & ibi Felin.
3 quod quæ sunt in vna obligatione, † dicun-
tur esse coniuncta & connexa. quia intelligẽ-
dus est Cardinalis secundũ iura quę allegat.
videlicet, cap. constitutus. & c. secundo re-
quiris. quæ loquuntur in capitulis in eadẽ
obligatione positis, connexis tamen & sibi
adhęrentibus. non enim valet argumentum.
plura capitula sunt posita in eadem obliga-
4 tione, † ergo sunt correspectiua. quia vltra
quod sint posita in eadem obligatione, opor
tet quod talia capitula respiciant eundem
finem & negotium, & dependentiam inter
se habeant. prout in talibus capitulis cor-
respectiuis, & habentibus inter se dependen
tiam, loquitur Grammaticus decis. 103. nu.
157. & idem Cardinalis clarius loquens. in
c. constitutus. vers. & intellige. &c. de pęn.
& Corn. per Grammaticum allegatus in
d. decis. 103. in cons. 319. num. 10. versic. nec
obstat. in tertio vol. & Brunus. cons. 48. vbi
loquitur in capitulis dependentibus & con
nexis, positis in eadem obligatione. Et ita
etiam respondetur ad illud quod dicitur,
quod quando sunt duo contractus eodem
5 tempore, † coram eisdem notario, & testi-
bus facti, præsumuntur correspectiui. secun-
dum Bald. in l. petens. C. de pact. quia intel-
ligendus est Bald. vbi sumus in materia de-
pendenti, & quando fit ex eadem causa. se-
cus si causa esset penitus diuersa, & ita ibi
sequitur Paul. & Iason. colum. 5. versic. cir-
ca istum text. post Alexand. in l. in bonæ fi-
dei. num. 4. eod. tit.

SVMMARIVM.

Filij positi in conditione, & grauati, quo casu censeantur vocati, vt fideicommissum locum habeat.

1 *Filij in conditione positi, ex coniecturis censentur vocati, & referuntur coniecturæ. num. 2. 4. & 5.*

3 *Filiorum dispositio, tam intelligitur de masculis quam de feminis.*

DECISIO CCXIV.

NIcolaus de Pasijs senior, filiabus fœmi
nis quas habebat exclusis, instituit qua
tuor eius filios, & ipsis, & eorũ liberis sub-
stituit, vt infra. verba institutionis & substi
tutionis sunt ista. In omnibus autẽ aliis suis
bonis, mobilibus & immobilibus iuribus &
actionibus, tam præsentibus quam futuris
Pasium, Loysium, Virgilium, & Herculem
eiusdem testatoris filios legitimos & natu-
rales, æquis portionibus sibi hæredes vniuer-
sales instituit. & si contingeret aliquem, seu
aliquos ex dictis eius filiis, & seu dictorum
eius filiorum liberos quandocunque decede
re, absque filiis legitimis & naturalibus, tũc
& eo casu superuiuentes eiusdem testatoris
filios, & dictorum eiusdem testatoris filio-
rum tunc non superuiuentium, liberos in
stirpes & non in capita, eisdem sicut dici-
tur morientibus, substituit vulgariter, pupil
lariter, & per fideicõmissũ & omni alio me-
liori modo, iure, via, & forma, quibus ma-
gis, & melius potest. &c. Mortui sunt om-
nes filii, duobus tantum in effectu supersti-
tibus nepotibus. videlicet, Nicolao iunio-
re, & Hercule iuniore. postea Nicolaus iu-
nior decessit sine filiis, instituto Francisco
Maria sibi hærede extraneo. contra quem
Hercules alter nepos, & solus superstes, age
bat vti in testamento prædicto Nicolai an-
tiqui eius aui, ex fideicommisso & substitu-
tione vocatus. Dubitauit die 15. Februarii
1549. D. Antonius Augustinus in vna Bono
niensi bonorum de Pasiis. præsupposito, sine
præiudicio, quod singulæ coniecturæ non
sufficiant. An coniunctæ doceant volunta-
tem defuncti pro fideicommisso. Et fuit re-
solutum pro affirmatiua, quod coniunctæ
docerent voluntatem defuncti pro fideicom
misso. Prima ergo coniectura fuit, quod fi-
1 lii positi in conditione erant grauati. † & li
cet ista non sufficeret de se, iuxta communẽ
opinionem quæ est contra Bart. in l. centu-
rio. ff. de vulg. & pupill. tamen dicunt DD.

quod

quod quælibet leuis coniectura, facit quod opinio Bart. sit vera. & ideo addebatur hic alia coniectura, quod hic eramus in descen-
2 dentibus à testatore, & non † in transuersalibus. in quo casu loquitur glos. in l. Lucius. ff. de hær. instit. Tertia coniectura quæ addebatur erat illa, quod in substitutione dicebatur, quod filij quandocunque decederent sine filijs, & non erat dubium quod illa di-
3 ctio † sine filijs. intelligebatur tam de fœminis quam masculis. sic ergo patet quod testator, filias filiorũ voluit præferre patruis earum, & sic alijs filiis ipsius testatoris. sed istud non poterat esse ab intestato. cum per statutum Bononiense, fœminæ stantibus masculis excludantur. ergo de necessitate erat dicendum, quod istæ fœminæ, & sic filii positi in illa dictione. absque filiis, essent voca-
4 ti ex testamento, & isto modo † arguit, & dicit esse magnum fundamentum Marian. Soc. Iun. cons. 158. abundc. colum. penult. vers. coniectura autem. &c. volum. 2. Quar-
5 ta coniectura, † fuit illa clausula, omni meliori modo. quia si substituebat omni meliori modo de necessitate erat dicendum, quod eos vocaret, adhoc vt substitutio teneret. authoritates poterunt videri in informationibus.

SVMMARIVM.

Possessio ciuilis, quo casu in donatarium translata non fuerit.

1 *Possessio ciuilis licet mediante animo retineatur, tamen non acquiritur nisi mediante animo & corpore.*
2 *Constitutum in contractu donationis appositum, in quo durante vita sua donans reseruauit sibi bona donata, quomodo intelligatur.*
3 *Vsumfructum quando quis sibi reseruat, & transfert dominium, an videatur tacite transferre ciuilem possessionem, quæ illi dominio adhæret.*
4 *Donans retento vsufructu, quando videatur transtulisse dominium & possessionem. & num. 9.*
5 *Possessio ciuilis non potest dici translata, si non interueniat nec verus nec fictus modus transferendi.*
6 *Possessio ciuilis, an possit stare sine dominio Et etiam quod quis non habeat insistentiam in re. & num. 7.*
8 *Verba dedit, transtulit in donatione in qua quis reseruat sibi vsumfructum, quid operentur.*

DECISIO CCXV

IN causa Romana, castri Feliciani, propositi dubium, die 18. Februarii 1549. An per instrumentum donationis de qua in, actis cum reseruationibus, de quibus in ea ciuilis possessio transeat in Comitem donatarium, vel potius remanserit apud Archiepiscopum donantem. & fuit resolutum, quod ciuilis non transiuisset, sed remansisset penes Archiepiscopum donantem. Fundamentum resolutionis fuit, quia aut ista ciuilis transiuit mediante actu vero vel ficto. sed nullum istorum interuenit, ergo ciuilis non transiuit. quod actus verus non interuenerit
1 patet. quia licet mediante † animo ciuilis retineatur, tamen non acquiritur nisi mediante animo & corpore. sed hic non interuenit corpus, ergo non est actus verus, & ideo non potuit transferri. actus fictus etiã nõ interuenit, quia non constitutum, & quando constitutum interuenisset intelligeretur
2 post † mortem eius ex quo durante vita sua reseruauit, sibi donans dominium, vsumfructum, iurisdictionem, & administrationem, itaque constitutum referendũ esset post mortem donantis, sed cessabat ista disputatio ex quo constitutum non erat appositum. Non obstat reseruatio vsusfructus, ita quod videremur esse in terminis. l. quisquis. C. de donat. vt per illum actum fictum diceretur possessio ciuilis translata. quia fuit dictum quod illa lex. quisquis. loquebatur in vsufru-
3 ctu formali, quia quando quis † reseruat sibi vsufructum, & transferr dominium videtur tacite transferre ciuilem quæ illi dominio adhæret, & sic transferendo dominium videtur possessionem ciuilem tradere. & ita loquuntur Glos. & DD. ibi, sed in casu nostro, eramus in vsufructu causali. nam donans reseruauerat sibi dominium, vsumfructum, iurisdictionem, & administrationem, itaque cum non transtulisset dominium non
4 eramus † in terminis d. l. quisquis, nec alius actus fictus interuenerat. Item, quia donans in donatione dixerat, quod donatarius, in dominio, vsufructu, iurisdictione, & administratione, nec alio quouis modo se posset intromittere. & cum possessio ciuilis esset ius insistendi in re, & donans generaliter prohibuisset, eius vita durante, insistentiam in ipsa re, sequitur quod ciuilis nullo modo trãslata foret. Non obstant modo, quæ pro parte aduersa dicebãtur, quod in generali trãslatione, omnia censentur translata quæ non sunt reseruata, & hic cum non sit reseruata possessio ciuilis, ergo est translata. quia duobus modis respondetur. Primo, quia ciuilis
5 non fuit † translata, quia modus transferendo, nec verus nec fictus, interuenit. Secundo, quod satis possessio ciuilis esset reseruata ex quo donans prohibuerat quod donatarius

tarius, eius vita durante, nō posset se intro mittere. Non obstat, quod possessio ciuilis
6 possit † stare sine dominio. Bart. in l.1. col. 3. ff. de acquiren. possess. vt patet in vendente rem alienam, & constituente se possidere nomine emptoris, quia dominium est penes verum dominum, & ciuilis penes emptorem. Quia fuit dictum, quod istud est ratione actus ficti. videlicet constituti. Non obstat, quod dato quod quis non habeat in-
7 sistentiam in re, nihilominus † habet ciuilē. vt in debitore, qui rem suam pignori creditori tradidit. nam licet ipse debitor nō possit in re insistere, tamen habet eiuilem. hinc est quod ipse præscribit. Quia fuit respōsum quod istud est propter dominium quod debitor habet, & hic donatarius illud non habebat. Non obstat, quod si possessio ciuilis non est translata, ergo illa verba in dona-
8 tione posita, dedit, † transtulit. &c. essent sine effectu operandi. Quia fuit responsum, quod talia verba satis operantur post mortem donantis. Itē fuit dictum, quod l. quis-
9 quis. est † exorbitans à dispositione iuris cōmunis, & continet vnum de mirabilibus mūdi, vt dicunt Doct. ibi. Et licet quando reseruatur vsusfructus formalis, transferatur possessio ciuilis & dominium, vt dicit ibi Glos. fin. quam sequuntur ibi Doct. & Curt. Iun. cons. 127. non debemus extendere illam legem, quando quis reseruat dominium & vsufructum. & tanto magis stante prohibitione testatoris, vt nullo modo in re donata, durante eius vita se intromittat.

SVMMARIVM.

In causa Salamantina canonicatus.

1 *Portionario antiquiori qui assequutus est etiam dignitatem in Ecclesia Salamantina, an debeatur canonicatus qui debebatur portionario simplici, ex constitutione in dicta Ecclesia, & decis. 218.*

DECISIO CCXVI.

IN causa Salamantina canonicatus, dubitaui die 18. Februarij 1549. posito, quod portionarius, ratione portionis, tenetur decantare missas, deseruire altari, & assumere cappam, & cum illa ascendere ad chorum, & cantare, & alia officia facere. & quod si portionarius retenta portione ascendit ad dignitatem in eadem Ecclesia, nō tenetur vlterius ad dicta seruitia portionariis incumbentia, sed ammittit sedem & vocem portionarii, nec vlterius vt portionarius, ad officia & seruitia, intra nec extra Ecclesiam, deputatur. An tali portionario
1 tamquam antiquiori, † iuxta bullam Nicolai debeatur canonicatus de quo agitur. Pro parte negatiua fiebat fundamentum, quod cessante, causa cessaret dispositio. & causa ascensionis erat remuneratio seruitii. & cū iste portionarius, propter dignitatem, non tenetur ad seruitia, ergo ascendere nō poterat. & adducebatur illud, quod dicitur de illo qui promisit dare scaccum mattum cum pedina. &c. & multa alia similia de quibus in informatione. Quibus tamen non obstantibus, fuit resolutum cōtrarium. eo quia hic non cessabat causa. quia huic portionario, etiam quod esset dignitas, dabatur ascēsio propter antiqua seruitia. & quia, licet haberet dignitatem, habebat etiam portionem. & licet actu non seruiret, poterat tamen vt portionarius seruire.

SVMMARIVM.

In causa Malacitana decimarum.

1 *Milites Calatraua, an teneantur ad tria vota, sicut & alij Religiosi.*
Papa si est expositum quid concernens militiam Calatraua, an eius naturam & statum intellexisse dicatur. & num. 2.
3 *Proprium alicuius quod dicatur.*

DECISIO CCXVII.

DIe 20. Februarii 1549. in causa Malacitana decimarum. Dubitaui, præsupposito quod à primæua institutione Magistratus ordinis de Calatraua, cuius Petrus Magister erat, dictus Magistratus fuerit creatus pro tuitione fidei Christianæ, ad pugnandum contra infideles. & quod redditus dicti Magistratus, fuerint deputati vt exponerentur in bello contra infideles, & quod non constet, dictum Petrum Magistrū habuisse alios redditus, nisi redditus dicti Magistratus. An bulla Innocentii, tacito de præmissis, reddatur obreptitia, vel saltem non verificata. Et fuit resolutum, quod bulla non esset obreptitia, vel subreptitia, quia in bulla Innocentii fuit narratum, quod Petrus esset Magister militiæ Calatrauæ, & in bulla Roderici Episcopi ad quam bulla Innocentii se referebat, fuit dictum, quod Petrus erat Magister militiæ ordinis de Calatraua. & cum Papa intellexerit, Petrum fuisse Magistrum dictæ militiæ, per consequens, quod nihil proprium haberet, cum isti mi-
1 lites teneantur ad tria vota † sicut & alij Religiosi. & ideo, faciendo mentionem, quod erat Magister ordinis militiæ, Papa intellexit quod erat pauper & nihil habebat. Et ex quo de istis facit mētionem Cardinalis. in cap. fane. colum. 3. in 4. quæst. de regular. & cum eius status, & ad quem finem reddi-

redditus sint inueniri, non est dicendum quod
2 Papa ignorauerit statum eorum † dicendo Petrum esse Magistrum. & per consequens bulla non esset subreptitia, immo verificata. Non obstat quod dictum fuerit, Petrum recuperasse proprijs sumptibus. quia fuit
3 dictum, quod id dicitur † proprium, quod est suum. l. post mortem. §. tutor. iuncta Glos. & ibi Bart. & alij notant. ff. quando ex fact. tut. & suum dicitur quo ad vtilitatem & administrationem.

SVMMARIVM.

In causa Salamantina canonicatus.

DECISIO CCXVIII.

Die 25. Februarij 1549. In causa Salamantina canonicatus & præbendæ, proposui dubium. An Antonius habens portionem, & dignitatem, qui ratione dignitatis potest ascendere ad maiorem dignitatē, possit etiam ratione portionis, ad canonicatum ascendere. & an sit danda remissoria super eo, quod habentes beneficia grauata pensione, non possint ascendere. Et super prima parte dubii, quod cum Antonius duplicē personam representaret, & quod ratione portionis, poterat vt portionarius ascendere, prout etiam resolutum fuerat supra decis. 216. hoc lib. 3. Non obstat, quod causa ascensus erant seruitia, & ideo necessarium erat, quod seruitia adessent tempore quo ascendere volebaot; & cum isto casu nō teneretur deseruire, ergo nec ascendere. quia fuit negatum, quod esset necessarium quod tempore ascensus deseruire teneretur. quia alias sequeretur, quod simplex portionarius impeditus, & actu non deseruiens, non posset ascendere. & ideo quia iste ascensus fiebat propter seruitia præterita, & propter antiquitatem, sufficiebat quod esset antiquior, & in præteritum deseruisset. Non obstat, quod iste in choro si interesset, non posset consequi distributiones quotidianas duplicatas. quia fuit dictum, quod cum distributiones dentur ratione interessentiæ, & cum non possit pro duobus interesse, nimirū si non cōsequebatur distributiones quotidianas. sed iste non erat casus noster. & maxime cum Antonius, licet vt dignitas in multis non teneretur deseruire, vt portionarius tamen etiam in multis poterat vt portionarius deseruire. Quo ad secundum caput stante fumo, fuit dictū quod daretur remissoria, & non obstabat quod Michael haberet portionē grauatam quando ipse ascendit. quia fuit dictum, quod istud nō constitit Capitulo, nec contra eum fuit oppositum, quando ipse volebat ascendere. Et fuit dictum, quod daretur punctus. an portio & dignitas essent incompatibiles ex constitutionibus Ecclesiæ Salamantinæ propter decimoquartū, & decimumquintum capitulum, itaut Antonius tanquam portionarius ascendere non possit.

SVMMARIVM.

In causa Romana casalis. Decretum iudicis, quo casu præsumptum fuerit erroneum.

DECISIO CCXIX.

In causa Romana casalis, die 25. Februarii 1549. proposui dubium. An per instrumentum de quo agitur, constet, decretum interpositum à iudice, fuisse & esse erroneum, & de falsa causa, saltem in tantum, vt transferatur onus probandi in actores, non obstante iuramento. Et fuit resolutum quod, ex quo in instrumento erat positum quod venditores tenerentur de euictione, etiam si culpa & negligentia emptoris res euinceretur, etiamsi per imprudentiam iudicis. &c. quod ex quo super ista clausula iudex decretum interposuerat, quod euidenter appatebat, quod non considerate, sed potius per errorem decretum suum interposuisset. & sicut super eo inconsideratus fuerat, ita etiam & super aliis. & ideo quod non erat faciendum fundamentum super decreto, sed quod dubitaretur. an, ex quo venditio fuit facta ex causa æris alieni, & quia creditores vrgebāt, causa præsumatur vera; ex quo sumus in contractu minorum iurato.

SVMMARIVM.

In causa Fundana Sancti Antonij.

1 *Solenniter, an præsumantur omnia facta stante deperditione scripturarum, & sacco Ciuitatis.*

DECISIO CCXX.

In causa Fundanā S. Antonij, die 25. Februarij 1549. proposui dubium. præsupposita emissione trium votorum emissorum in manibus Episcopi, de cuius facultate nō constat. & possessione viginti annorum vel circa. ac solutione annui census per dictum tempus superiori de quo agitur. stantibus litteris Apostolicis. dicatur satis constare de titulo canonico, ad effectū obtinendi absolutionem Et fuit resolutum, quod stāte de
1 perditione † scripturarum in sacco Fundi, & quod testes dicunt, quod de professione fuit scriptura confecta, & possessione viginti annorum vel circa, & solutione censuum, quod præsumerentur omnia solēnia. maxime quod

hic agebatur de auferendo beneficium possessū per Episcopū per viginti annos. fuit be ne dictum, q̄ daretur dubiū, an cedula retentionis sit subreptitia, itaut præceptoria, per promotionē ad Episcopatū dicatur vacasse.

SVMMARIVM.

In causa Romana Castri Feliciani. Vsusfructus appellatione, intelligitur de causali, & non de formali.

1 *Vsusfructus causalis qui.*
2 *Fundi appellatione in legato an veniat vsusfructus & dominium. Et quid si postea legetur vsusfructus alteri, & num. 3.*
4 *Possessorium iurisdictionis, quando dicatur habere mixtam causam proprietatis.*
5 *In Saluiano nuda possessio auocatur. quomodo intelligatur.*

DECISIO CCXXI.

IN causa Romana castri Feliciani, die 11. Martij 1549. proposui dubium. An reseruatio vsusfructus, de qua in instrumento donationis Archiepiscopi, intelligitur de causali, vel potius formali. &, posito quod de causali. an possessorium intentatum, sit possessorium iurisdictionis, & habeat admixtam causam proprietatis, ita quod sit locus Aegidianæ. Et fuit determinatum, circa primam partem dubij, quod intelligeretur de causali, & non de formali. per l. vti frui. in princ. ff. si vsufruct. petat. nam ex quo donans in casu isto reseruauerat sibi dominium, nō poterat intelligi de vsufructu formali, quia cum vsusfructus sit seruitus, res sua nemini seruire potest. & ideo intelligendum erat de
1 vsufructu † causali, qui iunctus est cum proprietate. iuxta not. per Bal. in l. vsufructu. col. 1. vers. quarto præmitto. ff. solut. matr. per Alex. in l. si ita stipulatus. §. Titius. ff. de verb. oblig. nec inter ista erat aliqua incompatibilitas, prout erat in l. si titio fundus.
2 ff. de vsufruct. legat. quia legando † fundum appellatione fundi venit vsusfructus, & dominium. postea legando vsufructum de necessitate erat intelligendum de formali, & cum ista essent incompatibilia, copula, &, ponebatur pro disiūcta. Et licet vsusfructus pro
3 prie & dominium † sint incompatibilia, tamen verba notarij dicentis, quod donans reseruauit sibi vsufructum, dominiū. erāt intelligenda improprie, pro illa cōmoditate vtēdi fruendi. ita quod sensus erat, q̄ donans, durante eius vita, plenam proprietatem sibi reseruare volebat. Ad secundam partem dubij fuit dictum, quod dato quod istud esset possessorium iurisdictionis, & quando agitur
4 contra Principē tunc habeat † mixtam causam proprietatis, vt ita intelligēda erat decis. Cassad. prima de rest. spol. tamen quia hic non agebatur contra Principem, sed priuatum, & in Saluiano nuda possessio auoca-
5 tur, † qualiscunque sit illa possessio quæ erat pænes hypothecantem, siue præcaria siue alia, danda erat actori cum sua qualitate.

SVMMARIVM.

Cap. lator. qui fil. sint legit. quomodo intellectum.

DECISIO CCXXII.

IN vna causa Cathaniensi illegitimitatis, coram me pendēte, die 11. Martij 1549. fuit resolutum, quod cap. lator. qui fil. sint legit. dum loquitur de præfixione termini duorum mensium ad expediendum causam illegitimitatis, intelligebatur nō ita indistincte, sed quando constat de malitia, vt erat in illo casu in quo causa pependerat coram Episcopo Noruicensi, qui causam non expediebat, ita Papa mādat Episcopo, vt causam intra duos menses expediret, alias quod remitteret causam bonorum determinandam iudicibus secularibus, & ita illum text. intelligunt ibi Abb. & Præpositus.

SVMMARIVM.

In causa matrimoniali, & inuitis coniugibus fratres vxoris admissi pro eorum interesse.

1 *Coniuncta persona an possit interuenire, quando procurator reperitur constitutus in causa.*
2 *In causa matrimoniali, an requiratur speciale mandatum.*
3 *Pater pro filio inuito, an procuratorem constituere possit.*

DECISIO CCXXIII.

IN vna Hispalensi matrimonij, corā D. Peregrino, die 11. Martij 1549. fuit resolutum, quod in causa matrimoniali pendente inter Marchionem & Marchionissam de Tarisa super fœdere matrimonij, dato quod ipsi inter se agerēt, quia Marchionissa petebat dissolutionē, & Marchio stabat pro validitate, tamen q̄ hoc non obstante, fratres Marchionissæ, qui petebāt se admitti ad causam pro eorū interesse, q̄ erant ad causam admittendi. per dictū specul. in tit. qui matr. accus. poss. in §. debet. vers. si vero hi quos. dū dicit etiā inuitis coniugibus, & quia si ipsi fratres pro redintegratione matrimonij essent admittendi. vt dicit Abb. post Ostien. in c. tenor. num. 7. de re iud. eo facilius admitti debent ad petendum eius conseruationem.

Non

Non obstat, quod Marchionissa constituisset
1 procuratores, & ideo † coniunctus non posset isto casu pro ipsa interuenire. vt dicit Iason.in l.exigendi. col.2.in 3.limit. C. de procurat. cum videatur eum prohibuisse cō stituendo alium. item quia in causa matri-
2 moniali † requiritur speciale mandatum. prout dicit Ias.in d.l. exigendi. col.3.in 5. limit. Item, quia videtur Glos.in cap.accedens.de procurat. quod pater pro filio inuito,
3 in causa † matrimoniali, procuratorem constituere non potest, ita ergo erat dicendum iu casu isto, quod fratres, inuitis coniugibus, agere non possent. Quia ad omnia ista fuit dictum, quod si isti fratres vellent venire tamquam procuratores ipsius Marchionissæ, quod istud non possent, & ita procedant superius allegata. sed si isti fratres volunt agere, & venire ad causam pro eorum interesse, quod essent admittendi. per superius dicta.

SVMMARIVM

Clementina, quod filij presbyterorum non possint tenere beneficia parentum, quomodo intellecta.

DECISIO CCXXIV.

In vna Calciatensi canonicatus, coram D.Fabio, die 11.Martij 1549. fuit resolutum, quod ex quo in illo casu Petrus pater Hieronymi, per viginti annos ante Clementinam dimiserat beneficium de quo agebatur, & quod in beneficio patris, ipse succedebat post triginta annos à die factæ resignationis per obitū illius resignatarij, quod verba Clementinæ, quæ dicunt. tenore præsentium statuimus, & ordinamus quod de cætero filij presbyterorū obtinere non possint beneficia eorum parentum, quæ aliquādo obtinuerunt, quod intelligerentur de beneficijs quæ aliquando obtinuerūt post Clementinam, non autem ante Clementinam. quasi illa dictio.de cætero.in principio posita, omnia sequentia determinaret. & quia eramus in constitutione correctoria iuris communis, vt minus censeretur lædere ius commune & tāto magis in casu isto, in quo nulla fraus excogitari poterat. & Clementina erat inuenta ad obuiandum fraudibus.

SVMMARIVM.

Coadiutorias Papa concedendo in omnibus mensibus, cum futura successione, dicitur concordatis contrauenire.

1 *Coadiutoria cum futura successione comprehenditur in lege prohibente dispositionem de beneficijs, & num.3. & 4.*
2 *Beneficium an dicatur vacare per mortem coadiuti. Coadiutoria an duret solum durante vita coadiuti.*
5 *Legatis dulcibus, quæ veniant.*
6 *Verba illa. vel quamuis aliam dispositionem quomodo intelligenda. & num.8. & 12.*
7 *Generalis dispositio subsequens, an comprehendat solum illa quæ sunt eiusdem speciei, & num.10.*
9 *In legatis, voluntas testatoris an plenius interpretari debeat.*
11 *Reseruatio an possit fieri tantum ad incerta corpora, vel possit fieri de certo corpore de consensu possidentis.*
13 *Dispositiones duæ, quando æque principaliter conglutinantur, an iudicentur pro separatis, & simplicibus. & num.19.*
14 *Sub concordatis Germaniæ, an comprehendantur regressus. & num. 15.*
16 *Dispositio simpliciter loquens, an habeat locum in dispositione remuneratoria.*
Coadiutoria an detur propter benemerita, vel propter necessitatē Ecclesiæ, cui coadiutus inseruire non potest. & num. 17.
18 *An per dationem coadiutoris inducatur talis affectio, vt Ordinarius disponere non possit.*
20 *Coadiutor cum futura successione, potest de iure deputari à Papa.*

DECISIO CCXXV.

In vna Germana concordatorum, quam ego proposui die 11. Martij 1549. Dubitaui. Au stantibus verbis, concordatorum maxime illis verbis placet etiam nobis, ꝙ per quamcunque aliam reseruationem. &c. Papa concedendo coadiutorias cum futura successione in omnibus mensibus, dicatur cō cordatis contrauenire. Et pro resolutione fuit præsuppositum, quod in concordatis fiebat mentio de duplici reseruatione. Primo de reseruatione scripta in iure, & de ea Papa loquitur vsque ad verba. placet etiam nobis.&c. Secundo de reseruatione quæ non est scripta in iure. & de ea habetur sermo in d.versic. placet etiam nobis. &c. Secundo fuit præsuppositum, quod concordata, facta erant ex causa vnionis, pacis, & tranquillitatis inter Ecclesiam Romanam, & Principes, tam Ecclesiasticos quam seculares, nationis Germaniæ, & cum sit facta ex dicta causa Papa vberiorem gratiam concedere voluit Ordinarijs Germaniæ, quam per regulam Cancellariæ concedat alijs Ordinariis. & gratia vberior, in duobus consistit, 3
primum respectu temporis, quia vbi Papa aliis Ordinariis concedit quatuor menses istis Ordinariis Germaniæ concessit sex mē ses. Secundo, vbertas gratiæ in alio consistit, videlicet circa remotionem obstaculo-

rum.quia quoad alios Ordinarios,Papa in
regula de mensibus Ordinariorum tantum
remouet reseruationes, & gratias expectati
uas impedientes dispositionem Ordinario-
rum,& hic Papa, vltra reseruationes & gra
tias expectatiuas voluit remouere quascun-
que dispositiones impedientes Ordinarios
Germaniæ in dispositione sua , quo ad illos
sex menses.istis sic præsuppositis,quod Papa
diceretur contrauenire, fuit per omnes con
clusum.Et quod decis. Cassad. vnica de pa-
ctis esset vera,& pro conclusione,& pro par
te affirmatiua dicebatur quod cui conueniũt
1 verba legis,conuenit ipsa lex.† coadiutoria
cum futura successione est dispositio.ad not.
per Doct. in c.cum in illis. §. 1. de præben.
2 in 6.Item, † per mortem coadiuti beneficiũ
dicitur vacare.cum coadiutoria non duret ,
nisi durante vita coadiuti . Cardinalis in c.
fin. vbi materiam coadiutoriæ tractat. de
3 cler. ægrot. & sic, cum coadiutoria † sit di
spositio,& de beneficio vacanti,& Papa pro
mittat in illis verbis , quod in sex mensibus
non vult impedire ordinarios per suas reser
uationes, gratias expectatiuas, & quascun-
que alias dispositiones.item dicat. quod re-
seruationibus alijs à præmissis,ac dispositio
nibus auctoritate nostra factis vel faciendis
non obstantibus quibuscunque . & sic tollat
4 omnes † dispositiones, & per consequens
coadiutorias . Non obstant modo adducta
in contrarium . ex quorum responsione ista
materia clara redditur, & in primis dum op
ponebatur. de text. in l.fin. §.cui dulcia. ff.
de vin.trit.& oleo leg. & fuit motiuũ D. An
tonij Gallesij,nam ibi dicitur,quod cui dul-
5 cia † legata sunt,veniunt dulcia potabilia ,
& comestibilia. sed si dictum fuerit lego vi-
num amphorarium aminæum, & omnia dul
cia ex collatione vini tantum veniunt pota-
bilia, ita in casu nostro esset dicendum , vt
illa verba , vel quamuis aliam dispositionẽ
ex collatione præcedenti verborum , essent
6 restringenda † ad dispositiones similes præ-
cedentibus, videlicet reseruationibus,& ex-
pectatiuis, quæ fiunt sine consensu,& ad cor
pora incerta.coadiutoria vero fit de cõsensu
& ad certũ corpus, ergo sub illis verbis gene
ralibus non venit coadiutoria, quia tantum
7 illa vniuersalis . † debet referri ad illa quæ
sunt eiusdem speciei non autẽ dissimilis spe-
ciei. per d. §.cui dulcia. Sed ad illũ tex.fuit
responsum quatuor modis, & primum quod
illud procedit in materia restringibili, quia
8 illa dictio.† quamuis aliam.intelligitur simi
lia expressis,non autem maiora.per not.per
Soc. in l. quidam relegatus . colum. 3. in 6.
cõclus. ff.de reb.dub. & per Ias. & Dec.in l.
pen.C.qui admit.sed hic non eramus in ma-
teria restringibili. quod patet.quia concor-
dia erat facta ex causa, & Papa propterea
intendebat,vberiorem istis Ordinarijs gra-
tiam, quam alijs facere . Et si dicatur quod
text. in d.l.fin.§.cui dulcia. loquitur in ma
teria non restringibili , quia in legatis , in
9 quibus voluntates † testatorum plenius in-
terpretamur. l. in testamentis. ff. de regul.
iur. fuit responsum,quod lex.in testamentis
non habet locum in legatis . secundum De-
cium ibi.vel saltem. d.§. cui dulcia.est stri-
cte interpretandus, ex quo tractatur ibi de
præiudicio hæredis,quo casu etiam in lega-
tis fit stricta interpretatio secundũ Cagnol.
in d.l.in testamentis.Vel & secundo,fuit re-
spõsum, quod licet in principio illius.§.pla
cet etiam nobis , ibi iurisconsultus incipiat
ab enumeratione specierum , & ideo genus
10 esset † restringendum ad similia specierum
enumeratarum , tamen in alia parte postea
subsequenti, ponitur genus absque enumera
tione specierum. vt patet in illis verbis, re-
seruationibus alijs à præmissis, & dispositio
nibus non obstantibus quibuscunque . & sic
cum generaliter loquatur,generaliter intel-
ligi debet . Item & tertio fuit dictum, quod
falsum erat , quod reseruatio fieret tantum
11 ad incerta † corpora. cum etiam possit fie-
ri de certo corpore, & de consensu possiden
tis & illa appellatur specialis reseruatio.vt
per Aeneam de Falcon.in tract.reseruat. in
2.quæst.princ.dum tractat.de triplici reser-
uatione speciali,& ideo cum reseruatio pos-
sit fieri de consensu, & sine, ad certum cor-
pus, & incertum, & Papa excludat quamcũ-
que reseruationem, ita etiam excludit quã-
cunque dispositionem de consensu , vel sine
ad certum corpus vel incertum . Itaque ve-
12 rum erit dicere , quod verba . † quamuis
aliam dispositionem. semper referantur ad-
similia expressis . & nisi dicamus quod ver-
bum.reseruatio præcedẽs. excludat reserua
tionem etiam de consensu , certe parata es-
set via, qua concordata eluderentur. videli
cet, quia quilibet consentiret,vt Papa bene-
ficium pro suo nepote vel cõsanguineo, post
obitum suum reseruaret. Vel & quarto,fuit
dictum, quod illa verba.vel quamuis aliam
dispositionem , etiam implicarent qualita-
tem similem in genere . videlicet, quamuis
aliam dispositionem impedientem ordina-
rium in sua dispositione , vt sicut Papa ex-
cludit reseruationem , & expectatiuam im-
pedientes ordinarios in sua dispositione, ita
quamcunque aliam dispositionem impedien
tem ordinarium in sua dispositione in illis
sex mensibus . Non obstant, modo quatuor
fundamenta D.Antonij Gabrielis, dum dice
bar coadiutoria de consensu cum futura suc
cessione non est simplex reseruatio,nec sim-
plex expectatiua , dispositio ergo excludens
expectatiuas, & reseruationes non excludit
coadiutorias , tamquam sint dispositiones
mixtæ, quia fuit responsum, quod si coadiu
toria dicitur, quid mixtum propter consen-
sum

sum, dico quod etiam reseruatio cum consensu quæ est exclusa, est etiam quid mixtũ. ergo merito ab vno ad aliud licitum erit arguere. Item, licet coadiutoria, respectu consensus sit quid mixtum, tamen quia in isto casu non tractatur de ipsa coadiutoria, sed de illa successione, respectu cuius, consensus defuncti nil operatur, sequitur quod sumus in dispositione simplici, & istud est quod dicit
13 Alciat. in l. 2. colum. 2. ff. de verb. obligat. quod † quãdo duæ dispositiones, æque principaliter conglutinantur, tunc iudicantur pro separatis & simplicibus, post Doct. quos ibi allegat. Non obstat, quod regressus in
14 concordatis † non comprehenduntur, ergo nec coadiutoriæ, cum æquiparentur. & hinc videmus, quod ex stylo Referendariorum in suspensione quarumcunq; gratiarum, sem per præseruantur regressus, & accessus, & de consensu coadiutoriæ. Quia fuit responsum, tenendo etiam decisionem Cassadori in isto casu contra vltramontanos, quod diuersa erat ratio. nam regressus † ideo non com
15 prehenduntur sub concordatis, quia ex voluntate resignantis, non aliter volentis resignare, nisi reseruato sibi regressu, & Papæ ita admittentis per fictionem iuris non videtur inducta vacatio, sed potius est quædã continuatio primæui iuris, propter voluntatem eius, qui legem in re sua apposuit. & illa voluntas, tempore quo locus est regressui adhuc durat. & sic fingitur, quod nulla interuenit vacatio, eo quia fit dispositio in eadem persona, & non diuersa. & concordata videntur loqui de dispositione, quæ tempore vacationis fit in diuersam personam. sed in coadiutoria, ista fictio non vacationis fieri non potest, nec coadiutor dicitur continuare, cum ius esset titularis. & ideo dispositio dicitur fieri in diuersam personam & non in eandem, ideo dicitur contrauenire. Non obstat, quod coadiutoria datur propter benemerita, & ideo dispositio simpli-
16 citer † loquens, non habet locum in dispositione remuneratoria. l. Aquilius Regulus. ff. donat. quia istud non est verum, sed da-
17 tur propter necessitatẽ Ecclesiæ, † cui coadiutus inseruire non potest. cap. 1. de Cleric. ægrot. in 6. & toto titulo extra. & in recompensam suorum laborum, coadiutori datur portio fructuum. d. cap. 1. & cap. de rectoribus. de cler. ægrot. Et ideo, si aliunde remunerationem habet, non debet sibi dari successio. nec quod soluatur compositio quicquam facit, quia propter compositionem non debet Papa à sua promissione recedere. Non obstat quarto, quod per appositionem manus Papæ, dando coadiutorem, Ordinarius cessante coadiutoria, de illa disponere non possit, & ista coadiutoria de iure. licet ergo futura successio nihil de nouo inducit, quia absque ea etiam Ordinarius disponere non potest. quia fuit responsum. & primo dubitatum fuit, an per da-
18 tionem coadiutoris, induceretur † talis affectio vt Ordinarius disponere non possit. quia simile quod adducebatur de commenda non erat bonum, quia in commenda beneficium vacabat. & commendando Papa per manus appositionem declarabat, quod de eo disponere intendebat. sed in isto casu, quando datur coadiutor, beneficiũ non vacat, sed facit illud quod est de iure. & ideo non videtur per talem appositionem beneficium afficere, itaut Ordinarius, cessante coadiutoria non posset de beneficio disponere. Sed posito quod per dationem coadiutoriæ, beneficium esset affectum, tamen cum Papa dicat in concordatis, in dicto versic. reseruationibus aliis à præmissis, & dispositionibus non obstantibus quibuscunque, & ista reseruatio, seu affectio inter præmissas non sit enumerata, sequitur quod talis affectio, Ordinario non obstat. Non obstat etiam fundamentum D. Marci Antonij, quod sicut regressus præseruantur, quia habent causam à iure de præterito, ita etiam & coadiutoriæ, cum videantur dependere ab illo iure de præterito. quia ex premissis colligitur responsio. quod successio nullam dependentiam habet à iure de præterito. immo cum contineat duo æque
19 principaliter, † reputantur pro separatis iuxta dictum Alciat. in l. 2. ff. de verb. obligat. Non obstat motiuum D. Martini Roman. dum dicebat, quod Papa de iure po-
20 test coadiutorem cum futura † successione deputare. vt patet in cap. sicut vir. §. ecce his auctoritatibus. 7. q. 1. & in cap. sequenti. non autem. vbi Augustinus successit in Ecclesia Hypponensi de consensu possessoris. quia non negatur quin Papa illud possit, sed dicitur quod stantibus concordatis passim Papa deputando coadiutores cum futura successione, diceretur concordatis contrauenire, ex quo verba concordatorum conueniunt isto casu, vt in principio dixi. Et quando Papa, in simili casu illorum iurium, ex causa de qua ibi, & similes personas de quibus fit ibi sermo, deputaret, credo quod natio. Germanica non contradiceret. Et ideo, sublatis fundamentis istis, fuit conclusum, quod decis. Cassadori esset vera.

*

SVMMARIVM.

Familiaris primi Cardinalis defuncti, qui ante familiaritatem primi beneficia obtinebat, si transit ad familiaritatem secundi Cardinalis, & ea durante decedat, an Papa debeat conferre de consensu istius secundi Cardinalis.

1 *Reseruatio maior an debeat offuscare minorem.*

2 *Collatio, vbi pertinet ad aliquem de consilio alterius & ille est mortuus, cum consilium haberi non possit, an collatio liberè ad primum pertineat.*

DECISIO CCXXVI.

* Vide ad istam decis. Commentatorem regularum Cancellariæ super regula 30. pag. pen. vers. Item ex ista deciditur dubium. &c. Iste punctus fuit positus die 13. Martij 1551. per D. Reomanũ, cui causa fuerat commissa. & ex nouem votãtibus sex fuerunt pro Cardinale. videlicet, quod requireretur eius cõsensus. duo fuerunt contra Cardinalem, & vnus fuit dubius, quia non viderat bene causã, sed potius inclinabat cum duobus. Fũdamẽtum illorum sex fuit, quia regula in prin. generaliter loquebatur. & pro istis sex Dominis, est dec. Cassad. 23. in tit. de præben. in secunda & tertia ratione. Aduerte tamẽ, quia regula nõ dicit id quod Cassad. dicit. & apparet illud esse obiter & sine matura informatione dictum, & ex capite suo. Immo potest dici quod Cassad. bene dicat, quia regula in principio loquitur generaliter de beneficio vacanti per obitum familiaris Cardin. quod debet interuenire consensus Cardinalis cuius est familiaris. ab ista regula excipit quãdo primus Cardinalis sub cuius familiaritate quæritur beneficium, est viuus, at sic excipiendo casum vitæ primi Cardinalis, includit quod si primus Cardinalis est mortuus, requiratur consensus Cardinalis secundi. & hoc modo credo quod intellexerit Cassad. & attenta ista ratione, ego qui fui vnus ex illis duobus qui tenebant cõtra sex, muto votum meum & sum cum illis sex.

Bernardinus de Grasis * obtinens quædã beneficia, & inter alia canonicatum & præbendam Ecclesiæ Fulginatensis, primo fuit familiaris Reuerendiss. Cardinalis Neapolitani, & post eius mortem transiuit in familiaritatem Reuerendiss. Cardinalis Sabelli. & durante dicta familiaritate obijt. post cuius obitum, fuit dubitatũ. An Papa posset conferre beneficia vacantia per obitum dicti Bernardini, sine consensu Cardinalis Sabelli. & ideo ad instantiam Datarij die 15. Martij 1549. proposui huiusmodi dubium. An Papa possit libere sine consensu Reuerendiss. Cardinalis Sabelli, prouidere de beneficijs vacantibus per obitum Bernardini de Grasis, qui in familiaritate continua commensalitate dicti Reuerendiss. de Sabellis decessit, attento quod dictus Bernardinus antea fuerat familiaris continuus commensalis bo. me. Cardinalis Neapolitani, & qui antequam veniret ad familiaritatem dicti Cardinalis Neapolitani, dicta beneficia obtinebat. Causa erat intitulata Fulginatensis canonicatus. Istam quęstionem ponit Sarnen. in regula de impetran. benef. famil. Cardin. quæst. 18. & arguit ad partes, & eam non resoluit. Ego istam causam, seu articulum, bis posui in Rota & post binam propositionem fuimus diuisi. nam ego, ex quo causa erat extra Rotam, cum tribus alijs & sic quatuor, tenebamus quod Papa posset solus conferre absque consensu Cardinalis. Fundamentum nostrum in duobus consistit. Primum, quia in regula tertia, Papa reseruat beneficia familiarium Cardinalium. & quia ex illa reseruatione commodũ Papa sentit, & Cardinalis, propter quem, vel cuius causa inducitur reseruatio, præstat alimenta ipsi familiari, ideo Papa in totũ non vult excludere Cardinalem à collatione, sed vult facere collationẽ cũ consensu Cardinalis. & qñ Cardinalis moritur & ille familiaris transit ad aliã familiaritatẽ, quoad beneficia prius obtenta, Papa nihil potest lucrari, cum iam illa beneficia, ex priore familiaritate remaneant affecta. & ideo non est mirum si consensus secundi Cardinalis non requiratur, quia ex eius familiaritate nihil quęrit. Inde inferebatur, quod cum per obitum primi Cardinalis, beneficia remaneant affecta Papæ & reserua-
1 ta, ista, tamquam maior † reseruatio, debebat offuscare aliam ex familiaritate secundi Cardinalis, si qua considerari poterat, tamquam minorem. Et istud videbatur considerare Commentator in reg. de impetran. benef. famil. Cardin. Secundum fundamentum fuit. quia licet regula de impetran. beneficia familiarium in princ. dicat generaliter loquendo, quod requiratur cõsensus Cardinalis, tamẽ postea subdit, quod si familiaris fuit duorum Cardinalium, quod requiritur consensus primi Cardinalis viuentis. si autem primus Cardinalis est mortuus, casus est omissus à regula. & ideo debet determinari secundum dispositionem iuris communis. &
2 de iure est, quod vbi collatio † pertinet ad aliquem de consilio alterius, & ille est mortuus cum consilium haberi non possit collatio libere ad primum pertinebit. ita dicit tex. in c. 1. §. fin. ne sede vacan. in 6. Ita ergo erit dicendum in casu isto. vt Papa, qui debet conferre de consensu primi, cum ille primus, quia mortuus, non possit consentire, quod collatio libere spectet ad Papam. Alij vero quatuor tenuerunt contrarium. videlicet, quod Papa teneretur conferre cum consensu Cardinalis. moti vnico fundamento, videlicet, propter generalitatem regulæ de impetrando beneficia per obitum familiar. Cardinalium. nam regula in principio vult, quod debeat interuenire consensus Cardinalis. & licet regula ponat, quid quando est familiaris duorum Cardinalium, quod requiratur cõsensus primi, tamen quando primus moritur, remanemus in terminis regulę, vt illius consensus requiratur. item propter expensas quas secundus Cardinalis illi familiari subministrat, propter quod Papa vult

quod

quod consensus debeat præstari. Non obstat, quod dicebatur de maiori & minori familiaritate, vt illa secunda familiaritas Cardinalis, debebat ad primam reseruationem Papæ obscurari. quia dicebat vnus ex istis quatuor, quod illa reseruatio Papæ, erat realis & non personalis, quo casu istud non procedit. vt declarat Sarnen. in reg. de impetran. beneficia famil. quęst. 15.

SVMMARIVM.

Portio & dignitas in Ecclesia Salamantina, non sunt beneficia incompatibilia, nec de iure nec ex constitutione Nicolai Quinti.

1 *Vacatio ipso iure non est danda, nisi in casibus à iure expressis.*

DECISIO CCXXVII.

IN causa Salamantina canonicatus, die 15. Martij 1549. proposui dubium. An portio & dignitas sint beneficia incompatibilia in Ecclesia Salamantina, de iure, vel ex forma constitutionis Nicolai Papæ Quinti. Et fuit resolutum, quod de iure non essent incompatibilia per conf. Cardinalis 3. ex constitutione Nicolai non erat etiam beneficium incompatibile. quia licet constitutio dicat in 10. capitulo, & idem dicitur in 14. & 15. capitulis, quod vacante dignitate, prouideatur de ea antiquiori canonico. & de canonicatu antiquiori portionario, & de portione, antiquiori capellano. & sic si Capitulum debet prouidere, & prouidere non potest nisi beneficium vacet, sequitur quod inducitur vacatio, & per consequens ex ipsa constitutione incompatibilitas. quia fuit responsum primo, quod ista cōsequentia non erat bona. Capitulum debet prouidere seu prouideat, ergo beneficium vacat. quia debet intelligi, debet prouidere, videlicet eo dimittente. & si nollet dimittere, vel non ascenderet, vel sententia erat cogendus. itaque non erat verum dicere, quod indu-
1 ceretur vacatio † ipso iure. quæ non est danda nisi in casibus à iure expressis. Item & secundo, fuit dictum quod illa capitula 10. 14. & 15. loquebantur in casibus in quibus prouisio spectabat ad Capitulum, vel Episcopum, & sic in mensibus ordinarijs. nos autem eramus in prouisione Apostolica, de qua constitutio non loquebatur. & Antonius Loarte, de dignitate fuerat per Papam prouisus. & ideo nō eramus in terminis constitutionis.

SVMMARIVM.

Verba priuilegij descriptorum, quomodo interpretata.

DECISIO CCXXVIII.

DVbitauit D. Antonius Augustinus, die 15. Martij 1549. in vna Conchensi parochialis S. Iacobi de Huete. An priuilegia descriptorum iuuent eos ad expectatiuas, sub quacunque data futuras. Et fuit resolutum, quod sic ex ipsis verbis priuilegij. nam verba priuilegij ita dicebant. ipsisq. familiaribus concedimus, quod in assequutione canonicatuum. &c. & aliorum beneficiorum, quæ vigore gratiarum expectatiuarum eis sub data Kal. Septembris Pontificatus nostri anno secundo, per nos concessarum, aut sub alia data concedendarum extensionum, reualidationum. &c. ita quod illa verba. concedendarum. erant referenda ad verbum. gratiarum expectatiuarum. non autem ad verbum. extentionū.

SVMMARIVM.

In causa Fundana præceptoriæ.

DECISIO CCXXIX.

IN causa Fundana S. Antonij, proposui dubium die Veneris 22. Martij 1549. posito quod beneficium de quo agitur, per promotionem in Curia de Episcopo factū, vacauerit apud sedem. An præceptor generalis Neapolitanus, possit agere eo modo, quo agit contra Episcopum Fundanum possessorem. Et fuit resolutum, quod attento quod Aluarus de la Quadra, erat præceptor generalis, & Vicarius Abbatis S. Antonij, licet de isto beneficio tanquam vacante in Curia, disponere non posset, quod vt Vicarius & Ordinarius, agere poterat contra Episcopum vt remoueretur, & prouideretur postea beneficio & præceptoriæ per illum, qui de eo disponere poterat.

SVMMARIVM.

Supplicationibus extractis ex regesto Legati de latere, adhibita fides.

DECISIO CCXXX.

PRoposuit D. Peregrinus, die 22. Martij 1549. in vna Tarraconensi canonicatus & præbendæ, dubium. videlicet, Vtrum supplicationi extractæ ex regesto Legati de

latere standum sit. Et licet pro parte negatiua allegaretur decis. 621. & 682. * * in antiq. de quibus meminit Staphil. in tract. de lit.grat. & iust.fol.140. pag.2. in quibus dicitur, quod supplicationibus extractis ex regesto supplicationum † Papæ, non statur. ergo à fortiori, supplicationibus ex regesto Legati. quia fuit dictum, quod illæ decisiones procedebant,ad effectum vt ex illis supplicationibus iudicaretur. & in casu isto istæ supplicationes non erant productæ vt canonizarentur, sed vt ex eis probaretur quod de certis beneficijs erat promissum per legatum certis personis,quæ postea illa cessarant, & ista cessio petebatur canonizari. Et ideo fuit conclusum, quod si ille liber ex quo erant extractæ istæ supplicationes erat tentus per personam legalem, & quod esset ordinate tentus, & quod per Cardinalem & alios esset tentus pro libro legali, quod dictæ supplicationes facerent fidem ad finem de quo agebatur.

* * Alias 28. de probat. & 10. de fid. instr.

1 (margin, beside "regesto supplicationum")

SVMMARIVM.

Regulæ. de mutatione collationum. requirenti, consensum debere præstari infra triduum, presumitur satisfactum ex quo sunt expeditæ litteræ.

1 *Actus cum reperitur factus, præsumitur in tempore factus.*

DECISIO CCXXXI.

IN vna Paduana parochialis S. Antonij, coram D. Antonio Augustino, die 22. Martij 1549. fuit resolutum, quod dicens, formam regulæ. de mutatione collationum. non esse seruatam, videlicet consensus non fore extensos infra tridnum, teneretur probare,consensum fore præstitum post triduũ. ex quo ille contra quem opponebatur, habebat litteras expeditas, & præsumptio erat pro expeditoribus, maxime cum regula dicat, quod aliter expediri non possint. &
1 cum † actus reperiretur factus præsumebatur in tempore factus.per ea quæ dicit Abb. in cap. viduam. de regular. Decius in c. in præsentia. in 10. not. de probat.

SVMMARIVM.

Exceptio vel replicatio, quando dicatur requirere altiorem indaginem.

DECISIO CCXXXII.

DIe 27. Martij 1549. Dubitaui in causa Romana castri Feliciani. Præsupposito, quod iudicium Saluiani interdicti, de iure admittat exceptionem dominij, quæ incontinenti probetur. & sine veri præiudicio, quod Archiepiscopns testator, esset dominus castri Feliciani, & donauit afferens se dominum, & vterque. videlicet Henricus & Comes, ex iure Archiepiscopi veniat. An exceptio de statutis Vrbis, contra donationem ipsi Comiti factam, per Illustrem D.Helenam opposita, ita dicatur requirere altiorem indaginem; vt exceptio dominij opposita pro parte Comitis,non dicatur incontinenti probari. Et fuit resolutum quod exceptio dominij pro parte Comitis facta, stante præsupposito vero, quod diceretur incontinenti probari, licet replicatio de statutis pro parte D.Helenæ opposita,requireret altiorem indaginem. & ideo non esset reseruanda ad merita causæ, sed esset discutiendum, an dicta statuta obstarent donationi, vel non per decis. Matth. Afflict. decis.63. incipiente fuit dubitatum. Item, & secundo, fuit dictum, quod licet quæstio dubia in iure, quæ habet varias opiniones Doct. & in qua non reperitur communis opinio, sed est intricata propter opiniones dicatur requirere altiorem indaginem, & ita intelligitur quod dicit Capyc.decis. Neapolit. 10. col.fin.tamen quando quæstio, licet in ea sint variæ opiniones Doct. habet communem opinionem pro vna parte, tunc dicitur continere ius clarum, & non requirere altiorem indaginem, & isto casu cõmunis opinio erat quod statutum laicorum non caperet donationem Clerici, in qua disponebat de bonis propriis, etiam in fauorem laici.per ea quæ dicit Decius in cap.Ecclesia S.Mariæ. colum. 23. versic. & primo occurrit illa quæstio. &c. de constitut.

SVMMARIVM.

Simoniaca electio de qua hic.

1 *Simonia committitur, quando exprimitur alter quam insit de iure, etiam quod simus in spiritualibus.*

Rector Ecclesiæ, an teneatur habere clericos inseruientes.

DECISIO CCXXXIII.

DIe 27. Martij 1549. dubitaui in causa Bononiensi S. Thomæ de Braina. An electio facta de fratre Hieronymo fuerit simoniaca. Et fuit resolutum quod esset simoniaca, quia continebat pactum, quod deberet habere secum duos clericos Bononienses, & inter alios vnum filium ex vno ex electoribus. & licet rector parochialis Ecclesiæ debeat habere secũ, vnum vel duos clericos

ricos de iure. tamen quando exprimitur ali-
1 ter quam insit de iure † etiam quod simus in spiritualibus, induicit simoniam. ita Dec. in cap. significasti. col. 5. num. 17. de elect. & exprimere quod iste teneatur habere clericos Bonouienses, & vnum ex filijs electoris, est exprimere aliter quam insit de iure, & ideo pactum erat simoniacum. Nunc erit videndum, an frater Hieronymus habuerit notitiam de dicto pacto. & an per præsentationem, fuerit recessum à dicto pacto. & casu quo electio esset simoniaca, an simus in terminis cap. nobis. de simon.

S V M M A R I V M.

Regula de infirmis resignantibus, habet etiam locum in resignatione ex causa permutationis, etiam data æqualitate.

DECISIO CCXXXIV.

Die 27. Martij 1549. fuit resolutum in vna Maioricesi S. Nicolai, corā D. Antonio Augustino, pro Matthæo Fiol, contra Franciscum Thomam Iaxiquet, quod regula de infir. resignan. haberet etiam locum, quando resignatio fieret ex causa permutationis. etiam quod permutatio esset æqualis, vt fuit præsuppositum fore in illo casu, propter verba regulæ, quæ dicunt. etiam ex causa permutationis. quicquid dixerit Sarnen. in commento dictæ regulæ de infirm. resign. quæst. 19.

S V M M A R I V M.

Lis quanto tempore habita per extincta etiam quo ad partem.

1 *Litigiosi vitium, an causet litis motio iniusta.*

DECISIO CCXXXV.

In vna Zamorensi parochialis de Villador, coram D. Achille, die 27. Martij 1549. fuit eentum * quod lis, mota ab eo de cuius aliquo iure non constabat in actis, sed tantum de sola citatione, & quod erat elapsum decennium à die motæ litis, & postea superuenerat obitus mouentis litem. diceretur deserta. nec talis lis afferret vitium litigiosi, etiam ad effectum vt citatus qui post mortem mouentis litem triennio possederat, posset gaudere beneficio regulæ de triennali. Et istud fuit determinatum per decis. 2. Bisign. de rer. permut. vbi quod litis
1 motio iniusta non habet † vitium litigiosi. & ista satis dicebatur iniusta, ex quo non constabat de aliquo iure mouentis. Et in isto casu fuit dictum, quod, dato quod deficerent decem dies ad complendum decennium, tamen ex quo erat modicum tempus, quod perinde erat ac si decennium foret completum.

* Vide ad istā decisionē, q dicit Commentator regulorū Cancellariæ super regul. 17. pag. 5. in princ.

S V M M A R I V M.

Non fuit causa rationabilis, ex qua in concessione decimarum facta laico venirent decimæ noualium.

1 *Decimarum in concessione facta laico, an veniant decimæ noualium.*
2 *Decimarum concessio facta laico, an strictè interpretanda.*

DECISIO CCXXXVI.

In causa Malacitana decimarum, die 29. Martij 1549. proposui dubium. An subsit aliqua rationabilis causa, propter quam in concessione decimarum veniant decimæ noualium. Et fuit resolutum quod causa recuperationis à manibus infideliū, nec quod concessio esset remuneratoria, non erat causa rationabilis. nam text. in cap. tua. §. ne occasione. de decim. vult quod in concessio-
1 ne † decimarum facta laico, non veniunt decimæ noualium, & tamen ille text. loquitur quando laico erāt concessæ decimæ ex causa antiqua, ex qua prius cōcedebantur, quia auxilio eorum fiebat recuperatio à manibus infidelium, & defendebātur Ecclesiæ, vt declarat Glos. in cap. quamuis. eo. tit. de deci. & Abb. in cap. eum Apostolica, de his quæ fiu. à Prælat. & tamen non fit extensio ad noualia. vt dicit text. in d. cap. tua. & Glos. in d. cap. quamuis. in fine. nec verba concessionis Roderici, in quibus dicitur quod donat decimas, quæ debentur, & debebuntur, pertinent vel pertinebunt, fuerunt habita in consideratione. tum quia in concessione Episcopi. quæ non erat habenda in consideratione, cum Episcopus non potuisset in præiudicium successorum. cum quia illa verba intelliguntur de decimis quæ sunt de præsenti, quæ debentur & debebuntur in futurum, vt minus læderetur ius commune, ex quo eramus in concessione decimarum quæ
2 fiebat laico, † quæ erat strictè interpretanda. Et ideo fuit dictum, quod rationabilis causa esset, si primo loco antequam terræ essent reductæ ad culturam, essent pascua ex quibus soluerentur decimæ, vel si à principio, tempore concessionis, nullæ decimæ ex illis terris percipiebantur.

SVM-

SVMMARIVM.

Portio de qua hic, non litigiosa.

1 *Tertius veniens ad causam, an debeat de nouo seruare terminos.*
2 *Tertius, quando venit ad causam processus non est renouandus.*

DECISIO CCXXXVII.

IN causa Salamantina canonicatus, pro Antonio Loarte, contra Michaelem Alfaro, die prima Aprilis 1549. Dubitaui ego An portio obtenta per Antonium, tempore quo Antonius voluit ascendere ad canonicatum, esset litigiosa: Et fuit resolutum quod non. quia ex quo Antonius Palenzuela, vigore commissionis per eum presentatæ, dixit in commissione, quod termini erant seruati inter Hieronymum Pineda, & Antonium Loarte, & quod ipse ad causam huiusmodi volebat admitti pro celeri expeditione, & reuera termini inter inter illos erãt seruati,
1 quod Antonius Palenzuela non † debebat de nouo seruare. per decis. 456. * in nouis, in fine. & Felin. in cap. eum super. col. pen. versic. & dixit Rota. de re iudic. dum dicit
2 quod † quando aliquis venit ad causam, quod processus non est renouandus.

* Alias 40. de procurat.

SVMMARIVM.

Iurisdictio non censetur data Episcopo Augustensi, cumulatiue cum Prælato inferiori.

1 *Concilium Tridentinum loquens de prælatis in cap. 3. 6. sess. de quibus prælatis intelligatur, & num. 5.*
2 *Iurisdictio, an censeatur cumulatiue concessa.*
Visitandi facultas, concessa Ordinarijs per Concilium Tridentinum, quomodo intelligatur. & num. 6.
3 *Prælati verbum quos comprehendat.*
4 *Iurisdictio in monachos ad quem spectet. & num. 7.*

DECISIO CCXXXVIII.

DIe prima Aprilis 1549. Dubitaui in causa Augustensi iurisdictionis. An
1 verbum. Prælati de † quo in 3. cap. 6. sess. intelligatur de Episcopis saltem cumulatiue cum inferioribus Prælatis. Et pro parte affirmatiua. videlicet, quod saltem cumulatiue cõprehenderet Episcopos, adducebatur fun-
2 damentum. quia iurisdictio censetur † cumulatiue concessa. & ideo potestas visitandi concessa, censetur cumulatiue attributa. Iason. vbi ponit communem in l. quod in rerum. §. si quis post. col. pen. versic. breuiter. ff. de legat. 1. Felin. in cap. pastoralis. in princ. de offic. ordin. Sed hoc non obstante fuit resolutum, quod nec etiam censeretur cumulatiue tributa. nam licet verbum. Præ-
3 lati, † comprehendat nedum Episcopos & alios superiores, sed etiam alios prælatos inferiores, vt est text. in cap. eum Romana. §. ab Archidiaconis. de appellat. in 6. & in cap. 1. §. nec etiam suffraganeorum. de foro compet. in 6. tamen, quia hic agitur de iurisdictione Prælatorum regularium supra
4 monachos suos, † quæ iurisdictio est priuatiua ad Episcopum. vt per Abbat. in c. pastoralis. & ibi Felin. col. 4. vers. limita septimo. de offic. ord. & ideo, cum Prælatus inferior habeat iurisdictionem priuatiue ad Epi-
5 scopum, non est dicendum quod † constitutio conciliaris, in hoc voluerit præiudicare Prælato inferiori. sed tantum mens constitutionis conciliaris fuit, prouidere contra exemptos, vt à Prælatis suis corrigi debeãt non autem Prælato iurisdictionem non habenti, aliquam velle tribuere. Non obstat,
6 quod quando datur iurisdictio, cẽsetur † data iurisdictio cumulatiue. allegando Iason. in l. quod in rerum. §. si quis post, quia verum est vbi tractatur de danda iurisdictione constitutio autem conciliaris, non tractat de danda iurisdictione, sed tantum de conseruanda Prælatis suis. Et ideo in casu isto conclusum fuit, quod Episcopus Augustensis non posset concurrere cum præposito Mon-
7 tis Iouis † in correctione suorum monachorum.

SVMMARIVM.

Retentio in promotione, nec solutio censuum longo tempore isto casu non profuit.

1 *Obreptio quæ vitiet gratiam.*
2 *Titulum non producere melius est, quam producere infectum.*
3 *Titulum exhibere quando non possit cogi beneficiatus ab Episcopo.*

DECISIO CCXXXIX.

IN causa Fundana S. Antonij, die prima Aprilis 1549. proposui dubium. An retentio, in promotione ad Episcopatum concessa, vel quia soluit longo tempore census Aluaro tanquam præceptori, suffragetur D. Episcopo Fundano. Et fuit resolutum quod retentio in promotione, tanquam subreptitia non suffragaretur, quia erat subrepeitia. cum in ea diceretur, quod præceptoriam

riam retinebat in commendam, nam si dixisset Papę quod eã in titulum, & non commendam, prout per eum articulatum fuerat & probatum, Papa difficilius cõcessisset. vel etiam quod eodem modo concessisset, quia erat obreptio, & expresserat illud
1 quod erat falsum, talis obreptio † reddebat gratiam nullam. vt per Innocent. in c. super litteris. col. 1. de rescrip. non obstat, quod ex quo possederat prius ante promotionẽ per decem annos, quod erat præsumendũ quod commenda narrata esset vera. quia fuit responsum, quod illud esset verum, quando ipsemet Episcopus Fundanus, non produxisset titulum suum, ex quo constabat quod præceptoria ei in titulum & non in commendam fuerat ei concessa,
2 quia melius fuisset † non produxisse titulũ, quam titulum infectum produxisse. Non obstat, quod quia per decem annos post promotionem, Abbas seu Aluarus Vicarius receperat census ab Episcopo Fundano, quod talis receptio Episcopo suffragaretur, & ideo amplius non posset cogi ab Ordinario ad exhibendum titulum præceptoriæ, ex quo
3 tacite † fuerat aprobatus. vt per Probum in c. ordinarii. in princip. de offic. ord. in 6. quia fuit responsum, quod Probus istud ibi declarat nisi illa possessio esset contra ius, prout est in casu isto. in quo Episcopus Fundanus post promotionem, de iure præceptoriam retinere non poterat, & ideo poterat cogi ad exhibendum titulum suæ dispensationis, non obstante solutione plurium annorum.

SVMMARIVM.

Consuetudo, vt delegatus non inserat in citationibus facultatem suam est præter ius, & non contra.

DECISIO CCXL.

IN vna Cæsaraugustana præceptoriæ de Alambra, die 1. Aprilis 1549. dubitauit D. Fabius An consuetudo, vt locum tenens generalis magni Magistri, non inserat suam facultatem in citationibus, esset contra ius vel præter ius, ita vt sufficerent decem anni. & aduerte quia fuit præsuppositum, quod locumtenens esset delegatus. Et fuit resolutum, quod consuetudo esset præter ius, & non contra. quia nullibi cauetur in iure, idest non est dare legem, vel canonẽ expresse requirentem istam insertionem. nam in c. 2. de dilat. ibi fuit contingentia facti. text. in c. cum in iure peritus. de off. deleg. procedit quando exequutio dirigitur alicui, & sic sumus in facto graui. & idem dicitur in l. prohibitum. de iure fis. lib. 10. l. 1. de mandat. prin. C. loquitur etiam in graui præiudicio, vt credatur illi qui, dicit se missum à Principe vt faciat quicquid velit. & in isto casu tractamus de pauco præiudicio, quod per comparitionem tollitur. Non obstat, quod saltem est contra rationem legis, videlicet vt quis certus sit de iurisdictione iudicis, quo casu consuetudo quadraginta annorum requiritur. vt per Felin. in c. statuimus. n. 4. de maior. & obed. quia fuit respõsum vt illa ratio, vt quis sit certus de iurisdictione iudicis, procedit in grauibus, vt in iuribus. de quibus supra. secus autem est in his quæ modici sunt præiudicij. & tanto magis in casu isto, in quo in citatione, aderat sigillum conuentus, & Vicecancellarij religionis. Non obstat, quod esset contra communem opinionem, volentem quod facultas debet inseri. quia licet sit contra communem, non tamen est contra ius.

SVMMARIVM.

Stylus, quod non fiat citatio ad sententiam isto casu non probatus, & an intersit quod sententiæ reuocentur.

DECISIO CCXLI.

IN causa Calagurirana subsidiorum, die 5. Aprilis 1549. dubitaui. An per testes examinatos probetur stylus, quod ad sententiam in oppido Vallis Oleti, non fiat citatio. & si, non, an intersit pro parte archipresbyteratus sentẽtias latas reuocari. Quo ad primam partem fuit dictum, quod stylus non probaretur. quia stylus erat contra ius & testes non deponebant de quadraginta annis. immo non deponebant de aliquo tẽpore, sed tantum dicebant, quod viderant obseruari. Item, non deponebant de obseruantia in oppido Vallis Oleti, coram iudicibus Ecclesiasticis delegatis. Quo ad secundam partem fuit dictum, quod ex quo in Rota pendebat causa super eo, quod parochia de Haro & Briones prætẽdebat se grauatam, quod non teneretur contribuere pro tertiã parte, quod viderentur testes examinati pro parte archipresbyteratus de Riozas, an ipsi probarẽt, quod etiam quod subsidium imponatur exigendum per veros valores, quod etiam tali casu tertia pars spectet ad parochiam de Haro & Briones, & si istud probarent, ex quo per sententias archipresbyteratus erat grauatus, quod tunc intererat archipresbyteratus reuocari sentẽtias. si autem istud non probaretur, cum illi delegati, & Cardinalis tenerentur exigere secundum veros valores, quod non interesset archipresbyteratus, & ideo sententiæ non erant reuocandæ. Item est videndum. An

An Cardinalis, & illi delegati, tenerentur exigere secundum veros valores, stante breui, & concordia facta inter clerum & Imperatorem.

SVMMARIVM.

Oppositio per D. Helenam, de statutis, respiciebat replicationem ipsius D. Helenæ, & non exceptionem Comitis.

DECISIO CCXLII.

Die 8. Aprilis 1549. in causa castri Feliciani, proposui dubium in Rota. præsupposito, quod D. Helena possit dicere de nullitate donationis ex defectu insinuationis ex statuto proueniente, sicut & eius auctor potuisset. An oppositio de dictis statutis, respiciat exceptionem Comitis, vel replicationem D. Helenæ, itavt non sit reseruanda ad merita causæ, sed discutienda in hoc negocio. Et fuit resolutum, quod oppositio de dictis statutis, non respiceret exceptionem Comitis, sed replicationem D. Helenæ. & ideo non esset reseruanda ad merita causæ, sed discutienda in hoc negocio. iuxta decis. Afflict. 63. quia Comes, qui poterat excipere in isto iudicio de dominio incontinenti probando, producebat donationem de iure communi validam, ex quo erat iurata. dato quod haberet defectum insinuationis. & ideo D. Helena, dicens quod ex statutis defectus insinuationis non poterat iuramento suppleri, debebat verificare, quod statuta comprehenderent clericum donantem. nam non sufficiebat producere statuta, sed etiam verificare, quod dicta statuta comprehendebant casum de quo agebatur. & ideo cum difficultas oriretur ex parte D. Helenæ statuta producentis, erat discutiendum, an comprehenderent casum nostrum vel non. & non erat reseruanda ad merita causæ.

SVMMARIVM.

In causa Coloniensi legitimitatis.

1 *Gratiatus tenetur omnia per eum in gratia, vel in concessione narrata, iustificare. Concessio gratia dicitur.*
2 *Resignatione volens aliquem excludere, resignationem iustificare tenetur.*
3 *Valor an debeat exprimi in beneficijs commendatis.*

DECISIO CCXLIII.

In causa Coloniensi legitimitatis, die 10. Maij 1549. proposui dubium tenoris sequentis. præsupposita professione Sophiæ in loco de Mouerstard, & quod ab eo loco recessit & venit ad locum Distarnich, in quo inter Beguttas inclusorij ad quatuor annos permansit, nō tamē probatur quod dictæ Beguttæ emittant professionem, saluo quod domus vocaretur inclusorium, & haberet trāsitum liberum ad Ecclesiam, seu illi contiguum locum, in quo per fenestras cancellatas, diuina audirent ac orarent personæ illius. necnon quod gestarent habitum religiosum, & nominarentur sorores, ac reputarentur religiosæ personæ in vulgari Germanico Begeben personæ, & se pro talibus reputarent. & quod Ioannes, eodem tempore ac dudum antea, in Distarnich in domo sua habitauerit. & de tali cohabitatione, nominatione, reputatione, & habitu, ac perseuerantia ipsius Sophię in dicto inclusorio, & inter dictas Beguttas notitiam habuerit. & orta fama impregnationis Sophiæ ab ipso, seu cum in eandem libidinem ipsa secum extra matrimonium conspiraret, se absentando à loco Distarnich cum eadem recesserit Coloniā. & tandē in villagio Hencheorot, patriæ Montensis, vna cum duabus prolibus aduersarijs dudum antea natis, & Sophia illarum matre ibidem incognita, & habitum secularem gestante, comparuerit. ac matrimonium contrahendo, edicta ibidem publicauerit. & post aliquot annos ab Hencherot recedendo, tandem vna cum Sophia reuersus ad Distarnich, cum ipsa in domo sua habitare cœperit. & testes plures in Distarnich, ipsos pro coniugibus reputauerint, & quod ab alijs reputarentur vidisse, seu audiuisse dixerint. ac duo testes de communi fama matrimonii in oppido de Mouerstard. An, detecto postea impedimento professionis, ex reputatione huiusmodi suppleatur defectus edictorum. & Ioannes dicatur esse in bona fide, vt proles prædictæ quo ad eum dicantur legitimæ seu legitimatæ, etiam quo ad successionem, & in terris Imperij. Et fuit facta resolutio pro parte negatiua, quod quo ad Ioannem, non adesset bona fides, nec
1 proles ei succedere posset. † quia ad hoc vt quis sit in bona fide, debet illa bona fides causari ex aliqua probabili ignorantia facti dicti impedimenti. & talis bona fides debet adesse tempore conceptionis. vt per Abb. in c. referente. qui fil. sint. legit. at hic nulla est bona fides, cum Ioannes Sophiam nouerit habitantem, tamquam religiosam, in inclusorio. Et licet non probetur, quod tales ibi habitantes professionem emittant, tamen talis Sophia erat iudicanda, qualis in habitu

2 tu reperiebatur. † & indagandũ erat quod esse poterat, ex quo quis tenetur indagare statum eius cum quo contrahere habet. l. qui cum alio contrahit. ff. de regul. iur. Ista ergo diligentia indagandi statum eius cum quo contrahit, ex quo contrahebat cum alienigena, & non oriunda ex loco Distarnich, & quia erat in habitu religioso, debebat diligentius inquirere de statu Sophiæ, & eum edicta non proposuisset, nec in loco Nuuerstard, nec in Distarnich loco inclusorij, sed post impregnationem factam inde recesserint, & in loco de Heneherrot edicta
3 proposuissent, & sic fuissent proposita † nõ in loco debito. iuxta doctrinam Præpositi. in cap. fin. qui fil. sint legit. & alias resolutum fuit, vt supra annotaui, sequitur quod illa mala fides Ioannis, contrahentis cum alienigena, & existenti in habitu religioso,
4 non fuit purgata † per propositionem edictorum in loco. Tertio, non obstat publica vox & fama, orta de matrimonio post redditum ad locum Distarnich. nam ista publica vox & fama, fuit orta ex quo pro talibus pijs ad inuicem se habebant. & videntes tractatum eorum, poterannt credere vel quod Sophia non esset professa, vel sciebant professionem, quod matrimonium esset ex dispensatione Apostolica contractum. Vnde, cum ista publica vox & fama, esset quid extrinsecum ab animo, & facto ipsius Ioannis, nullatenus poterat purgare malam fidem Ioannis. Et idem fuit dictum de testibus deponentibus de publica voce in Nuuerstrard.

SVMMARIVM.

Causa venditionis in contractu iurato præsumitur vera.

1 *Contractus factus à minore cum iuramento absque causa, an sit validus.*
2 *Assertioni facta in instrumento inter personas non prohibitas, an sit standum. & num. 3.*
3 *Minor cum iuramento, non prohibetur contrahere. & an teneatur seruare contractum.*
4 *Minores, an possint vendere immobilia, absque causa & decreto iudicis. & quid si interueniat iuramentum.*
5 *Iuramentum an faciat minorem maiorem, & suppleat omnes solennitates.*
6 *Obligationis in forma Cameræ clausula, in parte renunciatiua, qua.*
7 *Decretum iudicis, an iustificet assertionem causæ in contractu minorum.*

DECISIO CCXLIV.

IN causa Romana medietatis casalis de la Bottaccia, die 10. Maij 1549. proposui dubium. An ex quo venditio facta fuit ex causa æris alieni, & quia creditores vrgebant, præsumatur vera, ex quo sumus in contractu minorum iurato. Et fuit resolutũ. quod ex quo contractus venditionis factus
1 à minore eum iuramento, † absque causa est validus. per auth. sacramenta puberum. idem erat dicendum, quando contractus venditionis erat factus ex causa quæ asserebatur in instrumento. nam tali assertioni in-
2 ter personas non prohibitas, † standum est. nam si minor, vendens cum iuramento sine causæ assertione, non est prohibitus contrahere, & talis contractus tenet; ergo idẽ erit dicendum, quando cum iuramento contrahit, & causam exprimit. quia isto casu, illi assertioni standum erit. vt in simili dicit Ripa. lib. 3. suorum responsorum. responso 3. colum. fin. vbi dicit, quod quando sumus
3 inter † personas non prohibitas, tunc statur assertioni. Et in casu isto, minor cum iuramento nõ prohibetur, immo tenetur seruare contractum. Non obstat. text. in l. magis puto. ff. de reb. eorum. vbi minores non pos-
4 sunt vendere † immobilia absque causa & decreto iudicis. quia ille textus non procedit vbi interuenit iuramẽtum minoris. quia
5 iuramentum facit minorem † maiorem, & supplet omnes solennitates requisitas. Et eã to magis erit dicendum in casu isto. in quo
6 erat obligatio in forma Cameræ, in † quo erant clausulæ in parte renunciatiua in quibus renunciatur rei non sic gestæ, aut aliter factæ, doli, vis, simulationis, exceptionibus, & generaliter omnibus alijs exceptionibus. & promittit, contra præmissa & singula non dicere, venire, aut facere. & sic iurat, & promittit, itaut non solum simus in iuramento assertorio, sed etiam promissorio. Quare si isti de la Cithara possent dicere, causam non esse veram, nil aliud esset quam aperire viam periurio. cum ex clausulis positis in dicta parte renunciatiua, appareat quod ipsi non possint dicere, assertionem eorum non esse veram. & sic admittendo eos ad dicendum contrarium, manifeste peierarent. Non obstat, quod esset resolutum, quod decretum iudicis non iusti-
7 ficaret † assertionem causæ, vt alias erat resolutum, quia licet decretum non iustificaret, tamen iuramentum, contractum & omnia in eo contenta, confirmabat, ex quo ita erat iuratum. Non obstat, quod iuramentũ ex falsa causa interpositum contractum venditionis minorum non confirmabat. prout alias in ista causa resolutum fuerat, quia istud erat verum si constaret de falsitate

causæ, & cum non constaret standum erat assertioni, de qua in contractu venditionis.

S V M M A R I V M.

Pensio legitime translata. dato quod bulla fuerit inserta in processu, & solum talis processus coram transferente productus fuerit.

1 *Pensionis translatio an teneat, non præsentatis litteris facultatis transferendi.*
2 *Insertum, an faciat fidem, & num. 3. & 5.*
3 *Exemplo iudex an possit dare fidem.*
4 *Productio iurium quando dicatur in tempore facta.*
5 *Citatio quando mittitur in longinquas partes, an debeat inseri facultas.*

DECISIO CCXLV.

* Fuit iste articulus iterum positus 24. Maij 1549 & idē firmatū fuit.

* Alias 21. de cōcess. preb.

IN vna Zamorensi pensionis, die 13. Aprilis 1549. proposuit * dubium D. Achilles. An pensio fuerit bene translata, attento quod litteræ non fuerunt præsentatæ, nisi insertæ in processu fulminato. Et prima facie videbatur dicendum, quod translatio nō teneret. per decis. 459. * in nou. quia quan-
1 do litteræ non præsentantur, † translatio nō
tenet, vt dicit dicta decis. 10. eo quia iudex ignorat potestatē suam & formam, & istud potest diei in casu nostro. in quo, cū insertum
2 non † faciat fidem auth. si quis in aliquo, vi
detur iudex ignorare potestatem & formā. Sed non obstante hoc fundamenro fuit resolutum contrarium. quia per productionem inserti, iudex erat certus de iurisdictione, & forma eius, & ita cessabat ratio decisionis.
3 Non obstat, † quod insertum non probat.
quia fuit responsum, quod immo iudex potest dare fidem inserto, & exemplo parte non opponente. vt per Dec. in d. auth. si quis in aliquo in 10. fallen. C. de eden. & ideo iudex potuit credere huic inserto. Nō obstat, quod pars non potuit opponere, quia non fuit citata, quia respondetur quod in actu translationis citatio non requirebatur, & nihilominus quando postea pars opposuit, statim fuerunt productæ litteræ origina
4 les. & sic videbantur † in tempore productę
per ea quæ dicit Dec. in d. auth. si quis in aliquo. in primo not. & in c. 1. in primo notab. de fid. instrum. & tanto magis cum non essemus in casu isto in nudo exemplo, attento quod index processus, attestabatur vidisse litteras originales, & eas inseruerat, & suū sigillum posuerat. vt merito iudex transfe
5 rens, adhibuerit † fidem ipsis litteris. iuxta
not. in cap. cum in iure peritus. de offic. delegat. vbi Felin. in 2. colum. dicit, quod licet quando citatio mittitur in longinquas partes debeat inseri facultas; tamen fallit, quando habet adminiculum vtputa si est facta per Cursorem Papæ, quia tunc sine insertione facultatis citatio arctabit.

S V M M A R I V M.

Litteræ, an isto casu quo ad valorem & professionem, sint verificandæ.

1 *Regula de valore, an habeat locum in beneficijs commendatis.*

DECISIO CCXLVI.

IN causa Cæsaraugustana præceptoriæ de Villell, dubitaui die 13. Maij 1549. An D. Hieronymus teneatur verificare litteras suæ commendæ quo ad valorem præceptoriæ, & ipsum emisisse professionē. Et ex vno fundamento Domini inclinabant, quod non teneretur verificare nec valorem nec professionem. ex quo beneficium, siue præceptoria, erat commendata ipsi Hieronymo existenti tunc in duodecimo vel circa suæ ætatis anno, vsque ad ætatem legitimā. & possessio capta per Hieronymum, fuerat capta durante cōmenda & sic ante quā legitimam ætatem attigisset, & sic decimumquartum annum, quo tempore in titulum sibi concedebatur emissa prius per eum professione ra
1 tio fuit, quia in beneficijs † commendatis,
non habet locum regula de valore. vt per Sarnen. in regula de non exprimen. quæst. 7. Et ita etiam non tenebatur professionem verificare, ex quo omnia erant facta durante commenda.

S V M M A R I V M.

Contrauentum testamento, an isto casu fuerit.

DECISIO CCXLVII.

IN vna Romana bonorum, pro Valagussis contra Rochum Blanchalana, dubitaui die 13. Maij 1549. An per Valagussos sit cōtrauentum vltimo testamento q. Io. Francisci, & per contrauentionem sint priuati legatis. Et fuit resolutum, quod cum Valagussi venirent ex testamento, prætendentes quod appellatione vineæ veniret cannetum, vt per multas auctoritates per eos allegatas, & quoad montem etiam prætenderent, quod in testamento vltimo Rochus Blanchalana non esset institutus, vt latius in informationibus eorundem, quod non diceretur contrauentum. quia quælibet causa excusat à pœna.

Et non

Et non erat dubium, quod probabiliter in præmissis dubitari poterat, ex quo etiam Rota dubitauerat.

SVMMARIVM.

Sequestrum de muliere propter potentiam, quo casu fuetit negatum.

1 *A sequestro incipiendum non est. sequestra odiosa.*
2 *Matrimonium, in præiudicium alterius matrimonij plene probati, quomodo probari debeat.*
3 *Mulier quando sit sequestranda.*

DECISIO CCXLVIII.

* Iterum causa fuit posita, die 27. Maij 1549. & fuit dictum quod non daretur sequestrum. quia per illud daretur spoliū matrimonij. c. cum locum cum glos. fin. de sponsal. & ibi Innoc. in fin. Ost. & Io. And. cum quibus Præposit. col. 2. vers. stat antē dubiū. Non obstat, quod hic sumus in materia peccati. quia fuit dictum quod etiam in materia peccati fit restitutio marito, nisi mulier incontinēti habeat probationes paratas. c. litteras. de restit. spol.

IN causa Neapolitana, & Theatina matrimonij, die 17. Maij 1549 dubitaui. * An D. Anna sit sequestranda inxta formam commissionis. Et quia cōmissio dicebat, quod timor erat quod propter potentiam aduersarij & fauores, habita sententia, exequutio eius fieri non posset, quod si de iure sequestratio fieri debebat, quod fieret, ideo dubitaui vt supra. Et fuit resolutum, quod attento quod matrimonium inter Ioānem & Annam, erat contractum & consumatum, quod à sequestro non
1 esset incipiendum, † cum sequestra sint odiosa. l. vnica. C. de prohib. sequest. Item & secundo, quia quis nō erat lite pendente sua possessione priuandus. cap. 1. vt lit. pend. & quia matrimonium Antonii, petentis Annam sequestrari, erat probatum per vnum testem, & alios duos, vel tres de publica voce, ideo non erat plene
2 probatum in præiudicium † matrimonij plene probati. secundum Doc. consf. 132. cum alijs in informatione allegatis. Et licet Doct. in c. cum locum. dicant, quod quando timetur quod exequutio
3 propter potentiam fieri non possit, † mulier sit sequestranda. vt ibi Io. And. & Præposit. col. 2. super glos. fin. fuit dictum, quod loquuntur quando mulier est virgo. vel corrupta, & stat ipsa mulier contra matrimoniū, sed quando mulier non stat contra matrimonium, sed secundus maritus eam possidet, & matrimonium plene est probatū & consummatum, q ad instantiā eam petentis sequestrari, Doctores ibi hoc non dicunt. Et tanto magis dicebatur quod in casu isto, propter potentiam Viceregis, mulier non esset sequestranda, quia si petens sequestrum de Anna fieri in Regno, sperabat quod Vicerex esset pariturus litteris sequestratoriis, idem sperare debebat, quod etiā esset pariturus litteris exequutorialibus post sententiā, & tanto magis cum non Vicerex, sed Imperator esset Dominus Regni. & ideo ad Imperatorem poterat haberi refugium in euentum in quem Vicerex exequutionem facere differ-rēt. maxime cum Antonius diceret, se impetrasse litteras ad Viceregem, vt ipse obediret sententijs Rotalibus. Fuit tamen dictum vt daretur dubium. an Anna esset sequestranda propter timorem ferri vel veneni, in euentum quod pronūciaretur pro Antonio.

SVMMARIVM.

In causa Romana Pitiliana dotis. Onus faciendi renunciare Liuiam ex verbis instrumenti, non spectat ad Comitem Io. Franciscum.

DECISIO. CCXLIX.

DIe 17. Maii 1549. in causa Romana Pitiliana dotis. Dubitaui ego. An onus faciendi renunciare D. Liuiam ex verbis instrumenti, spectet ad Illust. D. Io. Antonium, vel ad Comitem Io. Franciscum. Et fuit resolutū, quod nō spectaret ex verbis instrumenti ad Comitem Io. Frāciscum. quia licet Io. Franciscus promisisset, quod Nicolaus eius filius ratificaret omnia pro eo promissa, tamen in instrumento nullibi legebatur, quod ipse Io. Franciscus promisisset, quod Liuia renunciaret. Et licet ista renunciatio Liuiæ esset in fauorem Io. Antonii, tamen ex hoc non sequebatur quod Comes Io. Franciscus promisisset, quod ipse faceret Liuiā renunciare. Non obstat, quod debebat esse differētia inter promittentem & stipulantē, & ideo non erat verisimile, q Io. Antonius voluisset ipse teneri ad faciendū eius filiam renunciare. quia ex quo renunciatio fieri debebat cū consensu Nicolai mariti, quo ad illū consensum Comes Io. Franciscus tenebatur. & ideo quo ad illud erat differentia inter stipulantē & promittentē. Et licet Io. Antonius non promisisset dotem 1200n. ducat. nisi etiam Liuia renunciasset, tamen per hoc nō sequebatur, q ex verbis instrumēti Comes Io. Frāciscus promisisset facere illam renunciare. Et ideo fuit resolutum, q ipse talem renunciationē non promisisset. similiter etiam fuit dictum quod nec D. Io. Antonius cogebatur facere Liuiā renunciare, quia nec etiā istud Io. Antonius promiserat. Sed quia super hoc Comes Io. Franciscus voluit melius audiri, ideo dedi dubium. præsupposito, quod onus faciendi renunciare D. Liuiā non spectet ad Comitem an spectet ad D. Io. Antonium. Itē fuit dictum, quod quādo onus non spectaret ad Comitem Io. Franciscum, nec Io. Antonium, tunc daretur dubium. An Comes Io. Franciscus, posset agere ad dotem absque eo quod Liuia renunciaret.

SVMMARIVM.

Scientia præsumpta, seu mala fides præsumpta, quo casu non fuerit purgata spacio triginta, seu quadraginta annorum.

1 *Mala fides præsumpta, vbi est titulus a iure reprobatus, an purgetur spacio longi temporis.*
2 *Error iuris, an prosit in præscriptione longissimi temporis.*
3 *In contractu matrimonij an requiratur titulus, & qualis esse debeat. & num. 4.*
5 *Illegitimi quando sint filij, detecto impedimento post contractum matrimonij.*

DECISIO CCL.

IN causa Coloniensi legitimitatis, dubitaui die 20. Maij 1549. An præsumpta prætensa mala fides Ioannis, quæ colligi videtur ex eius recessu à loco Distarnieh, & ex contractu mattimonii postea in alio loco cũ Sophia, si non purgetur per eius redditum factum ad dictum locum Distarnieh, vbi habitauit vsque ad eius obitum, subsequuta communi reputatione, & fama de matrimonio contracto inter eosdem saltem post lapsum triginta annorũ, seu quadraginta prout in casu nostro, videatur purgata & sublata. Et pro parte affirmatiua, quod præsumpta mala fides, per lapsum triginta vel quadraginta annorum, censeretur esse purgata & sublata allegabatur in terminis Bart. in l. fin. circa finem. C. vnde vi. in vers. item ista allegatio malæ fidei. &c. quod dictum Bart. sequitur Alex. cons. 6. viso themate. col. pen. lib. 1. Rom. cons. 107. cũ præsupponatur. in prin. Abb. cons. 89. in quæstione col. 3. lib. 1. Aret. cons. 63. col. pen. Alex. cons. 167. nu. 7. vol. 6. Dec. cons. 266. col. fin. nu. 5. & cons. seq. col. 4. ad finem, & cons. 375. ad fin. Soc. cons. 181. num. 3. vol. 2. Istis tamen non obstantibus, fuit decisum contrarium in casu
1 isto. quia præsumpta † mala fides vbi est titulus à iure reprobatus, nõ purgatur spacio triginta vel quadraginta annorum. nã licet
2 error iuris, prosit † quo ad bonam fidem in præscriptione longissimi temporis, tamen non prodest vbi est error iuris & titulus est à iure reprobatus. secundum Panl. de Castr. in l. Celsus. col. 1. & ibi Balb. in quarto not. de vsucap. certum est enim, quod in matri-
3 monio † requiritur titulus, & cum iste titulus, non propositis edictis in loco vbi est consuetudo apponendi, immo recedendo à loco in quo erant edicta proponẽda, & eundo ad alium locum, in quo de iure non erant apponenda, & ea ibi proponẽdo, ibi erat error in
4 ris. Et ex quo ius reprobat isto casu † titulũ certe talis titulus non erat sufficiẽs ad purgandam illam malã fidem, etiam spacio quadraginta annorum vt per Balb. in dicto 4. not. Itẽ & secundo, fuit dictum, quod dato quod non esset pręsumpta mala fides in Ioãne ab initio sed ignorantia, tamen ex quo non apposuit edicta in loco in quo erat con
5 suetudo, detecto postea † impedimento quod filij erant illegitimi, per text. in cap. fin. §. 1. qui incipit. si quis vero de clandest. despon.

SVMMARIVM.

Præscriptio, & non consuetudo quando dicatur, & præscriptioni quo casu non fuerit locus.

1 *Bona fides an requiratur in iure quærẽdo.*
2 *In præscriptione Ecclesiæ, ad Ecclesiam quot anni requirantur.*
3 *Priuilegio concesso Ecclesiæ, vt censeatur renunciatum, quot anni requirantur.*

DECISIO CCLI.

EAdem die 20. Maij 1549. in causa Salamantina pręeminentiarum, dubitaui. An per possessionẽ pręeminentiarum per capitulum maius, post erectionem collegiatæ Ecclesiæ habitam vel continuatam, idem Capitulum mains possit allegare vsum, seu consuetudinem interpretatiuam, aut præscriptionem. Et fuit resolutum, quod consuetudinem interpretatiuam allegare non poterat, quia hic non agebatur de consuetudine, sed præscriptione. ex quo agebatur de acquisitione iuris quæsiti vni collegio ad alterũ. & ideo dicebatur præscriptio, & non consuetudo. vt post Io. And. declarat Abb. in c. fin. col. antepenult. vers. & ideo notabiliter dicit. &c. de consuet. prout & istud alias fuit resolutum, vt annotaui in 2. lib. not. mearum decis. 377. Fuit etiam dictum, quod ex quo eramus in iure quæsito collegiatæ, præscribendo per capitulum maius, & non in iure quærendo, quod non haberet locum dictũ Pet. de Anchar. in c. fine possessione. de reg.
1 iur. in 6. vbi vult, quod in iure † quærendo non requiritur bona fides, vt in legatario nõ agnoscente legatum, & alio ius delatũ quia hic eramus in iure quæsito. Et ideo quia tra-
2 ctabatur † de præscriptione Ecclesiæ ad Ecclesiã, in qua regulariter requiritur spaciũ quadraginta annorum, & hic non erãt decur si tot anni, propter deductionẽ faciendã de dicto tempore illud tempus quo sedes Abbatialis vacauit, quod erat tempus sex vel septẽ annorum, quod propter defectum dicti temporis non erat completa præscriptio ante superuenientiã litis, nec etiam poterat dici renunciatum priuilegio per non vsum. cũ etiã in priuilegio cõcesso Ecclesię, vt dicatur
3 per † nõ vsum ei renunciatũ requiritur cursus

sus quadraginta annorũ. cum collegiales,& alij, non potuissent, si voluissent, expresse re nunciare priuilegiis Ecclesiæ.ex not. per Innoc. & alios.in cap. accedentibus. de priuilegijs Abb. & communiter Doct. in c. cum accessissent. de constitut. col.penult.

SVMMARIVM.

Ius considerabile quo casu ex oppositione quæsitum fuerit.

1 *Ius an quis possit sibi ipsi tribuere.*
2 *Ex oppositione, an quæratur ius in re.*
3 *Oppositio quæ sit pro consequendo beneficio, quid requirat.*

DECISIO CCLII.

Dvbitauit D. Reomanus, die 20. Maij 1549. in vna Burgensi canonicatus & præbendæ Doctoralium. Stante priuilegio Sixti, quod canonicatus Doctoralis,non potest conferri nisi sub certa forma, & habenti debitas qualitates. vtrum ex oppositione & appellatione Doctoris Puente,fuerit quæsitum ius considerabile ad canonicatum vacantem, cui non fuerit derogatum per nouam aduersarii possessoris prouisionem. Et fuit resolutum, quod ex oppositione ista esset quæsitum Doctori ius considerabile, de quo in prouisione aduersarij erat facienda mentio. vtrum autem esset sufficiens de eo facta mentio, & ei sufficienter derogatũ. fuit dictum, quod postea disputaretur. Ratio resolutionis fuit, considerando quod hic non erat simplex & nuda oppositio, quo casu militant rationes Cassad. in decis. 18.
1 de præbend. quia nemo † potest sibi ipsi aliquod ius tribuere, sicut nec aliquis potest se ipsum præsentare, vel eligere. Item fuit dictum, quod per istam oppositionem non erat quęsitum ius in re.quia istud priuilegiũ Sixti non dicebat, & etiam isto casu bene loquatur dicta decis. 18. dum dicit quod ex op
2 positione,† non quæritur ius in re,nisi quando istud in constitutione dicitur. Sed fuit dictum, quod ex quo priuilegium Sixti vult quod Capitulum, canonicatum Doctoralem teneatur conferre magis idoneo & qualificato,secundum qualitates determinatas in dicto priuilegio,& eueniente vacatione,Capitulum iuxta consuetudinem eorum, vocauerit omnes qui dictas qualitates haberent vt se opponerent, inter quos Doctor Puente se opposuerat.& vltra oppositionem, qualitates per priuilegium requisitas verificauerat. quod isto casu, ex quo non eramus in simplici oppositione, sed vltra oppositionẽ qualitates necessarias Doctor Puente probauerat, quod ex tali oppositione vocatione facta per Capitulum, & verificatione qualitatum, esset ipsi Doctori quæsitum ius
3 considerabile. & ista oppositio † isto casu magis assimilaretur præsentationi, seu electioni potius quam acceptationi. nam vltra illud quod ipse se opposuerat, ex quo qualitates necessarias per priuilegium verificauerat, censebatur ab ipso priuilegio vocatus. & sic vel præsentatus, seu electus, itaut sola prouisio deficeret. quod non erat in casu Cassadori.nimirum si ipse vult, & bene, quod in illo casu, oppositio assimiletur acceptationi potius quam præsentationi. Et certe non est dubium, quod si Papæ ista per aduersarium fuissent narrata, vel nouam prouisionem non concessisset, vel difficilius concessisset.

SVMMARIVM.

Beneficium vbi est commendatum ad tempus,ad effectum vt prouisio valeat in fauorem eiusdem personæ, debet valor in ea expressus verificari.

1 *Gratiatus tenetur, omnia per eum in gratia, vel in concessione narrata, iustificare.*
Concessio gratia dicitur.
2 *Resignatione volens aliquem excludere, resignationem iustificare tenetur.*
3 *Valor an debeat exprimi in beneficijs commendatis.*

DECISIO CCLIII.

Die 24. Maij 1549. in causa Cæsaraugustana præceptoriæ de Villel, dubitaui. An Don Hieronymus teneatur verificare litteras suæ commendæ quo ad valorem præceptoriæ, & ipsum emisisse professionem, attento quod possessio per Hieronymum capta fuit durante Commenda temporali. Et licet supra decis. 246. hoc lib. 3. sub die 13.Maij, Domini dixissent, quod atteto quod possessio capta fuerat durante cõmenda, Hieronymus non teneretur ad verificationem valoris, per rationes de quibus ibi tamen re melius discussa,& intellecta.omnes nemine discrepante concluserunt,quod Hieronymus teneretur verificare valorem. quia ex quo Hieronymus etiam durante cõmenda temporali. videlicet,vsque ad ætatem legitimam, & postquam professionem emisisset,haberet præceptoriam in commendam. tamẽ durante tali Cõmenda, etiam faciebat fructus suos. & ideo cum negari non posset quin ista cõcessio esset gratia,tenebatur gra-
1 tiatus omnia per † eũ narrata verificare.iux ta not.per Io.And. & alios in c.1.de lit.con test. in 6. & per Felin. in cap. constitutus. in princ.

in princ. de rescript. alias gratia tanquam subreptitia erat nulla, & ita erat dicendum in casu nostro. in quo Ludouicus verificauerat extrema ad spolium, & docuerat de titulo colorato. vnde si intentionem Ludouici ex resignatione in fauorem eius facta Hie
2 ronymus excludere † volebat, debebat resignationem verificare, quia ea non verificata ius remanserat penes resignantem, & vacabat per eius obitum, & intrabat prouisio Ordinarij facta. Item & secundo. licet ista Commenda esset temporalis tamen Commenda in casu isto, erat facta ad effectum, vt Hieronymo prouideretur. cũ resignatio Ioannis esset facta ad hoc vt prouideretur Hieronymus, & non alias, aliter. &c. & sic Papa principaliter intendebat prouidere & ad officium, vt prouisio valeret præceptoria erat Hieronymo commendara. & sic, cũ prouisio esset principalis, erat de necessitate
3 valor † exprimendus, quia alias sub specie Commendæ, annata & alia iura spectantia ad officiales, non soluerentur. Non obstant, ea quæ dicit Sarnensis in reg. de exprimendo valore. quæst. 7. quia procedunt in Commenda mere temporali, & ex qua quis non facit fructus suos, & talis Commenda non est ordinata ad effectum, vt prouisio valeat in personam eiusdem, cui facta est Commenda præceptoriæ.

SVMMARIVM.

Renunciandi onus, idest facere & curare, quod Liuia renunciet, isto casu ad D. Antonium spectat.

1 *Promissum pro tali, vel nomine talis, an paria sint, & num. 2.*
3 *Clausula generalis, an sit referenda ad illud quod specialiter promissum est.*

DECISIO CCLIV.

Vltima Maij 1549. proposui dubium in causa Romana Pitiliana doris. An ex verbis instrumenti, videlicet, ac omnia per eã promissa, obseruabit. Illustris D. Io. Antonius teneatur facere renunciare D. Liuiam. Et fuit resolutum, quod illa verba. pro ea promissa acciperentur, idest nomine ipsius. per text. & quod ibi not. Bart. in l. fideicommissa. §. interdum. in princ. ff. de
1 legat. 3. paria enim sunt † dicere promissũ pro tali, vel nomine talis. Bart. in l. 1. §. nunciario. col. 3. versic. sed quid si dicit. & cæt. ff. de oper. nou. nunciat. & aliud est quod quis promittat pro tali, vt in casu nostro. & tunc intelligitur, vt promitrat nomine ipsius declarat Bald. cons. 466. nu. 9. lib. 5. & aliud quod quis recipiat promissionem alte-
2 rius, vel dationem pro tali, & tunc † intelligitur, idest ad vtilitatem illius. Corn. cons. 169. col. 3. vers. nec potest. lib. 1. Soc. consil. 218. colum. 1. versic. cum ergo. lib. 2. Et non possunt intelligi illa verba. pro ea promissa, idest ad vtilitatem Liuiæ, nam cum agatur de obseruantia facienda per Liuiam, non potest dici, quod promiserit obseruantiam eorum, quæ sunt ad vtilitatem ipsius Liuiæ, & si percurrãtur omnia capitula, apparebit manifeste quod clausula generalis, & omnia pro ea promissa obseruabit. non potest ad aliud referri, quam ad dictam renunciationem per Liuiam faciendam. nam quod contrahet matrimonium & consumabit illud,
3 specialiter promissum est. & ideo illa † clausula generalis. ac omnia. &c. non est referenda ad illud quod specialiter promissum est l. doli clausula. ff. de verb. oblig. Alia etiã sequẽtia capitula, respiciunt factum expressum Io. Antonii vtputa, quod dotem soluet, & acconcium. sequitur ergo, quod cum D. Io. Antonius promittat quod D. Liuia obseruabit pro ea promissa, & iam etat specifice dictum de matrimonio contrahendo, & consumando, quod illa clausula non possit referri nisi ad illam renunciationem. cum omnia alia obseruanda essent per D. Io. Antonium, non per Liuiam. Et ideo fuit resolutum, quod cum Comes Io. Franciscus ageret ad dotem, & D. Io. Antonius exciperet de renunciatione Liuiæ, quod id excipiendo non posset exequutionem obligationis retardare cum ad istum effectum, onus faciendi renunciare Liuiam, spectaret ad D. Io. Antonium. & sic tenebatur facere, & curare, quod Liuia renunciaret, & Comes Io. Franciscus tenebatur facere, quod Nicolaus eius filius consentiret. an vero sufficeret consensus per Nicolaum præstitus super hoc, erat informandum.

SVMMARIVM.

In causa Romana, castri Feliciani Comes Io. Frãciscus, hæres patris cum beneficio inuentarij, licet de euictione per patrem promissa, teneretur, tamen poterat dicere, castrum Feliciani ad patrem non spectasse.

1 *Hæres contra confessionem factam à testatore in testamento, an venire possit, & num. 2.*
3 *Hæres an possit venire contra factum defuncti, quando adiuit hæreditatem cum beneficio inuentarij.*

DECI-

DECISIO CCLV.

IN causa Romana Castri Feliciani, die 3.
Iunij 1549. proposui dubiũ. An d. Comes
Io. Frãciscus, cũ sit hæres Comitis Ludouici
eius patris possit negare dominium Comi-
tis Nolæ auctoris D. Helenæ. cui Comiti
Henrico, castrum de quo agitur, datum fue-
rat in solutum per D. Comitem Ludouicum,
asserentem etiam, illud ad se spectare. & in
propositione casus præsupposui. quod Co-
mes Io. Franciscus, esset hæres patris sui, &
eius hæreditatem adiuisset cum beneficio le
gis & inuentarij. item presupposui quod pro
baretur, quod Henricus Comes Nolæ, dictã
dationem in solutum ratam habuisset. quæ
datio in solutum facta fuerat de anno 1515.
& licet verum esset quod Comes Ludouicus
de dicto tempore dominus esset, & domi-
nium, per dationem in solutum in Comitem
Henricum transtulisset, tamen quia postea
de anno 1526. Comes Henricus hæreditatẽ
Archiepiscopi adiuit sine beneficio legis &
inuentarij. & in testamento Archiepiscopus
asseruit, castrum Feliciani ad se spectare, ex
aditione per eum facta sine beneficio legis
& inuentarij, Comes Henricus sibi præiudi-
cauit, vt confessionem testatoris, videlicet
Archiepiscopi in testamento factam, quod
1 castrũ ad eum † spectabat, impugnare non
possit. l. cum à matre. C. de rei vendic. Bart.
in l. rem alienam in fine. ff. de pign. act. &
tanto magis cum tantum tempus interuene
rit à datione in solutũ, facta de anno 1515.
vsque ad annum 1526. in quo Henricus insti
tutus fuit hæres, quia isto tempore interme
dio, potuit dominium acquiri Archiepisco-
po, & cum ipse asserat in testamento Ca-
strum esse suũ, & Henricus esse eius hæredi-
tatẽ adiuerit sine beneficio inuentarii, tene-
2 tur confessioni † auctoris sui stare. per dictũ
Bart. in d. l. rem alienam. in fine. ff. de pign.
act. Comes autem Io. Franciscus cum hære-
ditatem paternam adiuisset cum beneficio
inuentarii, licet ad euictionem promissam
per Ludouicum patrem in donatione in so-
lutum Henrico factã teneretur, tamen pro-
3 pter † beneficium inuentarii, poterat dicere
Castrum ad patrem suum non spectasse. per
text. in d. l. fin. C. de euict. & per Dec. con-
sil. 445. post numerum quinquagesimũquin-
tum & sequentem, & tanto magis cum dice
ret, tempore hypothecæ factę per Henricum
non spectasse, ex quo ex confessione Archie-
piscopi, cuius ipse hæres erat, Archiepisco-
pus confessus fuerat, castrum ad se specta-
re. & sic de errore eius patris constabat.

SVMMARIVM.

In causa Coloniensi illegitimitatis.

1 *Titulus an præsumatur in Ecclesia per cursum decem annorum.*
In contractu matromonij, an præsumendus titulus ex cursu decem annorum.
2 *Illegitimi quando sint filij, ob impedimentum post contractum matrimonij detectum.*
3 *Dispensatio in contractu matrimonij, an ex cursu triginta annorum præsumatur, & quando procedat.*
4 *Dispensare an soleat Papa, vt professa contrahat matrimonium.*
5 *Stante consuetudine apponendi edicta in contrahendo matrimonio, si matrimoniũ contrahatur in facie Ecclesiæ, an euitetur pœna non appositionis edictorum.*

ECISIO CCLVI.

IN causa Coloniensi illegitimitatis, die 7. Iunii 1549. proposui dubium. stantibus dictis testium in Heueherrot. videlicet, vnius de matrimonio contracto ante triginta annos. & plurium aliorum dicentium de tempore non recordari, propter longitudinem temporis, & quod à tempore solennizationis matrimonij, Ioannes & Sophia fuerunt semper reputati & habiti pro legitimis coniugibus, & filii pro legitimis prolibus, salua præsente lite & controuersia. & vnctus testis in Distarnich, quod ex communi fama audiuerit, dictos Ioannem & Sophiam fuisse legitimos coniuges, & sese pro talibus reputasse, & ab aliis reputari & haberi. & aliorum testium in Distarnich, quod Ioãnes & Sophia reuersi sunt ad Distarnich, & ab illo tempore semper pro legitimis coniugibus fuerũt reputati & habiti, & filii pro legitimis filiis. & trium testium in Nuuerstat de dispensatione ex auditu. videlicet vnius de dispensatione à Legato, & alterius dicentis quod sæpius audiuit de dispensatione in Vrbe Romana obtenta. & tertij dicentis de dispensatione à sede Apostolica, & quatuor testium in eodem loco de communi fama, quod Sophia habuisset legitimum maritum, & vnius dicentis se communi fama audiuisse quod sorores conuentus in Nuuerstat solebant facere professionem, & addentes, etiam se bene dici audiuisse, quod nonnullæ ex dicti conuentus sororibus, eundem conuentum exiuissent, & matrimonium contraxissent. An, quemadmodum in matrimonio spirituali, per lapsum decennij, præsumitur titulus & bona fides, ita & in matrimonio carnali adeo quod Ioannes ex prædi-

ctis

ctis vna cum lapsu triginta,& vltra, annorũ à tempore contracti matrimonij vsque ad examen testium, accedente reputatione & fama vt præmittitur, possit colligi quod fuerit in bona fide. Pro parte affirmatiua, primo adducebatur id, quod dicunt Ostien. & Abb. in c. illud. col. 4. de præsumpt. quod sicut
1 † in Ecclesia per lapsum decennij, ex eo quod Ordinarij solent inquirere, præsumitur titulus, ita & in matrimonio carnali, cum consanguinei nõ patiantur, coniunctas sanguine, haberi vt concubinas. & ibi Ostien. & Abb. faciunt differentiam, an factum sit recens, vel antiquum. Sed ad istud fundamentum fuit responsum, vbi aliquod impedimentum non detegitur. nam præsumitur tunc, ex cohabitatione decennali, matrimonium. sed vbi detegitur inter personas contrahentes, pront erat in casu isto, in quo nõ solum constabat de matrimonio præsumpto sed etiam realiter contracto, detectum fuit tamen postea impedimentum, tunc ex quo non fuit seruata forma c. fin. de clandest. de-
2 sponsat. tunc † filij nõ sunt legitimi. d. c. fin. §. si quis vero. Secundo dicebatur ex lapsu
3 triginta annorum † & vltra, præsumitur dispensatio. per ea quæ dicit Aret. cons. 36. & Cassad. decis. 3. de procurat. Fuit respõsum, quod consilium Aret. procedit in his quæ per Papam solent concedi. & dispensatio cũ
4 professa non solet de facili † concedi. nisi cũ maxima causa, quæ inter priuatos interuenire non poterat. iuxt. not. per Abb. in c. cũ ad monasterium. de stat. monach. Nõ obstãt testes de dispensatione, quia erant testes de auditu. Non obstat, quod aliquæ ex sororibus monasterij de Nuuerstat, exijssent & matrimonium contraxissent. quia non probabatur, quod illæ sorores essent professæ vt erat Sophia. Itaque istis sublatis, fuit resolutũ pro inualiditate matrimonij. Sed quia pro ista parte allegabatur, quod Sophia, metu professionem fecisset, quo casu probabatur causa, ex qua dispensatio interuenire potuisset. ideo fuit dictum, vt super hoc daretur dubium. Allegabatur etiam pro ista parte affirmatiua, id quod dicit Abb. in c. fin. de
5 clandest. desponsat. vbi dicit, † quod etiam stante consuetudine interponendi edicta, quod si matrimonium est contractum in facie Ecclesiæ, quod pœna illius. c. fin. non habet locum. tamen fuit responsum, quod contrariũ tenet idem Abb. in c. quod nobis. qui fil. sint legit. vbi dicit, ꝙ contrariũ est verius.

SVMMARIVM.

In causa Romana Pitiliana dotis.

1 *Quando agitur de renunciatione fienda per mulierem, intelligitur de renunciatione valida. maxime stante clausula, quod deberet fieri ad consilium sapientis.*
2 *Disponentis intentio, ex quibus clare colligi dicatur.*
3 *Actus, quando intelligatur de prima vice, vel da pluribus. & nu. 4. & 6.*
5 *Actus, quando dicatur idem, etiam ex superuenientia accidentis, quod videtur actũ annullare.*
7 *Consensus semel præstitus an præsumatur durare.*
8 *Consilium sapientis requirens, an excusetur si non adhibet consilium aliorum sapientum.*

DECISIO CCLVII.

IN causa Romana Pitiliana dotis, ꝓposui dubiũ, die 12. Iunij 1549. præsupposito, quod Comes teneatur facere consentire D. Nicolaum vtrum, dicatur satisfecisse, ex quo semel fuit præstitus consensus Nicolai, licet in renunciatione nulla. & posito quod non. an excusetur rebus sic stantibus, itaut nihilominus possit agere, & non retardetur exequutio. Quo ad primam partem dubij fuit resolutum, quod consensus Nicolai, qui erat præstandus super renunciatione Liuiæ, erat intelligendus de consensu super renun-
1 ciatione † valida. prout in dubio interpretandum erat. l. 1. §. docere. ff. ne quis eum, qui in ius. vo. fuer. vi eximat. l. 4. §. condemnatus. ff. de re iud. Bar. in l. non putauit. §. non quæ uis. ff. de bon. possess. contra tabul. & tanto magis cum in conuentione additum esset, quod renunciatio fieri deberet ad consilium sapientis. ex quibus clare col-
2 ligitur intentio † disponentis. l. Labeo. §. idẽ Tubero. ff. de suppell. legat. nã alias concurrio esset superflua, si D. Io. Antonius teneretur facere Liuiã renũciare, & consensus renũciationi inualidæ satisfaceret, quod non est dicendum. Bald. in tub. C. de fid. instrum. Nõ obstat, quod debeat intelligi pro prima
3 vice, & in prima vice consumi † debeat. iuxt. not. per Dec. cõs. 512. vbi intelligitur de prima vice. etiã si actus non habuerit effectum, vtputa in testatore, qui mandauit hæredi fieri compromissum, vt non teneatur facere, nisi semel, etiam si illa vice non fuerit laudũ sequutum. quia fuit responsum, quod ibi in prima vice compromissum tenuit. & ex dispositione testatoris, nihil aliud tenebatur nisi compromittere. & ideo, licet compromissum non fuerit sortitum effectum, satisfecit menti disponentis. sed in casu nostro, cum renunciatio primo loco facta, non te-
4 neat, & simus in dispositione hominis † reiterabili, intelligitur de primo actu valido, non autem inualido. secundum Felin. in c. 2. col. 3. in 1. fallent. de treug. & pact. Socin. in l. hæc

l.hæc conditio filiæ. colum. 2. versic. vltimo nota. de condit. & demonstr. Non obstat, quod quando est consensus vtriusque partis contrahentis, & contractus est nullus propter aliquod accidens, si illud accidens superuenit illico quod actus efficitur validus,
5 dicitur † idem actus. secundum Bart. in l. hæc conditio filiæ. ff. de condict. & demõstr. dum allegat tex. in l. dotis promissio. ff. de iur. dot. quia respondetur quod in d. l. dotis promissio. matrimonium ibi contractum erat nullum, propter defectum consensus patris. & vbi illæ consensus superuenit, fingitur illud matrimonium vsque retro validũ. prout dicit Glos. fin. ibi in d. l. dotis promissio, & notatur per Dec. in regula, quod ab initio. ff. de reg. iur. Secus est in casu nostro. in quo casu, renunciatio est nulla ex defectu solemnitatis. qui defectus superueniens non potest actum conualidare, vt ex retro, sed debet de nouo fieri. & ideo est necessarium vt illi renunciationi de nouo faciendæ præstetur de nouo consensus. Non obstat text. in l. matrimonij. ff. qui & à quib. vbi intel-
6 ligitur de primo matrimonio † quando sciẽter aliquis illicitum fecit. secundum Bart. in l. hæc conditio filiæ. ff. de condict. & demonstrat. Quia ad illam l. matrimonij. respõdet glos. Bart. & Ias. in l. qui per salutem. ff. de iur. iuran. vt procedat quando tractatur de iure de nouo quærendo, secus autem est quando tractatur de iure quæsito, prout etiam est hic, nam D. Io. Antonio erat ius quæsitum ex stipulatione, & ideo non verificatur in primo actu. Non obstat, quod con
7 sensus † semel præstitus præsumatur durare quia verum esset, quando consensus esset simpliciter præstitus, vt puta si Nicolaus consensisset renunciationi faciendæ - secus est quando consensus est ad certum actum limitatus, vt erat in casu isto. in quo renunciatio erat facta, cum consensu, præsentia, & voluntate Nicolai. nam talis consensus, ad illum actum erat limitatus. l. in agris. ff. de acquir. rer. dom. cumulat multa Felin. in c. cum ordinem. col. 5. de rescript. Non obstat, quod esset imputandum Io. Antonio, quia cum stipulatio sua intelligeretur de consensu super actu valido, donec stipulatio sit ad impleta nihil ei imputari potest, sed semper ad illum consensum agere potest, postquam ad sui fauorem stipulatio est interposita. & tanto magis, cum consilium sapientis ipse
8 interposuerit, & non tenebatur † consiliũ sapientũ requirere, iuxta ea quę dicit Bar. in l. 1. C. de pondr. & aur. illat. lib. 10. & ibi etiã dicit, quod sufficit vnus quando est deputatus de publico, & etiam, quia notarius erat etiam Doctor, vt pars, si necesse erat, offerebat se probaturam. Ad secundam partem dubij, non fuit informatum. quia dixerunt Aduocati D. Io. Antonij, quod prius debebat declarare Comes quis esset iste rerum status præsens mutatus à primo.

SVMMARIVM.

In causa Romana Pitiliana dotis.

1 *Promissio patris de faciendo consentire filium, quomodo intelligatur. & num. 2.*
3 *Contractus semper intelligitur, rebus sic stantibus.*
4 *Adimplere debet quod promisit, agere volens ex contractu. & an attendatur quod status fuerit mutatus.*

DECISIO CCLVIII.

IN causa Romana Pitiliana dotis, die 21. Iunij 1549. dedi dubium, præsupposito, quod consensus Nicolæ semel præstitus, ob defectum renunciationis D. Liuiæ, veniret reiterandus super renunciatione valida. An ex quo D. Io. Antonius distulit vsque ad eãsum in actis allegatum, videlicet casum inimicitiarum ortarum inter patrem & filium, quod Comes non potest facere consentire filium D. Io. Antonij, possit ad impediendum exequutionem obligationis suæ, excipere de defectu dicti cõsensus, ita quod exequutio retardetur. primum fundamentum D. Comitis erat, quod D. Io. Antonius non poterat excipere de defectu dicti cõsensus, quia promissio sua de faciendo consentire Nicolaum fi-
1 lium, intelligebatur † rebus sic stantibus, idest quandiu foret sub obedientia sua, vt est expressũ in l. eũ quis. ff. de solut. & Doct. ibi notant. & in l. filiusfamilias. §. procuratorem. ff. de procurat. etiam si promissio
2 esset † inrata. pront est expressum in l. quẽadmodum. ff. de iure iur. Sed istud fundamẽtum fuit apud Dominos dubitabile. & in eo variabant, quia licet talis promissio habeat talem intellectum quo ad hoc, vt quis ex contractu in quo, in quo promisit nõ possit conueniri ex illo, quia intelligitur rebus sic stantibus, & etiam vt excusetur à mora,
3 & ita † procederet. conf. Decij 313. colum. pen. vol. 2. tamen quando quis vult agere ex contractu. in quo aliquid promisit, debet
4 simpliciter adimplere. † & non attenditur quod status fuerit mutatus. per ea quæ dicit Abb. in c. sicut, & infra. &c. el 3. col. 2. versic. sed quæro hic dicitur. &cæt. de iure iur. sed alij Domini quibus placebat fundamentum factum pro parte Comitis, replicabant, quod dictum Abbatis haberet locum nisi D. Io. Antonio aliqua culpa imputari posset. quæ considerabatur hoc modo imputari D. Io. Antonio. ex quo tẽpore factæ renũciationis per Liuiam, & consensus præstiti per Nicolaum, nihil ipsi Comiti fuerat significatum,

ficatum. nam si aliquid fuisset ipsi Comiti dictum, tunc adhibendo peritiores, fecisset quod Liuia adhibuisser solennitates debitas, & sic cõsensus Nicolai fuisset bonus. & maxime, cum tantum D. Io. Antonius se arctasset in non percunctando si renũciatio, primo loco facta, erat bona, & non curando quod Nicolao manente sub obedientia patris, iterum super valida renunciatione cõsentiret. Vnde si postea propter talem negligentiam superuenissent inimicitiæ vt non posset facere eum consentire, erat imputandum D. Io. Antonio. nec iudex Capitolinus per D. Io. Antonium adhibitus, faciebat quin mutato statu, Comes ageret, ac si per eum non stetisset quin faceret consentire filium suum. & tanto magis, cum non interesset D. Io. Antonij quod consensus Nicolai adhiberetur, sine consensu Nicolai renunciario cum solennitatibus per Liuiam facienda, esset valida. ex quo hæreditas patris, ad filiam pertinebat, & ideo filia de ea disponere poterat. Et sic ex istis duobus. quod Io. Antonius in renunciatione Liuiæ non vocasset Comitem, & cum nimis postea D. Io. Antonius se arctasset. & quod non intererat eius, quod consensus Nicolai interueniret in renunciatione. fuit resolutum dubium cõtra D. Io. Antoniũ. Fuit etiam dictum, quod Comes faceret litteras requisitorias ad filium.

SVMMARIVM.

In causa Parmensi castri Colurni.

DECISIO CCLIX.

IN causa Parmensi castri Colurni, die 26. Iunij dubitaui. An ex verbis sententiæ, de quibus in instrumento de anno 1267. constet, Reuerendissimum D. Episcopum Parmẽsem, in castro Colurni & illius terris, tantum habere vsufructum, & non dominium directum, neque iurisdictionem. Fuit resolutum, quod ex verbis sententiæ constaret, Episcopum Parmensem habere dominium directum. cum vsufructus, ideo in sententia fuit adiudicatus ipsi Episcopo, propter dominium directum quod in eo erat. Sed fuit dictum, quod ex dicto instrumento non probabatur, quod castrum Colurni non haberet iurisdictionem. nec etiam quod haberet. Nam licet ex eo constaret, quod Communitas Parmæ, haberet iurisdictionem in castrum, posset esse, quod haberet tamquam supremus dominus. & Episcopus tamquam dominus castri, haberet etiam iurisdictionem vt dominus. Et ideo fuit dictum, quod daretur nouum dubium. præsupposito, quod ex instrumentis, de Curtecuria & pertinentijs, loquentibus, probaretur quod castrum Colurni haberet territorium. an ex instrumento de anno 1267. in quo continetur sententia per Communitatem Parmæ lata, & de iure communi, probetur quod illud territorium sit cum iurisdictione.

SVMMARIVM.

In causa Romana Pitiliana dotis.

1 *Debitor qui rem suã hypothecat vel pignorat creditori si illã alienat, an valeat alienatio.*

DECISIO CCLX.

IN causa Romana Pitiliana dotis, die 28. Iunij 1549. proposui dubium. cum in nono capitulo, pro cõseruatione & refectione dotis & acconcij, Comes obligauerit per specialem hypothecam. la terra di Fiano, libera con tutte sue entrate, iurisditioni, & pertinentie. & nihilominus postea eandem terram, prout in instrumẽto in actis producto, pater alienauit. An sit audiendus petens residuum dotis vigore illius primi instrumenti, in quo est dictum nonum capitulum. Et fuit resolutum, quod Comes esset audiendus.
1 † quia debitor qui rem suam hypothecat vel pignorat creditori, si illam alienat, valet alienatio. nec dicitur facere contra legem hypothecę vel pignoris, ex quo in contractu non promisit non alienare vel vendere. per tex. in l. distractis. C. de pignor. & ibi omnes, maxime Bald. Et ratio est, quæ colligitur ex dicta l. distractis. quia ex tali alienatione, ius creditoris non efficitur deterius. nam contra debitorem alienãtem habet personalem actionem, & contra emptorem hypothecariã. Non obstat, quod Comes hypothecando, dixerit. la terra di Fiano libera. &c. quia intelligitur tempore hypothecæ, licet postea serua facta fuerit. Sed fuit dictum, quod daretur punctus. An Comes, propter alienationes per eũ factas, & quia in articulis dixerat se grauatum ære alieno, diceretur vergere ad inopiam. ita vt esset locus repetitioni partis dotis iam solutæ, & daretur retentio partis dotis soluendæ.

SVMMARIVM.

In causa Coloniensem illegitimitatis.

1 *Metus ad rescindendam professionem, quomodo probari debeat.*
Edicta publica, quomodo de consuetudine apponenda pro contractu matrimonij.

2 *Ma-*

1 *Matrimonium in facie Ecclesiæ cōtractum an dicatur clandestinum, & proles illegitima, quando non est consuetudo vt apponantur edicta, & num. 3.*

DECISIO CCLXI.

IN causa Coloniensi illegitimitatis proposui dubium, die 28. Iunij 1549. præsupposita professione Sophiæ, & Mariæ illius sororis in loco de Nuuerstart, in quo parentes habitabant, qui vna cum consanguineis professioni interfuerunt: & quod Maria post professionem pauco dumtaxat tēpore, nec vltra annum, & Sophia per sex annos & vltra, ac vsque ad deuastationem conuentus, in eo permanserit. & quod deinde ab eo loco recessit, & venit ad locum Distarnich, in quo inter Begutas in inclusorio, & pro moniali in habitu religioso per quatuor annos permanserit, & quod Ioannes in eodē loco habitauerit. & de tali cohabitatione Sophiæ inter dictas moniales seu Begutas, notitiam habuerit, & deinde cum Sophia à loco Distarnich recesserit, & tandem cum ea ac duabus prolibus in Villagio Eucherrot apparuerit. & ibidem factis in Ecclesia parochiali tribus edictis contraxerit. & tandem ab eo loco etiam recesserit Coloniam seu alio. & ad Distarnich inde reuersus cum Sophia ibidem cohabitauerit, & quod testes de Nuuerstart Ioannem non nouerint, sed Sophiam quadam vice cum duabus filijs iuuenibus viderint in Nuuerstart. An stantibus testibus aliquibus in Nuuerstart de metu paterno Sophiæ & Mariæ, & quatuor de fama matrimonij, & tribus de auditu de dispensatione. non probata aliter cōsuetudine proclamandi in Distarnich, & Nunerstart. nisi forte testes in Curia super obseruantia edictorum in ciuitate & diœcesi Coloniensi & Leodiensi, examinati aliquid dicant, quorum dicta publicata non sunt, prꝯsumatur ex istis bona fide inter Ioannem & Sophiam contractum matrimonium, vel saltem deprehendatur bona fides Ioannis, itaūt proles dudū ante genitæ censeātur quo ad eum legitimæ, etiam quo ad successionem, & in terris Imperij. Et quia quo ad ea quæ in puncto præsupponuntur, iam alias fuerat resolutū, quod metus paternus in professione, potens
1 ad rescindendum † professionem non probatur, iuxta ea quæ dicit Abb. in c. cum virum. de regular. & testes super eo deponentes, non concludenter illum probabant. imo si aliquis metus esset probatus videretur purgatus, eo quia Sophia mansit in monasterio per sex annos, & non exiuit ex monasterio, prout Maria eius soror fecit. Item quia licet vnus testis deponeret de metu, tamen aliæ moniales quæ in professione interuenerunt, nihil de metu dicunt. Item testes de fama, & auditu nihil inferunt ad bonam fidem Ioannis; cum ista non interuenerint tēpore conceptionis prolium, nec tempore matrimonii. cum sint quid extrinsecum ab eis puta ista fama superueniens. sola difficultas erat, ex quo non probabatur quod esset consuetudo apponendi edicta in loco de Nuuerstart, nec in Distarnich. per illud quod dicit Abb. in c. fin. de clandest. desponſ. num. 9. sed fuit dictum; quod illud dictum Abb. nihil faciebat, nam Abb. dicit, ꝙ quando non
2 est consuetudo † quod ponantur edicta, tūc matrimonium in facie Ecclesiæ contractum non dicitur clandestinum, & proles dicitur legitima. iste primus casus non est noster, nam cum conclusum foret, quod edicta erāt ponenda in loco maiorum, & cum isti haberent ius commune per supradictum c. fin. & quod ibi dicit Alexan. de clandest. desponſ. qui volebat dicere quod non tenebatur ponere edicta, debebat probare consuetudinem, & hic in casu isto, ista non consuetudo non erat probata. Item, dum in secundo casu Abbas dicit, quod etiam data consuetudine, quod quando matrimonium est
3 in † facie Ecclesiæ cōtractum, quod tunc pœna illius cap. locum non habet. istud dictum Abbatis non est verum, & contrarium tenet idem Abb. in cap. quod nobis. qui fil. sint legit. & quando dictum Abbatis etiam in d. c. fin. esset verum, illud procederet quando quis in loco maiorum publice contrahit. at hic, in Ioanne negari non potest culpa, quia cum ipse cognouerit eam in loco Distarnich inter Begutas, amouit eam inde, & ad tertiū locum eam traduxit. vbi mutato habitu, cum ea contraxit. ex hoc enim fraus & dolus ipsius deprehenditur.

SVMMARIVM.

In causa Salamantina præeminentiarum.

1 *Restitutionem in integrum petens, debet docere de læsione iuris proprij, sed an possit dare de iure tertij.*
2 *Per præscriptionem omne ius censetur ablatum.*
3 *Restitutio an detur aduersus omissam allegationem.*

DECISIO CCLXII.

IN causa Salamantina præeminentiarum die 28. Iunij 1549. proposui dubium. An præscriptio Abbatis contra Capitulum Collegiatæ, sufficiat ad exclusionem ipsius Collegiatæ quo ad communicationem cum Prælato in præeminentiis, quæ de iure ipsi Prælato principaliter competunt. Et licet

pro

pro parte collegiatæ diceretur, quod ipsa haberet tres sententias contra Capitulum maius, & modo Capitulum maius veniebat per viam restitutionis in integrum. &
1 ideo in isto iudicio debebat docere † de læsione iuris proprij, non autem debebat dare de iure tertij, & sic de præscriptione Abbatia. tamen Domini valde in hoc dubitarunt. & potius in partem contrariam inclinarũt. quia, præsupposito quod Abbas præscripsisset, poterat Capitulum maius se restitui aduersus omissam allegationem. nam poterat dicere, quod si in illis tribus instantijs, opposuisset de præscriptione Abbatis, cum per
2 præscriptionem † omne ius collegiatæ esset sublatũ. l. sicut. & in l. omnes. C. de præscrip. trigin. annorum, certe collegiata à iudicio erat exclusa, & non obtinuisset tres senten-
3 tias. aduersus, † ergo illam omissam allegationem, Capitulum maius erat restituendũ, & sic collegiatam excluderet.

SVMMARIVM.

In causa Romana castri Feliciani.

1 *Hæres qui facit inuentarium, quando possit contrauenire facto defuncti.*
2 *Præsumptio est pro inuentario. & asserenti plura bona adesse, incumbit onus probandi.*

DECISIO CCLXIII.

IN causa Romana castri Feliciani, post 3. Iunij 1549. in qua die dedi punctum, de quo supra decis. 255. hoc lib. 3. dedi postea alium punctum, videlicet. An D. Comes possit improbare factum patris cuius est hęres, sub prætextu quod adiuerit hæreditatem cum beneficio inuentarij, nisi pariter doceat, quod si factum defuncti approbaret, obligaretur vltra vires hæreditarias. Iste punctus non fuit positus in Rota, quia informantes pro vtraq. parte conueniebant in iure. quia prout dicit Dec. in l. ex qua
1 persona. ff. de regul. iur. quod † hæres, qui facit inuentarium, potest contrauenire quando ex hæreditate nihil remaneret ipsi hæredi. & ideo dicebat D. Michael aduocatus Comitis Io. Francisci, quod cum Comes Io. Franciscus legitime inuentarium confecisset, & ex lectura illius appareret hæreditatem non esse soluendo, apparebat hæredem
2 probasse negatiuam. † ita quod asserenti, quod essent plura bona, incũbebat onus probandi. prout est expressum in l. fin. §. si vero. & §. licentia. C. de. iur. delib. & ibi Bart. Bal. Angel. & Salic. & Ias. in 1. not. Et ideo pro parte D. Helenæ fuit articulatum, & probatum, quod Comes Io. Franciscus fuisset hæres. & hæreditatem patris adiuisset. & castrũ Pitiliani, & Sorani, cum eorum tenimentis habuisset. Et pro parte D. Io. Francisci Comitis, fuit productum inuentarium. & laborat nunc in probando credita in inuentario narrata, vt doceat quod hæreditas non est soluendo.

SVMMARIVM.

In causa Romana Pitiliana dotis.

1 *Dotis repetitio, an detur mulieri, quando maritus, vel socer, incipiunt male vti substantia sua. & nu. 2. & 3.*
4 *Dotis repetitio ob vergentiam viri ad inopiã constante matrimonio, ex quibus causis fiat.*

DECISIO CCLXIV.

IN causa Romana Pitiliana dotis, proposui dubium, die 1. Iulij 1549. An stantibus deductis contra Illustrem Dominum Comitem, possit Illustris D. Io. Antonius repetere partem dotis solutæ, & non solutæ retinere. Pro parte D. Io. Antonij dicebatur, quod statim quod maritus vel socer incipit
1 male vti substantia † sua, datur repetitio dotis. vt per Bart. in l. si constante. in 7. quæst. quem communiter sequuntur Doct. vt Crot. ibi in secunda lectura testatur. nu. 54. vers. septimo. quęrit Bartolus. & in fortioribus terminis tenet Bart. in d. l. constante. in 8.
2 quæst. quod quando maritus † & socer sunt obligati pro dote, quod si vnus incipit male vti substantia sua, quod contra labentem facultatibus suis datur actio etiam constante
3 matrimonio, etiam quod alter sit diues. † & ibi Crot. in 1. lectura. nu. 35. vers. & colligę ex dictis Bart. &c. & quod Comes incœpisset male vti substantia sua, colligebatur ex venditionibus castri Feliciani, Morlupi, & Fiani, & quod articulasset, quod erat oppressus ære alieno. Sed pro parte Comitis dicebatur, quod postquam Comes incœperat vti male substantia sua, D. Io. Antonius cum eo contraxerat, emendo iura castri Fiani, & faciendo se subrogari in iuribus Illustris D. Horatij Farnesij. ergo videbatur D. Ioan. Antonius sibi pręiudicasse. Sed aduerte, quia quo ad istud fundamentum, posset dici quod si aliquod præiudicium ex illo instrumento oriretur, D. Io. Antonio, quod oriretur respe ctu partis dotis iam solutę. sed quo ad dotẽ siue partem dotis soluendæ in instrumento D. Horatij, in cuius iuribus fuit subrogatus D. Io. Antonius, dicebatur, quod si tota dos solueretur, posset D. Horatius illam soluere, &

& antequam tota dos sit soluta, D. Io. Antonius opponit de repetitione, vel melius retentione dotis non solutæ, cui retentioni non videtur per dictum instrumentum renunciatum, cum sit euētuale. Sed pro parte Comitis adducebatur alia ratio, quæ placuit Dominis, nā repetitio fit ex † duabus
4 causis. vna est vt dos sit in tuto. secunda vt ex ea interim maritus & vxor se alere possint. sed ex instrumento eum D. Io. Antonio facto, qui subrogatur in iuribus D. Horatij dos dicitur esse secura, cum ipse habeat castrum Fiani, & non teneatur illud restituere, nisi restituta dote soluta, & sic dos videtur isto casu secura. Item & secundo. quo ad alimenta, licet alias ego dubitauerim à me ipso, an alimenta essent pro parte vel in totum, idest pro tota dote, etiam non soluta, assignata, tamen hodie ista dubitatio cessabat, ex quo Dominus Nicolaus occupabat omnia bona patris, & sic socerii Liuiæ, & sic integra alimenta percipiebant ex bonis ipsius Comitis. Et per istam rationem, quæ Dominis placuit, Domini dixerūt non esse locum repetitioni, nec retentioni dotis. Sed cum pars D. Antonij post egressum è Rota, intellexisset fundamentum quo Rota mouebatur dixit illud esse falsū, quod quoad alimenta esset prouisum D. Liuię pro tota summa dotis. Nam licet fundamentum militaret quo ad præsentem statum occupationis bonorum per Nicolaum, tamen quia Comes posset pro tempore, omnia illa bona recuperare, vel per expulsionem ipsius Nicolai, vel per obitum, vel alio modo, tunc dos reperiretur in totum soluta, & alimenta non reperiebantur pro tota dote assignata. Vnde pro parte Comitis fuit dictum, quod ex regesto volebat docere, quod alimenta erant assignata pro tota dote. & quando istud esset verum, ex quo Liuia venit ad causam, & in instrumento D. Horatij, in iuribus cuius D. Io. Antonius erat subrogatus, dicitur quod si infra duodecim annos D. Comes castrum non redimeret, vel si infra dictos duodecim annos, locus esset restitutioni dotis, quod tali casu castrum esset venditum, & posset satisfacere D. Liuiæ de dicta dote. pone quod Comes infra duodecim annos castrum redimeret, & locus non esset restitutioni dotis, iste talis casus non est præuisus in instrumento. & isto casu non esset prouisum D. Liuiæ. quia Comes, post redemptionem, posset de castro disponere, & Liuia litibus inuoluere-tur.

*

SVMMARIVM.

Expectans Apostolicus, quando concurrit cum prouiso ab ordinario possessore, debet plene probare, beneficium vacasse in mense Apostolico.

DECISIO CCLXV.

IN vna Vrgillensi parochialis de Canaraza, dubitauit D. Achilles, die 7. Octobris 1549. An stante prouisione Ordinarij, expectās teneretur probare vacationem in mense Pontificis. & eo casu, an probatio de publica voce & fama sufficiat. Et casus erat, quia expectans acceptauerat beneficium vacans 7. Septembris 1547. & quia acceptatio præsumitur in tempore facta, prætendebat ex eo probasse, quod beneficium vacasset in mense Augusti, & sic in mense Apostolico. cum aliter præsumendo, præsumeremus delictum in ipso acceptante. & tanto magis cum haberet probationem de publica voce & fama, de vacatione de die vltima mensis Augusti. Hoc non obstante quia prouisus per Ordinarium erat possessor, & expectans erat actor, fuit resolutum quod teneretur probare aliter beneficium vacasse in mense Apostolico, & sic de mense Augusti. cum ita possibile erat quod vacasset de mense Septembris vt de mense Augusti. vnde probatio illa non erat necessaria, prout debet de necessitate concludere. & non sequitur acceptatio præsumitur in tempore facta, ergo obijt in mense Apostolico, quia ita acceptatio erat in tempore facta, si prima, vel secunda Septembris obijsset ac si penultima, vel alia die Augusti. Probatio de publica voce & fama * nō sufficit vbi agitur de præiudicio tertij. cum talis probatio regulariter non faciat nisi semiplenam probationem. ad not. in cap. veniens de testibus. Non obstat quod Rota contentetur, quod obitus probetur per publicam vocem & famam. quia hic non agebatur de obitu, sed de tempore, quod erat fundamentum intentionis expectantis, Et ideo cum ipse esset actor, debebat plene probare contra possessorem. * Probatio obitus de publica voce isto casu non sufficiens.

SVMMARIVM.

In confectione inuentarij, sufficit vna citatio contra incertos, absque peremptorio.

1 *In confectione inuentarij, quando hæres adit hæreditatem, creditores tam certi,*

quam incerti quomodo citandi.
2 *Citatio generalis, cum qua solennitate fieri debeat.*
3 *Citatio peremptoria an requiratur, vbi agitur de magno præiudicio.*
4 *Peremptorius terminus, quando creditoribus assignari debeat.*
6 *Peremptorium quando non requiratur. & num. 7.*
8 *Inuentarium, quando conficitur quo ad creditores hæreditarios, an dicatur agi de magno vel paruo præiudicio.*

DECISIO CCLXVI.

IN causa castri Feliciani, die 11. Octobris
1549. proposui dubium. An inuentarium, de quo datum est pro parte Comitis
sit nullum. cum inter alia, careat solennitate citationis peremptoriæ, & D. Helena sit
sub generalitate creditorum incertorum.
Et quo ad vltimam partem dubii, vtraque
pars conuenit, quod D. Helena esset inter
creditores incertos, quia de eius credito
Comes nullam notitiam haberet. Quo ad
primam partem dubii, pro parte affirmatiua, quod requireretur peremptorium, diee-
1 batur, quod in confectione † inuentarii, cer
ti creditores nominatim, incerti per proclama erant citandi. Bar. in l. fin. §. 1. colum. 2. C. de iur. delib. Dec. conf. 251. colum. pen. & Marian. Soc. in tract. de citat.
art. 22. col. 1. vers. de consanguineis igitur.
2 vnde succedit regula, quod huiusmodi † ge
neralis citatio, fieri debeat cum solennitate
trinæ citationis, & vna cum peremptorio
nō sufficeret vt tradit Marian. in d. tract. de
citat. in d. art. 22. in 2. colum. in 5. quæst.
versic. & aduerte quod huiusmodi citatio
generalis. Et est aduertendum, quod Marian. ibidem in 4. quæst. loquitur de inuentario, & postea in sequenti quæstione quando
fit citatio de incerto, vult quod requiratur
trina citatio. Idem quod requiratur inuentarium vult Bal. in tract. de adit. cum inuentario. colum. 1. Guid. Papæ etiam in tract. de
forma inuentarii. col. 5. vers. & pro introitu. &c. Et ratio est, quia cum vigilantibus
creditoribus, & primò venientibus, hæres
cum inuentario satisfacere possit, videtur
3 agi de magno præiudicio; igitur † peremptorie citandi sunt. c. quoniam frequenter.
§. porro. vt lit. non contest. Non obstat tex.
in l. si eo tēpore. C. de remission. pign. quia
iste textus, dum loquitur de proclamate est
intelligendus cum peremptorio, prout ita
videntur tenere ibi Bal. & Ang. Quod vltimum ratione confirmatur. quia cum ibi in
distrahendo pignore assignetur quasi terminus ad agendum creditoribus, debet assigna
4 ri † peremptorie. l. diffamari. C. de ingen.
& manū. prout illum text. ita ponderat Marian. Soc. in d. tractat. de citat. artic. 27.
vers. decimo exigitur. Sed istis non obstantibus, contrarium decisum fuit. & pro ista
parte, quod non requiratur peremptoriū,
5 sed sufficiat vna citatio † etiam contra incertos, tenet Angel. in l. 1. §. hæc stipulatio. colum. 5. in fin. ff. si cui plusquam per
legem Falc. Corn. in l. fin. in princ. in 6. colum. in fin. C. de iur. deliber. & Bal. in d. l.
fin. §. cum igitur. colum. 4. versic. item an
sufficiat, & ibidem Ias. colum. 4. versic. item
adde quod in tali confectione. &c. Et pro
hoc facit, quia cum Bar. in d. l. fin. dicat
quod incerti vocādi sunt per proclama, per
text. in l. si eo tempore. C. de distract. pign.
& tamen ille textus intelligatur de proclamate sine perēptorio. prout ita sensit Glos.
in l. Papinianus. §. si post rem. ff. de inoffic.
test. & ibi Bal. Ang. & Alberic. & si in d. l.
si eo tempore. vbi agitur de magno præiudicio, vtpote de pignore distrahendo in præiudicium habentium hypothecam, à fortiori dicendum erit in confectione inuentarii
in quo vocantur creditores, vt vnum proclama sufficiat, absque peremptorio. Non obstat, quod Ang. & Bal. in d. l. si eo tempore,
dicant quod requiritur perēptorium in terminis illius legis, quia istud non est verum.
sed dicunt, tutius est. ergo non est necessarium. & quod in terminis illius l. si eo tē-
6 pore. non requiratur † peremptorium tenet
Salicet. in l. si ea. col. penult. vers. quæro
quando dicatur. C. qui accusar. non poss.
vbi facit duos casus ad propositum, quia dicit, aut sumus in actu extraiudiciali, & omnis terminus est perēptorius, aut sumus in
actu iudiciali, & tūc si statuitur terminus ad
agendum vel accusandum, est terminus peremptorius. Et vltra prædicta, quod in l. si
eo tempore. non requiratur trina citatio facit ibidem text. dum dicit programmate,
& non programmatibus. & Marian. Socin.
in d. artic. 22. dum dicit quod requiritur
trina citatio, intelligendus erit quando sumus in dilatione expectatoria, non autem,
vbi sumus in dilatione, vt quis veniat ad
agendum. prout ita distinguunt Ang. Bal.
& Alber. in d. l. Papinianus. §. si post rem.
ff. de inoffic. test. & Salicet. in d. l. si ea. colum. penult. & pro ista parte facit quod hic
eramus in actu extraiudiciali, vel quasi.
prout dicunt Ang. in d. l. 1. §. hæc stipulatio. & Bal. in d. l. final. & ideo non requiritur peremptorium, prout istud latius firmat Marian. Socin. in d. tract. de citat.
art. 27. col. 5. versic. quædam vero requisitio, & col. 10. vers. item vigesimotertio. &c.
7 item in his quæ sunt parui † præiudicii, etiā
non requiritur trina citatio, seu perēptoriū

vt per

vt per eundem Marian. in d. 27. art. colum. 4. in quinto requisito. & col. 5. in 11. requisito.
8 Et confectio inuentarij, † est modici præiudicij, quia vel in eo aliqui ex creditoribus cõparuerunt, & hæres nil potest malignare; vel non comparuerunt, & hæres aliquid occultat, & tenetur ad duplum. Item pro decisione fuit consideratum, quod nimis durũ videbatur, vt qui cecidisset à syllaba, cecidisset à toto. cum non maiorem notitiam consequantur creditores incerti per illam dictionem. & peremptorie.

SVMMARIVM.

Resignatione non probata, omnes clausulæ, tanquam accessoriæ, nihil operantur.

1 *Consensus in resignatione, an possit præcedere, & sequi.*
2 *Consensus in resignatione beneficij, quando superuenit, an retrahatur ad datam supplicationis. & nu. 3.*
4 *Supplicatio an præsumatur porrecta de mãdato alicuius, quando quis est præsens in curia.*
5 *Consensus quando præstatur post resignationem, an dicatur declaratio resignationis antea facta.*
6 *Supplicatio quando præsumatur porrecta de mandato alicuius.*
7 *Narratiua dolose facta, an vitiet, & totam gratiam.*

DECISIO CCLXVII.

IN causa Legionensi, canonicatus & præbendæ, pro Georgio Guignones, contra Antonium Molgat. in qua reperiebatur quodã supplicatio resignationis dicti canonicatus & præbendæ, per Gundisaluũ Perez, in fauorẽ Petri de Prauia, sub die 26. Octob. alias Noueb. 1540. tamen cõsensus dictæ resignationis, non fuerat præstitus per Gundisaluũ nisi post biennium à die datę supplicationis. & in dicta supplicatione, siue in litteris expeditis dictæ resignationis, dicebatur. siue per obitum, siue alias. quouis modo vacet vigore cuius clausulę, siue per obitum. Petrus de Prauia, siue Antonius Molgat ex eius iure veniens, dicebat quod, dato quod Petrus de Prauia, ex resignatione Gundisalui nihil cœpisset, tamen per clausulam illam, siue per obitum, capiebat beneficium & canonicatũ vacantẽ per obitum Ioannis Simonis de Capillas, qui obierat 9. Nouembris eiusdem anni 1540. Sed pro parte Georgij dicebatur, quod illud esset verum, nisi Cardinalis Farnesius fuit prouisus sub die 28. Nouembris eiusdem anni 1540. qui licet esset posterior in data, tamen quia non probabatur resignatio facta per Gundisaluum, nisi post biennium, quod illa gratia erat subreptitia. & ideo illa non suffragabatur dicto Petro de Prauia. Ideo in dicta causa Legionensi canonicatus. Dubitaui, ego die 14. Octob. 1549. An gratia Petri sit subreptitia, ex eo quia in ea fit mentio de resignatione, in qua post biennium, & ante triennium post datam supplicationis, superuenit consensus Gundisalui. Et pro parte negatiua quod non esset subreptitia dicebatur, quod consensus pote-
1 rat † præcedere & sequi. c. cura. & c. suggestũ. de iure pat. Doct. in l. si quis mihi bona. §. iussum. ff. de acqui. hæred. & quandocunq.
2 cõsensus † superuenit, retrotrahitur ad datã supplicationis. Cassad. dec. 3. de renun. Cum ergo superuenerit in casu isto consensus, licet post biennium, tamen, quia retrotrahitur ad datam supplicationis, gratia non potest dici subreptitia. Sed hoc non obstante fuit decisum, quod gratia esset subreptitia. quia tempore datæ, non constabat de aliqua resignatione. cũ consensus superuenisset post biennium. Nec obstat, quod retrotrahatur ad diem datæ supplicationis. quia diceba-
3 tur, † quod in casu isto, in præiudicium iuris Cardinali Farnesio quæsiti, retrotrahi nõ poterat. & ideo cum tempore impetrationis factæ per Cardinalem, nulla esset resignatio, illa gratia præcedẽs, tanquam subreptitia, erat nulla. & ideo nihil operabatur. Nõ obstat quod dicebatur, quod ex quo ex actis constabat, quod tempore quo supplicatio
4 fuit signata, Gundisaluus erat præsens † in curia, & ideo præsumebatur de eius mandato porrecta. vt per Felin. in c. nonnulli. §. sunt & alij. col. 6. nu. 15. & col. 7. num. 17. de rescript. ex qua porrectione dicebatur resignatio perfecta, licet postea consensus superuenisset. & ideo poterat fieri retrotra-
5 ctio: seu verius, erat declaratio † resignationis antea factæ, ad Cassad. decis. 1. de renun. Sarnen. in regul. de publican. quæst. 7. nu. 3. & ideo gratia non esset subreptitia: Quia fuit dictum, quod ex tribus non præsumeba-
6 tur de mandato Gundisalui † supplicatio porrecta. Primo, quia erat modica impensa. Secundo, quia de nullo lucro ipsius Gundisalui tractaretur, sed tantum de eius præiudicio, cum nihil in tali resignatione in fauorem Gundisalui reseruaretur. Tertio, propter interuallum temporis quod fuit inter supplicationẽ signatã, & cõsensum eius q denotabat q à principio fuit data absque cõsensu eius, & postea fuit tractatũ vt Gundisaluus supplicationi cõsentiret. Nõ obstat clau-

clausula. siue per obitũ. quæ videbatur. æque
principaliter in supplicatione apposita. quia
immo fuit dictum, quod esset accessoria ad
resignationem narratam. & ideo, quia illa
7 narratiua erat † dolose facta, vitiabat totam
gratiam. vt per Abb. in c. super litteris. in
princ. & ibi Felin. col. 3. vers. limita quinto.
de rescript. Et non erat dubium, quod si non
fuisset facta mentio resignationis, quod Papa canonicatum Legionensem, per obitum
non concessisset.

SVMMARIVM.

Gratia de consensu Cardinalis concessa, tempore quo Cardinalis iam obierat, est nulla.

1 *Datum sub conditione, an sub contraria cõditione non videatur datum.*
3 *Subreptio an noceat, dato quod procedat ex simplicitate, vel ignorantia.*

DECISIO CCLXVIII.

FErdinandus de Contreras, post obitum
Cardinalis Hispalensis, qui fuit die 22.
Aprilis 1546. impetrauit 2. Maij 1546. ignorans obitum d. Cardinalis, canonicatum
& præbendam Ecclesiæ Astoricensis, per obitum Stephani Contreras familiaris d. Cardinalis, de cõsensu Cardinalis. Dubitaui ego
in vna Astoricensi canonicatus & præbendæ.
An prouisio Ferdinandi de Contreras sit valida absque consensu Cardinalis Hispalẽsis,
attento quod Cardinalis erat mortuus tempore prouisionis. Pro parte Ferdinãdi, quod
esset valida dicebatur. quia verba illa in
prouisione posita. de consensu Cardinalis.
erant posita ad præseruandum præiudicium
quod poterat fieri Cardinali, si sine eius cõsensu poterat fieri. sed cum in casu isto, existente Cardinali mortuo, nullum præiudiciũ
Cardinali fiebat, ergo verba illa habebantur pro non appositis. Istis non obstantibus
fuit decisum contrarium. videlicet, quod gratia esset nulla. Ratio, quia illa verba. de consensu Cardinalis. faciebant gratiam condi-
1 tionalem, ergo sub contraria † conditione
videtur non dedisse. l. pecuniam quam. ff. si
cert. pet. Aym. cons. 93. nu. 3. & est tex. in c. si
pro te. de rescrip. in 6. Quod etiam procedit
2 etiam si ille qui debebat consentire † esset
mortuus. vt per gloss. quam ibi sequuntur
omnes. in d. c. si pro te. in verbo assensus. Itẽ
& secundo. quia Papa concedendo per obitum familiaris, de consensu Cardinalis, illud
fecit. quia illud negare non poterat stante
regula de impetran. benefic. per obitum
familiaris. et si Papa sciuisset quod collatio
canonicatus fuisset eius libera, certe non cõcessisset seu difficilius. & ideo illa impetratio
dicitur subreptitia. quæ subreptio etiam
3 nocet, dato quod procedat † ex simplicitate,
vel ignorantia. ad cons. Cardinalis 31. col. 3.
versic. & cum hoc coniungo. & per Felin. in
c. super litteris. col. 4. nu. 13. vers. limita secundo. de rescript.

SVMMARIVM.

Restitutio ad possessionem, quo casu fuerit data.

1 *In spolio, quando intentatur remedium canonis redintegranda. quid probandum sit.*
2 *Confessio capienda cum sua qualitate.*

DECISIO CCLXIX.

IN vna Hispalensi capellaniæ, dubitaui,
die 16. Octobris 1549. An probetur quod
Frãciscus de Hortigosa spoliauerit, seu successerit in vitium spolij, ad hoc vt Io. Garsias ad possessionem capellaniæ, de qua agitur, sit restituendus. Et fuit resolutum, quod
1 constaret de spolio. quia quo ad † remediũ
canonis. redintegranda. sufficit probare possedisse, & alium hodie possidere. Io. Garsias
probabat se die 4. Maij 1546. accepisse possessionem, prout constabat ex instrumento in
actis producto. & ex instrumento mandati
Francisci de Hortigosa, facto sub die 1. Augusti 1547. constabat, quod ipse tunc possidebat. Nec obstat, quod in eodem instrumẽto idem Franciscus diceret, quod Ludouicus
prius tenuerat illud beneficium, seu capellã.
& ideo poterat esse, quod possessio Ludouici
esset anterior, quam Ioannis. & ideo Franciscus non successisset in vitium spolij. Quia
fuit dictum, quod illi confessioni Francisci
nõ erat standum. & quatenus staretur, quod
debebat probare quod esset anterior, ex quo
Io. Garsias docebat de claro initio suæ possessionis. Non obstat, quod pro parte Io. Garsię
esset articulatum, quod Ludouicus deinde
Franciscus possederant. quia articulus dice-
2 bat. spoliando. & ideo † confessio Io. Garsię,
erat capienda cum sua qualitate.

SVMMARIVM.

Appellare licuit isto casu à sententia declaratoria incursus censurarum, & appellatio effectum illarum suspendit.

1 *Iudicis præceptum, quando resoluatur in vim simplicis citationis.*

3 *In excommunicatione, an requiratur alia monitio, vel citatio, quando praeceptum iudicis ob contradictionem est resolutum.*
4 *Appellare an liceat à praecepto exequutoris.*
5 *Exequutor non habet iurisdictionem nisi contra rebelles, vel resistentes indebite. & ideo non potest excommunicare, nisi contradicentes de facto.*
6 *Possessor nolendo dimittere possessionem sine causa cognitione, an dicatur indebite contradicere.*

DECISIO CCLXX.

PApa concesserat Episcopo Gerundensi indultum de percipiendis fructibus in absentia, duarum portionum quas vt canonicus in Ecclesia habebat, sub poenis & censuris cum assistentia iudicum, iudices in partibus monuerunt Capitulum, vt infra sex dies sub censuris, quas tunc in Capitulum & non obedientes ex tunc ferebant, vt de fructibus, ipsi Episcopo responderent. cui monitorio vna pars Capituli paruit. aliqui vero contradixerunt, & à monitorio appellarunt. & causa ad curiam deuoluta, commiserunt causam subreptionis, & obreptionis dicti breuis D. Fabio. qua causa pendente, seruatis terminis, & praefixo termino pro parte Episcopi ad docendum de subreptione. &c. & nihil docto, D. Fabius canonizauit litteras dicti indulti. & in eadem sententia declarauit. illos tres vel quatuor contradicentes incidisse in censuras in litteris Apostolicis contentas. ab ista sententia fuerat appellatum. & causa commissa D. Achilli. Dubitauit igitur D. Achilles, die 21. Octobris 1549. licet à declaratoria in sententia, in qua pronunciatur canonizando litteras Apostolicas, appellatur. nunquid eodem modo liceat appellare stante intimatione & comminatione exequutoris in partibus, vt non possit taliter declaratus absolui ad beneplacitum. Et fuit resolutum quod à tali declaratoria licuisset appellare. & per appellationem effectus illius fuisset suspensus. nam fuit dictum quod illa monitio iudicum in partibus, vt infra sex dies deberent parere, sub pena excommunicationis, quam ex tunc in eos ferebant. &c. per contradictionem, & appellationem, illa monitio, † & praeceptum iudicis, videbatur resolui in vim simplicis citationis, quando monitus habet instam causam contradicendi. vt dicit Innoc. in cap. final. de cohabit. cler. & mulier. Bart. in l. 1. C. de exequut. rei iud. Alexand. & Ias. in l. de pupillo. §. meminisse de nou. oper. nunc. & Iason. in l. ne quicquam. §. vbi decretum. nu. 6. ff. de offic. procons. & legat. Et ideo, cum illud praeceptum propter † contradictionem esset resolutum, ideo vel ad excommunicationem requirebatur alia monitio, vel citatio. iuxta text. in cap. sacro. de sententia excommun. & etiam ad declaratoriam. iuxta glos. in Clem. fin. in verb. constiterit. de censibus. & per Felin. in cap. Rodulphus colum. penult. versic. citatur etiam pars. de rescript. & Doct. in cap. reprehensibilis. de appellat. Rot. decis. 54. * in nou. Abb. in cap. peruenit. de appellat. & Aret. consil. 163. num. 7. Post dictam monitionem index, causa cognita, potest procedere ad declaratoriam excommunicationis, à iure, vel ab homine latę incursę. à qua quidem declaratoria potest † appellari. Felin. in d. cap. Rodulphus. colum. pen. versic. & appellatur. de rescript. & Abb. in d. cap. peruenit. Franc. in cap. is cui. §. fin. in tertia limitat. de senten. excommunic. in 6. Quia cum à veritate indulti dependeat illa declaratoria, per vnam sententiam, à qua est appellatum, non dicitur constare de facto, propter quod quis debeat declarari excommunicatus. Item fuit dictum, quod illa consideratio comminationis factae per Indicem, non erat in aliqua consideratione. † quia à praecepto exequutoris licet appellare, prout appellatum erat in isto casu. & sententia excommunicationis non valet. quia exequutor non potest excommunicare nisi contradicentes de facto. cum non habeat iurisdictionem, † nisi contra rebelles, vel resistentes indebite. prout declarat Franc. in cap. 1. in princ. colum. fin. versic. vel poterit de concess. praeben. in 6. Et in casu isto isti erant contradicentes de iure, & causa pendebat in Rota, & possessor nolendo possessionem dimittere † sine causae cognitione, non dicitur indebite contradicere. cap. fin. de praeben. & cap. super litteris. in fine, de rescript. & declarat Rebuff. in forma lit. exequutorialium. in Glos. in verb. contradictores pag. 214.

* Alias 3. de lit. contest.

SVMMARIVM.

Voluntas Cardinalis Cauriensis post cassaturam non durauit.

1 *Voluntas data ad beneplacitum Papae, tali beneplacito cessante, an censeatur denegata.*
2 *Datum sub conditione, sub contraria conditione censetur ablatum.*
3 *Sermo an intelligatur de prima vice, quando non est satisfactum menti disponentis.*

DECISIO CCLXXI.

IN causa Toletana pensionis quingento-
rũ, inter Rucrene. Cauriensem, & D.Io.
de Quignones ex alia. Dubitauit * D.Pere-
grinus, die 21. Octobris 1549. An post can-
cellaturam clausulæ in supplicatione appa-
rentem, durauerit voluntas Cardinalis Cau
riensis circa facultatem cassandi & nominã
di, fiendam per Cardinalem S. Crucis maxi-
me stante mandato nuper in actis producto.
Et fuit resolutum quod non durasset. nam,
cum concordia esset facta, vt ex pensione
quatuor milliũ sexcentorum ducatorum re-
seruatorum, possent cassari sexcentum, &
reseruari in personam nominandã per Car-
dinalẽ S.Crucis sub beneplacito Sedis Apo-
stolicę, siue illa verba starent conditionali-
tèr, vel modaliter, vel ad tempus, certum,
erat quod voluntas Cardinalis Cauriensis
regulabatur à beneplacito Papæ. quia vo-
1 luntas, † ad beneplacitum Papæ data ergo,
cessante eo, videtur denegata. argumento l.
pecuniam quam. ff. si cert. pet. si ergo Car-
dinalis Cauriensis visa supplicatione, in qua
clausula dictæ nominationis erat cassata, vi
dit ergo quod Papæ non placebat, ergo illa
2 voluntas ad beneplacitũ data videtur † sub
contraria conditione negata, & tanto ma-
gis, cum post supplicationem cum illa clau-
sula cassata signatam. iuxta illius formam,
Cardinalis consenserit, & sic videtur decla-
rasse suam voluntutem, quod sub illa cassa-
tura gratiã acceptabat. Et per hoc, fuit sub-
latum fundamentũ quod fiebat. quod quan-
do non est satisfactum menti disponentis,
3 tunc sermo non intelligitur de prima vice.
iuxta not. per Felin. in cap. fin. col. penult.
in 5. fallentia. de tregu. & pac. & cum illa
secunda concordia, esset facta timore ne no
ua lis susciraretur. ne ergo pateret aditus
ad dictam litem per negationẽ illius clausu
læ, videbatur quod mens Cardinalis esset,
vt quandocunque Papa concessisset, quod
eius voluntas, videlicet ipsius Cardinalis in
concessione perduraret. Quia fuit responsum
quod per consensum post cassaturam præsti
tum, cessabat ista interpretatio, quia appa-
rebat, quod illam supplicationem sic cassa-
tam Cauriensis acceptauerat. quo ad man-
datum, cum esset super diuersis fructibus, &
super diuersa quantitate, fuit dictum quod
ex diuersis non fit illatio.

* Causa iterum posita die 17. Martij 1550. fuit idẽ resolutum in fauorem Cardinalis.

SVMMARIVM.

Remissoria danda sine retardatione.

1 *Sententia, an dicatur transisse in rem iudicatam si infra annum vltra commissionem aliquid factum sit. puta, fuerint producta iura, vel disputatum in Rota.*

DECISIO CCLXXII.

IN causa Toletana decimarum, pro Duce
de Alua, contra Archiepiscopum Toleta
num 21. Octobris 1549. proposui dubium.
An decretum dilationis probatoriæ trãseat
quo ad iudicem in rem iudicatam, vel alte-
rari possit in partis præiudicium, cui dila-
tio est concessa. & fuit resolutum, quod non
esset res iudicata. quia infra annum vltra
1 commissionem aliquid † fecerat quia produ
xerat iura. item, per longum tempus ante
vacantias præteritas, fuerat disputatum, an
Archiepiscopus esset spoliator. Item fuit di-
ctum, quod dato quod transiuisset in rem
iudicatam, tamen iudex ex causa reuocare
poterat. & quod causa erat, vt lites quando-
2 que finirentur. tamen fuit dictum, quod † re
missoria daretur sine tardatione, & interim
disputaretur super causa. tamen non ferre-
tur sententia vsque ad vacantias, expectan-
do quod remissoria reportetur de partibus.
& quod si non veuiret, causa expediretur
tunc.

SVMMARIVM.

Donatio facta Dominico, pro se & hæredibus ex suo corpore descendentibus, quomodo intellecta.

1 *Donatio facta, pro se & descendentibus ex suo corpore, hæredibus & successoribus, an intelligatur de descendentibus hæredibus.*
2 *Donatio facta à Rege militi, pro se & descendentibus ex suo corpore, quomodo intelligatur, & num. 7.*
3 *Donatio facta masculis tantum, & non fœminis, mortuis masculis, an res donata reuertatur ad donatorem.*
4 *Donationis simplicis natura est, vt sit perpetua, & res donata non reuertatur.*
Donatio postquam semel est perfecta, res donata non est amplius donatoris, sed eius cui donata est.
5 *Legatum agnationi factum, per vltimum de agnatione, an transferatur ad quoscunque hæredes.*
8 *Clausula ad habendum virtus.*
Hæres vltimi donatarij, an dicatur venire ex donatione, vel ex successione.

DECISIO CCLXXIII.

ILlust. Ascanius Columna donauit Do-
minico * pro se suisq; hæredibus &
successoribus ex suo corpore natis legitime
& na-

* Ad istã decisione, vide ale.

qui, quæ ponit Alex. cons. 103.

& nascituris, tam maribus quam fęminis,
certa bona inter viuos. ex Dominico & Cõ
stantia coniugibus, nati fuerunt Antonius
& Iulia, filij legitimi & naturales obijt pri-
mo Dominicus superstitibus Antonio & Iu-
lia, & postea obierunt Antonius & Iulia,
superstite matre Constantia, quæ Constan-
tia transiuit ad secunda vota, & ex Hiero-
nymo de Cincijs secundo viro, habuit duos
filios Franciscum & Marcum Antonium de
Cincijs, qui tanquam hæredes Constantiæ
matris, petũt se restitui ad bona donata per
D. Ascanium Dominico. Exaduerso fuit op-
positum, dicta bona eis non deberi quasi do
natio fuerit resoluta, & ideo illa bona dice
rentur reuersa ad donatorem. videlicet ad
D. Ascanium, & loco ipsius ad Fiscum, cum
bona D. Ascanij essent confiscata. & ratio
erat, quia donatio erat facta Dominico pro
se & filijs ex suo corpore descendentibus, &
cum isti non descenderẽt ex corpore Domi
nici videbatur donatio resoluta. Et ideo die
25. Octobris 1549. Dubitauit D. Fabius in
vna Romana Cottiuij deficiente linea desce
dentium. An per vltimum descendentem, po
tuerint res donatæ transmitti ad matrem
attento donationis tenore, & eius clausulis.
Pro parte negatiua dicebatur, quod ex quo
donatio erat facta pro se & descẽdentibus
1 ex suo corpore hæredibus † & successori-
bus intelligebatur de descendentibus hære-
dibus. secundum Salic. in auth. sed & si quis
col. fin. vers. ego puto. &c. C. de secundis nu
ptijs. at isti non erat descendentes & hære-
des Dominici. Secundo, allegabatur decis.
Cini. in d. auth. sed & si quis, quam sequitur
Alexan. cons. 43. in 3. vol. & cons. 53. vol. 6.
2 dum loquuntur de donatione facta † à Rege
militi pro se & descendentibus ex suo corpo
re, & voluit ꝙ non deferretur nisi hæredi de
corpore suo. Vltimo loco, pro ista parte ne-
gatiua fuit adductum consil. Maria. Soc. iu-
nioris 53. in secunda parte vbi consuluit in
donatione facta masculis, tantum & non fę-
3 minis, & voluit quod † mortuis masculis
res donata reuerteretur ad donatorem. Istis
non obstantibus contrarium fuit decisum.
Et pro parte affirmatiua, quod trasmitterẽ-
tur ad matrem, & non reuerterentur ad do-
4 natorẽ, est vrgens ratio. quia donatio † sim-
plex de eius natura est vt sit perpetua, & res
donata non reuertatur l. 1. in princ. ff. de do
nat. l. senatus. ff. de donat. caus. mort. &
postquam semel donatio est perfecta res do-
nata non est amplius donatoris, sed eius cui
donata est. nimirum si cum cæteris rebus il-
lius transeunt in successorem donatarij, &
ad donantem redire non debent. Et in simi-
li adducebatur arguendo de legato ad dona
5 tionem. nam legatum agnationi † factũ per
vltimum de agnatione ad quoscunque trã-
mittitur, etsi illud factum sit vt in familia

maneat. l. cum pater. §. libertis. delegat. 2.
l. pater. §. quindecim. deleg. 3. item adduce-
6 batur clausula. † ad habendũ, vendendũ. &c.
de cuius virtute ponit Grat. cons. 7. num. 20.
lib. 2. Non obstant adducta in contrarium,
quia auctoritas Cini, debet intelligi secundũ
thema propositum. videlicet, quando donãs
7 dixit, quod ad se † reuerteretur, & idem est
in casu Alex. in dictis cons. 43. & 53. quia
perspiciendo thema consiliorum. fuit dictũ,
quod in certum euentum res donata reuer-
teretur ad hæredes donantis. & ideo quia
auctoritates istorum patrum non obstabant.
fuit dictum; ꝙ cons. Mariani Soc. Iun. nõ erat
verum. nam fundabatur tantum in illa ra-
tione, quod donando masculis. ergo non vo-
lebat donare fęminis. & sic in casu nostro, ꝙ
donando descendẽtibus ex ex suo corpore
non volebat donare alijs. per l. cum prætor.
de iud. & l. cum ita legatum. de condit. &
8 demonstr, nam etiam & † nos fatebamur
quod vigore donationis & isti non veniebãt.
sed ex quo res erat donata, & nõ reperitur
quod res donata redeat ad donantem, quod
licet mater, in casu isto nõ veniret ex dona-
tione, veniebat tamen iure transmissionis. Et
ita etiam erit dicendũ in casu Mariani Soc.
quod licet donator, in casu illo voluerit do-
nare tantum masculis; idest concurrentibus
masculis & fœminis, masculi habeant iure
donationis, tamen deficientibus masculis,
licet nõ iure donationis, fęminæ saltem iure
transmissionis succedere debebant, & non
redire ad hæredes donatoris cum iure non
caueatur.

SVMMARIVM.

Supplicatio sola, absq. expeditione litte-
rarum, quo casu œconomo iuris-
dictionem dederit.

1 *In œconomatu, an sit locus extrauag. iniunctæ.*

Oeconomus, an dicatur titularis, vel potius sit quidam commendatarius.

2 *In commendatario, an sit locus extrauag. iniunctæ.*

3 *Gratia ex sola signatura perficitur.*

4 *Exequutor non habet iurisdictionem nisi præsentatis litteris, quomodo procedat.*

DECISIO CCLXXIV.

DIe 25. Octobris 1549. dubitauit D. Pe-
regrinus. vtrum œconomus, litteris nõ
expeditis potuerit conferre beneficia stante
sola signatura supplicationis. Et fuit decisũ
1 quod sic. quia in tali œconomatu † non erat
locus extrauaganti ininnctæ. cum œconomus
non dicatur titularis, sed potius quidam
com-

commendatarius.& in commendatario iam
alias per Rotam resolutum fuerar sub die 9.
2 Octobris 1542.quod non esset locus † dictæ
extrauaganti.iniunctæ. & ideo cum non es-
set necessaria expeditio litterarum,& in sup
plicatione,expresse iste esset depntatus œco-
3 nomus,sola signatura † gratiam perficiebat.
secundum communem opinionem. vt per
Fel.in rubr.de constit.Et ad illas decisiones
5 quæ dicunt, quod exeqnutor,† nisi præsen-
tatis litteris,non habet iurisdictionem. fuit
dictum, quod loquuntur in illis exequutori-
bus,qui in gratia non sunt nominati,sed eo-
rũ nominatio dependet à cancellaria. quod
secus erat hic, cũ œconomus expresse in sup-
plicatione esset deputatns. Et fuit dictum,
quod cũ iste œconomus per duos annos pro
œconomo se gessisset, quod præsumeretur
quod habuisset notitiam de supplicatione,
& eam habuisset.ne præsumeremus in eo de-
lictum,maxime, cum esset in quasi possessio-
ne conferendi.

SVMMARIVM.

Compensantur pensiones domus cum melioramentis, quando quis habet retentionem domus propter melioramenta.

1 *Melioramenta si fecerunt augere pẽsionem domus, an de illa pensione aucta, sit habenda ratio.*

DECISIO CCLXXV.

IN vna Romana dnorum Gallorum, die 25. Octobris 1549. Fuit resolutum,coram D. Achille, quod ille qui hebebat retentionem domus, ex sententia Auditoris Cameræ, propter melioramenta, qnod dnrante retentione,tenebatur compensare pẽsiones domus cũ melioramentis. per l. sumptus.ff.de rei vendic. c.ad aures.de reb.Eccles.& Negusan.in tract.de pignor.in 4.mẽbro.5. partis principalis. col. 4. num. 186. vers.quinta conclusio.Corn.cons.69.in fine. vers. nituntur eriam rei conuenti. lib. 1. & 167. in fin.eod.lib.1. Alex.cons. 104. in secundo dubio. vol.6.Fuit ramẽ dictum,quod
1 si propter melioramẽta † pensio esset aucta,
quod ad ad illud augumentũ nõ teneretur,
cum procederet ex re sua, donec melioramenta essent soluta.

SVMMARIVM.

Minor qui alienauit, & nulliter, & tradidit possessionem, an possit agere remedio restitutorio.

1 *Possessione facto proprio cadẽs remedio possessorio non agit.*
2 *Possessio an transferatur ex contractu nullo facto per minorem.*
3 *Possessio vbi est translata per minorem vel Ecclesiam non seruata solennitate, an possit repeti condictione indebiti. & num. 5. 6. & 7.*
4 *Redintegranda remedium, an detur pro re male alienata ex contractu inualido.*
5 *Minor, si transferat possessionem ex contractu nullo ex defectu solennitatis, an possit agere remedio possessorio, vel restitutione in integrum.*

DECISIO CCLXXVI.

MInor alienauerat domum, & alienatio erat nulla, tamen possessio domus erat tradita Petro Suares. cui Petro postea Hospitale S.Iacobi successerat.contra quod Hospitale,Ipse minor,iam factus maior, agebat spolio. Hospitale excipiebat,quod non poterat agere spolio,ex quo ex cõtractu suo à possessione ceciderat, & sic non erat locus
1 remedio † possessorio. vt tenet Soc. in l.rẽ
quæ nobis.col.4.vers.quinto dubitatur.ff.de acquir.possess. Alex.cons.90.vol.1. Ideo 30. Octobris 1549.in vna Romana domus. Dubitaui.an Antonius posset agere contra Hospitale remedio restitutorio. & iste Antonius fuit ille minor, qui nulliter domum in Petrum, auctorẽ Hospitalis,allenauerat.Pro parte affirmatiua quod posset agere,dicebatur.quod si contractus erat nullus factus per
2 minorẽ,quod ex eo possesio nõ erat † trans-
lata. vt per Alex. cons. 69. circa primum. col. 3. circa finem.vers. ergo contractus est nullus. &c. vol. 5. & in seq. col. Secundo adducebatur, quod vbi possessio est translata, per minorem vel Ecclesiam,non seruata
3 solennitate,potest repeti condictione † inde
biti.secundum Ias. in §. sic itaque. num. 38. inst. de act. & per Bart. in l. indebiti.§. sed & si nummi. ff. de condict.indeb. Et vbi cõpetit talis condictio indebiti.videtur quod etiam competat remedium canonis.redintegranda. vt videtur colligi ex his quæ dicit Alex. cons.1.col.fin.vers.circa tertiũ vol. 4. vbi in illo casu,consuluit quod pro re male
4 alienata † & possessione translata in alium,
ex contractu inualido. daretur remedium canonis redintegranda.Et etiam condictio indebiti. vnde videntur ista adinuicem per Alexandrum æquiparata. Istis tamen non obstantibus, fuir facta quædam distinctio. qnia aut cõtractus factus per minorem,erat
5 nullus † ex defectu solennitatis, & tunc ex
tali contractu esset translata possessio.prout dicit Ias. in l. indebiti.§. sed & si nummi.in secundo notabili intelligendo de possessione, idest detentatione. & quod amittatur
posses-

possessio per minorem ex contractu nullo, dum tamen sit maior quatuordecim tenet Ruin.cons.137.num.11.vol.1. & ideo cum minor eeciderit á possessione facto suo, non datur restitutorium remedium. vt etiam tenet Ruin. cons.32.col.3.vol.1.Et ideo, licet contractus sit nullus ex defectu solennitatis, tamen quia minor, adultus non autem pupillus,ex propria volūtate potest transferre possessionem, ergo non datur remedium possessorium, quod datur illis qui ex iniusta causa ceciderunt. Non obstat, quod ex quo contractus est nullus, dicatur minor ex causa iniusta cecidisse. quia respondetur, quod istud est falsum, cum talis maior quatuordecim annorum, possit ex facto proprio possessionem amittere. prout dicit Ruin.in d.cons.137.& nimis durum esset, quod quãdocunq. contractus esset nullus,statim daretur remedium possessorium. Non obstat, quod per condictionē indebiti auocetur possessio, ergo dicitur remedium possessorium. quia respondetur, quod non potest dici tale remedium mere possessorium. cum per illud non auocetur possessio, nisi prius cognoscatur de inualiditate contractus, & tunc per
6 condictionem † indebiti auocabitur. & ideo tale remedium videtur habere mixtam causam. Si autem contractus est nullus ex defe-
7 ctu consensus,& tunc nō transfertur † possessio: & ita loquitur Alex. cons.69. col.3. in 5. vol. quod patet dum allegat Bald. in l. non dubium. col. 7. vers. vlterius oppono decimo. C. de legib. Et ideo, quia non est amissa possessio, & alius hodie possidet, dabitur ipsi minori remedium possessorium. vt per Curt. Iu.cōs.131.n.31. Fuit etiã dictũ, quod si iste minor, adhuc hodie esset minor,
8 † quod posset ei succurri per restitutionem in integrum, etiam quod contractus esset nullus ex defectu solennitatis. per ea quę dicit Soc.cons.266.in 2.vol.& Ruin. cons.32. in 1.vol. sed quia non erat minor tempore iudicij, nec infra quadriennium, ideo illud remedium non potest sibi competere.

S V M M A R I V M.

In causa Romana Pitiliana dotis.

1 *Creditor, qui pignus pro vna re accepit, an possit pro alia retinere, pro qua non est hypotheca facta.*

DECISIO CCLXXVII.

IN causa Romana Pitiliana dotis, die 30. Octobris 1549. proposui dubium, præsupposito, quod D. Io. Antonius soluat Comiti residuum dotis nō solutæ iuxta formam suæ obligationis. An si Comes vellet redimere censum & terram Fiani, soluendo ei summã cōuentam iuxta formam pacti, & interim venisset casus restitutionis dotis, D. Io. Antonius posset retinere castrũ Fiani, donec integra dos fuerit restituta. Et fuit resolutũ, quod posset retinere. & in hoc vtraque pars informans conuenit. Ratio est, quia in instrumento facto 15. Octobris 1544. fuit dictum. non recedendo ab hypotheca prius pro dote facta. Immo ibi specialiter pro restitutione dotis, castrum Fiani obligat. Item
1 & secundo, quia creditor qui pignus † pro vna re accepit, potest pro alia, pro qua non est hypotheca facta, rem obligatam retinere. l. vnica. C. etiam ob chirographariam pecun. pig. retin. posse.

S V M M A R I V M.

Restitutio iterum petita in beneficialibus, fuit denegata.

1 *Restitutio in integrum, an detur ex superuenientia nouarum probationũ super ætate & super læsione. & nu.2.*

3 *Restitutio in integrum, an detur maiori ex noua causa.*

4 *Restitutio in integrum, an detur post rem iudicatam, propter instrumenta de nouo reperta.*

5 *Restitutio in integrum in beneficialibus, an detur post quadriennium elapsum, etiam quod constet de bono iure.*

6 *In restitutione in integrũ, lapsus quadriennij, & sententia confirmans rem iudicatam denegando restitutionem, an æquiparentur.*

DECISIO CCLXXVIII.

ALphonsus Moran, in causa beneficiali reportauerat sententiam contra, quæ transiuerat in rem iudicatam. aduersus quã petierat restitutionem in integrum. Et cum in negocio restitutionis nihil probaret, fuit processum ad exequutionem rei indicatæ, & sic tacite fuit restitutio denegata. postea superuenientibus sibi nouis probationibus, commisit iterum causam restitutionis, & signatura dedit. prout iuris fuerit. Fuit dubitatum per D. Peregrinũ, die 30. Octobris
1 1549. An Alphonsus iterum esset † restituẽdus. Et videbatur quod sic. ex noua causa. prout videtur text. in l. 2. & fin. C. si sæpius. in integr. rest. post. & in c. fin. de testit. in integ. Et licet alias in vna Romana domus, de qua dixi supra dec.79. hoc lib. noua causa
2 dicatur quando superueniunt † probationes super ætate, non autem super læsione. per dictum Angel. in l. 1. C. si sæpius in integ. rest.

rest.post.& aliorum, quos tunc allegaui in d.decis.maxime Bar.in l.fin.C.si mi.se maio. dixerit. tamen illa opinio Ang. & Bart. non placuit Dominis melius scrutando istam materiam. quoniam contra Bart.& Ang.tenet Paul.de Castr.& in d.l.1.si sæp. & in d.l. fin.C.si minor.se maio. dicens, quod ista distinctio nullam habet in se rationem. & Sal. in d.l.fin.dum dicit,hic fuit allegata noua causa,scilicet testimonia falsa, vel ætas,non se restringens ad probationes super ætate. & l.2.& fin.si sæp.in integr. &c. generaliter loquuntur de noua causa,& non magis super ætate quam super probationibus. & etiam Bart.ibidemgeneraliter loquitur. idem Bal. in d.l.1. & istud patet ex exemplis quæ ponit Cinus in d.l.1.in 6.conclusione. & etiam Abb.in c. fin. de rest.in integr.col.1.num.4. & in 2.not. vbi ex dictis exẽplis,patet quod intelligunt, quando nouæ probationes superueniunt super læsione.Et ex istis Domini recesserunt ab illa distinctione Bart. in l.fin. C.si min.se maior.& Ang.vbi supra.tamen ex alia ratione fuit dictum,quod in casu isto, in beneficialibus non erat danda secunda restitutio.nam illa iura,videlicet l.2. & fin.si sæpius.& c.fin.de rest. in integ.loquuntur in Ecclesia & minore, quæ sunt personæ priuilegiatæ.at hic eramus in maiore.Et licet Princeps, ex quodam iure speciali, maiori concedat primam restitutionem, parito iudicato, tamen cum hic essemus in secunda restitutione, quæ concedebatur, prout de iure
3 nullibi reperiebatur, † quod de iure, maiori etiam ex noua causa, restitutio esset danda.
4 sicut dicimus, quod post † rem iudicatam etiam propter instrumẽta de nouo reperta, nõ auditur aduersus rem iudicatam. Et ideo alias fuerat resolutum coram Thoma de Thanis,in vna Cæsaraugustana de Toralua,quod post quadrienniũ elapsum,etiam quod † cõstaret de bono iure, non esset Petrus Valero restituendus. Et cum lapsus quadriennij, & sententia confirmans rem iudicatam denegando restitutionem, æquiparentur. vt per Abb.in c.fin.post Io.Andr. ibidem, sicut Rota alias post quadriennium, etiam quod cõstaret de bono iure, denegauit; ita & etiam isto casu voluit denegare, vt sit litium finis.

SVMMARIVM.

1 Hæredes Doctoris occisi, an possint agere pro damnis & interesse, contra interfectores, pro tempore quo verisimiliter occisus viuere potuisset.

DECISIO CCLXXIX.

IN vna Tudertina homicidij, die 30.Octobris 1549. proposui dubium. An pro damnis & interesse Doctoris occisi, hæredes possint contra interfectores agere, vt occisores teneantur illa præstare pro toto tempore quo de iure verisimiliter doctor occisus viuere potuisset. Et pro parte affirmatiua, quod hæredes possent agere & interfectores tenerentur, fuit allegatus Specul. in tit. de iniur.§.2.vers. sed nunquid. quem sequitur Rofred. in tit.de act. direct. legis Aquiliæ.§.1. vers. sed pone quod liber homo. Abb.in c.1.col.1.in fine.ver.vlterius quæro. de iniur.Hippolyt.cons.115.n.19.& cõs.131. nu.44.Grat.cons.91.vol.2. Nõ obstat,quod liber homo non recipiat æstimationem. quia non pro æstimatione tenentur, sed ratione interesse,quod prouenit ob carentiam operarum. secundum Fulg.post glos.ibi in l.qua actione.§.si quis in colluctatione. ff.ad l.Aqui. Sed pro parte contraria, quod interfectores non tenerentur, fuit adducta opinio Bulg. de qua in gloss.in d.§. si quis in colluctatione,quam videtur sequi Io.Andr.in addit.ad Specul.in d.§.2.de iniur.Fulg. in l. ex hac scriptura. & in l.1.§.1.ff. de his qui deiec.vel effude.Et pro ista parte, fiebant multa fundamenta per D. Michaelem aduocatum, de quibus in informatione.& inter cetera,illud præcipuum erat. quod iura super quibus fundabant se Specul.& alij,loquebantur in homine libero vulnerato, non autem in occiso. Tamen istis non obstantibus,maior pars Dominorum inclinauit pro dicto Speculatoris. dicẽtes,quod licet iura loquantur in vulnerato, quod eadem ratio erat in occiso,vt etiam dicit Grat.in d.cons.91.Nõ obstat,quod operæ hominis mortui,sunt incertæ. quia eadẽ incertitudo militat in operis hominis vulnerati. Nec etiã obstat, quod actio legis Aquiliæ non detur,nisi pro damno de præterito, & istud erat damnum de futuro. quia fuit dictum,quod trahebat causam à damno de præterito,& ab illo dependebat. Vnus ex Dominis distinguebat,quod aut iste,qui petebat damna & interesse, agebat vt filius, & isto casu esset vera opinio Azon.quam sequitur Specul. contra Bulg. vt talis filius posset agere ad alimenta, & ita procederet tex. in l.qua actione.§. si quis in colluctatione.qui loquitur in filio. & Azo.in summa. & quod isto casu, esset communis opinio pro Azone. & ita hoc casu procederet opinio Paridis de Puteo in tract. de syndicatu.fol.100.vers.quia pluries est dictum. &c. & sentit Aym.Crauett.cons.119. secus si iste egisset vt hæres. quia ex quo operæ non fuerunt in hæreditate, ad illas non poterat agere.per text.in l.nam sicuti.§.si dominus. ff.ad l.Aquil.vbi, illa actio,quæ non competijt defuncto, non datur eius hæredi.Tamen quia in casu isto, egerat vt filius & hæres, & spe probabili illæ operæ poterant dici esse in hæreditate,dicebat maior pars,quod agere

re potuisset, & ille text. procederet in hærede extraneo. & dixerunt Domini, quod quo ad alimenta, non erat dubium quod deberentur. & licet haberet filius artificium, quod illud habuerat necessitate coactus. nã forsan, si pater vixisset, minime illud sumpsisset. sed quo ad operas, multum strictè procederem in taxatione earum, computando in eis sumptus, quos verisimiliter Aduocatus ratione doctoratus facere potuisset. idest deducendo ex eo quod lucratus fuisset sumptus, quos pro honore doctoratus facere potuisset.

SUMMARIUM.

Remissoria relaxata sine retardatione.

DECISIO CCLXXX.

* Die veneris vltima Februarij 1550. fuit idem dubium proposi. tum, & resolutũ, quod daretur remissoria sine retardatione, & quod causa interim examinaretur, & secundum quod probationes Ducis vrgerent, nam si essent probationes leues, tunc forsan Rota decerneret, quod non expediretur causa, sed expectaretur remissoria, si verò testes ita vehementer probarent, quod contrariæ probationes non essent verisimiles sed potius calumniosæ. tũc forsan Rota decerneret quod remissoria non expectaretur.

IN causa Toletana decimarum, seu Gadicensi, die 4. Octobris 1549. proposui * dubiũ. An ex actis constet, quod Archiepiscopus fuerit in mora petendi remissoriam, itaut hodie sit decernenda sine retardatione. & fuit resolutum, quod constaret de mora pro parte Archiepiscopi. cum in partibus fuerit Archiepiscopo intimatum 11. Ianuarii 1547. vt assisteret exequutioni remissoriæ, & Archiepiscopus in partibus procuratorem statim constituit, qui interfuit exequutioni remissoriæ. vnde, quia procurator interuenit potuit Archiepiscopus certiorari de materiis articulatis, & quis esset causæ Auditor, & notarius. & ex ipsis materiis datis poterat percipi quid in contrarium pro parte Archiepiscopi esset articulandum, & probandum. Vnde cum Archiepiscopus postea de mense Martii 1547. procuratorem constituerit, vt ad Curiam veniret, de mense Martii 1547. Et qui procurator applicuit de mense Iunii eiusdem anni, debebat esse instructus saltem de nomine Auditoris & notarii. & ideo debebat perquirere regestum causæ, vt posset defensiones & articulos componere pro remissoria, & non debebat expectare pro decreto remissoriæ, vsque ad quintam Iulii anni 1549. & ideo remissoria esset relaxanda sine retardatione. Non obstat. decis. 170. * in antiq. quia immo in fine, dum loquitur de causis summariis, facit pro ista parte, & ista erat summaria. Et licet ibi dicat quod nõ currat terminus, nec Rota etiam in hoc casu volebat quod curreret terminus, ex quo volebat remissoriam concedere, sed sine retardatione.

* Alias 1. de dil.

SUMMARIUM.

Clausula in supplicatione, & de consensu Cardinalis, quatenus requiratur, quomodo intellecta.

1 *Prouisio facta de consensu, an faciat conditionem, ita vt eo deficiente deficiat prouisio.*

2 *An sit necessarium quod expressè, & non tacitè, consensus adhibeatur.*

DECISIO CCXXXI.

EAdem die 4. Octobris, in vna Astoricen si canonicatus & præbendæ. in qua Ambrosio impetranti canonicatum per obitum Stephani Contreras, narrando in supplicatione quod erat familiaris Cardinalis Hispalensis, & in fine supplicationis, videlicet in fine clausularum erat clausula, & de consensu præfati Cardinalis, quatenus requiratur. Dubitaui ego, an prouisio Ambrosii sine consensu Cardinalis sit valida, attento quod habet clausulam, & de consensu Cardinalis quatenus requiratur. Et ponebatur in facto, quod prouisio fuerat facta prima Aprilis, & Cardinalis obierat postea vigesimatertia, seu vigesimaquinta eiusdem mensis Aprilis. itaque post prouisionem ad plus superuixerat spacio vigintiquatuor dierum, & quia illa verba. quatenus requiratur. poterant esse posita duplici de causa, vel quia familiaritas Cardinalis affirmatiue non ponebatur, ex eo quia in supplicatione dicebatur affectum; vel ex eo quod dictus Stephanus familiaris fuerit Cardinalis. &c. vel ex alia causa, quia Cardinalis erat absens, & Datarius dubitabat, an haberet breue præsentialitatis, & ideo posuit Datarius de consensu Cardinalis quatenus requiratur. ideo maior pars Dominorum inclinabat in illam partem, quod prouisio esset inualida sine consensu Cardinalis. nam præsupposito quod haberet breue præsentialitatis quo ad omnia, certum erat quod cõsensus requirebatur. & ideo illa verba de
1 consensu † cum faciant conditionem, deficiente conditione, deficiebat prouisio, etiam quod casu cõditio defecisset, videlicet quod non stetisset per prouisum ad habendum cõsensum, ita infra modicum tempus quo Cardinalis superuixit. per not. per Doct. in l. 1. ff. de cond. inst. & per Ias. in l. 1. C. de inst. & subst. Non obstat, quod illa conditio de consensu Cardinalis, esset apposita in fauorem Cardinalis, & cum Cardinalis moretuus esset alio non nominato, quod iste tacitus consensus sufficere debebat, quia fuit
2 responsum, quod vt conditio † impleretur necessarium erat quod expressè, & non tacite con-

te consentiret. ita Ias. in l. 2. §. voluntate. num. 6. ff. solut. matrim. Sarnen. in reg. de non tollen. ius quæsitum. quæst. 26.

SVMMARIVM.

Sententia canonizatoria regressus, in qua procurator generalis, & non principalis fuit citatus est nulla.

1 *Citatio principalis requiritur, & non procuratoris sufficit, quando agitur de priuatione alicuius. & quid si citatio sit nulla. & num. 2.*

DECISIO CCLXXXII.

Die 4. Octobris 1549. fuit resolutum in vna Segobiensi pensionis, coram D. Peregrino. in qua fuerat canonizatus regressus ob non solutionem pensionis, citato pro curatore generali pensionarii, qui fuerat constitutus procurator per duos annos antequam commissa esset causa super canonizatione regressus. & post causam commissam, per octo menses post, venit ad causam non citatus ad defensionem causæ. & cum eo fuit processum ad sententiam canonizatoriam. Et quia ab ea non fuerat appellatũ ad omnes censuras, vsque ad brachium sæculare, fuit dictum quod ex quo eramus in
1 negotio † priuationis, quia licet Auditor canonizasset regressum, tamen in necessarium antecedens pronunciabat super priuatione, quod principalis debebat primo citari. per decis. Rot. 750. & 771. ** in antiq. & ideo sententia, & inde sequuta essent nulla. bene verum est, quod si apparuisset de
2 aliqua citatione † etiam nulla contra principalem, quod tunc præsumeretur procurator a domino aussatus. per decis. Rot. 271. in * nou. & quod dicit Abb. in cap. bone mem. col. pen. vers. in ea glos. de elect.

** Alias 20. & 21. de dol. & cõtum.

* Alias 21 de dol. & cõtum.

SVMMARIVM.

Potentia capitularis manet in venientibus, quando sunt vocati ab habente potestatem.

DECISIO CCLXXXIII.

Tenuimus in vna Giennensi iurisdictio nis, coram D. Reomano, die 4. Nouẽbris 1549. quod quando Capitulum est conuocatum de mandato illius qui potest conuocare, quod licet non conueniant duæ partes Capituli, tamen potentia capitularis manet in illis qui venerunt, & gesta per illos valent tanquam gesta à Capitulo. per ea quæ dicit Abb. in cap. cum omnes. col. fin. vers. tamen vnam diuersitatem. &c. de constit. & ibi Felin. & late Caccialup. in repet. l. omnes populi. num. 28. cum seq. ff. de inst. & iur. vbi attestantur de cõmuni. quicquid dicat Dec. in d. c. cum omnes. in prima lectura. num. 11. de constitut. & quod dicit Nicol. Boer. decis. 111. in 1. par. Vide ad propositum Card. Iacobat. in tract. de concilio pag. 170. colum. 1. vers. aduerte tamen quod illud. &c.

SVMMARIVM.

Abbatissa sola potest procuratorem constituere.

DECISIO CCLXXXIV.

In vna Romana hæreditatis de Palosijs. in qua, hæreditas ex persona cuiusdam monialis, erat delata ad Monasterium Sancti Laurentii in Panisperna, & sola Abbatissa constituerat procuratorem ad agendũ & pro ea, & in fauorem Monasterii fuerunt latæ duæ sententiæ. & dabatur coram me de nullitate dictarum sententiarum, ex quo cum Abbatissa non interuenerat duæ ex tribus partibus. Fuit coram me resolutum, die 8. Nouembris 1549. quod sola Abbatissa potuisset procuratorem constituere, ex quo ipsa habebat administrationem, & non eramus in arduis. vtputa cum ageretur de mandato ad lites. per tradita per Abbat. in cap. edoceri. num. 8. quæst. 4. de rescript. Bal. in l. neque tutores. col. 2. num. 3. C. de procurat. & ibi Aret. circa princ. & Bal. in l. 1. C. de bon. mater.

SVMMARIVM.

In causa Romana Castri Feliciani.

1 *Prælato male alienante res Ecclesiæ, eius vita durante potest Ecclesia petere restitutionem.*

DECISIO CCLXXXV.

In causa Romana Castri Feliciani, dubitaui, die 8. Nouembris 1549. An possit de iure dici, D. Io. Franciscum præscripsisse in præiudicium D. Ludouici, & ab eo causam habentium, portionem castrorum de quibus in actis, ex paterna successione ad d. D. Ludouicum spectantem. Et circa istam præscriptionem fuit aliqua varietas inter Dominos. tamen dixerunt, quod dato quod adesset præscriptio, quod ex quo Io. Franciscus qui præscribebat, erat etiam hæres Comitis Ludouici, contra quem præscribebatur,

tur, & propter confectionem inuentarij hæreditas Comitis Ludouici habebatur pro iacente, quod ex quo hæreditas nullum habebat defensorem, quod semper poterat pete

1 re restitutionem. sicut dicimus † in Prælato alienante, vt semper durante vita eius Ecclesia possit petere restitutionem, etiam quod quadriennium esset lapsum.

S V M M A R I V M.

Ilerdensis pecuniaria.

DECISIO CCLXXXVI.

IN causa Ilerdensi pecuniaria, inter D. Paulum Pla, & Carolum Sargarriga ex alia. dubitaui, die 21. Octobris 1549. posito quod D. Paulus teneatur facere & curare quod Carolus recuperaret omnes & singulos fructus Archidiaconatus. pacto adiecto, quod si vltra mille ducatos ascenderent, dictus Carolus teneretur restituere eidem Paulo totum illud plus, vsque vero ad summam mille ducatorum essent ipsius Caroli, si vero non ascendebant ad septingentos, & quinquaginta ducatos, quod vsque ad dictam quantitatem dictus Paulus resarcire teneretur. Et præsupposito quod Carolus propria auctoritate partem dictorum fructuum recuperauerit. &, illos non citato dicto Paulo distraxerit. An ex hoc sit liberatus Paulus à promissione, & an illã adimpleuerit, ita vt possit agere ex cedula ad 300. ducat. Et Domini inclinabant in illam partem, quod quia Paulus in exactione & distractione fructuum de cuius interesse agebatur, non fuit citatus, poterat dicere esse satisfactum Carolo de summa per eum promissa. Tamen fuit dictũ, quod si Carolus doceret de fructibus exactis & legaliter venditis, quod si non ascenderent ad summam mille, quod Paulus teneretur ei refundere vsque ad summam mille.

S V M M A R I V M.

Scientia tituli superuenientis, ex actis non probabatur, & requiritur scientia tituli.

1 *Sciri an præsumantur ab omnibus, quæ publice fiunt.*

2 *Quilibet præsumitur indagare, & scire id, quod ad commodum eius spectat.*

3 *Procurator quando præsumatur auisasse dominum.*

4 *Possessionis causa vt dicatur mutata, an requiratur scientia tituli superuenientis in possidente.*

5 *Possessionem continuando, an possidens dicatur de nouo acquirere, & an requiratur animus de nouo acquirendi.*

6 *Veritas tituli potius quando sit inspicienda, quam opinio.*

DECISIO CCLXXXVII.

DIe Veneris vltima Febr. 1550. in causa Cæsaraugustana præceptoriæ de Villel, proposui dubium. * An ex actis constet quod D. Frater Ludouicus habuerit scientiã tituli superuenientis, adhoc vt ex causa superuenienti censeatur mutasse possessionẽ. Et fuit resolutum, quod ex actis non cõstaret de scientia. Non obstat quod expeditio litterarum in 800. esset facta in Cancellaria, & litteræ in locis publicis registrantur, & quæ publice

1 fiunt † præsumantur ab omnibus sciri, maxime ab his quos negociũ tangit, ad glos. Bart. & alios in l. si curator. C. de peri. tut. quia fuit responsum, istud esse verum si Ludouicus fuisset præsens in Curia. sed tũc erat absens, & in partibus. Secundo, non

2 obstat quod quilibet † præsumitur indagare & scire id quod ad eius cõmodum spectat, Clem. vnica. de concess. præb. in fine, & ibi Card. in 7. nor. quia est verum ad eius præiudiciũ, & ita procedit tex. in d. Clem. vnica in fine. Non obstat tertio, q in partibus pẽdente lite inter D. Hieronymum & Ludouicũ, fuerint productæ litteræ, & præsumitur q pro

3 curator † auisauerit Ludouicum iuxta cõsilium Rom. 480. quia respõdetur, quod procurator erat assertus & quando esset verus procurator, nõ sufficiebat q procurator auisasset dominũ de expeditione litterarum, sed etiã de summa in qua erãt litteræ expeditæ. & probandũ erat, quod Ludouicus tunc tẽporis sciuisset præceptoriã esse maioris valoris summa expressa in expeditione litterarũ, ad hoc vt sciret summã male expressam. & per cõsequens præceptoriã iterũ vacare, & ideo ex tali causa possessionẽ mutasset, & omnia ista videbũtur inuerisimilia. Et quia D. Paulus Pla in informatione dicebat

4 q non requirebatur scictia † tituli superuenietis, ad hoc vt quis diceretur mutare possessionẽ, fuit dictũ, q immo iura sũt clara, quod nemo potest sibi mutare possessionẽ, nisi causa superueniat. si ergo ex causa superueniente fit mutatio, ergo requiritur scientia. Non obstat q dicunt Bart. & cõiter Doct. in l. 3. in princ. quod

5 quis continuando † possessionẽ dicitur de nouo acquirere & Bar. ibi dicit q non requiritur animus de nouo acquirendi, sed possidendi. & Ias. ibi sequitur n. 28. Quia fuit responsum, quod illa cõis opinio loquitur in terminis illius glossæ quãdo quis prius non

* Causa iterum posita, die 17. Martij 1550. fuit iterum resolutũ, quod requireretur scientia tituli superuenientis, vt illa possessio infecta, efficeretur possessio restituibilis. nam restitutio erat facienda ad illum statum qui erat. & illa possessio a princ. infecta, non poterat fieri bona, nisi per superueniẽtiã tituli, & de illo debebat habere notitiã. Nõ obstabat doctr. Bart. in l. 2. § si sub cõditione. ff. pro emptore, & Bart. in l. sequitur. §. itẽ labeo. ff. de vsuca pio. Rom. & Alexand. in l. is qui putat, nu. 5. ff. de acquiren. hæred. quia fuit dictum, quod Bar. ĩ d. l. 2. circa princ. declarabat se, vbi dicebat, quod in his quæ dependẽt ab animo, attenditur opinio, & nõ veritas, & in mutatione possessionis illa mutatio dependebat ab animo. Itẽ in §. itẽ labeo. & in casu Alexan. in l. is qui putat interueniebat corpus de nouo, itaque non potest quæri possessio de nouo, nisi interueniet animus vel corpus de nouo in casu nostro non interueniebat animus de nouo, nec etiã corpus de nouo.

 possidе-

possidebat ex vna causa, quia si vult possi-
dere ex alia, opottet quod superueniat, &
& sciat. at in casu illius glossę nõ possidebat
ptius ex aliqua causa. & ideo animus conti
nuandi operabatur nouã acquisitionẽ, quia
habebat animum possidendi. sed in easu no
stro prius possidebat ex vna causa, si ex alia
debebat possidere, oportebat quod causa su
perueniret. Nõ obstat quod dicebatur, quod
iste esset vnus casus in quo inspiceretur po
6 tius † veritas tituli, quã opinio. iuxta text.
in l. 2. §. si sub conditione, & ibi Bar. n. 2. ff.
de vsucap. pro empt. Quia fuit responsum,
quod Bart. ibi istud declarat, dũ dicit quod
in his quæ depẽdent ab animo, potius inspi
citur opinio quã veritas, & cũ mutatio pos-
sessionis dependeat ab animo, quia depen-
det à causa de nouo superuenienti, data sciẽ
tia, ergo inspicitur opinio, & non veritas.

SVMMARIVM.

Regulæ de non tollendo ius quęsitum de-
rogandum fuit etiam isto casu, in quo
differebatur ius.

1 *Regulæ de iure quæsito non tollendo, an sit locus quando ius non tollitur, sed differtur. & num. 3.*
2 *Tollere, & differre, an differant.*
4 *Ius an ita dicatur tolli per dilationem, sicut quando tollitur in totũ. & n. 5. & 6.*

DECISIO CCLXXXVIII.

POmpeius de Sancto Seuerino Cõmenda
tarius S. Antonii Parmensis, cui perpe-
tuo vnita erat præceptoria Regiensis, con-
sensit dismẽbrationi dictæ præceptoriæ ad
vitã Io. Baptistæ Fossa, cũ decreto, quod ce
dente, vel decedente dicto Io. Baptista, vel
illam quomodolibet dimittente, dicta pręce
ptoria Regiẽsis, in pristinũ statum vt prius
reuerteretur, & vnita perpetuo censeretur
eo ipso. dictus Io. Baptista illã cessit postea
in fauorẽ Card. Farnesii, & Cardinalis po-
stea in fauorẽ Camilli, reseruatis fructibus
ipsi Io. Baptistæ, & regressu in fauorẽ Car-
dinalis Farnesii. Et præsupponebatur, vt
alias fuerat in Rota decisum, quod in resi-
gnatione facta in fauorẽ & Cardinalis &
Camilli, quod Papa intellexisset illud decre
tum quod cedente, vel decedente Io. Ba-
ptista, quod præceptoria erat reuersura ad
pristinã vnionem, & sic constabat de mente
Papæ, quod intellexerat præiudiciũ. & quia
mortuo Io. Baptista, cõmendatarius agebat
ad suam vnionẽ, Camillus vero dicebat non
esse locum, ex quo Papa intellexerat, & ni-
hilominus resignationẽ admiserat, dubita-
uit D. Fabius in vna Regiensi præceptoriæ,
die 5. Martii 1550. An, in casu de quo agi-
tur, ita fuerit sublatum ius, vt fuerit necessa
ria derogatio regulæ de non tollendo ius
quæsitum. Pro parte negatiua, quod non es-
set necessaria derogatio dicebatur, quod re-
1 gula loquitur quando † ius quæsitum tolli-
tur, non autem quando differtur, vt erat hic
vbi de vno in aliũ transferebatur. & ita po
terat mori Cardinalis, vel Camillus, sicut
2 & Io. Baptista. & differentia † erat inter tol
lere & differre. glos. in l. quamuis. ff. de arbit.
in l. quotiens. C. de precib. imperat. offeren.
& ita videbatur tenere Sarnen. in regula
de non tollen. ius quęsitum. in 1. q. num. 30.
& q. 4. in fine. Istis non obstantibus fuit de-
cisum contrarium, quod isto casu in quo
agebatur de vita trium, nam expectãda erat
mors. Io. Baptistæ reseruatarii fructuum,
Cardinalis habentis regressum, & Camilli
3 titularis, requirebatur derogatio † regulæ.
Nã licet ius Commẽdatarii differretur, ta-
men dilatio erat notabilis, & maximi tem-
poris. & ideo dicebatur in illo notabili tẽ-
pore ius tolli. & istud sentit Domin. in c. ei
cui. col. 5. in princ. vers. nec obstat quod
in exemplo. de præben. in 6. & Felin. in c.
in nostra in 27. corollario. de rescript. vbi
4 colligitur, quod ita tollitur † ius per dila-
tionẽ sicut quando in totum. Et pro ista par
te facit, quia regula loquitur generaliter de
non tollendo ius quæsitum. quod quidẽ ius
5 ita † tollitur in parte temporis, saltẽ quan-
do est tẽpus notabile, vt erat hic, sicut quan
do tollitur in totum. & ideo illæ decis. Sar-
nẽsis erant intelligendę, quando illæ dilatio
6 nes † erant modici temporis. prout ita lo-
quebatur text. in l. quamuis, & in l. quo-
tiens. superius allegati.

SVMMARIVM.

Regulæ de publicandis fuit locus in casu,
de quo hic.

1 *Verbum vacare, an intelligatur tam de vacatione iuris, quam facti.*

DECISIO CCLXXXIX.

FVit decisum * in vna Salamantina pa-
rochialis del Campo, corã D. Achille,
die 5. Martii 1550. quod si Ioãnes de Leiua
qui obtinuerat tres sententias, & exequuto-
riales, qui ante adeptam possessionem pa-
rochialis, vigore exequutorialium resigna-
uit, seu cessit in fauorem Io. Gomesii, qui
Io. Gomesius fuit subrogatus, etiam quo ad
persequutionem exequutorialium, quod si
Ioannes de Leiua, vigore concordiæ postea
factæ inter eum & eius aduersarium, pos-
sessionem ingressus fuit, & eam per duos
annos continuauit, & in ea mortuus fue-
rit, absque eo quod Ioannes Gomesius re-
signatarius non publicauerit resignationẽ,
nec possessionẽ petierit, quod talis resigna-
tarius

* Iste articulus iterũ fuit propositus, & Domini fuerunt varij, ideo nõ erit casus habendus pro deciso sed remanebit in dubio.

tarius incidit in regulam de publicandis, ita vt parochialis dicatur vacanisse per obitum Ioan. de Leiua resignantis. Ratio decisionis fuit, quia isto casu conueniunt verba regulæ. nam Ioannes Gomesius resignatarius poterat petere, cum esset subrogatus ad prosequutionem exequutorialium possessionem parochialis. Item poterat publicare resignationem. etsi petijsset, resignans non fuisset mortuus in possessione. Itē militant rationes regulæ de publicandis, videlicet non expectans, & Ordinarius fraudetur & hic fraudabantur. nam expectans, & Ordinarius, videntes Ioannem de Leiua resignantem habuisse tres sententias, & exequutoriales, videntes eum possidere, putabant eum ex illo iure possidere, & eum esse verum rectorem, vtpote ignorātes resignationem per eum factā. Et ideo, ne ista fraus adesset debebat resignatarius subrogatus ad prosequutionē exequutorialium docere de diligentia per eū facta, quo ad consequutionē possessionis. Nō obstat quod dicit Sarnē. in regula de publican. q. 20. quia Sarnē. ibi loquitur in cessione meri iuris separati à possessione, itaut nunquam vigore illius iuris cessi, nunquam resignans possessionē habuit, & tunc procedit eius decisio, tum quia verba regulæ de publicādis non conueniūt, quia resignans non decedit in possessione. & ex hoc sequitur, quod non militant rationes dictæ regulæ. quia ex vacatione dicti iuris cessi, nec expectans, nec Ordinarius fraudentur. cum verbum, vacare † intelligatur tam de vacatione iuris, quā facti. & per cessionē iuris, parochialis nō dicatur vacare.

SVMMARIVM.

In causa Romana Pitiliana dotis.

1 *Filius, quando habitat seorsum à patre, an habeat retentionē pro dote sua vxoris, vel pater teneatur dotem restituere. & nu. 2.*

3 *Voluntas ex actu nullo licet colligatur, non tamen ex actu resoluto.*

DECISIO CCXC.

IN causa Romana Pitiliana dotis, die 10. Martij 1550. proposui dubium. An constet quod D. Nicolaus habitet seorsum à patre, itaut D. Comiti non cōpetat actio ad residuū dotis. Et fuit dictū, quod si cōsideretur illa habitatio castri Pitiliani, & fructus dicti castri & Sorani, dati pro sustentatione ipsorum cōiugum, quod talis habitatio, & fructus assignati, nō faciunt quod cesset actio dotis pro residuo. nam tunc dictum Ang. & Doctor. in l. si cū dotē. §. trāsgrediamur. ff. solut. matr. quod † quando filius habitat seorsum à patre, an debeat filio retētio, seu pater teneatur restituere dotē, habet locum, vbi filius habitat seorsum à patre, & pater non vult sustinere onera matrimonij. at in casu isto, inter filium & patrē est conuentum, vt pro dote recepta certos habeat fructus. ergo non sumus in casu Doct. in quo quando filius habitat seorsum, nullos † habet fructus, & pater vult retinere dotē. quia tunc honestum est, quod ex quo pater non vult sustinere onera matrimonii, quod restituat dotē. sed in casu nostro, ex cōuentione inter filiū, & patrem, ipse pater sustinet onera matrimonii. Nec obstat, quod tantum sustineat pro parte dotis receptæ, & ideo pro alia parte videtur nolle curare. quia fuit responsum, quod sicut pater, pro illa parte recepta, elegit illam viam retinēdi dotē, seu eius administrationem, ita & verisimile est, quod etiam voluerit retinere administrationē alterius partis quando soluetur. qua soluta, tunc tenebitur dare fructus eius, si primi assignati, non sunt sufficientes. Aut fiebat fundamentum in illo recessu Liuiæ. & Nicolæ, de anno 35. ad domū D. Io. Antonii, in quo loco coniuges habitarunt. vsque ad annum 41. quo tēpore lis fuit inchoata corā Sanctissimo tunc Cardinali de Monte, & isti coniuges nunquā per Comitē patrē fuerunt reuocati. & ideo colligitur tacita voluntas, quod pater non curaret de tali habitatione seorsū facta. Quia fuit dictū, quod isto casu nō est curandū de ista tacita volūtate, si filius ex causa iniusta à patre recesserat, & maxime cum non obstāte isto recessu, Nicolaus sēper fructus Pitiliani & Sorani perceperit. Et ita fuit dictū circa istud caput, quod erat dubitandum, an filius habet iustā causam recedendi à patre, vel an coniuges de anno 36. ex iusta causa recesserint, itaut actio ad residuum dotis Comiti non cōpetat. sed quia D. Michael in informatione sua faciebat duo fundamenta, per quę intendebat probare, quod dato quod coniuges ex iusta causa recessissent, nihilominus etiā Comes ad residuum dotis; agere posset fuit dictū, quod daretur dubium. præsupposito quod cōiuges ex iusta causa à patre recesserint. An Comiti nihilominus cōpetat actio ad residuū dotis. Circa illud caput, de fructibus assignatis in castro Morlupi, & habitatione de anno 1542. fuit dictum, quod cum isti fructus essent subrogati in locū fructuum assignatorum super castris Pitiliani & Sorani, quod sicut per illos fructus non constabat de voluntate patris, itaut actio non cōpeteret, ita etiam esset dicendum de istis fructibus loco illorum subrogatis. Item fuit dictum, quod cum ille contractus propter inobseruātiā esset resolutus, quod ex illo cōtractu trāsactionis non poterant coniuges se iuuare. quia licet ex actu nullo † colligatur voluntas, non tamen ex actu resoluto. Tota difficultas remansit in instrumēto facto de anno 1544. quando fructus castri Meanæ fuerunt dati loco fructuum castri Morlupi. attento quod in instrumento per-

mutationis dicitur.cum eisdem pactis,& capitulis,de quibus in instrumento transactionis.& ideo erit dandum dubium,præsupposito quod fructus sint assignati coniugibus pro summa 5500.ducat. recepta. An ex instrumento permutationis de anno 1544.fructuum Morlupi,cum fructibus tenutæ Meanæ,ita constet de volūtate patris quod eius filius habitaret seorsum, vt amplius D.Comiti nō sit danda actio ad residuum dotis.

SVMMARIVM.

In causa Romana medietatis casalis de la Bottaccia.

1 *Minor si vult impugnare alienationem, ex eo quod haberet alia bona: hoc non sufficit, nisi probet etiam,ista bona esse minus damnosa.*

Et maxime si in instrumento venditionis dicatur, bona alienata fuisse minus damnosa, & num.2.

3 *Iuramentum minorum, an suppleat defectum solennitatum requisitarum in alienatione minorum, & num.4.*

5 *Consensus defectus in minore, an arguatur ex falsa causa.*

DECISIO CCXCI.

IN causa Romana medietatis casalis, die 10.Martii 1550. proposui dubiū. An domini de Cithara,probauerint sufficiēter falsitatem causæ factæ venditionis, aut circa enormem læsionē, ita quod propterea eneruato iuramento apposito in contractu,ipsi excusentur à periurio, & non possit procedi ad exequutionem instrumenti.Et fuit resolutum,quod licet ipsi probauerint, quod alia bona haberent, puta domum, vineam,
1 hortum,& fœnile. † tamen vltra hoc,debebant probare ista bona minus damnosa, & tertio, quod alienari poterant, nam cum in contractu iurato diceretur,quod facta discussione,non fuerunt reperta alia bona minus damnosa quæ alienari poterant, quam dictum Casale tali narratiuę iuratæ standū erat,vt alias resolutum fuerat.Vnde probādo quod erant alia bona, non probabatur
2 plusquā † in instrumento præsupponebatur cū in instrumento dicatur, quod nō fuerunt reperta alia bona minus damnosa.vnde prę supponitur, quod essent alia bona.Non obstat, quod læsio probaretur nō solum in tertia parte,sed etiam in totum,ex quo nō fuit forma seruata,de qua in l. magis puto §.ne passim.ff.de rebus eorū. vbi prætor æstima-
3 re debet, an potius debeat † fieri obligatio quam venditio.item potius vēdere alia bona quam prædia.& alia de quibus ibi.Quia fuit dictum, ꝙ alias fuerat resolutum,quod
4 iuramentū † minorum supplebat defectū solennitatū de quibus in d. §. ne passim, sed non supplebat defectum consensus.qui defe-
5 ctus consensus arguebatur † ex falsa causa. & ideo fuit iniunctum istis de Cithara,vt deberent probare istam falsitatem causæ, de enormi læsione,in contractu venditionis,nihil fuit probatum, licet fuerit probata læsio in solutione, & ista differant vt per Bar. in l.si quidem.C.de præd.minorum.

SVMMARIVM.

Articuli super valore, non fuerunt admissi stante suspensione petitorij, etiam quod adesset commissio arbitrio Auditoris.

1 *Execrabilem non esse restituendum, quomodo procedat.*

2 *Expectatiua ad tempus determinatum concessa,an post illud tempus det titulum coloratum.*

3 *Reseruatio beneficij vt iustificetur, an admittantur articuli ad effectum discolorandi titulum.*

DECISIO CCXCII.

IN vna Toletana parochialis de Galopagar. in qua Ludouicus de Heredia,agebat spolio contra Ioannē Poginum Episcopū Tropiensem. nā Ludouicus docebat de possessione sua,& quod postea spoliatus fuerat dicta parochiali,& pro titulo colorato docebatur de expectatiua ad summā centū,secundum taxā decimę.ex aduerso pro parte Episcopi fuerunt dati articuli,in quibus ad discolorandū titulū deducebatur valor dictæ parochialis, & ꝙ parochialis erat valoris 600. & sic quod nō poterat cōprehendi sub expectatiua. itē pro parte eiusdē Episcopi erat pręsentata cōmissio eo quia Ludouicus suspenderat petitoriū, in qua cōmissione dicebatur,ꝙ procederetur ad expeditionē causæ negotij principalis super petitorio, causa possessorij & illius prosequutione omissa.& signatura manu Papæ respōdet. Placet arbitrio Auditoris. Dubitauit D. Peregrinus, die 14. Martij 1550. stante suspensione petitorij, & cōmissione vltimo præsentata. An articuli producti veniant admittendi.& vt dixi articuli erant ad probandū valorem 600. cum expectatiua tantū daret vsque ad summam centum,vt supra dixi.Fuit resolutum,quod articuli non admitterentur. quia ex quo probationes erant faciendæ, etiam quod esset paratus probare in Curia, & in continenti; tamen erant probationes extrinsecæ, & adhuc non erant factæ, & quia probatio non excludit probationem, & respiciebant petitorium, quod tales probationes nō admitterentur,sicut & alias reso-
1 lutū fuerat, ꝙ licet execrabilis † nō esset restituendus illud erat verū quando ex actis execrabilitas erat probata. secus quando darentur articuli ad probandum execrabilitatem

tatem, & in excommunicato & similibus. Non obstat quod, alias, die 15. Januarii 1543. coram Thoma de Tanis, in vna Astoricensi parochialium, fuisset resolutũ, quod
2 expectatiua † ad tempus sex mensium concessa, post illud tempus non dedisset titulum coloratum, quia fuit responsum, quod in illo casu, ex data concessionis expectatiuæ, & ex acceptatione in actis producta, apparebat quod acceptatio erat extra tempus facta, secus erat hic. & ideo argumentum de tempore ad rem non valebat. Non obstat, quod fuisset coram me resolutum, in vna Cæsaraugustana præceptoriæ de Villel, quod fuissent admissi articuli ad iustificandũ re-
3 seruationem † beneficii, ad effectum discolorandi titulum Ludouici de Talauera. quia fuit dictum, quod in illo casu, apparebat de reseruatione, puta de resignatione beneficii in manibus Papæ facta in fauorem certæ personæ, & tantum articuli fuerunt admissi ad iustificationem ætatis, & valoris expressi in resignatione. Item & secundo articuli ad probandum reseruationem, puta, quod tale beneficium esset dignitas principalis, vel Auditor Rotæ. &c. erant admittendi, quia talis reseruatio non solum discolorabat titulum, sed etiam & possessionem.

SVMMARIVM.

C. ad audientiam de cleric. non residen. locum habet in canonicatu doctorali, & magistrali, non autem in duobus beneficiatis.

DECISIO CCXCIII.

IN vna Placentina fructuum, die Veneris 14. Martii 1550. coram D. Fabio fuit resolutum, quod cap. ad audientiam. de cleric. non resident. locum haberet in canonicatibus doctorali, & magistrali. quia loquitur indistincte de duobus canonicis, & qualitas doctoratus, seu magisterii non repugnabat canonicatui, & licet illa qualitas doctoratus, & magisterii, in ipso canonicatu erat inuenta vt deseruiretur Ecclesiæ, ita etiam in casu cap. ad audientiam. per illam constitutionem erat inuentum, vt canonici tenerentur Ecclesiæ deseruire, & tamen tex. ibi determinat, quod quia deseruiens Episcopo dicitur Ecclesiæ deseruire, non obstante constitutione, debebat fructus percipere, ita esset dicendum in canonico doctorali & magistrali, vt deseruiens Episcopo, diceretur Ecclesiæ deseruire.

Et in eadem, eodẽ die fuit decisum. quod non haberet locum in duobus beneficiatis eiusdem Ecclesiæ, nisi necessitas Ecclesiæ vrgeret, quod dicti beneficiati penes Episcopum existerent. per ea quæ dicit Abb. in d. c. ad audientiam circa fin.

SVMMARIVM.

Scriptor Apostolicus, habens expectatiuam ad largam, præfertur scriptori archiuij, habenti gratiam creationis in canonicum.

DECISIO CCXCIV.

DIe 17. Martii 1550. in vna Legionensi canonicatus & præbendæ, proposui dubium. * An creatio in canonicum pro Scriptore archiuii, præferatur gratiis expectatiuis ad largam pro Scriptoribus Apostolicis. Et fuit resolutum quod scriptor Apostolicus, dato quod haberet gratiam expectatiuam ad largam, præferretur, per regulam Cancellariæ Pauli de prælationibus, siue prærogatiuis in gratiis expectatiuis. vbi dicitur. scriptores Apostolici omnibus aliis qualitercunque qualificatis, in assequutione quorumcunque beneficiorũ, quæ huiusmodi gratiarum vigore expectabant, quacunq; diligentia, receptione, vel creatione in canonicum non obstante, potiores existant. & licet Commentator super eadem regula Innocentii dicat, quod regula loquitur alternatiue, & non loquitur quod receptio & creatio simul concurrunt. per rationes de quibus ibi per eum. tamen Staphileus in tractat. de lit. grat. & iust. fol. 118. vers. secundo principaliter. damnat illud dictum Commentatoris, & tenet, quod regula habeat locum etiam quod omnia illa simul concurrerint. Et ita Domini, dictum Staphilæi fuerunt sequuti.

* Iste pũctus fuit iterũ positus 17. Octob 1550. & eod modo resolutus.

SVMMARIVM.

Capitulum fecit, vel Canonici capitulariter congregati id fecerunt, idem est dicere.

1 *Collegium an dicatur expediuisse actum, quando expeditur per consensum præstitum in communi.*
2 *Actus capitulariter gestus vt dicatur, quæ requirantur.*

DECISIO CCXCV.

FVit resolutum in vna Giennensi iurisdictionis, corã D. Reomano, die 17. Martii 1550. quod idem esset dicere. canonici capitulariter congregati id fecerunt. quod, Capitulum id fecit per cons. Oldradi 100. incipiens, in exequutione. & per Pauinum in tract. de offic. & potest. capit. sed. vac. in 5. præludio. num. 10. vers. & pondera quod
1 capitulum. &c. & vbicunque actus † expeditur per consensum præstitum in communi, dicitur per ipsum collegium gestus, vt dicit Abb. in cap. cum omnes. col. 6. num. 7. versic. ad vltimum an consensus, & ibi Iclin

colum. 15. num. 41. vers. in eadem glossa. & per totam colum. seq. de constit. & idem Abb. in cap. fin. de sortileg. Et tanto magis erat in casu illo, in quo praecedebant omnia signa requisita ad hoc, vt actus, per canonicos in vnum congregatos gestus, capitula-
2 ris dicatur, † videlicet sonus campanae, vocatio per nuncium, locus Capituli, & alia de quibus per Aegid. decis. 10. incip. Canonici capitulariter. & per Felin. in c. eam te. colum. 10. num. 31. vers. aliud singuli. de rescript. per Card. Paris. consil. 92. incip. pro primi dubij clariori resolutione. colum. 3. num. 6. & num. 17. in 4. vol.

SVMMARIVM.

Regressui per decessum, fuit locus in casu regulae de infirmis resignantibus.

1 *Resignatarius, durante tempore viginti dierum iuxta regulam de viginti, an dicatur habere ius in beneficio, & beneficium vacet per obitum illius.*
2 *Verbum, videtur, an importet fictionem. In his quae sunt iuris, an paria sint, aliquid esse tale, vel haberi pro tali.*

DECISIO CCXCVI.

Regressui per decessum, est locus in casu gulae de infirmis resignantibus. itaque si resignans obierit infra viginti dies habēs regressum per decessum, capit illud beneficium vigore regressus. ita fuit decisum coram D. Achille, die 17. Martij 1550. in vna Bononiensi regressus. Non obstant ea quae dicit Sarnen. post Rom. in d. reg. de infir. resign. dum dicit, quod ista vacatio est ficta, & ideo non venit in dispositione loquēti de vacatione per obitum. quia fuit responsum, quod ex quo Papa annullat collationem, si infirmus decedat infra vinginti
1 dies, & sic non admittit illam † resignationem, ius beneficij dicitur esse penes resignātem. per ea quae dicit Bisign. decis. 1. de renunc. & cum ius sit penes resignantem vacat per obitum, & ita intrat regressus. Non obstat quod regula dicat. censeatur vacare. quod verbum videtur sonare in fictionem.
2 quia † in his quae sunt iuris, paria sunt aliquid esse tale, vel haberi pro tali.

SVMMARIVM.

In causa Toletana S. Sebastiani, quo casu iudicatum fuerit, mandatum non esse sufficiens.

1 *Procurator an videatur comparuisse vigore mandati quod erat in actis, vel alterius mandati, quod ignorabat.*
2 *Procuratore citato, si contra aliquem agatur, si tum temporis non appareat esse pro curatorem, si postmodum detegatur, an actus sustineatur.*

DECISIO CCXCVII.

In causa Toletana beneficij S. Sebastiani de Madrid, proposui dubium, die 19. Martij 1550. An ex instrumento substitutionis factae in personam D. Ioannis de Segobia, de anno 1546. & interrogatoriis, ac articulis, & protestationibus per ipsum Ioā nem factis in actis, constet quod d. Ioannes habeat mandatum sufficiens in causa spolii, de quo agitur. Et fuit resolutū quod mandatum non esset sufficiens. quia Ioan-
1 nes videbatur comparuisse vigore † mandati quod erat in actis, etiam si esset insufficiens, non autē vigore mandati quod ignorabat. Non obstat decis. 248. * in antiq. * Alias 19. de procur.
2 quia procedit † vbi non constaret, quod aliud mandatum esset in actis. quia tunc videretur agere, seu defendere, vigore mandati quod esset in rerum natura.

SVMMARIVM.

Porrectio supplicationis, isto casu non fuit praesumpta de mandato principalis.

1 *Supplicatio, an praesumatur porrecta de mandato principalis, eo existente in curia.*

DECISIO CCXCVIII.

Eadem die 19. Martii 1550. in vna Legionensi, canonicatus & praebendae proposui dubium. praesupposito, quod tempore datae supplicationis, Guadisaluus esset praesens in Curia, & quod supplicatio sit scripta per sollicitatorem dicti Gundisalui, per quem alias diuersę commissiones, & supplicationes eiusdem Gundisalui scriptae apparent. & stante mandato ad praestandum desuper consensum post datam dictae supplicationis. An propterea praesumatur, supplicationem de qua in actis, per eundem Gundisaluum, aut de eius mandato porrectam fuisse. Et fuit resolutum, quod ex istis non praesumeretur porrectio de mandato Gundisalui. Non obstat, quod Gundisaluus esset
1 in Curia praesens, quo casu † praesumebatur de mandato eius porrectio. ad not. per Felin. in cap. nonnulli. §. sunt & alii. in 6. colum. num. 15. de rescript. per Sarnen. in regula de publican. quaest. 7. num. 3. Quia fuit responsum, quod hic eramus in actu, in quo aderat modica impensa. & tractabatur de praeiu-

præiudicio ipsius Gundisalui, & de nullo eius fauore. vtputa, de simplici resignatione, absque eo quod aliquid in supplicatione reseruaretur, & ideo non præsumeretur de mandato Gundisalui porrecta. Non obstat, quod secundo loco dicebatur, quod præsumeretur ex scriptura sollicitatoris, qui alias scripserat quibus Gundisaluus vsus est. & validum erat argumentum à solitis. Quia fuit responsum, quod ex diuersis non fit illatio, & in illis animus Gundisalui non ex mandato, sed ex ratificatione per vsum inducta colligebatur. Non obstat quod tertio dicebatur, quod ex mandato postea dato in personam sollicitatoris, declararetur quod voluit quod de præterito porrexisset. quia ex sequentibus præcedentia declarantur. Quia fuit responsum quod potius illud retorquebatur, quia sicut post biennium Gundisaluus dedit mandatum, ita etiam dedisset ab initio si voluisset. & ideo videntes isti, quod ex illa porrectione resignatio effectum sortiri non poterat, ideo procurarunt quod Gundisaluus mitteret mandatum.

SVMMARIVM.

In causa Calaguritana subsidiorum.

DECISIO CCXCIX.

Die 10. Martij 1550. in causa Calaguritana subsidiorum, proposui dubium. An, stante concessione quartæ partis fructuũ facta de anno 1539. & reductione ad certã summam, & solutione pro tertia parte per clerum de Haro & Vriones. & lite per eũdem clerum super modo soluendi in Curia introducta. potuerit postea Cardinalis Hispalensis, executor deputatus in concessione quartæ partis, facta de anno 1543. exigere ab eodem clero de Haro & Vriones, eo modo quo fecit. Et fuit dictum vt viderem breue, circa quos valores daret iurisdictionem iudicibus de partibus, an circa valores particularium beneficiorum. & tunc circa illos potuerunt illi iudices exequi, ex quo causa in Rota non pendebat circa hoc, sed tantum quod onera non debebant diuidi pro tertia. Item veri valores Episcopatus erant liquidati, sed non veri valores singulorum beneficiorum. & ideo erat videndum & breue & commissio.

SVMMARIVM.

In causa Toletana decimarum, circa commissionem sanatoriam.

1 *Commissio sanatoria arbitrio iudicis, quando non debeat operari in examine testium. & num. 2.*

DECISIO CCC.

De mense Aprilis 1550. in causa Toletana decimarum dubitaui. An ex processu remissoriali constet de aliqua nullitate, quæ non possit sanari per commissionem de qua in actis. Et pro parte Archiepiscopi dicebatur, quod cum testes essent examinati extra tempus & locum, procuratore Archiepiscopi protestante de nullitate, & contradicente, quod tunc † commissio sanatoria arbitrio iudicis, non debebat operari. 1
quia quod examen factum cum interrogatorijs, etiam si nulliter sit factum, quod sane tur, illud ideo est quia † dando interrogatoria videtur tacite consentire, sed hic nullus erat consensus, sed potius expressus dissensus, & ideo videbatur quod non poterat sanari illa nullitas per dationem interrogatoriorum. quæ erant data quo ad testes, qui erant examinati intra loca & tempora. Tamen Domini, ista ratione non obstante dixerunt quod viderentur interrogatoria data. quia si illa respiciebant tam testes inductos intra loca & tempora, quam in futurum inducendos, ita quod nihil aliud potuisset circa illos testes releuans adduci quod non fuisset adductum in illis interrogatorijs primo datis, quod tali casu examen, etiam nullum per commissionem, arbitrio iudicis sanaretur, & esset validum. 2

SVMMARIVM.

In causa Asloricensi canonicatus.

1 *In gratia Papæ, facta cum consensu Cardinalis, quatenus requiratur. hæc verba quo modo intelligantur.*

DECISIO CCCI.

In causa Asloricensi canonicatus, die 2. Maij 1550. Dubitaui hoc modo. quę fuerit mens Papæ in appositione verborum quatenus † requiratur. & an requiratur consensus Cardinalis pro validitate prouisionis Ambrosij. Et fuit resolutum, quod illa verba. quatenus requiratur erant apposita propter narratam familiaritatem Cardinalis, & absentiam eius à Curia, sed quia poterat habere breue præsentialitatis, ideo fuit appositum verbum. quatenus requiratur, itaut illa verba, starent conditionaliter. Et etiam fuit resolutum, quod stante familiaritate & breui præsentialitatis, si illud breue erat validum, quod requirebatur consen- 1

consensus Cardinalis pro validitate. & ita iam fuerat resolutum 4. Octobris, seu Nouembris 1549. vtsupra annotaui.

SVMMARIVM.

Statutum Interamnense excludens filiam propter filium masculum, non comprehendit filium legitimatum.

1 *Legitimatu cum clausula. sine praeiudicio venientium ab intestatum non censetur habilitatus ad successionem patris ab intestato, sed ex testamento.*

2 *Statuti verba vbi non conueniunt, nec eius dispositio.*

DECISIO CCCII.

IN causa Interamnensi hæreditatis proposui dubium, die 2. Maij 1550. An statutum productum, comprehendat spurium legitimatum ad exclusionem filiæ legitimæ. & statutum dicebat, quod filia dotata non succederet stãte filio, seu fratre qui cũ ea cõcurreret ad successionẽ ab intestato, & fuit resolutum, quod licet essent variæ decisiones, & Doctores varij in eo, an statutum excludens filiam fœminam propter masculum, excluderet propter masculum legitimatum. cum Tiraquell. in repet. l. si vnquam. C. de reuoc. donat. in glos. in verb. susceperit liberos. num. 81. enumeret multos Doct. quod talis filius legitimatus, non excludat filiam legitimam. Sed oppositum tenet Albert. Brun. in tract. de stat. exclus. fœmin. propter masculos in 12. artic. in 4. quæst. Tamen omnes Domini concluserunt in casu isto, quod ex quo constabat de mente statuti, volentis quod excluderetur per masculum qui cum ea ad successionem ab intestato concurrebat, & isto casu iste spurius legitimatus, non concurreret cum ea ad successionem ab intestato. ex quo spurius in vtraque legitimatione, erat legitimatus si-
1 ne præiudicio veniẽtium † ab intestato. per quam clausulam non censebatur habilitatus ad successionem patris ab intestato, sed ex testamento, secundum communem opinionem. vt per Dec. cons. 610. in princ. & cons. 52. num. 3. vers. ad confirmationem. Cassan. in consuet. Burgund. fol. 306. col. 1. vers. tertio facit. & ideo cum filius legitimatus non succedat vna cum filia ab intesta-
2 to. & ideo † verba statuti non conueniant, ergo nec ipsius statuti dispositio.

SVMMARIVM.

Præscriptio inter patrem & filium, in aduentitijs, in quibus patri quæritur vsufructus, potuit inchoari.

1 *Iudicium inter patrem & filium, an consistere possit.*

2 *Pater non potest exercere actionem contra filium. Sed an manum regiam. num. 4. & num. 5.*

3 *Præscriptio non currit, non valenti agere.*

DECISIO CCCIII.

IN causa Romana castri Feliciani, die 5. Maij 1550. dubitaui. An constet ex actis quod Comes Ludouicus posset prætendere titulum ex persona sua propria, vel ex persona Nicolai Iunioris sui nepotis, & sic diuersum à prætensa donatione D. Comitis Io. Francisci, & si sic, an ex prætensa donatione potuerit præscriptio inchoari. Quo ad primam partem, fuit præsuppositum constare ex actis, quod Comes Ludouicus posset prætendere titulum diuersum à donatione, quia Nicolaus fuerat institutus hæres per Henricum Comitem Nolæ, dominũ dictorũ castrorum. Et Comes Henricus decessit antequam Comes acciperet possessionem dictorum castrorum, & Nicolaus postea adiuerit hæreditatem Comitis Henrici Licet pro parte Comitis Io. Francisci diceretur, quod ipse acceperat possessionem castrorum ante obitum Henrici, tamen in illa audientia præsupposui, quod esset verum quod accepisset possessionem post obitum Henrici. & quando in hoc erit difficultas videbitur in facto, quis dicat veritatem.

Quo ad secundam partem dubii, videlicet, an præscriptio potuerit inchoari. dicebat D. Syluester aduocatus D. Helenæ, quod cum inter Comitem Ludouicum patrem, &
1 Io. Franciscum, iudicium consistere † non poterat. per text. in l. lis nulla. ff. de iudic. & in omnibus casibus in quibus patri quæritur vsusfructus, etiamsi daretur patri aliquo casu actio, omnino durante patria potestate
2 non posset illam † exercere, vt declarat Io. Bapt. de S. Seuerino in repet. l. frater à fratre. §. qu. situm. n. 57. vers. super tertia quæstione ff. de condict. indeb. Bal. in l. si pater. in fin. C. mand. & ibi Salic. & idem est de mente Bal. cons. 169. vers. præterea quan-
3 do vol. 5. & non valenti agere † non currit præscriptio. Istis non obstantibus, fuit contrarium decisum, quod præscriptio potuisset inchoari. quia totum fundamentum D. Syluestri consistit, quod patri nulla potest negligentia imputari propter defectum exercitii actionis. sed dixerunt Domini, quod

quod licet pater non posset exercere in filium actionem, poterat tamen manum re-
4 giam quam in eum habet † exercere. vt dicit Ias. in l. frater á fratre. col. 20. vers. sed etiam ista solutio. &c. ff. de cond. indeb. & vigore cuius poterat implorare officium iu-
5 dicis, vt sententiam pro patre latam exequeretur, vt dicit Bart. in l. lis nulla. in fine. ff. de iudic. Vnde cum pater istam manum regiam habeat, & illam non exercuerit vna cum officio iudicis, in hoc dicitur esse negligens, & ideo licet non habeat exercitiũ actionis, tamen aliud remedium habebat & in hoc arguitur negligentia eius. & sic præscriptio inchoari potuit.

SVMMARIVM.

In causa Astoricensi canonicatus.

1 *Cardinalis consensus, an requiratur stante indulto præsentialitatis Cardinali concesso.*

DECISIO CCCIV.

Die 5. Maii 1550. in causa Astoricensi canonicatus. Dubitaui. An indultum
1 præsentialitatis † sit validum, itaut stante eo, requireretur consensus Cardinalis. Et fuit decisum quod esset validum. quia indultum Clementis, dabat Cardinali Hispalensi non solum indultum quo ad collationem in omnibus mensibus, prout omnes Cardinales præsentes, sed etiam omnes prærogatiuas, fauores, & gratias, quas præsentes habebant, etiam quo ad regulas Cancellariæ, editas & edendas. excipiendo tantum quo ad diuisionem emolumentorum.

SVMMARIVM.

In causa Toletana, seu Gadicensi decimarum.

DECISIO CCCV.

In causa Toletana, seu Gadicensi decimarum, inter Ducem de Alua, & Archiepiscopum Toletanum pendente, die 9. Maii 1550. dedi dubium. An litteræ Alexandri de anno 1501. sufficiant ad victoriam. & si sic, an confessio facta in litteris Clementis per Ducem Federicum, quod litteræ non sunt in vsu in locis de Huescar, & Castileja, tollatur per probationes factas in remissoria, dicentes quod in locis de Huesca & Castileja, á nouiter conuersis exiguntur duæ tertiæ, & ab antiquis vna, ac gratiam perinde valere, tempore Pauli expeditam, in qua confessio non vsus dictarum litterarum per Ferdinandum sanatur, seu reuocatur. & quo ad primam partem, fuit resolutum sicut & alias fuerat resolutum, quod litteræ Alexandri referentes alias, ex quo continebant certum quid, videlicet decimas. quantum, videlicet duas tertias. quales, mixtas, personales & reales á quibus, videlicet. á Christianis nouiter cõuersis & antiquis essent sufficientes ad victoriam, etiam quod de relato non constaret. Quo ad secundam partem dubii fuit dictum, quod daretur dubium, an, ex quo Dux per longissimum tempus non fuerat vsus priuilegio, quo ad duas tertias decimarum ab antiquis exigendas, illud amisisset.

SVMMARIVM.

In causa Toletana, seu Gadicensi decimarum.

1 *Ecclesiam debens construere decenter & sufficienter, quod fuerit ita constructa, an remittatur arbitrio iudicis.*

DECISIO CCCVI.

In causa Toletana decimarum, die 16. Maii 1550. proposui dubium. An, attento quod in litteris Alexandri de quibus nõ constat, conceduntur duę tertiæ decimarum cum onere construendi Ecclesias ex propriis bonis ipsorum Regum. & in litteris eiusdem Alexandri, de anno 1501. dicitur teneri iuxta tenorem aliarum litterarum. sufficiant dictæ litteræ non constito de tenore. & an probetur, priuilegium Alexandri de duabus tertiis exigendis ab antiquis de dicto anno 1501. concessum, non fore in vsu.

Quo ad primam partem dubii, quia verba litterarum relatarum, de quibus non cõstabat, erant huiusmodi tenoris. vna tertia parte dictarum decimarum pro dote Ecclesiarum remanente, quas dictus Ferdinandus, & Elisabet Reges ex propriis bonis sufficienter & decenter, construere, & ædificare tenerentur, prout in litteris plenius continetur, quod cum quo ad constructionẽ sufficientem & decentem, litteræ referentes, certum quid referrent, nam tenebantur Ecclesias sufficienter & decenter construere, &
1 ista decens, & sufficiens † constructio arbitrio iudicis remitteretur iuxta not. per Bar. in l. filiusfamilias. ff. de donat. Iason. in l. si sic. in 3. & 4. colum. ff. de legat. 1. Felin. in cap. 1. col. 7. de constit. quod arbitrium iudicis certum est, ideo non est necessariũ quod constet de relato. & illa verba prout plenius in litteris continetur, referebantur ad omnia præcedentiã. Et licet plenius de narratis in primis litteris contineretur, sufficit,

ficit,quod in istis secundis plene contineatur. Tamen dixerunt Domini, quod quia cõcessio duarum tertiarum erat facta correspectiue, & ex causa, vt Ferdinandus & Elisabet tenerentur cõstruere Ecclesias ex suis propriis bonis, quod si Dux agebat ad canonizationem litterarum Alexandri, quod debebat docere de cõstructione ex proprijs bonis.cum etiam posset esse, quod illa concessio duarum tertiarum, esset permissa vel conditionaliter,vel modaliter.idest,vt duæ tertiæ concederentur,si cõstruxerit,vel postquam, vel dummodo construxerit.

Circa secundum dubium.quia fuit restrictum, quis teneretur probare de iure communi,priuilegium non esse in vsu. nihil fuit pro illa audientia decisum, sed mandatum quod informaretur pro alia audientia.

SVMMARIVM.

Priuilegium Marchionis Astoricensis non fuit sublatum per regulam reseruatoriam.

1 *Beneficia iurispatronatus laicorum ex fundatione & dotatione, an comprehendantur sub generali dispositione. Et quid si ius patronatus competit ex priuilegio.*

2 *De iure patronatus ex priuilegio, an sit facienda mentio in gratia Apostolica.*

3 *Beneficia de iurispatronatus laicorum ex fundatione & dotatione, an comprehendantur sub reseruatione cap. 2. de preben. in 6.*

Quid de beneficijs iurispatronatus ex priuilegio. & num. 4.

4 *Clausula, quod derogari non possit, nisi de toto tenore, & data litterarum mentio facta sit, an inducat protestationem defectus voluntatis in dispositione sequenti, nisi expressa fiat reuocatio.*

DECISIO CCCVII.

Clemens Septimus concessit Marchioni Astoricensi, eius vita durante, iuspatronatus in canonicatibus & præbendis Ecclesiæ Astoricensis,sub istis verbis.qui de cætero, quibusuis modis,ex quorumcunque personis pro tempore vacare contigerit,cõcedimus, & iuspatronatus huiusmodi, ac si tibi ex vera dotatione,& fundatione cõpeteret,etiam per Sedem Apostolicam, nisi de toto tenore,& data præsentium,plena,specifica,indiuidua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio fiat, & tuus ad id accesserit consensus,derogari nõ possit, nec derogatum censeri,sicque per quoscunque. &c. iudicari. &c. ac irritum. &c.

decreuimus. Dubitaui ego, die 16. Maij 1550. An stãte priuilegio Marchionis Astoricensis,canonicatus de quo agitur, vacans per obitum familiaris Cardinalis, dicatur reseruatum. Et licet pro vna parte. videlicet pro parte affirmatiua,multa fuerint allegata,quod canonicatus diceretur reseruatus. Nam licet generalis dispositio † non cõprehendat beneficia iurispatronatus laicorum ex fundatione & dotatione, tamen secus est quando est iuspatronatus competẽs, ex priuilegio. vt Abb.post Ant.& alios in c. dilectus.in fine.de offic.legat.& de iure patronatus ex priuilegio,in gratia Apostolica

2 non † est facienda mentio. ad cons. Feder. 64.infrascriptã quæstionẽ in primo dubio Card. cons. 69. in secundo dubio. Felin. in tract. quando lit. Apost. in 11. limit. Dec. cons. 149. Roch.in tract.iurispatr. in verbo competens alicui. quæst. 24. vers. limita. Lambert.in tract.iurispatr.in 3.par. lib. 2. artic. 3. 8. quæst. princ. Item licet cap. 2. de preben. in 6. non comprehendat benefi-

3 cia † de iurepatronatus laicorũ ex fundatione. &c. tamen comprehendit beneficia de iurepatronatus ex priuilegio. Domin.in d.cap.2.num.17. post Archid.de preben. in 6. & ibi Franc. & Dec. cons. 149.nu.6. Tamen his non obstantibus fuit cõclusum pro parte negatiua,propter clausulam derogatoriam contentam in dicto priuilegio. in quo continebatur,quod derogari nõ possit,

4 nisi de toto tenore, & data pręsentiũ † mentio facta esset. &c. quę inducebat protestationem defectus voluntatis in dispositione sequenti, nisi expressa fiat reuocatio. vt per Bart. & alios,in l.si quis in principio testamenti.de leg. 3.& in regula reseruatoria,nul la fiebat mentio de clausula derogatoria, nec ei derogatum fuerat.

SVMMARIVM.

In causa Toletana decimarum.

1 *Gratiam non adimplens ex parte sua, non potest agere ad canonizationem gratiæ. Sed an possit offerre se adimpleturum. num. 2.*

3 *Priuilegij vsum,ad quem spectet probare.*

DECISIO CCCVIII.

Vigesimatertia Maij 1550. in causa Toletana decimarum,proposui dubium. An Dux, agens ad canonizationem litterarum Alexandri, teneatur docere de constructione Ecclesiarum, absque eo quod non teneatur docere de tenore litterarum relatarum. Et quis de iure teneatur docere de non vsu litterarum Alexandri. Ad primam partem

partem maior pars Dominorũ tenuit,quod ex quo post lapsum longi temporis, agebatur ad canonizationem † litterarum,etiam quod constructio modaliter in litteris relatis erat concepta, tamen quod si modus nõ erat adimpletus,puta ipsa constructio,quod Dux non poterat agere ad canonizationẽ quia propter non implementum modi exequutio gratię poterat differri. secus dicebãt si essemus in principio concessionis gratiæ. quia tunc,etiam quod modus,seu onus adiectum † non esset adimpletum, tamen poterat quis agere ad contenta in gratia,& offerre se adimpleturum onus iniunctum.

Ad secundam partem dubii omnes dicebant, quod si priuilegium Alexandri in nulla sui parte erat sortitum effectum, quod tunc ad Ducem spectaret onus probãdi, priuilegium † fuisse in vsu. secus si constaret, priuilegium Alexandri pro aliqua parte fuisse sortitum effectum. quia pro parte Ducis dicebatur, quod priuilegium Alexandri quo ad vnam tertiam,sortitum erat effectũ suum.licet pro parte Archiepiscopi diceretur, quod licet Dux, seu Reges exegissent duos nouenos, tamen quod illos duos nouenos, non exegit vigore priuilegii Alexandri, sed vigore priuilegii Innocentii octaui.

S V M M A R I V M.

In causa Romana medietatis Casalis.quod iuramentum in parte nullum, præsumptiue per statutum non sit in totum nullum.

1 *Iuramentum interpositum in contractu minorum, si ex statuto sit pro parte inualidum, an præsumptiue sit inualidum quo ad reliqua.*

2 *Iuramentum si sit super pluribus rebus & capitulis interpositum, an tamen sit vnicum.*

3 *Instrumentum si est in parte nullum, an sit in totum nullum. num. 4.*

DECISIO CCCIX.

IN causa Romana medietatis Casalis Bottacciæ. Dubitaui,die 28. Maii 1550. An ex quo iuramentum reperitur inualidum,& non obligatorium pro parte,respectu duorum millium, præiudicet quo ad alia contenta in instrumento.Et fuit decisum,quod iuramentum super confessione duorum millium interpositum, erat inualidum ex præsumptione statuti.quod ex quo non erat seruata forma statuti requirentis interuentum propinquorum, & aliarum solennitatum præsumebat, iuramentum esse metu & dolo extortum. vnde dicebant Domini,quod ista præsumptio, non erat extendenda vltra, cũ etiam illud verum esset,quod venditio esset sequuta, item quod dicti de Cithara 3500. ducatos recepissent. vnde cũ ista vera essent, non poteramus dicere,quod licet iuramentum esset pro parte inualidum ratione statuti præsumptiue, † quod ideo deberemus dicere in reliquis etiã esse inualidum. Non obstant notata per Innoc. in c. fraternitatis.de hæret. & Archid.in cap.inter cætera quem refert Ias. in l. scire debemus. col.4. num. 6. vers. nunquid autem regula huius text.&c. de verb.oblig. dum isti Doctor.dicunt quod iuramentum est vnicum,etiam si sit super † pluribus rebus & capitulis interpositum.vt per Ias. in d.l.scire debemus & ideo Innoc. & alij,in d.c.fraternitatis.dicunt quod si dictum testis est in parte nullum,erit in totum nullum, & si instrumentum † est in parte nullum erit in totum nullum propter vnicitatem iuramenti; quia illud procedit quando iuramentum in parte vere est nullum, tunc in totum erit nullum, secus si iuramentum in parte præsumptiue sit nullum, quia tunc non erit nullum in † reliquis, ita Felin. in d.c. fraternitatis. col.3.in 1.limit. de hæret. Et ideo,cum in casu nostro iuramentum in parte,per statutum præsumptiue esset nullum, non debebamus extendere illam præsumptionem ad reliquas partes instrumenti, in quibus non militabat eadem ratio statuti.

S V M M A R I V M.

Appellatio extraiudicialis, quo casu non deuoluerit.

1 *Appellatio extraiudicialis à futuro grauamine, an deuoluat.*

DECISIO CCCX.

EAdem die 28.Maij 1550. proposui dubium in vna Giennẽsi Scholastriæ. An appellatio interposita per Gabrielem in fine actus.ibi contrarium faciendo appellat, & c. operata fuerit deuolutionẽ causæ inter Gabrielem & Solanum, itaut per Solanum appellationis causa committi, & per contradictas procedi potuerit Gabriele aliter non citato.& fuit resolutum,quod dicta appellatio non esset operata deuolutionem, ex quo erat conditionalis. videlicet,contrarium vero faciendo, quæ verba resoluebantur conditionaliter,si contrarium feceritis, & cum Capitulum non fecisset contrarium, nam Gabriel dicebat, quod Capitulum non traderet,vigore regressus possessionẽ Scholastriæ Solano,sed quod eum daret in competito-

petitorem,& si contrariũ faceret,quod appellabat. & quia Capitulum respondit procuratori Solani, quod non poterant spoliare Gabrielem non citatum, sed quod eum dabant sibi in competitorem, & ideo non fecisset contrarium eius quod Gabriel dixerat, ideo quod illa appellatio sub conditione facta,euanuerat & erat nulla. & ideo
1 appellatio sub conditione interposita, deficiente conditione non deuoluebat. Non obstat, quod appellatio † extraiudicialis à futuro grauamine deuoluit, & tamen semper habet tacitam conditionem,si grauamẽ sequatur. quia fuit dictum, quod quando quis appellat à futuro grauamine, semper instat timore illius futuri grauaminis, nimirum si talis appellatio deuoluit. at hic est appellatum si contrarium feceris.& sic expresse sub illa conditione. & isto casu, taciti, & expresi non est eadem virtus.

SVMMARIVM.

Præsentatio nomine Antonij facta,quo casu non censeatur ratificata.

1 *Patronus non præsentando intra quadrimestre, præsentationi à compatrono factæ, dicitur consentire.*
Sed an ex lapsu quadrimestris dicatur consentire præsentationi factæ nomine suo. & num.2.

DECISIO CCCXI.

DIe 30.Maij 1550. in vna Valentina beneficij S.Laurentij propõsui dubium. An constet ex actis de ratificatione Antonii Ioannis alterius ex patronis,itaut præsentatio per Didacum Vasco alium patronum, tam suo quam dicti Antonii nomine facta, valeat non aliter docto de mandato eiusdem Antonii.& fuit resolutum,quod ex actis non constaret de ratificatione, quia appositio edictorum erat generalis, & non concludebat ad præsentationem factam per Didacum Vasco nomine Antonii Ioannis. Item, responsio facta ad articulos per Antonium Ioannem, etiam nil concludebat ad ratificationem. ex quo nihil in articulis dicebatur de præsentatione nomine ipsius Antonii facta. & ideo quod ignorabat Antonius, ratificare non poterat. Non obstat, quod per lapsum quadrimestris patronus nõ
1 præsentando † dicatur consentire. per not. per Abb.Felin. & alios.in c.cum Bertoldus de re iudic. quia verum est,quod patronus nõ præsentando dicitur consentire,& quod illa præsentatio per vnum ex compatronis facta valeat.sed ex hoc non sequitur, vt dicatur
2 † ratificare factum nomine suo,quod ipse ignorabat, ita vt præsentatus per illam taciturnitatem non potest dicere quod ipse habeat duas voces.

SVMMARIVM.

Appellatio extraiudicialis vbi interponitur non sequuto grauamine, non currit tempus ad prosequendum.

DECISIO CCCXII.

DEcimatertia Iunii 1550. in causa Giẽnẽsi Scholastriæ. Dubitaui præsupposito sine veri præiudicio, quod stante appellatione Gabrielis, si possessio fuisset tradita Ioanni Solano, fuisset attẽtata. An Ioannes Solano potuit prosequi dictam appellationem antequam sequeretur grauamen Gabrieli. Et fuit resolutum, quod non sequuto grauamine,Ioannes Solano non potuerit prosequi.per Clem.sicut appellationem. & ibi glos.in verbo extraiudicialem, & in verbo à futuro. &c. de appellat. Non obstat, quod Ioannes Solano præsentando litteras regressus,& petendo possessionem,quod Gabriel iuste timuit, & respectu istius timoris potuit appellare,prout fuit appellatum,dicendo ex nunc, prout ex tunc. quia fuit responsum; quod ex quo grauamen non fuit sequutum, quod illa appellatio fuit resoluta. Non obstat præsuppositum in dubio, quod si possessio fuisset Ioanni Solano tradita fuisset attentata, si ergo præsupponitur attẽtata, ergo præsupponitur lis quæ non potuit interuenire nisi per appellationem extraiudicialem. quia fuit responsum, quod si possessio fuisset tradita, tunc sequutum fuisset grauamẽ,nimirum si causa fuisset deuoluta,& per consequens terminus ad prosequendum appellationem à die illati grauaminis cucurrisset.& fuit dictum,quod sicut non sequuto grauamine,appellans non poterat suam appellationem prosequi, ita nec appellatus.

SVMMARIVM.

Ecclesiæ præsumuntur constructæ ab his qui tenebantur eas construere.

1 *Factum cum reperitur aliquid, an referat à quo factum sit.*
2 *Ecclesiæ decens & sufficiens constructio facta; an præsumatur ab eo qui tenebatur, propter visitationem Ordinarij.*

DECISIO CCCXIII.

EAdem die 13.Iunii 1550. in causa Toletana decimarum. Dubitaui. An stantibus duobus testibus, deponentibus quod à triginta septem annis citra, sunt duæ Ecclesiæ in Ciuitate de Huesca,præsumatur constructio

ſtructio dictarum Eccleſiarum facta decēs, &, ſufficiens, & à perſonis de quibus in priuilegio Alexandri. Et fuit reſolutum, quod præſumeretur à perſonis de quibus in priuilegio. ex quo priuilegium erat acceptatum pro parte Regum, & vigore illius erāt
1 in poſſeſſione exigendi decimas, † licet non integraliter. per doctr. Bart. in l. cum ſeruus ff. de verb. oblig. Et licet allegaretur, quod doctrina Bart. procederet quando ageretur de iure conſeruando, & non quando agitur de iure acquirendo, fuit dictū, quod hic agebatur de iure conſeruando, poſtquam priuilegium erat in vſu. nam tunc ageretur de iure amittendo reſpectu Ducis, nam ex quo Dux, per vſum ipſius priuilegii, ius acquiſierat, iam tractaretur de damno ipſius, ſi illud amitteret. Item, quod eſſet decens, &
2 ſufficiens † conſtructio. præſumebatur propter viſitationem Ordinarij. Non obſtat, quod duplex præſumptio non eſſet ſumēda. & quod ex bonis proprijs, & quod eſſet decens. Quia quādo procedunt ex diuerſo fonte poſſunt procedere, & præſumptio decentiæ procedit ex capite viſitationis. Et iſta reſolutio fuit facta præſuppoſitis duobus. Et quod non conſtaret, quod tempore quo præſumuntur illæ Eccleſiæ conſtructæ, Eccleſiæ haberent aliunde, vnde ſi ex actis conſtaret quod Eccleſiæ illo tempore haberent bona, tunc præſumerentur potius ex bonis propriis conſtructæ. Item & ſecundo, quod priuilegium eſſet in vſu, videlicet priuilegium Alexandri, quo ad duos nouenos, non autem ſi illos duos nouenos perciperet vigore alterius priuilegii.

SVMMARIVM.

In cauſa Romana caſalis, Fabij potuerunt adimplere, & cogere illos de Cithara ad traditionem.

1 *In contractibus nominatis, non eſt locus pœnitentiæ.*

2 *Agentes ex contractu, an videantur contractum ratificare.*

DECISIO CCCXIV.

DIe 16. Iunij 1550, in cauſa Romana caſalis de la Bottaccia. Dubitaui. ſtante ſcientia Dominorum de Fabiis, inſtrumenti venditionis de anno 1537. & commiſſione Dominorum de Cithara, præfixionis termini de anno 46. & ſolutione 3500. ducatorū & conſtituto in inſtrumento venditionis appoſito. An Domini de Fabiis, poſſint hodie contractum pro parte eorum adimplere, ita vt poſſint Dominos de Cithara ad traditionem caſalis cogere. Et fuit reſolutum, quod poſſent adimplere, & cogere ad traditionē,
1 quia eramus † in cōtractu nominato, in quo non licet pœnitere, & maxime ſtante conſtituto, per quod & dominiū & poſſeſſio erat tradita, & ſi illi de Cithara aliquid prætēdebant, poterant ad intereſſe agere. Non obſtat, quod conſtitutum eſſet nomine abſentium factum, & ideo ante ratificationem nihil eſſet ipſis Fabiis acquiſitum, quia fuit dictum, quod Fabii agentes ex contractu de anno 1537. videbantur contractum ratificaſſe. Nō obſtat ſcientia de anno 1537. quia
2 non obſtante tali ſcientia, † poterant agere ſi contra eos de implemento non foret exceptum. vt per Alexan. in l. ſi filiæ. C. de collat. Non obſtat etiam commiſſio de anno 46. quia ibi dicitur. quo elapſo abſoluat prout iuris fuerit, & abſolutio erat danda, vel ab obſeruatione iudicii, vel quod emptor, ſi volebat rem conſequi, teneretur ad precium, quod hodie Fabii adimplere volebāt.

SVMMARIVM.

In cauſa Giennenſi Scholaſtriæ.

1 *Supplicatio, & non appellatio eſt, cum de actu Principis ad ipſum Principem recurritur.*

Supplicatio an deuoluat.

DECISIO CCCXV.

IN cauſa Giennenſi Scholaſtriæ, dubitaui ego, die 20. Iunii 1550. ex quo Gabriel, vt in inſtrumento dixit, & allegauit fuiſſe ſibi prouiſum de Scholaſtria, & eſſe in poſſeſſione illius. & ſupplicauit a Bullis & regreſſu, ad Papā & Auditores Rotæ. & voluit quod per huiuſmodi ſupplicationē ſuſpēderetur effectus bullarum. an ex iſtis & aliis in dicto inſtrumēto, ſit cauſa deuoluta. Et fuit reſolutū, quod ex quo erat ſupplicatū à bullis & regreſſu, & ſic ab actu Principis ad ip-
1 ſum Principem, quod eſſet ſupplicatio, † & non appellatio. cum appellatio ſit ab inferiori ad ſuperiorem, & hic ſupplicabatur ad eundem. & cum eſſet ſupplicatio, quod ſupplicatio non deuoluit, niſi quando eſt porrecta Principi per eundem.

SVMMARIVM.

Noua prouiſio an ſuppleat diligentias regulæ de publicandis.

DECISIO CCCXVI.

EAdem die 20. Iunii 1550. Dubitaui in vna Abulenſi præſtimoniorum. An noua prouiſio obtenta per reſignatarium ſuppleat diligentias regulæ de publicādis reſignationibus. & in iſto pūcto Domini fuerūt varii, attento quod eramus in præſtimoniis, &

 ideo

ideo nil fuit resolutum. licet maior pars inclinaret, quod non esset satisfactum.

SVMMARIVM.

In causa Abulensi præstimoniorum.

DECISIO CCCXVII.

IN causa Abulensi præstimoniorum, dubitaui, die 23. Iunii 1550. An ex instrumento possessionis, & arrendamenti trium annorum pro parte Gabrielis producto, sit satisfactũ regulæ de publicandis, quo ad eius secundam partẽ. Et Domini inclinabant, quod ex quo possessio erat petita ab exequutore, siue subexequutore vigore clausulæ. ceterũ. quod esset petita ab his quos contingebat. & ideo esset satisfactum secundæ parti regulæ. tamen, quia causa erat exemplaris, nolui habere punctum pro resoluto, quia erant calores.

SVMMARIVM.

Toletana decimarum.

DECISIO CCCXVIII.

DIe 23. Iunij 1550. in causa Toletana decimarum, pro Duce de Alua, cõtra Archiepiscopum Toletanum, proposui dubium. An, stantibus litteris Alexandri de anno 94. in quibus motu proprio datur Regibus, & successoribus suis, facultas percipiẽdi certas partes, tertias nuncupatas, decimarum in regno Granatæ, prout percipiunt in regno Castellæ, in quibus nulla fit mentio, quod habentes causam à Regibus possent illas percipere. & stantibus litteris Innocẽtij narratis per Ducem in priuilegio Clementis, loquẽtibus de vna tertia, tertias vulgariter nuncupata. & etiam aliis litteris eiusdem Alexandri de anno 1501. in quibus ad Regum supplicationem datur Regibus, & successoribus, & aliis ab eis dominia temporalia habentibus, ius percipiendi duas partes integrales dictarum decimarum à nouis & antiquis Christianis, in locis in quibus habitabant Sarraceni. & præsupposito quod in Ecclesia BEATAE MARIAE oppidi de Huescà, quod oppidum alias fuit de locis prædictis Sarracenorum, Dux percipit duas ex nouem partibus ex antiquis Christianis, quarum litterarum vigore dicatur perceptio facta. Iste punctus fuit positus, & varia fuerunt vota, & nihil fuit resolutum. vnde reseruabitur resolutio ad Kalend. Octobris.

SVMMARIVM.

In causa Bononiensi parochialis de Malfolle.

DECISIO CCCXIX.

IN causa Bononiensi parochialis de Malfolle, dubitaui die 23. Iunii 1550. An instrumẽta de anno 1447. & 1473. habeant vim præsentationis. Et aduertendũ est, quod vnum instrumẽtum, sine mandatum ad præsentandum de anno 1440. erat factum per tres vicinos seu patronos, & ideo non inferebatur ex eo ad actum communitatis. & ideo Domini dixerunt, quod illa dua instrumẽta potius sapiebãt collationẽ siue prouisionem factam de consensu parochianorũ, ex quo Ordinarius debet conferre personæ gratæ parochianis, potius quam saperent præsentationem. Et dicebant Domini, quod illa instrumẽta dedissent postea causam aliis præsentationibus. vnde videbatur constare de vsurpatione certo modo.

SVMMARIVM.

1 Locatio, seu verius cessio ad vitam Petri post mortem eius non reuertitur ad Antonium. & quando domus esset reuersa non fuisset datum remedium possessorium Antonio.

DECISIO CCCXX.

IN causa Romana domorum, pro Antonio Contreras, cõtra Administratores S. Iacobi Hispanorum, die 6. Octobris 1550. proposui dubium. An cessio domus & melioramentorum, facta per D. Antonium Petro Suares, sit facta ad vitam tantum ipsius Petri, ita, vt post mortem Petri ipse Antonius potuerit agere remedio possessorio cõtra administratores S. Iacobi, & detur copia instrumenti. Et fuit primo resolutũ, quod ex quo venditio, seu cessio erat facta reseruato consensu Administratorum, & Administratores consenserant, quia cessio erat in vtilitatẽ Ecclesiæ, & non in incommodum, ex quo fiebat in seniorẽ, quod ista verba sequentia declarabant præcedentia. quod Antonius qui volebat cedere de consensu Administratorum, quod ipse cessisset ad vitam Petri, stante vita Petri esset commutata pro vita Antonii, ita vt Petro moriente, domus non reuerteretur ad Antonium, quod etiam declarabatur ex procemio, & petitione curatoris, dum curator fuerit petitus per Antonium ad vendẽdum, & non fuerit dictum, ita vt post mortẽ emptoris domus reuerteretur, sed simpliciter fuerit dictum de venditione. Item & secundo, fuit dictum, quod dato quod domus esset reuersura ad Antonium post mortem Petri, tamen ei non competeret remediũ posses-

possessorium; ex quo Antonius semel cecidit facto suo à possessione, & tempore quo administratores ingressi fuerunt, ipse non erat in possessione.

SVMMARIVM.

Nominandi facultas ad collatorem habentem ius conferendi vltra sex beneficia, incumbit onus probādi nominato, quod ille collator habeat vltra sex beneficia.

1 *Actus cum reperitur factus, præsumitur factus prout de iure fieri debebat.*

DECISIO CCCXXI.

EAdem die 6. Octob. 1550. in causa Leodien. Traiecten. canonicatus & præbendæ, dedi dubium. An Ioanni Iodoco incūbat onus probandi, quod Præpositus ad cuius collationē est nominatus, habet cōferre sex beneficia. & casus est, quod vniuersitas Louaniensis habet facultatē nominandi ad quemcunque collatorem, dum tamē habeat ius conferendi vltra sex beneficia. Iodocus fuit nominatus ad primū beneficiū vacaturū in Ecclesia B. MARIAE oppidi Traiectēsis, & non verificauit, quod Præpositus collator posset cōferre vltra sex beneficia. & dicebat quod non tenebatur verificare, quia ex quo 1 actus & nominatio † reperiebatur facta, præsumebatur facta, prout de iure fieri debebat. ad notata. in c. in præsentia. de probat. & in c. viduā. de regul. cum multis aliis concordantibus allegatis in informatione. Istis nō obstantibus, fuit decisū contrarium per dictū Io. And. relatū per Felin. in c. constitutus. in princ. de rescrip. Nam cum nominatio fuerit facta respectu priuilegii, & sic relatū sit in referente, debebat agens ex ipsa nominatione verificare omnia contenta in ipsa nominatione. sicut dicimus, quod impetrans gratiam debet verificare valorem, & omnia expressa in gratia. Et pro ista parte facit decis. 548.* in no. de nuncio qui habet facultatem conferendi beneficia certi valoris, quod prouisus debet probare, esse infra illum valorem.

* Alias 10. de probat.

SVMMARIVM.

Inhibitio vigore commissionis, quatenus causa non sit instructa, non facit quod sit attentatum quod fit post illius inhibitionem.

DECISIO CCCXXII.

SI vigore commissionis auocatoriæ causæ de partibus cum clausula. quatenus causa non sit instructa. sit inhibitum iudici de partibus, illud quod fit post inhibitionē per iudicem de partibus, non est attentatū, quando notorie constat tēpore præsentationis inhibitionis, quod causa erat instructa. Ita fuit decisum in vna Algarensi beneficij S. Antonij, coram D. Fabio decano, die 6. Octob. 1550. vt erat in illo casu, in quo inhibitio erat præsentata post sententiam latam, tā in prima instantia corā Ordinario, quam etiā in causa appellationis corā Metropolitano, quæ sententia Metropolitani transiuit postea in rem iudicatā. & ideo inhibitio facta post istas sententias, ex quo notorie cōstabat iudici de partibus quod causa erat instructa, ideo executio facta per Metropolitanum puta immissio in possessionem post inhibitionem, non fuit reuocata per viam attentati.

SVMMARIVM.

Administrationis ratio quomodo sit reddenda.

DECISIO CCCXXIII.

EAdem die, coram eodē D. Fabio, in vna Romana prætēsæ administrationis, fuit dictum, quod licet quilibet administrator teneatur reddere rationem administrationis, & sic librū conficere, tamen vbi quis amicū elegit administratorē, ille tenetur reddere rationē administrationis, prout solitus est reddere de rebus suis, itaut si in rebus suis nō est solitus librū conficere, ita & isto casu dum tamē reddat rationē administrationis.

SVMMARIVM.

In causa Tirasonensi erectionis.

1 *Testes de vniuersitate, quando sint idonei, vel non.*

DECISIO CCCXXIV.

DEcima Octob. 1550. in causa Tirasonensi erectionis, proposui dubiū. An testes examinati vigore remissoriæ pro parte vicariorum, & beneficiatorū, ac vniuersitatis, & hominū oppidi de Corella qui sunt in causa, & supplicarūt pro erectione, sint idonei, & illis sit adhibenda fides. Et fuit resolutum, quod quo ad causā attentatorū, ex quo nō agebatur de interesse hominū & vniuersitatis, quod essent idonei testes. sed quo ad nego- 1 ciū † principale, scilicet erectionis, ex quo ipsi supplicarunt pro erectione, & sic agebatur de eorum laude vel vituperio, itē de eorum interesse, quia erant in sententia ad expensas condēnati, & in bulla poterāt ad nutum eorum amouere capellanos, & alios ponere, quod ipsi soli non essent idonei testes. sed vna cū alijs qui non erant de vniuersitate, danda esset fides. quia fides eorum ex dictis aliorum supplenda erat.

SVMMARIVM.

In causa Romana Casalis.

1 *Ex precij quantitate, an iudicetur, quid in venditione venerit.*

DECISIO CCCXXV.

EAdem die, 10. Octobris. in causa Romana casalis de la Bottaccia, propositum dubium. An, attento situ casalis prout habetur in designo, & quod non datur pro confini via, neque Bottacciola, & consideratis verbis instrumenti, videlicet, quod venditur medietas casalis, seu tenimenti de la Bottaccia cum omnibus terris, pedicis. &c. intelligi debeat comprehensa esse in venditione, etiã dicta Bottacciola pro illius medietate. Et fuit resolutum, quod pro resolutione huius puncti, deueniretur ad mensurã & precium, & ex quantitate precii iudica-
1 retur † quid in venditione venisset.

SVMMARIVM.

Expectans pauper, quando sit prælatus alteri expectanti pauperi diligentiori in processu.

1 *Expectans diligentior in processu, an sit præferendus.*

DECISIO CCCXXVI.

IN vna Cæsaraugustana vicariæ de Magallon, coram D. Reomano, die 10. Octobris 1550. fuit resolutum, quod pauper expectans, habens in gratia sua tria beneficia, & sit primus, & alter pauper habens beneficium, construit, legit, & cantat, & sit secundus, pares in data, tamen secundus erat diligentior in processu, quod non obstante ta li digentia primus esset præferendus. quoniam illa verba. sit primus. dicunt prærogatiuam, vt D. Ponens informauerat se ab Abbreuiatoribus. Bene verum est quod Domini dicebant, quod non referebat, an primus haberet tria beneficia, & secundus haberet tantum vnum beneficium, quia illud beneficium secundi, ex quo erat in principio referebatur ad omnia sequentia, & æquipollebat tribus beneficijs. Et ad regulam secundam expectatiuarum, dum loquitur de tribus beneficiis dicebatur, quod dicitur ad differentiam illius qui habet duo beneficia, & vnum competenter. Et ad illud, quod
1 diligentior † in processu esset præferendus per c duobus. de rescript. in 6. * dicebatur, quod procedit quando sunt per omnia pares. secus est quando primus pauper est prærogatiuatus, & per consequens gratia sua

* Et Vi de Staph. in tract. de lit. grat. & iust. fol. pa pag. 2.

est pinguior. vt dicit Franc. in d. c. duobus in glo. in verb. concurrant. Et iste expectans pauper qui habebat tria beneficia, erat etiã diligentior in acceptatione, & noua prouisione. Sed ista non fuerunt considerata, sed tantum illud quod non fuerat dictum sit primus.

SVMMARIVM.

Intrusio legitimum impedimentum, vt quis non incidat in pœnam decreti positi in indulto. 1

DECISIO CCCXXVII.

IN vna Abulensi parochialis S. Vannis, die 10. Octobris 1550. propositũ dubium. An Frãciscus Frexilla stante decreto indulti teneatur infra sex menses à die prouisionis, non obstante intrusione de qua docuit expedire litteras super noua prouisione, & iura cameræ soluere, & si non fecit, an beneficium, iuxta formam dicti decreti, vacauerit. Et fuit resolutum, quod ad effectum amissionis iuris, intrusio haberetur pro legitimo impedimento. nam cum in decreto diceretur quod à die prouisionis tenerentur nouas prouisiones, & litteras expedire, & iura cameræ cum effectu soluere, nisi legitimo impedimento essent detenti, Domini dixerunt, quod ad excusandum Franciscum, ne incideret in pœnam, quod intrusio esset legitimum impedimentum, quia cum annata esset soluenda de fructibus. quos intrusus percipiebat, non tenebatur de suo illos soluere. Non obstat, quod probata intrusione poterat expedire cum cautione. quia dicebatur quod decretum obligabat ad soluendum cum effectu annatam, itaque ad realẽ solutionem obligabat. vnde cum essemus in pœnalibus, non debebamus facere extensionem ad casum, in quo sub obligatione quis expedire tenebatur. Item dicebatur, quod Franciscus forsan non poterat intrusionem probare, nec cautionem dare, ideo non erat priuandus iure suo. Et ita, causa bis posita fuit resolutum.

SVMMARIVM.

Lis ex quibus non fuerit inducta.

1. *Possessio quando dicatur interrupta, ad effectum vt non sit locus regulæ de triennali in fauorem possessoris.* 1
2 *Dictio, pro parte alicuius, qmõ intelligatur.*
3 *Exequutio facta, an præsumatur facta ad instantiam illius cuius interest.*
4 *Ad effectum vt non sit locus regulæ de triennali, non est iudicandum ex coniecturis ad efficiendum beneficium litigiosum.*

DECI-

DECISIO CCCXXVIII.

IN causa Salamantina parochialis de Mercadillo, die 20. Octobris 1550. proposui dubium. An stante commissione nomine Didaci, ac decreto citationis, & illius exequutione pro parte eiusdem Didaci, nec non assertione notarii, & dictis testium, & aliis in actis deductis interrupta
1 fuerit dicti Didaci † possessio, vt regulæ de triennali in eius fauorē locus esse non possit. Et fuit resolutum, quod possessio non esset interrupta. Non obstat exequutio pro parte Didaci facta. quia fuit dictum, quod illa dictio pro parte Didaci esset æquiuoca,
2 & intelligi poterat, idest † nomine Didaci. & ideo de necessitate non inferebat, quod ad instantiam Didaci. Item, assertio notarii in partibus facta, erat lite pendente, parte non citata, & ideo non faciebat fidem. testes in Curia examinati non probabant il-
3 lud quod dicebatur, quod exequutio facta † præsumebatur facta ad instantiam illius cuius intererat, maxime quia requirebat expensam, fuit responsum, quod hic eramus in præiudicialibus. & vt faceremus beneficiū
4 litigiosum, ad effectum vt Didacus nō posset se tueri regula de triennali, non erat iudicandum ex coniecturis.

SVMMARIVM.

C. primum de Cler. pug. in duello, locum habet in quocunque duello.

1 *Duellum propter quid prohibitum.*

DECISIO CCCXXIX.

FVit resolutum in vna Dertusensi Sacristiæ, pro Guilermo Cassador, contra Ioannem del Mila, coram D. Achille, de mēse Octobris 1550. quod capit. primum. de cler. pug. in duello. locū haberet in quocunque duello, siue solenni siue nō. vt erat in illo casu. in quo Ioannes prouocauerat quendam Gasparem, & ambo exierant extra ciuitatem, & pugnauerant. tum quia text. loquitur generaliter, & ideo de quolibet duello intelligi debebat. tum quia, diffinitio duelli tradita per Ostien. in summa illius tituli, & per Io. de Lign. & Mart. Lauden. in tract. de duello. conueniebat huic casui, tum quia, duellum non erat prohibitum propter
1 scandalum, † sed quia ex eo mors prouenire solet. prout dicit Pontifex. in cap. 1. de torneamen. Vnde, cum ex quocunque duello mors prouenire soleat, sequitur quod ille textus loquatur in quocunque duello.

SVMMARIVM.

In causa Romana, hæreditatis siue legati pro Rocho, contra Valagussum.

DECISIO CCCXXX.

IN causa Romana hereditatis, pro Rocho Blancalana, contra Io. Baptistam Valagossum, die 24. Octobris 1550. Dubitaui. An Baptista Valagossus possit habere donationem crediti montis, & vineam legatam. Et fuit resolutum, quod si Rochus erat institutus in illis quingentis donatis Baptistæ, quod isto casu non posset habere vtrunque. quia ex quo testamento non assistebat debebat amittere vineam. Sed pro parte Baptistæ dicebatur, quod Rochus tātum erat institutus in pecunijs montis existentibus sub nomine Io. Francisci, & dicebatur ex eius parte, quod statim quod erat facta nominatio per Io. Franciscum in illis quingentis, quod ex forma priuilegiorum dicebatur Baptista descriptus in monte Fidei, & ideo non dicerentur illæ pecuniæ existere sub nomine Io. Francisci. & ideo institutio facta de Rocho, non poterat dictas pecunias comprehendere. Et ideo fuit dictum, quod videretur priuilegium, an istud esset verum.

SVMMARIVM.

Priuilegium de anno 1501. quo ad duos nouenos in vsu.

1 *Successoris appellatione, qui ueniat.*
2 *Possessionis causa, secundum intelligentiam Rotæ, absque alia declaratione, intelligitur mutata.*
Priuilegio vtens in aliquibus partibus rerum concessarum, an ex hoc appareat, quod voluerit vti in alijs.

DECISIO CCCXXXI.

IN causa Toletana decimarum, die 27. Octobris 1550. proposui dubium. An stantibus priuilegiis Alexandri de anno 94. in quo dantur Regibus illæ partes decimarum, tertiæ nuncupatæ, in Regno Granatæ, quas percipiont in Regnis Castellæ, & Legionis, & quod testes deponāt istas tertias esse in pluribus locis Castellæ & Legionis duos nouenos. & q̄ in pluribus locis Regni Granatæ recipiant similiter duos nouenos, & stante alio priuilegio Alexandri de anno 1501. in quo in locis Saracenorū Regni Granatæ, dātur Regibus, & habentibus causam

ab eis duæ tertiæ partes decimarum. An Dux de Alua, qui in Ecclesia B. MARIAE de Huescar, qui erat locus Sarracenorum recipit duos nouenos dicatur illos percipere vigore priuilegij de anno 94. vel 1501. ad inducendum vsum priuilegij de anno 94. vel 1501. præsupposito etiam quod vsus priuilegij de anno 1501. probatur in pluribus locis circumuicinis. Et fuit resolutum, quod ex quo priuilegium de anno 94. loquebatur de Regibus, & successoribus, secundum subiectam materiam non poterat intelligi nisi de successoribus vniuersalibus, attenta causa pro qua erat illud priuilegium concessum. scilicet pro custodia Regni & arcium, & quia intendebant bellum contra infideles gerere. quæ omnia ad vniuersales successores, & non particulares, spectabant. Et licet tex. in l. fluminum. §. adijcitur ff. ne quid
1 in flumine publico dicat, quod † appellatione successoris, venit etiam particularis, illud verum est secundum subiectam materiam, quæ in casu illo conueniebat particulari, & ideo cum dux de Alua vigore illius non posset percipere dicendum erat, quod non diceretur percipere nisi virtute priuilegij de anno 1501. Imo si Dux ante illud priuilegium defacto percepisset, adueniente priuilegio de anno 1501. quod dat priuilegium habens causam à Regibus, statim secundum intelligentiam Rotæ, absq; alia de-
2 claratione † diceretur sibi mutasse possessionem vt pote de illicita in licitam. Non obstat, quod quota decimarum, puta duo noueni, non conueniret illi quotę decimarum priuilegij anni 1501. in quo conceduntur duæ tertiæ. quia fuit dictum quod cum duæ tertiæ faciant sex nouenos, Dux de Alua, qui vigore posterioris priuilegij potest percipere sex nouenos, potuit & etiam duos nouenos percipere cum in maiori summa minor insit. Item etiam fuit pro resolutione considerata vltima pars dubij, in qua præsupponitur, quod in multis locis circumuicinis priuilegium erat in vsu, nam vtendo
3 † in partibus vicinis, apparebat de mente, quod etiam in isto loco voluit vti, licet non in eadem quotitate.

SVMMARIVM.

Regula reseruatoria octo mensium, aduenientibus expectatiuis expirauit, dato quod in loco non sint expectantes.

DECISIO CCCXXXII.

IN vna Pampilonensi prioratus, coram Vestano, fuit resolutum, quod Regula reseruatoria octo mensium, non haberet locum tempore expectatiuarum, etiam in loco vbi non erant expectatiuæ, vt erat in illo casu. Nam nō apparebat, quod in diœcesi Pampilonensi essent concessæ expectatiuæ. & tamen Domini voluerunt, quod ex quo de anno 1546. erat facta generalis expeditio, quod illa regula reseruatoria expirasset. tum quia regula dicit. interim & donec fiat generalis expeditio. Item quia reseruatio fit ad effectum, vt donec fiat generalis expeditio Papa prouideat pauperibus Clericis. Cum ergo per concessionem expectatiuarum clericis pauperibus sit prouisum, debet cessare ipsa reseruatio.

SVMMARIVM.

Regulæ de triennali prorogatio, quo casu non profuerit cessionario.

DECISIO CCCXXXIII.

DIe 29. Octobris 1550. in causa Salamantina parochialis de Mercadillo, dubitaui. An prorogatio regulæ de triennali profit Ioanni de Scalona. Et fuit resolutum, quod ex quo cessio erat facta die 21. Augusti 1542. & prorogatio regulæ erat facta per Antonium cedentem de mense Nouembris postea sequentis, dato quod in cessione daretur subrogatio Ioanni in omni iure, & ad omne ius, quod ipsi Antonio tēpore cessionis competebat, quod talis subrogatio non poterat se extendere ad illud ius superueniens, & quod tempore cessionis non competebat. Non obstat, quod consensus fuerit præstitus de mense Decembris postea sequentis. quia consensus erat tantum quod Antonius consentiebat cessioni, & literarum expeditioni. Vnde cum in cessione ius superueniens non comprehenderetur, ideo consensus postea sequens ad cessionem limitatus nihil de nouo tribuebat.

SVMMARIVM.

Romana redditionis rationum.

DECISIO CCCXXXIV.

DIe 5. Nouembris 1550. in causa Romana redditionis administrationis, dubitaui. An D. Io. Andreas, teneatur reddere rationem de pensionibus apothecæ, quam testator habebat conductam ab illis de Iacobatiis, & ipsam apothecam restituere, nec non gemmas, siue lapillos pretiosos de quibus in inuentario, & in actis constat de redditione rationis de prædictis facta. Ad primum dubiū dicebatur, quod quia Io. Andreas locauerat de anno 1535. apothecam precio 47. scut. singulo anno, quod de illis tenebatur reddere rationē, nisi Io. Andreas doceret

doceret, quod illa apotheca fuerat spoliatus. item circa lapillos fuit dictum, quod teneretur reddere rationem, & iustificare intentionem suam.

SVMMARIVM.

Sententia lata contra proprietarium, non nocet vsufructuario ignoranti.

1 *Sententia lata contra eum, de cuius interesse principaliter agitur, an noceat omnibus prætendentibus interesse in consequentiam.*

DECISIO CCCXXXV.

Eadem die 5. Nouembris 1550. in causa Romana domus, proposui dubium. An sententia, & res iudicata contra Laurētium proprietarium, noceat Desiderio vsufructuario, habenti causam à dicto Laurentio, etiam quod Desiderius ignorauerit causam contra proprietarium agi. Et fuit decisum, quod non noceret. quia & Io. de Imol. in l. sæpe. & ibi Alex. num. 108. ff. de re iudic. & Afflict. decis. 496. num. 4. loquuntur quando sententia est lata contra proprietarium sciente vsufructuario, & tunc noceat. sentiunt ergo isti, quod si lata est ignorante vsufructuario non noceat ipsi. Non obstat text. in c. 1. §. si vasallus. el 3. in tit. si de feud. fuer. conten. inter dom. & agnat. nam ille textus loquitur quando dominus vult venire ex iure vasalli condemnato. tūc sententia lata contra vasallum nocet domino. sed in casu nostro Desiderius non veniebat ex iure damnato Laurentii, sed veniebat ex iure quod competebat sibi antequam ius Laurentii esset condemnatum.
1 Non obstat, quod sententia † lata contra eum de cuius interesse principaliter agitur nocet omnibus prætendentibus interesse in consequentiam, vt per Felin. in c. quamuis. colum. 4. num. 9. & col. 15 circa finem. de re iudic. Quoniam ad istud fuit responsum, quod istud procedit quando illi habentes interesse secundario, fuerunt citati saltem per contradictas. vt tunc sententia lata contra prætendentem habere principaliter interesse, noceret habenti interesse in consequentiam. Et ita alias fuerat decisum coram me, in vna Nouariensi.

SVMMARIVM.

An in casu isto resignans dicatur decessisse in possessione.

1 *Resignatio an transferat ciuilem & naturalem possessionem in resignatarium.*

2 *Possidere & esse in possessione, an differant.*

DECISIO CCCXXXVI.

Duodecima Nouembris 1550. quæ fuit dies Mercurii, in causa Abulensi præstimoniorum, dubitaui. An stantibus instrumētis apprehensionis possessionis, & arrendamenti, pro parte Gabrielis productis dici possit, quod Didacus resignans obierit in possessione vel ne. Aliqui ex Dominis dixerunt quod sic. quia fatebantur, quod per instrumentum possessionis captæ de consensu Didaci, & per arrendamenta facta per Didacum de consensu Gabrielis titularis, vltra resignationem factam per Didacum,
1 quæ resignatio † transfert ciuilem & naturalem in resignatarium. iuxta decis. primā de renunc. in nou. & hic interuenerat apprehensio possessionis, & ideo dici posset, quod resignatarius ciuiliter & naturaliter possideret, tamen quia regula dicit, quod resignantes in possessione non decedant. & aliud est possidere, & aliud decedere in possessione. cum illud respiciat detentationē, & propter fructuum perceptionem quā faciebat Didacus tamquam reseruatarius, non poterat negari quin Didacus esset in possessione, ideo verum erat dicere quod Didacus decesserat in possessione. & sic licet
2 Gabriel possideret, tamen Didacus † erat in possessione, cum ista differrent iuxta tex. in l. si quis ante. ff. de acquiren. possess. & in terminis videbatur cons. Coro. 137. in 3. volum. quia stante illa detentatione reseruatarii, ita decipiebantur expectantes & ordinarius, credendo quod Didacus resignans esset præstimoniarius, & ideo si non erat satisfactum aliis duabus partibus regulæ puta publicationi, vel quod possessio fuisset petita ab his quos contingebat, quod esset locus regulæ. Aliqui vero Domini dicebāt quod ad effectum regulæ de publicandis Didacus non diceretur decessisse in possessione ex quo cum per resignationem, & cōsensum ipsius Didaci postea præstitum in capiendo possessionem, Didacus desiisset possidere, licet postea fuisset in possessione percipiendo fructus, illud erat propter reseruationem fructuum, & sic ex titulo de nouo quæsito intelligentes regulam, quando quis decederet in possessione non habito titulo de nouo, & ideo erit addendum puncto post illa verba decesserit in possessione ad effectum, vt iuxta regulam dicatur resignans decessisse in possessione, non obstante reseruatione fructuum.

SVM-

SVMMARIVM.

In causa Segobiensi de Monzoncillo.

1 *Papae narratiua facta non motuproprio, an standum.*

DECISIO CCCXXXVII.

Eadem die, in causa Segobiensi parochialis de Monzoncillo, dubitaui, praesupposito quod Petrus Martini fuerit electus à Capella tempore Clementis VII. vtrum narratiuae Pauli III. in prouisione facta Antonio de Olmedo, in qua narratur, Petrũ esse Capellanum capellae, sit fides adhibẽda. & si non, an Magister capellae potuerit valide praesentare praefatum Antonium, attento quod Petrus desierit esse capellanus tẽpore Clementis. & fuit resolutum quo ad
1 primam partem, quod † narratiuae non esset standum, ex quo non erat motu proprio. ad secundam partem fuit dictum, quod melius informaretur, & quod darentur verba priuilegij cantorum.

SVMMARIVM.

In causa Romana Pitiliana dotis.

DECISIO CCCXXXVIII.

Die Veneris, 14. Nouembris 1550. in causa Romana Pitiliana, dubitaui. An exceptio opposita per Illustrem D. Io. Antonium, quod Illust. D. Comes non substineat onera matrimonii nisi pro parte dotis solutae, debeat impedire exequutionem obligationis in forma Camerae, contra Illustrẽ D. Io. Antonium. Multa fuerunt dicta per informantes hinc inde. Et quia pro parte D. Io. Antonii fuit dictum, quod Comiti fuerant soluta 3500. in tempore, & de reliqua summa, vsque ad summam duodecim miliũ scutorum, fuerat habita fides vsque ad certa tempora, & ideo Comes, quia dederat dilationem ad soluendum, tenebatur dare integra alimenta, & antequam veniret tempus solutionis, propter carentiam victus, tenuitatem alimentorum, & mala portamenta, coniuges discesserant à Comite, merito dicebatur, quod non amplius dos erat soluenda Comiti, sed filio sustinenti onera. Item dicebatur per D. Antonium Gabrielẽ, quod filius discesserat de voluntate patris, & habitabat seorsum à patre, & ideo propter talem habitationem seorsum, actio competebat filio, & non patri, ideo ex istis duobus possunt formari duo dubia. primum est. An propter alimẽta & habitationem in Castro Morlupi assignata, & deinde tenutam Menae loco illorum assignatam, ita dicatur filius à patre de voluntate patris seorsum habitare, vt actio de dote non competat patri, sed filio, Item, secundo, praesupposito, quod testes dicant, & hic ponantur dicta testium super malo tractamento, an filius dicatur ex iusta causa seorsum à patre habitare, vt actio de dote ipsi filio competat. Item & tertio an Comes & filius hodie sint in tali casu constituti, vt D. Liuia neutri eorum teneatur dotem soluere.

SVMMARIVM.

Iura compulsata, quo casu fuerint valide extracta.

1 *Auditor Rotae à quo causa auocata est, nihil in ea facere potest.*
2 *Auditores Rotae omnes faciunt vnum tribunal, & vnus alterius dicitur esse subrogatus.*

DECISIO CCCXXXIX.

In vna Salamantina canonicatus, coram me, eadem die 14. Nouembris, casus erat quia pro parte Antonii de Vega qui causã commiserat D. Pighino contra Michaelem Alfaro & eius subrogatum, D. Antonius Augustinus decreuerat litteras compulsoriales & citationem ad partes. postea videns idẽ Antonius de Vega, quod pro parte Antonij de Loarte procedebatur super eodem canonicatu contra eundem Michaelẽ, ideo idem Antonius auocauit causam à D. Pighino, & eam mihi commisit. compulsor vero in partibus, postquam causa fuit auocata à D. Pighino, & mihi cõmissa, longe post processit ad extractionem iurium. Dubitaui ego, an dicta iura sic compulsata, essent valide extracta. Et ratio dubitationis fuit, quia, sicut post auocationem causae factam
1 à D. Pighino, ipse D. Pighinus † nihil poterat facere, ita, à fortiori, iudex delegatus compulsor, maxime cum nihil antea fecisset per quod dici posset, quod eius iurisdictionem perpetuasset. Domini tamen
2 voluerunt, quod ex quo † omnes Auditores faciunt vnum tribunal, & vnus alterius dicitur esse subrogatus, quod si in partibus iura essent extracta parte non opponente, extractio esset valida, secus si pars opposuisset.

SVMMARIVM.

Casalium diuersitas & vnitas, ex quibus probata.

DECI-

DECISIO CCCXL.

IN causa Romana casalis Bottacciæ, die 17. Nouemb. 1550. proposui dubium. An ex dictis testiũ, & iuribus nouiter productis, probetur, casale Bottacciolæ seu Botticellæ esse vnum & idem cum casali Bottacciæ, an vero quod erāt diuersa casalia. Quod essent vnum & idem adducebantur multæ locationes per illos de Cithara factę, & multi actus de annis 1534. 40. 41. & 44. in quibus illi de Cithara locabant herbas casalis Bottacciæ & Bottacciolæ. Item, in mandatis, & immissione in possessione dicebatur, casalis Bottacciæ & Bottacciolæ. ex quo inferebant isti de Fabiis, quod illi de Cithara habuissent pro vno & eodem casali, vocando in singulari casale. Item, quia in in ratione facta Sebastiano de Tuscanella dicebatur, quod illi de Cithara locauerāt herbas casalis Bottacciæ & Bottacciolæ precio 620. scuti & postea in rationibus suis, fecerant debitorē Sebastianum de dictis scutis 620. occasione locationis factæ de herbis casalis Bottacciæ. Ecce ergo quod illa duo habebant pro vno casali. Item & tertio, dicebant isti, quod instrumentum dicebat. cum fontibus, aquarum decursibus. & tamē isti fontes & decursus aquarum, erant in casali Bottacciolæ, & non Bottacciæ. ergo habebant pro vno & eodem casali, alias ista qualitas non posset verificari. Istis tamen non obstantibus, contrarium fuit resolutum, quod essent diuersa casalia, & non vnum, tum propter diuersitatem nominum, tum propter situm. quia in casali Bottacciolæ, erat turris sicut & in casali Bottacciæ quæ turris non solet esse in pedica, tum quia testes deponebant esse casalia distincta, & ita solita esse teneri. Itē quia & etiam de anno 1544. in dicto regesto producto pro parte Fabiorum, erant etiā multi actus, in quibus constabat, quod illi de Cithara appellabant illa casalia in plurali. Item & quia, & istud multum mouit Dominos, quod fuit productum instrumentum per dominos de Cithara, in quo ipsi ante tempus venditionis, quod fuit de anno 1523. hypothecauerant casale Bottacciolæ pro precio duorum millium ducatorū. Ecce ergo quod ipsi habebant illud pro separato à casali Bottacciæ. & illud erat tempus ante venditionem. Non obstat modo, quod postea, post duodecim annos à tempore venditionis, isti locauerint herbas casalis Bottacciæ & Bottacciolæ, quia propter illam copulam. &. quæ ponitur inter diuersa, resoluitur in duas singularitates. Non obstat, quod in rationibus, illi de Cithara posuissent herbas Bottacciæ, cum tamen locassent herbas Bottacciæ & Bottacciolæ, quia fuit quod nō simpliciter illud dixerant, sed referendo se ad cedulam locationis. & cum relatum, sit in referente. ergo. &c. Nō obstat illud quod dicebatur, de fontibus & aquarum decursibus, quia illud non verificabatur in facto, immo pro parte illorum de Cithara dicebatur, quod fontes oriebātur in casali Bottacciæ, & decurrebant vsque ad casale Bottacciolæ.

SVMMARIVM.

Mandatum originale præsumitur in casu isto in capitulo producto.

1 *Notarius an possit facere fidem de præsentatione scripturarum; & quid de tenore illarum.*

DECISIO CCCXLI.

EAdem die in causa Giennensi Scholastriæ, proposui dubium. An ex actu, vltima Augusti per procuratorem Sojani facto, constet, mandatum originale ipsius, fuisse productum in Capitulo. Et fuit resolutum quod sic. quia ex verbis notarii expressis in
1 actu, constabat de præsentatione † coram Capitulo. quia notarius certum est quod facit fidem de præsentatione. & licet non faciat fidem de tenore, tamen quia tenor mandati erat insertus in alio actu, facto per Sebastianum etiam procuratorem vna cum Didaco substituto, & hodie in actis constabat, quod mandatum originale illo tempore erat in rerum natura, pro validitate actus, præsumendum erat quod notarius intelligeret de mandato originali, & non de inserto & inualido. maxime cum notarius dicat. per publica documenta. quæ ostēdit. Item, cum pluralitas non præsumatur, præsumitur quod illud mandatum productum fit istud. maxime cum insertum cum eo conueniat.

SVMMARIVM.

Filius isto casu non dicitur ita seorsum à patre habitare, vt actio de dote patri non competat.

1 *Periurus non potest aliquo commodo contractus se iuuare.*

2 *Voluntas licet ex actu nullo colligatur, non tamen ex actu resoluto.*

DE-

DECISIO CCCXLII.

IN causa Romana Pitiliana dotis, die 24. Nouembris 1550. proposui dubium. An per alimenta, & habitationẽ in castro Morlupi assignata, & deinde tenutam Meanæ loco illorum assignatam, ita dicatur filius de voluntate patris seorsum habitare, vt actio de dote non competat patri, & D. Io. Antonius dicatur excipere de iure tertij exclusiuo in totum iuris agentis. Et fuit resolutum primo, quod Dominus Io. Antonius ad demonstrandum, voluntatem patris fuisse, filium seorsum habitare, non posse se fundare in instrumento transactionis factæ coram Papa, in quo Comes assignauit fructus & habitationem castri Morlupi. ex quo in tempore octo dierum non fecerat ratificari facere Liuiam, prout ipse promiserat. & ideo cum ex non implemento diceretur esse periurus, non poterat aliquo commodo illius
1 contractus † gaudere. per l. si quis maior. & minus poterat se D. Io. Antonius fundare in instrumento permutationis tenutæ Meanæ. ex quo erat subrogatio in fructibus castri Morlupi. Et ex quo illo tempore Comes ignorabat, D. Io. Antonium adimpleuisse pro parte sua, nulla ex hoc ratificatio per Comitem inducebatur. quia statim quod intellexit D. Io. Antonium non impleuisse, potuerit, & contra transactionem & contra instrumentum permutationis tenutæ Meanæ, venire. Non obstat, quod ex actu nullo colligitur voluntas. quia fuit responsum,
2 quod licet ex actu † nullo colligatur, non tamen ex actu resoluto. & ratio est, quia quando resoluitur per non implementum, & altera pars acceptat, videntur partes à priori voluntate recessisse. Non obstat, quod voluntas, saltem facto, durauerit, ex quo per permutationem Nicolaus & Liuia fructus tenutæ Meanæ percipiebant. quia illa voluntas etiã facto declarata, durauit quousque Comes ab ipsis contractibus, propter non implementum sequutum, voluit recedere. Et vltra, fuit dictum, quod quando constaret de voluntate, tamẽ illa voluntas patris erat limitata, dummodo coniuges de manibus suis alimenta perciperent. & ideo in quandam consequentiam debebat habere dotem. Et dictum Ang. & aliorum in l. si cum dotem. §. transgrediamur. ff. solut. mat.
3 locum habet, quando filius † à patre seorsũ habitat, ita vt per se onera matrimonij sustineat, & nihil à patre habet. & ita etiam in isto casu alias resolutum fuerat. Item, actio ex stipulatu, sine dubio erat patri quęsita. & licet filius posset contra patrem agere vt sibi actionem cederet, certe D. Io. Antonius in hoc dabat de iure tertij, quod non excludebat intentionem agentis. quia poterat dicere Comes, veniat filius, & petat cessionem actionis.

SVMMARIVM.

Sentenția, iudicata valida in casu isto.

1 *Tertius potest venire ad causam pro suo interesse.*
2 *Suspensio petitorij, ex quibus reuocata censeatur.*
3 *Tertius veniens ad causam, dicitur venire in eo statu in quo causa reperitur.*
Tertius, quando venit ad causam, termini an sint seruandi de nouo.
4 *Appellationis causa deserta, an cẽseatur deserta & causa nullitatis.*
5 *Appellationis causa quando committitur à sententia lata in partibus vna cum toto negotio principali, licet non appareat de appellatione, an possit in Rota procedi in negotio principali.*

DECISIO CCCXLIII.

IN causa Britonoriensi Monasterii, 24. Nouemb. 1550. proposui dubiũ: An sentẽtia lata, sit nulla ex defectu iurisdictionis, seu telæ iudiciariæ. Et fuit resolutũ quod ex defectu iurisdictionis non esset nulla. quia licet causa appellationis esset commissa inter Carolum & congregationem, tamen tertius
1 † poterat venire ad causam pro suo interesse. iuxta dictum Abb. & ibi Felin. in c. ve-
2 niens. il secondo. de testib. suspensio † petitorij dicebatur etiam reuocata per seruationem terminorum, prout in prima. Et quia respiciebat etiam petitorium, cum termini essent seruati subhac intitulatione. Britonoriensi Monasterii, & non spolii. defectus telæ iudiciariæ non obstabat, ex quo tertius sẽper dicitur venire in eo statu. &c.
3 & non est necessaria † alia seruatio terminorum. per decis. Rotæ. 456. * in non. in fine. & per Felin. in c. cum super. col. pen. de re iud. Non obstat, quod tempore quo Camerarius venit ad litem, esset deserta causa appellationis, & per consequens, & causa negotij principalis. sicut dicimus, quod de-
4 serta causa † appellationis, censetur deserta causa nullitatis, quæ venit æque principaliter. Quia fuit dictum, quod istud non erat bonum simile. quia cum iniustitia & nullitas ex eadem sententia procederent nimirum si deserta causa appellationis, censeretur deserta causa nullitatis. & in casu nostro, causa negotij principalis non oriebatur ex sententia. cum illa tantum in possessorio esset lata. & penes primum iudicem remansisset, nisi in commissione esset commissa causa appellationis, vna cum negotio prin-

* Alias 40. de procur.

principali. & ideo videmus, quod quando committitur causa appellationis à senten-
3 tia lata in partibus vna cum negotio † principali, licet non appareat de appellatione, potest Auditor procedere in negotio principali.

S V M M A R I V M.

Restitutio aduersus regulam de triennali, isto casu non fuit concessa.

1 *Restitutio an concedatur quando quis non est impeditus à iudice, nec à parte, quo minus causa ex qua prætendit restitutionem, uti potuerit.*

DECISIO CCCXLIIII.

DIe 28. Nouembris 1550. dubitaui in causa Salamantina parochialis de Mercadillo. An Ioanni de Sealona, aduersus regulam de triennali, iuxta formam commissionis pro eius parte præsentatæ, & ex causis de quibus in actis, debeatur in integrum restitutio. Et pro parte affirmatiua, quod deberetur, dicebatur, quod ex iusta causa restitutio negari nō poterat. & iusta causa erat, si Ioannes Sealona in actis videtur pro parte Didaci commissionem præsentatam, citationem decretam, & in partibus pro parte Didaci exequutam. & cum esset actus qui requirebat impensā, debebat præsumi, ad instantiam Didaci factus. & maxime cum ille actus non poterat alteri conuenire quam ipsi Didaco. Sed istis non obstātibus, fuit resolutum pro negatiua. quod non daretur restitutio. quia Ioannes cessionarius, veniens ad causam, commisit illam infra triennium. & tali tempore infra quod citationem exequi contra Didacum poterat. imputandum est ergo sibi si non fecit.
1 & cum impedimentum, à iudice † vel à parte non prouenerit, non erat restituendus. iux. decis. 1. Cassad. de rest. in integr. Et non obstat illa exequutio de qua in actis, in qua dicitur, pro parte Didaci. quia resolutum fuerat in Rota, vt non intelligeretur ad instantiam Didaci. & ideo Ioannes poterat consulere in iure peritiores, & in facto à notario exequētē & testibus sciscitari, an esset citatio exequuta ad instantiam Didaci, vel prorogationem regulę de triēnali obtinere, vt ista interim faceret. Item, negligentia Ioanni imputari poterat, ex quo videbat, quod Antonius auctor eius, prorogationem regulæ de triennali obtinuerat, quæ tamen ipsi Ioanni nō profuit, vt dixi supra. & ideo sicut auctor suus, non obstante illa exequutione, prorogationem obtinuerat, ita & ipse obtinere debebat. Item, ipse Ioannes causā infra triennium obtinuerat committi, vnde debuerat diligentiam fecisse de exequi faciendo dictam citationem.

S V M M A R I V M.

Receptio gratiosa, non trahenda in consequentiam.

DECISIO CCCXLV.

EAdem die 28. in causa Andriensi, denegationis seruitij, dubitaui. An à Capitulis cleri Andriensis fuerit receptum per receptionem sexdecim qui fuerunt absentes, & sine licentia promoti, & quod nullus inueniatur exclusus. Et fuit resolutum pro parte negatiua. nam cum illa receptio redeuntium fuerit gratiosa, prout testes dicunt, illud quod ob gratiam aliquibus concessum fuerat, non debebat in consequentiā & in exemplum ab alijs trahi. Card. cons. 130. in quadam Ecclesia cathedrali. col. 2.

S V M M A R I V M.

Sequestrum in causa ista, iudicatum validum.

1 *Sequestrum an debeat poni lata vna sententia, in petitorio vel possessorio.*
2 *Sequestrum contra pacificum possessorem triennalem, an possit decerni.*
3 *Triennalis possessionis beneficium an personale.*
4 *Beneficium an transeat in alium cum vitio litis.*

DECISIO CCCXLVI.

IN causa Britonoriensi Monasterii, dubitaui die 10 Decembris 1550. An sequestrum sit nullum. Et pro parte affirmatiua quod esset nullum, allegabatur quod esset lata prius sententia in possessorio in fauorē Monasterij, ergo non debebat poni sequestrum in fauorem Camerarii. Fuit ad istud responsum, quod licet sententia esset lata in possessorio in fauorem Monasterii, tamen ista erat prima in petitorio contra Mona-
1 sterium. & vna † sententia lata, in possessorio vel petitorio, debet poni sequestrum. secundum Clem. 1. de sequest. possess. Item, secundo dicebatur, quod Petrus Franciscus auctor fratrum, ante litem motam pacifice triennio possederat. ergo sitут contra Petrum Franciscum, auctorem pacificum trien-
2 nalem, sequestrum decerni † non poterat. d. Clem. 1. ita nec contra eius cessionarium. Fuit responsum, quod beneficium possessio-
nis

3 nis † triennalis, erat personale, & Petro Frãcisco suffragabatur. ex quo ipse ante cessionem fuerat triennalis pacificus. at in casu isto, non poterat suffragari Congregationi. ex quo congregatio nunquam triennio pacifice possederat. Tertio dicebatur, quod Congregatio à die factæ cessionis in causa, quæ erat de anno 1528. vsq; ad annũ 1535. pacifice triennio possederat. quia de dicto anno 35. fuit mota lis contra Congregationem. Ad istud fuit responsum, quod ex quo beneficium erat litigiosum in persona Petri
4 Francisci auctoris, quod beneficium † transibat eum vitio litis in Congregationem. & ideo non poterat dici beneficium triennio pacifice possessum, ex quo Congregatio beneficium acceperat de manu illius, qui beneficium litigiosum effecerat. Et in casu quæstionis Sarnensis super regula de triennali, quæst. 41. ibi, ille qui acceperat beneficium, non illud acceperat de manu collitigantis. Et ideo remotis istis fundamentis, fuit resolutum, quod sequestrum esset valide appositum.

SVMMARIVM.

Priuilegium datum Magistro Capellæ Cantorum, quomodo intellectum.

1 *Priuilegium conferendi beneficia Capellanorum, vt habeat locum, necesse est quod decedens sit actu Capellanus tempore obitus.*

DECISIO CCCXLVII.

EAdem die 10. Decembris 1550. proposui in vna Segobiensi parochialis del Mouzoncillo. An Magister Capellæ Cantorum, ex forma priuilegii Innocentii VIII. potuerit præsentare ad beneficium vacans per obitum Petri Martinez, qui tempore obitus sui erat eiectus à Capella. Et fuit resolutum quod non potuerit. quia illa verba posita in priuilegio. per obitum Capellanorum qui fuerunt ad beneficia vacãtia. oportebat quod adessent tempore vacationis. & sic intelligebautur, quod tempore
1 vacationis, † & sic tempore obitus esset Capellanus. Cum autem in casu isto, tempore obitus Petri Martinez non esset Capellanus, sed eiectus à Capella, qualitas requisita non verificabatur tempore vacationis. ergo ex forma priuilegii præsentare non poterat.

SVMMARIVM.

Scientia Desiderij ex quibus probata.

DECISIO CCCXLVIII.

IN causa Romana prætensi spolij domus, pro Desiderio, contra Ioannem de Iulianis. 15. Decembris 1550. proposui dubium. præsupposito quod inquilinus domus nouissime examinatus dicat, quod ipse post motam litem coram Gubernatore, duxerit dictum Desiderium ad Notariũ causæ, vt merita causæ ab eo scire posset. An ex huiusmodi dicto, & aliis de quibus in actis, ita constet de scientia litis, vt sententia lata contra proprietarium, noceat Desiderio vsufructuario. Et mens puncti in hoc vertebatur, vt quia Desiderius dicebat, quod attento quod exequutio erat facta in domo, ipse tanquam spoliatus volebat restitui. Ideo datum fuit prædictum dubium. & voluerunt Domini, quod quia ex coniecturis scientia probatur, quod satis ex dicto istius testis, & quod Desiderius tempore litis motæ morabatur in domo Laurentii, & Laurẽtius fuisset etiam domi citatus, quod verisimiliter notitiã de lite Desiderius habuisset. Non obstat, quod dato quod probaretur de lite coram Gubernatore, tamen non probabatur, quod Desiderius habuisset notitiam de lite in Rota commissa. quia dixerunt Domini, quod præsupposita notitia litis coram Gubernatore, cum illa, per Laurentium patronum ipsius Desiderii in Rotam fuisset translata, quod ita verisimiliter de ea Desiderius notitiam habuit. alias præsumeretur crassa & supina ignorantia. Et ideo fuit dictum, vt dimisso possessorio, deueniretur ad petitorium.

SVMMARIVM.

In causa Toletana decimarum, Data priorum litterarum non probata ex probationibus de quibus in hoc puncto.

DECISIO CCCXLIX.

EAdem die 15. Decembris 1550. in causa Toletana, seu Gadicensi, decimarum proposui dubium. præsupposita conuersione Sarracenorum de mense Martii 1501. in locis de quibus agitur. & quod testes dicunt, ex tunc Reges percepisse duas partes à nouiter conuersis. & quod credunt per bullas Apostolicas fuisse. & quod Alexander, 11. Kalendas Decembris eiusdem anni, narrando se alias concessisse Regibus, & habentibus causam ab eis, in locis Sarracenorum.

norum à nouiter conuertendis, post datam narratarum litterarum duas partes decimarum, reliqua tertia pro dote Ecclesiarũ remanente, extendit dictam concessionem ad omnes habitatores, tam nouos quàm antiquos Christianos, remanente dicta tertia pro fabricis Ecclesiarum. & stantibus depositionibus testium, dicentium vidisse erectionem dictarum Ecclesiarum diœcesis Gadicensis productam in registro in lite inter Episcopum & Capitulum Gadicenses contra Archiepiscopum & Capitulum Toletanum, & pro parte Episcopi & Capituli productam, in qua erectione applicatur tertia pars decimarum fabricis Ecclesiarum iuxta litteras Alexandri, nonas Iunij 1500. & aliis eiusdem Alexandri. 11. Calen. Decembris anno decimo. & aliis testibus deponentibus vidisse libros regios, in quibus sunt annotata omnia bona spectantia ad Reges in dictis Regnis. vbi narratur, ad Reges spectare duas partes decimarum in locis Sarracenorum Regni Granatæ, iuxta litteras Alexandri sub data prædicta. qui testes sunt iurisperiti. & stante diligentia de perquirendis litteris in Camera, & Cancellaria. ac combustione, & depredatione triginta sex capsarum regalium scripturarum in Ciuitate Burgensi, existentium penes Didacum Ruis, qui illas pro Regibus stipendiatus custodiebat. & rebellionibus, & guerris dictorum Regnorum. & lapsu quinquaginta annorum. An ex istis omnibus sit probatum, litteras relatas, esse concessas ante prædictam conuersionem Sarracenorum. Et breuiter, fuit resolutum quod non. Tum quia cum agatur de scripturis pertinentibus ad Regnum Granatæ de Archiuis illius Regni, nihil probabatur. quod in eis fuisset aliqua diligentia facta. & ideo cum diligentia perfecte in partibus facta non probaretur, aliæ probationes nihil concludebant. quia testes deponentes vidisse erectionem, & libros regios referentes & narrantes datam illius concessionis, non magis probabant, quàm si illæ scripturæ in iudicio producerentur. sed certe dictæ scripturæ, ex quo sunt narratiuæ, si producerentur nihil probarent, ergo nec testes.

SVMMARIVM.

Valor gratiæ secundum taxationem decimæ, probatur per valorem duplicatum secundum communem æstimationem, licet non probetur, beneficium non esse taxatum.

1 *Gratia expectatiua quando conceditur ad taxationem decimæ, de stylo Rotæ duplicatur valor. sed quomodo procedat. numer. 2. & 3.*

DECISIO CCCL.

Leo Decimus concesserat gratiam expectatiuam cuidam Ferdinando Martini, in qua valor beneficiorum vigore dictæ gratiæ acceptandorum, erat limitatus. videlicet, si cum cura aut dignitas. &c. centum; si vero sine cura, septuaginta librarum Turonensium paruorum, fructus secundum taxationem decimæ, valorem annuum non excedant. Dubitauit D. Achilles, in vna Calaguritana Archidiaconatus, de mense Decembris 1530. An Martinus cessionarius dicti Ferdinandi, qui vigore expectatiuæ acceptauerat, ipse vel eius auctor, Archidiaconatum Ecclesiæ Calaguritanæ, verificasset valorem Archidiaconatus per testes examinatos in remissoria, qui probabant, valorem Archidiaconatus, secundum communem æstimationem, non excedere ducentum ducatos, licet non probaret, quod beneficium non esset taxatum. Et pro parte negatiua, quod non esset probatum dicebatur,
1 quod licet verum sit, † quod stylus Rotæ sit duplicare valorem quando datur gratia secundum taxationem decimæ ad tantundẽ: vt puta, si gratia dat ad centum secundum taxationem decimæ, nos permittimus quod possit acceptare beneficium valoris ducentum, prout voluit Ioan. And. in addic. ad Speculat. in rubr. de concess. præben. quem refert Ancharan. in Clem. 1. penult. char. de præben. Collect. in cap. super. num. 3. de decim. Beleneiu. in tract. de charit. subsid. quæst. 84. Rot. in antiq. decis. 74. * Tamen
2 dicebatur, quod iste stylus † intelligendus erat secundum Doct. allegatos videlicet in beneficijs non taxatis, & ideo Martinus in primis probare debebat, quod beneficia in Ecclesia Calaguritana non essent taxata, cum præsumptio esset pro taxatione, ex quo à longo tempore erant in possessione soluendi decimas. & ideo, cum Martinus non probasset talem non taxationem, dicendum erat quod non esset locus stylo Rotali. Tamen istis non obstantibus, ex septem votantibus, exceptis duobus & ponente, reliqui, & sic quinque, voluerunt quod illa probatio sufficeret, dicentes quod aliter dicendo, destrueretur probatio, quæ fuerat admissa pro verificatione multarum gratiarum, dantium valorem secundum taxationem decimæ per communem æstimationem
3 duplicatam. † Sed illi duo dicebant, quod illud procedebat, vbi non erat opposita. sed quia in casu opponebatur, debebat prius probari non taxatio. alias stylus non videretur habere locum, vt expresse dicit Belencinus in d. tract. de charit. sub. in d. 84. quæst.

* Alias, 60. de re-script.

84.quæst. Sed hoc non obstante, præualuit opinio illorum quinque, tanquam maioris partis. Et ista resolutio fuit facta 10. Decembris 1550.

SVMMARIVM.

Substitutio vulgaris quæ comprehenditur sub illis verbis. si sine liberis. habet effectum antequam hæres sine liberis decedat.

1 *Substitutio vulgaris, quæ continetur sub illis verbis. si sine liberis decesserit. an habeat effectum si non impleatur conditio.*
2 *Conditio quæ non est necessaria ad actum, an sit implenda in forma specifica.*
3 *In vulgari, an sit expectandus euentus deficientia liberorum.*

DECISIO CCCLI.

Postquam alias Rota in vna Reatina hæreditatis coram me, quam decisioné in libro non annotaui, & informationé perdidi, voluerat quod illa verba testatoris. E perche lo herede, cioè Gio. Battista può morire senza figliuoli, in tal caso distribuisco la mia heredità &c. Et primo facit certa legata. & post illa legata dicit. del restãte lasso la metà à mia figliuola. & l'altra metà al Monte, importarent cõpendiosam, propter illa verba. sine liberis. quæ verba habent tractum in futurum. & verbum commune. relinquo. iunctum vniuersitati bonorum, & quod ista compendiosa contineret sub se vulgarem, quæ ex capite impotentiæ, idest quia Io. Baptista tanquã incapax, idest spurius, esset isto casu locus substitutioni, & ab illo gradu testamentum incipere poterat. Dubitaui ego die 19. Decemb. 1550. An substitutio vulgaris, quæ prætenditur esse in testamento quondam Danielis sub illis verbis. si sine liberis, &c. habeat effectũ priusquam scriptus hæres, idest Io. Baptista, sine liberis decedat. Et pro parte negatiua, quod non haberet locum, dicebatur quod
1 substitutio † vulgaris, quæ continetur sub illis verbis. sine liberis decesserit. non habet effectum nisi impleatur conditio deficientię liberorum. Bart. in l. centurio. num. 32. de vulg. Oldrad. cons. 138. thema tale est. Ancharr. cons. 351. Io. Andr. in tit. de test. §. 1. Soc. cons. 140. num. 9. lib. 1. Soc. in l. 1. in 2. quæst. princ. in 8. effectu. de vulg. & in l. cũ auus. num. 20. de condit. & demonstr. & in terminis Ruin. cons. 93. num. 11. lib. 2. Pro quo facit, quia cum conditio. sine liberis. non sit necessaria ad actum, sed sit voluntaria, non debet trahi ad alios actus, sed est
2 implenda † in forma specifica. Bart. & alij in l. Gallus. §. & quid si tantum. ff. de lib. & posthum. Sed istis non obstantibus, contrarium fuit conclusum. per rationes quas adducit Dec. contra Socin. cons. 416. per totum in 3. volum. Curt. Iun. cons. 33. colum. 2. versic. sed quid. Parisius. consil. 19. colum. 9. num. 93. versic. & licet Socinus. volum. 2. Marian. Iun. cons. 100. colum. 2. num. 3 versic. placent tamen. &c. volum. 1. & idem Ruin. sibi contrarius, cons. 97. nu-mer. 3. volum. 2. & in cons. super quo emanauit subscriptio dicti Mariani in cõs. 100. vbi meminit quod Ruinus consuluit etiam contra Soc. & dicit, quod placent sibi rationes Ruini contra Soc. Et pro ista parte fuit ponderata viua ratio. quod in vulgari
3 non est expectandus euentus † deficientiæ liberorum, quia, dato quod filij extarent, si est locus vulgari, vel quia hæres nolit, vel non possit, certe liberi isto casu nihil possunt habere. & ideo ille euentus non est attendendus. quod secus est in fideicommissaria. quia in ea, stantibus liberis, videntur ipsi, saltem ab intestato, vocati. & ideo talis euentus est expectandus.

SVMMARIVM.

Regula de publicandis acceptationibus, locum habet non solum in expectatiuis, sed etiam in reseruatiuis.

DECISIO CCCLII.

Eadem die 19. Decembris 1550. fuit resolutum in vna Legionensi, Sacristiæ de Villalon, coram D. Prospero, quod licet regula de publicanda acceptatione loquatur in expectatiuis, tamen haberet etiam locum in reserua habente clausulam acceptandi, dato quod non teneretur infra certum tẽpus acceptare. per decis. 25. Cassad. in regul. Cancellariæ incipiente. firmum est. & similiter adducta fuit alia decis. Simonetæ, quæ idem attestabatur ita tentum fuisse, quia reserua est pinguis expectatiua. Nec Domini voluerunt facere differentiã, an reserua haberet certum tempus acceptandi, an vero esset sine tempore. quia vtroque casu dixerunt, quod regula haberet locum, maximè ponderando quod regula, dum loquitur de acceptatione, nullum tempus ei præfigit. Item, ratio quæ militat in expectatiua, vt teneatur publicare acceptationem, ne expectans inuoluat multa beneficia, militat & in reseruatiua. etiam quod non habeat certum tempus ad acceptandum.

SVM-

SVMMARIVM.

Lis tantum per committentem introducta, an per cessionem beneficij sit extincta.

Lis, quando est inter duos super beneficio, mortuis ambobus collitigantibus, extinguitur, & beneficium remanet liberum.

2 *Mors naturalis & ciuilis, an aequiparentur.*

Cedens beneficio, an dicatur mori ciuiliter, & num. 4.

3 *Lis, quando est introducta pro parte actoris tantum, cessio non facta mentione litis, an sit nulla.*

DECISIO CCCLIII.

* Fuit iterum posita causa, die 19. Ianuarij 1551. & resolutũ quod non esset extincta. quia per commissionem cũ decreto citationis, erat lis quo ad committentẽ. & ex quo in cessione non erat facta mentio de lite, cessio erat nulla. & ideo cessio nulla non poterat litem extinguere, sed bene cessio valida. Et istud est quod dicunt Sarnen. & Staphil. in locis hic allegatis.

IN causa Britonoriensi Monasterij, * dubitaui, die 9. Ian. 1551. An lis per Petrum Franciscum introducta, per resignationẽ monasterij factã non facta mẽtione de lite, fuerit extincta. Et in facto praesupponebatur, ꝙ Petrus Franciscus Cinugus commendatarius monasterii S. MARIAE de Vrano Britonoriensis, fuerat per quindecim annos pacificus possessor dicti monasterij. Et quod postea de anno 1517. commisit causam molestationum super dicto monasterio contra quendam Io. Antonium, omnesq; alios. &c. & obtinuerat decretum citationis. sed non apparebat, quod vnquam dicta citatio fuisset exequuta. postea de anno 1528. dictus Petrus Franciscus renunciauit dictum monasterium in fauorem Congregationis Camaldulensis, non facta mentione de lite. & quia dicebatur, quod ex quo monasterium erat litigiosum, saltem quoad Petrum Franciscũ, & non fuerat facta mẽtio de lite, quod cessio erat subreptitia, & per consequens nulla. Dubitaui ego, an per cessionem, seu renunciationem factam, esset lis extincta. Et ratio dubitandi fuit, quod sicut quando est
1 lis † inter duos super beneficio, mortuis ambobus collitigantibus, lis extinguitur, & beneficium manet liberum. Clem. 1. in princ. vt lit. penden. ita videtur quãdo est lis pro parte vnius introducta, quod per cessionẽ
2 eius, lis dicatur extincta. cũ mors † naturalis & ciuilis aequiparentur. ad Clem. fin. de procurat. & est decis. Rotae in nou. Et non est dubium, quod cedendo beneficio, dicitur quo ad beneficium mori ciuiliter. Isto non obstante, Domini inclinarunt in partem contrariam. per ea quae dicit Sarnensis in compendio signaturae, num. 64. & 65. & Staphil. in tract. de lit. grat. &c. fol. 144. in quibus locis videntur sentire, quod etiam quando est introducta lis pro parte acto-
3 ris † tantum, quod cedendo, non facta mẽtione litis, cessio sit nulla. Et ad illud quod dicebatur, quod cedens habetur pro mor-
4 tuo, respondebatur, quod illud † verũ erat quando cessio erat valida. sed ex quo beneficium erat litigiosum, & non erat facta mentio illius litis, cessio erat nulla. per tex. in cap. 2. vt lit. pen. in 6. ergo cessio nulla non potest operari illum effectum, quem operatur mors naturalis vera. Tamen fuit dictum quod quia causa erat exemplaris, melius informaretur.

SVMMARIVM.

Citatio in casu isto bene exequuta.

1 *Dispositio hominis siue legis, an semper sit intelligenda, prout est consuetum fieri.*

2 *Sigilli Auditoris, an habeatur loco decreti.*

3 *Citatio de iure an possit fieri domi, si citandus non reperitur personaliter.*

Citatio de iure communi, an requiratur quod fiat in parochia.

DECISIO CCCLIV.

IN vna Perusina liquidationis fructuum, pro Brachio Balleone, contra Rodulphũ Balleonum & litis consortes, die 16. Ianuarii 1551. proposui dubium. An citatio fuerit bene exequuta. Et casus erat, quod iam decẽ & octo elapsis, Brachius Balleonus cõmiserat causam contra Rodulphum & litis consortes. & assertus procurator obtinuerat decerni citationem vna cum inhibitione. postea notarius, in extensione citationis dixerat. quod si eos commode habere poteritis, in eorum propriis personis; sin autem, in domo habitationis, si ad eam vobis tutus pateat accessus. & non posuerat illa verba quae sunt solita apponi communiter de stylo Curiae in omnibus citationibus. & in parochiali sub qua degunt. &c. & ideo exequutor, qui viderat quod in citatione erat dictum. in domo habitationis. tantum, facta diligentia de reperiendo, & non inuento Rodulpho & aliis consortibus, citauit eos in domo habitationis & non in parochiali, ex quo non dicebatur in citatione. postea, vigore illius exequutionis, fuerat processum in causa. & lata sententia contra Rodulphum & litis consortes, quae transiuerat in iudicatum. & cum ageretur contra Rodulphum ad exequutionem rei iudicatae, Rodulphus dixit de nullitate sententiae, ex quo citatio tantum fuerat exequuta in domo & non in parochiali. & iudex decernendo

Ccc 2 cita-

citationem, visus erat decreuisse iuxta for-
1 mam solitam. cum qualibet dispositio,† hominis siue legis, semper sit intelligēda prout est consuetum fieri. Abb. in c.certificari. de sepult. Ias. in l.certi conditio. §.si num mos.col.3. vers. tertio principaliter.&c. ff. si cert.pet. Tamē, istis non obstantibus, contrarium fuit decisum. quia exequutor, exequendo prout fuit sibi mandatum, in nullo peccauit. Nec obstat, quod iudex non decreuit nisi citationem, & intelligendum erat iuxta formam solitam mandasse, & ideo notarius ita debebat extendere. quia fuit dictum, quod ex quo citationes, antequam mittantur, sigillo Auditoris sigillātur, quod
2 sigillum † habetur loco decreti. & tunc demum quando litteræ sunt sigillatæ, videtur Auditor mandasse. & ideo, cum mandauerit ita citari, debet valere talis citatiō. Et tanto magis, cum talis citatio fuerit exequuta iuxta formam iuris communis, volentis
3 quod si non reperiatur † personaliter, fiat domi. iuxta not. per Bart. in l.4. §. prætor ait.ff.de dam.infect. & de iure communi nō requiritur quod fiat in parochia. & Clem. causam. loquitur in beneficialibus. nos autem eramus in profanis.

SVMMARIVM.

In causa Romana Pitiliana dotis.

1 *Promissio restitutionis dotis, an comprehendat casum inopiæ.*

2 *Dotis restitutio in casu inopiæ, an potius consignatio, vel dotis restitutio.*

DECISIO CCCLV.

IN causa Romana Pitiliana dotis. die 12. Ianuarij 1551. dedi dubium partibus, An per casum inopię, sit commissa stipulatio venditionis Fiani, de qua in instrumentis census, cum D.Horatio, & hodie cum D. Io. Antonio. Et præsupposito quod non; an per dicta instrumenta, sit taliter prouisum D.Liuiæ, quo ad dotem, vt non possit iuuari iuribus de inopia loquentibus ad impediendam exequutionem instrumenti contra D.Io. Antonium, pro residuo dotis non solutæ. Et pro intelligentia dubii est sciendum, quod in instrumento census in fauorē D.Horatij, super fructibus castri Fiani venditi, in quo dabatur facultas D. Comiti redimendi dictum censum vsque ad duodecim annos. & quia fuit cogitatum, quod interim infra dictos duodecim annos, antequam Comes redimeret dictum censum, & etiam post lapsum termini duodecim annorum, postquam illum dictus Comes infra dictum terminum illum non redemisset, posset venire casus restitutionis dotis, & quod esset locus hypothecæ quam super dicto Castro Fiani D. Liuia pro dicta dote habebat, & recurreret ad dictum castrum. ideo vt istis casibus euenientibus, consuleretur restitutioni dotis D.Liuiæ, ac etiam indemnitati dicti Horatij, dicti Comes & Horatius in eodem instrumento conuenerunt, quod in singulos casus prædictos, videlicet quod interim pendente termino duodecim annorum ad redimendum, veniret casus restitutionis dictę dotis, quod dictus Comes infra duodecim annos non redimeret censum, in vtroque dictorū casuum castrum ipsum Fiani esset venditum precio trigintaquinque millium ducatorum, in quibus excomputarentur quindecim mille ducati seu scuta soluta pro censu, & census extingueretur. & pariformiter Comes consensit. & mandauit, quod de eodem precio trigintaquinque millium scutorum solueret dotem tunc solutam vel soluendā. adueniente casu tamen restitutionis vt supradixi. Et sic intrat dubium, An propter inopiā Comitis dicatur commissa stipulatio. videlicet vt dicatur esse locus restitutioni dotis. Et ad hunc effectum quærebatur, quia si erat locus restitutioni dotis, erat locus repetitioni. & si repetitioni, à fortiori, retentioni. & ita retinendo poterat impediri exequutio instrumenti contra D. Io. Antonium. super isto primo capite, quod propter inopiam non esset locus tali stipulationi, allegauit D.Michael Bar. & ibi Paul.de Cast. in l.si quis stipulatur.ff.solut.matr. vbi pro
1 missio † in euentum restitutionis dotis, non comprehendit casum inopiæ. cum tunc potius dicatur consignatio, quam restitutio. decis. Neapolitana 199. Alex.cōs.142.vol. 5. Et hanc opinionem affirmat Ripa esse cōmunē in l.si constante.nu.95.ff.solut.matr. & multa alia iura & doctrinas quas tunc D.Michael allegauit. & hoc stante quod nō esset locus restitutioni, sequebatur quod cū D.Io. Antonius esset subrogatus in locum D.Horatij, & sic in euentū restitutionis, ipse haberet quicquid soluisset Comiti pro dote Liuiæ de illis trigintaquinque millib. scutis, dicebat ipse quod quo ad fortè erat cautum D. Liuiæ. & tanto magis cū dicta subrogatio D.Io.Antonii in locum D.Horatii, esset facta de consensu D.Liuiæ. quod apparebat ex instrumento mandati. vbi patet ꝙ ipse consentit ꝙ D.Io. Antonius solus emat eisdem pactis & conditionibus quibus emebat D. Horatius. & ideo, si ipsi D.Liuiæ erat de voluntate sua cautum, non est locus iuribus de inopia loquentibus. quia in casu inopiæ, iura ideo volunt vt sit locus repetitio-
2 ni † dotis, ad effectum vt dos in tuto ponatur. sed hic erat in tuto, cum esset super castro Fiani, quod erat in manibus D. Io. Antonij. Hāc informationē dedi aduocatis D.Io.

D. Io. Antonii & fassi fuerunt, quod non erat locus restitutioni. & quod, quo ad dotem, & sic sortem principalem, erat cautū. Tamen dixerunt ipsi, & informarunt, quod non erat cautum quo ad donationem propter nuptias, & quo ad alimenta. Et ideo transmiserunt punctum ad me sub alia forma proponendum. videlicet vt in decisione sequenti.

SVMMARIVM.

In causa Romana Pitiliana dotis.

1 *Filius, quando habet vnde se alat, & pater est pauper, non solum tenetur vxorem & filios, sed etiam patrem alere.*

DECISIO CCCLVI.

PRæsupposita inopia soceri. & commissionibus pro nuru præsentatis. & inhibitionibus, illarum vigore, factis. An nurus in causa nostra possit exequutionē instrumenti, quæ per socerum contra D. Io. Antonium petitur, impedire tam ratione dotis & donationis propter nuptias, quam ratione alimentorum, non obstante cautione dotis de qua in instrumento venditionis census. Istud dubium fuit propositum, die 19. Ianuarii 1551. Et fuit resolutum, quod non posset impedire. Non enim ratione dotis, ex quo de ea erat cautum in instrumento venditionis census, vt in proxima præcedenti decis. dictum fuit. Non etiam ratione donationis propter nuptias, quoniam donatio propter nuptias de iure super bonis soceri constituitur. & ideo, cum in euentum restitutionis dotis, castrū Fiani sit venditum precio triginta quinque millium scutorum, & detractis quindecim millibus pro censu, ac duodecim millibus pro dote, quæ constituunt summam viginti septē millium, remanet summa octomillium soluēda D. Comiti, certe donatio propter nuptias, quæ est quarta pars, & sic summa trium millium scutorum de iure super illis octo millibus censetur esse constituta. & sic, respectu donationis propter nuptias, dicitur etiam ipsi Liuiæ esse cautum. Nec etiam debet impediri respectu alimentorum. quoniam pro summa quinque millium & quingentorum, coniuges habebant fructus tenutæ Meanæ. & pro reliqua summa, D. Nicolaus habebat fructus Pitiliani & Sorani. quorum partem à principio pro alimentis Comes Nicolao filio assignauerat. & si nunc habet illos fructus in totum, debet illis esse cōtentus. maxime cū quando † filius habet vnde se alat, & pater est pauper, non solum tenetur vxorem & filios, sed etiam patrem alere. secun dum Crotum in repet. l. frater à fratre. ff. de condit. indeb. Non obstat etiam, quod Comes possit infra duodecim annos redimere & si infra duodecim annos redimerit, D. Io. Antonius non possit retinere nisi summam quinque millium & quingentorum scutorū, prout est in instrumento dictum. quia etiam poterit retinere aliam summā sex millium & quingentorum soluendam. per text. in l. vnica. C. ob chirograph. pecuniam.

SVMMARIVM.

Agens ex contractu, debet probare se prius impleuisse.

DECISIO CCCLVII.

IN vna Romana rescissionis contractus, pro Andrea Querro, contra Doctorē Castillo. proposui dubium, die 23. Ianuarii 1551. præsupposito, sine veri præiudicio, quod fuerit promissum tradere summam centum octuagintaquinque pro complemento scutorum quingentorum, & quod illa nō sunt soluta. An agi possit pro scutis tercētum quindecim. præsertim non refectis expensis. Et casus erat, quod Marina mulier, vendiderat Iulio Albizino bona mobilia, videlicet massaritias, supellectilia, & vtensilia domus. quæ æstimata fuerunt ad dictā summam quingentorum. Sed pro parte Iulii erat probatum, quod in contractu fuerat conuentum inter, Marinam & Iulium, quod ad faciendam dictam summam quingentorum scutorum Marina teneretur numerare eidem Iulio summā centum octuagintaquinque, quæ simul cum summa tercentum quindecim scutorum, faciebat summam quingētorum, quam Iulius promiserat soluere. Et huic obligationi accesserat Doctor Castillo. qui, cum contra eum ageretur vigore obligationis in forma Cameræ, opposuit, dictam summam centum octuagintaquinque non fore solutam. & præsupponebatur fore probatum. & stante huiusmodi præsupposito, fuit resolutum quod non posset agere Andreas Querrus hæres Marinæ, ad illam summam centum octuagintaquinque. quia quando quis agit ex contractu reciproco, debet probare se impleuisse. l. Iulianus. §. offerri. vbi Bart. & alii. ff. de act. empt. Et in specie in fideiussore Soc. consil. 273. col. 2. vers. secundo principaliter. vol. 2. in tantum quod propter vnum minimum capitulum non obseruatum, obstet exceptio agenti. Bal. in l. pacta conuenta. in 2. not. ff. de contrahen. empt. Ias. consil. 111. col. pen. vol. 4. & consil. 41. vol. 3.

SVMMARIVM.

Refignans, poft refignationem percipiens fructus, quod non dicatur decedere in poffeffione beneficij.

1 *In regula de publicandis, an fufficiat beneficiatum fuiffe in poffeffione.*
Poffidere, & effe in poffeffione an differant.
2 *Regula de publicandis tanquam exorbitans in fuis terminis continenda.*
3 *Præftimonia an requirant refidentiam, & in eis fit confiderabilis poffeffio.*
4 *Beneficiatus quando dicatur decedere in poffeffione beneficij.*

DECISIO CCCLVIII.

EAdem die, in caufa Abulenfi præftimoniorũ, propofui dubium. * An ftantibus inftrumentis apprehenfionis poffeffionis & arrendamenti, pro parte Gabrielis productis, dici poffit, quod Didacus refignans obierit in poffeffione. Et cafus erat, quod Didacus refignauerat multa præftimonia in fauorem Gabrielis nepotis. qui facta refignatione, expediuerat bullas, & proceffum fulminauerat. & vigore litterarum & proceffus, Gabriel de confenfu Didaci acceperat poffeffionem de manu rectorum, feu locatenentium Ecclefiarum, in quibus dicta præftimonia confiftebant. verum eft, quod fuit factum coram notario, & teftibus duobus, ita quod non erat refignatio publicata. Et illud fuit de anno 1538. poftea de anno 1540. Didacus, qui in refignatione referuauerat fructus, de confenfu Gabrielis arrendauerat fructus ad trienniũ. Et ifta funt inftrumenta apprehẽfionis poffeffionis, & arrendamenti, de quibus in dubio. Per quæ inftrumenta, licet iuncta refignatione, & fine ea, appareret clare, quod Didacus poffeffionem amififfet; tamen quia refignatio non erat publicata, nec etiam petita ab his quos contingebat vt aduerfarii prætendebant, dicebant etiam, quod ex quo Didacus femper fructus perceperat vfque ad eius obitum, qui fuit de anno 45. quod diceretur deceffiffe in poffefsione, & per cõfequens quod ex omni parte locus effet regulæ de publicandis; & præftimonia vacaffent per eius obitum, non autem per refignationem. Et confiderabant, quod licet Didacus, per refignationem, & per eius confenfum; præftitum tam in refignatione quã apprehenfione poffefsionis & arrendamento, perdidiffet poffefsionem tam naturalẽ quam ciuilẽ, tamen propter perceptionem fructuum, diceretur effe in poffefsione, quod
1 fufficit per regulam. & aliud † eft pofsidere, aliud effe in poffefsione. l. fi quis ante. ff. de acquiren. poffeff. & Corn. in terminis regulæ de publican. conf. 137. vol. 3. Tamen iftis non obftantibus fuit per omnes refolutum, excepto vno, quod non diceretur Didacus decefsiffe in poffefsione, ad effectum vt regula intraret. quia licet Didacus diceretur decefsiffe in poffefsione fructuum, nõ tamen in poffefsione beneficij, prout à re-
2 gula requirebatur. quæ, tanquam † exorbitans, in terminis fuis erat tenenda. Non obftat, quod in præftimoniis poffefsio præ-
3 ftimonii non fit confiderabilis, ex quo † nõ requirit refidentiam, neque aliquod feruitium præftare tenebatur. Quia fuit refponfum, quod licet non requirat refidentiam, tamen poteft præftimoniarius vt præftimoniarius intrare chorum, & feruire Ecclefiæ tanquam præftimoniarius. Et cum Didacus nunquam aliquid tale feciffet, non poterat dicere decefsiffe in poffefsione beneficii, fed tantum in poffefsione fructuum ex caufa de nouo fuperuenienti. videlicet vigore referuationis fructuum, pofitæ in refignatione præftimoniorum. Et ideo regula intelligitur quando quis, non obftante refignatione beneficij, poftea remanet in detentatione
4 ne beneficij. vtputa † vt beneficiatus deferuiendo. quod non erat hic. vbi fi percipiebat fructus, ex caufa referuationis percipiebat.

SVMMARIVM.

Repetitio dotis ex caufa inopiæ, non potuit impediri data cautione etiam in ifto cafu.

1 *Dotis repetitio an detur focero vergente ad inopiam.*
Et quid fi filius tunc temporis fit diues. num. 2.
3 *Dotis repetitio ob vergentiam ad inopiam, an excludatur per oblationem fideiufforis. & num. 5.*
4 *Mali euentus in confideratione habendi funt ratione dotis.*
Dotis folutio, an debeat fieri focero vel filio vergentibus ad inopiam, data cautione per eos.
6 *Ex cafu repetitionis, ad folutionem dotis an arguatur.*
7 *Inopia an poffit opponi in repetitione dotis. quando promiffio dotis foluendæ fuit facta incipienti vergere ad inopiam.*
8 *In dote repetenda an fufficiat virum vel focerum aliquantisper vergere ad inopiam.*

DECISIO CCCLIX.

IN causa Romana seu Pitiliana dotis,
die 26. Ianuarij 1551. dedi dubium.
numquid Liuia teneatur dare dotem suam
socero vergenti ad inopiam, sub cautione.
Et pro parte Liuiæ dicebatur, quod reme-
dia ll. si constante. ff. sol. mat. l. vbi adhuc &
l. in rebus. C. de iur. dot. est locus quando
1 socer † incipit vergere ad inopiam contra
ipsum socerum. vt post Glos. tenent Cinus &
alij, in l. vbi adhuc. Bart. in l. si constante
in 7. quęst. primæ partis. & ibi Alex. num. 2.
vers. in Glos. &c. dicit, quod cum Bart. tran-
seunt alij. & Ias. ibi num. 24. Et ista conclusio
procedit vt possit agi contra socerum ver-
2 gentem ad inopiam, † etiam quod filius sit
diues. Glos. in §. illud. in verb. incohante.
in auth. de æqual. dot. & ibi sequuntur Iac.
de Beluiso, & Ang. idem Glos. in l. vbi ad-
huc. & in l. si constante. & ibi Bart. in 8. q.
& ibi Crot. in 1. lectura in 8. quęst. num. 35.
Contra igitur vergentem ad inopiam, com-
munis conclusio est, quod mulier possit vti
remedijs dictarum legum. nec dicta reme-
dia excluduntur per oblationem fideiussoris
3 de dote † conseruanda. vt post Glos. & Cin.
Bartol. in l. si constante. in 10 quęst. primæ
partis. & ibi Alex. num. 19. vbi dicit hanc
esse communem, quia mulier non debet se
committere fragilitati cautionis. & ibi
Crot. in 1. lectura num. 63. Nam vt dicit
Abb. in c. per vestras. num. 12. de donat. in-
ter vir. & vxor. secundum iura Authent. est
locus remedijs dictarum legum, quando in-
cipit vir male vti substantia sua. licet ipse
vir sit ditissimus, & habeat bona sufficientia
pro dote assecuranda, & pro alimentis. &
sequitur Bar. & alij, in l. si constante. Ergo
iura simpliciter non considerant cautionem
dotis & alimenta, sed considerant id quod
euenire potest, & malos euentus. Et quod
4 mali † euentus sint in consideratione in ma
teria dotis, & quod hoc sit speciale in ipsa
dote, tenet Bald. Nouell. in tract. de dot. in
7. par. in 12. priuil. & Alex. in l. si cum do-
tem. §. si maritus. in 1. not. ff. sol. mat. &
Crot. in l. si constante. in 1. lect. num. 24.
Ad excludendum ergo dicta remedia, non
sit fundamentum per Doctores in cautione,
nec etiam sit fundamentum in alimentis de
præsenti, quia de facili possunt deficere. &
sit fundamentum in eo quod euenire potest,
& in hoc iura fauerunt mulieribus. Item,
pro parte Liuiæ dicebatur, quod dos etiam
non erat soluenda Nicolao. immo si esset so-
luta, locus esset repetitioni. ex quo notum
erat quod filius male vtebatur substantia
sua. & ideo cum, tam respectu soceri quam
Nicolai, locus esset repetitioni, à fortiori,
non solutioni. quia cui damus actionem,
tanto magis exceptionem. nec soluenda
erat sub cautione, per superius dicta. Sed
pro parte Comitis respondebatur ad ista,
quod cautio seu prouisio, data in instrumēto
venditionis census super Castro Fiani in
fauorem D. Io. Antonij, non erat simplex
cautio, sed habebat vim solutionis. cum D.
Io. Antonius in emptione ipsius castri, quæ
censebatur esse facta in eius fauorem, tene-
retur excomputare duodecim millia scu-
ta pro dote Liuiæ. Sed pro parte Liuiæ
replicabatur, quod licet respectu Ioannis
Antonij haberet vim solutionis, tamen quod
respectu ipsius Liuiæ, D. Io. Antonius erat
fideiussor seu expromissor. & ipsi fideiussio-
ni Liuia non tenebatur stare. Secundo di-
cebat Comes, quod illa opinio, quod non
5 obstante cautione sit locus repetitioni, † non
habet locum quando mulier acceptauit ex-
promissorem seu fideiussorem. vt dicit
Bal. in l. & hęredi. §. filia. ff. de pact. Alex.
refert & sequitur in d. l. si constante. num. 17.
D. autem Liuia, in dicto instrumento census
Fiani, consensit quod dos in euentum resti-
tutionis, esset penes patrem. ergo debet stare
ipsi prouisioni. & sic sumus extra dictam
communem opinionem, quæ habet quod
non sit locus cautioni. quia istud esset ve-
rum, nisi semel per dominam Liuiam esset
approbata. Sed ad istud fundamentum,
fuit pro parte D. Liuiæ replicatum, quod
ideo de anno 1544. ipsa in instrumēto vendi
tionis census consenserat, attento quod Co-
mes de anno 1542. in transactione dixerat,
quod respectu residui illud petere non inten
debat. cum autem post annum 1544. Comes
incœperit de nullitate dictæ transactionis
dicere, & volebat residuum dotis petere,
tunc quia intererat ipsius Liuiæ illud resi-
duum conseruare, ideo noluit stare illi con-
sensui per eam pręstito. quia tunc ideo con-
sensit, quia Comes nolebat petere residuum,
& ideo ipsius Liuiæ non intererat. Secundo
dicebatur pro parte D. Liuiæ, quod ipsa
consenserat in euentum restitutionis, & era-
mus in stipulatione, quæ est stricti iuris. &
6 nos eramus nunc in casu † repetitionis, &
superius fuit dictum, quod de vno ad a-
lium casum non inferebatur. vt per Bar. in l.
si quis. ff. solut. mat. Tertio, pro parte Co-
mitis dicebatur, quod quando D. Liuia fuit
contenta de prouisione facta in personam D.
Antonij, quod iam Comes incœperat male
7 vti substantia. vnde nunc non poterat † op-
ponere de eius inopia. per ea quæ dicit Bar-
tol. & post eum Ias. qui reprobat Bartol.
in l. si constante in 6. quęst. primæ partis. ff.
solut. mat. Sed ad istud pro parte Liuiæ fuit
replicatum, quod de ista scientia Liuiæ non
constabat. Secundo, quod dato quod con-
staret, tamen, quia post illum contractum
de anno 1544. in quo ipsa Liuia consenserat,
terat

Comes in deterius ierat, ideo hodie po-
8 terat venire contra. quia sufficit † quod aliquantisper conditionem suam deteriorē à priori faciat. Et ita, ex omnibus istis, fuit conclusum contra Comitem, vt non esset locus solutioni, etiam cum ista cautione D. Ioannis Antonij.

SVMMARIVM.

Comes Pitiliani allegando donationem & præscriptionem, non dicebatur venire contra factum patris.

DECISIO CCCLX.

Eadem die, in causa Romana castri Feliciani proposui dubium. An D. Comes, allegando donationem & præscriptionem quas allegat, dici possit venire contra factum patris, cuius est hæres & qui dedit in solutum auctori Dominæ Helenæ. Et fuit resolutum ex vno tantum fundamento, cum reliqua fundamenta putata fuerint friuola, quod Comes non diceretur venire contra factum patris sui, nam cum hic inter dationem in solutum, factam de anno 16. & donationem factā Comiti per Archiepiscopum factā de anno 26. interuenerint decem anni, & in illa donatione Archiepiscopus asserverit se dominum Castrorum, quod idem asseruit in testamento per eum postea facto, quam assertionem postea Henricus, adeundo hæreditatem ex testamento sine beneficio legis & inuentarij, approbauerat, ex quo contra eam venire non poterat, ex isto facto legitime Comes poterat donationem & præscriptionem allegare. & per hoc non dicebatur assertionem patris in datione in solutum impugnare, quia ista poterant stare. & quod Ludouicus de anno 1516. esset dominus illius castri, & postea tempore assertionis de anno 26. Archiepiscopus esset dominus, ex quo illa assertio erat per Comitem Henricum acceptata, quam impugnare non poterat, ex quo erat hęres Archiepiscopi sine beneficio legis & inuentarij. Et aduerte ad informationem facti, quam ista die fecit Dominus Octauianus Vestrius, quia ponit totum factum istius causæ.

SVMMARIVM.

Subrogatus in omni iure & ad omne ius, etiam quo ad actionem spolij, isto casu non cępit, vel non censetur ad fructus præteritos subrogatus.

1 *In subrogatione etiam quo ad actionem spolij, an veniant fructus.*

DECISIO CCCLXI.

In causa Pientina fructuum, die 30. Ianuarij 1551. proposui dubium. An Marcus Antonius, subrogatus in omni iure Petri Francisci sibi competente in Ecclesia vel ad Ecclesiam, & prout in supplicatione de qua dabitur copia, censeatur etiam subrogatus ad petendum fructus in quibus aduersarius condemnatus fuerat per vnam sententiam, ex quo Petrus Franciscus reseruauit sibi fructus & administrationem. Et fuit resolutum, quod non censeretur subrogatus. Nam licet in subrogatione in omni iure & ad omne ius, etiam quo ad actionem spolij, veniant fructus quando sunt petiti, & tanto magis in isto casu, in quo in fauorem Petri Francisci erat lata prima sententia cum condemnatione fructuum, & in eius fauorem erat decretum sequestrum, & post sequestrum cesserat omne ius sibi competens, cum subrogatione etiam quo ad actionem spolij,
1 & sic in tali subrogatione† venirent fructus. per decis. Aegid. 367. Tñ qa in casu nostro, Petrus Franciscus cedendo, ne nimium dispendium pateretur, reseruauerat sibi omnes fructus, ergo intelligendum erat quod reseruasset non solum fructus futuros, sed etiam præteritos. nam si propter dispendiū euitandum reseruat, secundum intelligentiam aduersariorum, fructus futuros, à fortiori intelligendus est sibi voluisse reseruare fructus præteritos qui iam sibi quęsiti fuerant. Non obstant illa verba in supplicatione posita. etiam propria auctoritate. & etiam illa verba, ita quod per Marcum Antonium & eius successores molestari non possit. quia ex quo reseruabat fructus propria auctoritate percipiendos, videbatur referri ad fructus futuros, quia fructus futuri dicuntur propria auctoritate percipi. Quia fuit responsum, ꝙ etiam poterat referri ad fructus præteritos. quia poterat velle percipere illos sine ministerio Marci Antonij, sed ꝓpria auctoritate post condemnationem sequutam. Item, etiam & in dictis fructibus præteritis nolebat molestari per Marcum Antonium, nec eius successores. Non obstat illa clausula in clausulis supplicationis posita. & de reseruatione fructuum ad vitam, cum derogatione regulæ deprę stando consensu in pensionibus. per quam videbatur quod deberet referri ad reseruationem fructuum futurorum. quia fuit dictum, quod per hoc non censebatur esse recessum a reseruatione omnium fructuum. Et quia etiam veniebant futuri, ideo fuit petita clausula, vel potius derogatio dictæ regulæ.

SVM-

SUMMARIUM.

Lis vbi est quo ad actorem tantum, si cedit beneficium in alium non facta mentione de lite, cessio est nulla.

1 *Lis esse dicitur post obtentam commissionem & citationem in odium committentis, & obtinentis decretum citationis. & num. 2.*

2 *De litis pendentia semper facienda mentio.*

3 *Lite pendente inter actorem & reum, in odium ipsorum, gratia impetrata non valet.*

4 *Lite pendente cedi non potest beneficium in fauorem alterius.*

5 *Cessio beneficij an dicatur facta in potentiorem, si facta sit in fauorem Monasterij.*

6 *Cessio beneficij fieri non potest, quando est litigiosum in praeiudicium litis.*

7 *Lis super beneficio, an dicatur extincta per cessionem de eo factam.*

8 *Gratia, non facta mentione de Litis pendentia, an sit subreptitia, & per consequens nulla.*

Gratia, quando est ipso iure nulla, an quilibet, etiam extraneus, de nullitate dare possit.

DECISIO CCCLXII.

IN causa Britonoriensi monasterij, die 4. Februarij 1551. proposui dubium. An c. 2. vt lit. penden. in 6. locum habeat vbi est lis quo ad actorem tantum, & nullus est reus. & si non, An alibi caueatur quod stante lite quo ad committentem tantum, cedendo beneficio super quo per eum tantum est introducta lis, teneatur de lite mentionem facere. Pro parte negatiua, quod non esset locus dicto c. adducebatur, quod tex. loquitur quando hi contra quos est lis mota, cedunt vel decedunt. & sic textus loquitur in actore & reo. Item, dum tex. dicit, ne nonus aduersarius detur. at in casu nostro ista verba verificari ad possunt, cum actor nullum aduersarium haberet, ex quo eum non citauerat. & istud videtur dicere expresse Archid. in d. c. 2. vt lit. penden. in 6. col. fin. vers. sed quod hic dicitur intelligo in casu in quo loquitur, videlicet quando est lis inter actorem & rerum, &c. Item, adducebatur cons. Oldra. 299. circa finem. vbi vult, quod c. 2. vt lit. pen. in 6. locum habet quando res est in iudicium deducta, & durabat, quia erat superstes litem prosequens. sed in casu nostro non erat superstes litem prosequens. quia actor cedendo, demonstrabat animum suum nolle se amplius litem prosequi. ergo non eramus in terminis dicti c. 2. Item pro ista parte adducebatur, quod licet Sarnen. in compendio signaturae. num. 64. & Staphil. in suo tract. de lit. grat. fol. 144. ponant tres effectus istius litis motae per actorem contra reum. & in tertio effectu ponant, quod quando cessio fit non facta mentione de tali lite, quod reus & possessor potest dicere de subreptione talis cessionis. quod si bene viderentur verba istorum Doctorum quod isti loquebantur in fauorem ipsius rei & possessoris. ita quod nominatus in commissione, etiam quod contra eum citatio non esset exequuta sed tantum decreta, poterat si volebat petere attentata reuocari. item, quod cessio, non facta mentione de huiusmodi lite, annullaretur. sed cum ista essent in fauorem ipsius rei nominati in commissione, non poterat tertius non nominatus, petere quod ista cessio per viam subreptionis reuocaretur. Istis tamen non obstantibus, Domini concluserunt contrarium. nam licet ex verbis illius textus, non essemus in terminis illius c. 2. tamen ex interpretatione Palatii, volentis
quod in odium committentis & obtinen-
1 tis † decretum citationis, dicatur esse lis. vt
dicit Aegid. decis. 345. in fine. & sunt multae
decis. & si Palatium tenet quod sit lis, ergo in
impetratione, & sic cessione, de litis penden-
2 tia † erat mentio facienda. vt per plura,
vltra Sarnen. & Staphil. superius allegatos,
firmat Felin. in c. super litteris. col. 7. vers.
sexta regula. de rescript. Vbi dicit, quod
lis dicitur pendere per citationem decretam
quo ad ipsum actorem. Sed certè illud dictum Felini non meretur ad casum nostrum allegari. quia loquitur de rescripto ad lites, causam pendentem alteri committente, non autem de rescripto nouum ius conferente. prout dicit ipse Felin. in d. c. super litteris. col. 8. vers. & adde quod per appellationem. & etiam ipse Felin. in princ. 6. regulae loquitur in rescripto ad lites. Sed pro ista parte extat auctoritas Sarnen. & Staphil. superius allegata. pro quibus facit,
3 quod sicut quando est lis † inter actorem &
reum, in odium ipsorum, gratia pendente
lite impetrata non valet. c. fin. vt lit. penden.
& ibi Abb. col. fin. Felin. in c. l. col. 10. vers.
fallit 6. de rescript. & sicut quando lis pen-
4 det inter † actorem & reum super beneficio,
beneficium non potest in fauorem alterius
cedi. vt est decis. Rotae 56. * in no. ita quando est lis quo ad actorem tantum, in odium ipsius actoris, non poterit ipse actor in fauorem alterius beneficium cedere. maxime reseruata pensione in fauorem suum, vt erat in isto casu. in quo Petrus Franciscus cesserat in fauorem Monasterij, reseruata notabili pensione. & ideo, ex quo erat lis in

* Alias, 3. vt lit. pend.

in odium ipsius, quicquid fiebat postea in fauorem ipsius, non facta mentione de lite, debebat annullari. & tanto magis ex quo
5 cedendo in monasterium, dicebatur † cedere in potentiorem. & ita faciebat conditionem omnium interesse putantium, deteriorem. Et cum in casu isto Petrus Franciscus commisisset causam contra Io. Antonium omnesque alios interesse putantes, & in exequutione citationis nominandos, itaque ex forma ipsius commissionis Petrus Franciscus commiserat causam contra Antonium item contra interesse putantes, & contra omnes nominandos in exequutione citationis, vt alias decisum fuerat. & sic respectu Io. Antonij, & omnium interesse putantium licet actu isti non essent rei, tamen ex quo erant nominati, iam destinatione isti erant rei. & ita poterant petere, cessionem in monasterium factam, tanquam in præiudicium ipsorum, reuocari. Sed ad istud fundamentum puto esse aduertendum, quia quando est lis inter actorem & reum, ex quo benefi-
6 cium est litigiosum, † in præiudicium litis cessio fieri non potest. quia tunc vnus sine altero liti renunciare non potest. & ideo, cum actor vel reus sine consensu alterius, à lite resilire non possit, non est mirum si non potest beneficium in alterum, tanquam vitio litis affectum, cedere. in casu autem nostro, licet actor obtinuerit decretum citationis, tamen potuit illi renunciare, vt dicit Aegid. decis. 456. quod videtur fecisse cedendo beneficio. nam isto modo videtur declarare animum suum, quod ipse non velit litigare: & ideo si tacite renunciat, per cessionem liti non est necessaria mentio de litis pendentia. Sed ad istud replicabatur, quod per cessionem de beneficio factam,
7 lis non dicitur † extincta. sed oportet expresse renunciare ipsi liti, quia possent omnes illi contra quem causa est commissa, venire ad litem. & licet condemnatio super beneficio fieri non posset, tamen iudicium valeret quo ad expensas. Ad id quod dicebatur, quod Sarnen. & Staphil. dicunt, cessionem esse nullam in fauorem nominati in commissione, non autem in fauorem tertij, vt erat Reuerendissimus Camerarius. isto casu fuit responsum, quod ex quo de litis pendentia non erat facta mentio in supplicatione, gratia erat subreptitia, & per consequens
8 nulla. & cum gratia esset † ipso iure nulla, de tali nullitate quilibet, etiam extraneus dare poterat. iuxta doctrinam Bart. in l. 2. ff. de except. rei iudic. Ad cons. Oldra. 299. dicebant Domini, quod hic eramus in re in iudicium deducta, & actor, donec renunciasset liti, dicebatur in lite manere. Et ideo consilium Oldradi retorquebatur in contrarium. Et si vlterius super ista lite est informandum, erit dandum dubium isto modo.

An, stante lite, per Petrum Franciscum, quo ad eum tantum introducta, sit talis lis, vt non facta mentione de ea in cessione, per eum facta, cessio sit nulla. & an de tali nullitate, non solum per nominatos in commissione, sed hodie per Reuerendissimum Camerarium, dari possit.

SVMMARIVM.

Mandatum in actu extraiudiciali, etiam cum lapsu septuaginta quinque annorum enunciatum, non fuit præsumptum.

1 *Solennitas extrinseca an præsumatur ex lapsu triginta, vel quadraginta annorũ & n. 2.*
3 *Enunciatiua de mandato an pari modo credendum sit iudici quam notario.*
4 *Confessio de receptis in qua dictum est in veritate & realiter, an probet realem solutionem.*
5 *Mandatum ex antiquitate temporis an præsumatur.*

DECISIO CCCLXIII.

IN vna Rhodiensi siue Maioricensi, casus erat, quod notarius in vna quietantia 5500. ducatorum, faciebat fidem quod procurator Ioannis de Tagamanent, de cuius mandato asseruit docuisse publico instrumento exhibito, & ostenso sano & integro, & in aliqua sui parte nõ suspecto, subscripto & signato manu & signo publici notarij, sponte & bona fide recognouit, & confessus fuit à religioso viro &c. habuisse, & realiter recepisse summam 5500. &c. dubitauit D. Peregrinus die 4. Februarij 1551. An quietantia pro parte Magistri & conuentus producta, releuet Religionem pro summa in eo contenta, idest probet solutionem illorum 5500. ducatorum. Et tota difficultas erat, an, ex quo mandatum enunciabatur, & eramus in tempore septuaginta quinque annorum, an mandatum enunciatum probaretur interuenisse. Et pro parte affirmatiua, adducebatur cons. Curt. sen. 77. super motiuis. & cons. Dec. 36. ac decis. 3. Cassad. de procurat. Sed ad ista fuit dictum, quod non faciebant ad propositum in decisione eorum. nam decidebant casum, in quo interuenerant vltra centum anni. bene tamen fuit dictum, quod rationes eorum faciebant ad propositum, dum & Curt. sen. & Cassad. omnes circa princ. dicebant, quod per lapsum triginta vel quadraginta an-
1 norum, solennitas extrinseca † præsumebatur. prout & latius declarat Aym. in tract. de antiquit. tempor. in tertia parte tractat. in princ. Et cum hic essemus in tẽpore vltra quadraginta, p̃sumẽda erat solenni-
tas

tas mandati. & tanto magis vbi eramus in mandato enunciato, prout eramus in isto casu. Et per illam decis. Cassad. Rota pluries tenuerat, quod vbi mandatum erat enunciatum, & erat lapsum longissimum tẽpus, quod tunc mandatum præsumeretur. Sed ad istud fuit responsum, quod tunc, per lapsum longissimi temporis, * soleunitas
2 extrinseca † præsumeretur, quando interuenit scientia, & patientia eius de cuius præiudicio agitur. vt optime declarat idem Aym. in d. tract. in 3. par. fol. 182. pag. 1. sed in casu nostro nulla scientia & patientia Ioannis interuenerat, ergo non debebamus præsumere mandatum. Item & secundo, fuit dictum quod decisio Cassad. non faciebat ad propositum, quoniam loquitur in actu iudiciali, & nos eramus in actu extraiudiciali, vnde non erat conueniens vt tanta fides danda esset mandato enunciato
3 à notario, † quanta dabatur enunciato à iudice. & ita dicebat idem Aym. in d. tract. in 2. par. fol. 174. pag. 1. Et licet in instrumento interueniant testes, non tamen adhibentur ad istam narratiuam notatij. & licet cons. Curt. 77. & Dec. 36. loquantur in alijs actibus quam iudicialibus, tamen loquuntur in tempore antiquo, & semper vltra antiquitatem temporis, annectunt alias coniecturas, Et tanto minus in casu isto præsumendum erat pro mandato, quia, vt dicit Dec. in d. cons. 36. colum. 5. in princ. quod dictum Bal. vt ex antiquitate non præsumatur mandatum, procedit in tali actu ad quẽ verisimiliter quis, etiam sine mandato, accederet. vt est in casu nostro, tam respectu recipientis quam etiam illius qui prætenditur soluisse. ex quo in casu nostro non constabat de reali solutione, sed tantum de confessione. Et licet in quietantia diceretur. in
4 veritate & realiter confessus † est recepisse. quæ verba videntur importare realem solutionem, prout videtur sentire Bal. in c. ex insinuatione. quem videtur sequi Ias. in l. 2. §. creditum. ff. si cer. pet. tamen illud dictũ Bal. declarat ibi Purpurat. num. 91. Et quia dictum Bal. in l. 2. C. si ex fal. instru. cõmuniter tenetur, videlicet vt ex antiquitate temporis mandatum non præsumatur, pro-
5 ut illud † dicit commune Albert. Brun. in tractat. de forma & solen. fol. 80. colum. 3. Loffred. cons. 10. colum. 3. & Franc. Balb. in tract. præscript. in prima parte tertię partis princ. in 10. quæst. colum. 10. Et saltem illud dictum habet locum in actu extraiudiciali vt erat iste. Ideo Domini concluserũt pro parte negatiua. quod isto casu mandatum non præsumeretur, & quietantia non releuaret Religionem ad præsumendum solutionem.

* Solennitas extrinseca quãdo præsumatur per lapsũ longissimi temporis.

S V M M A R I V M.

In causa Romana Pitiliana dotis.

1 *Dotis repetitio ob vergentiam viri ad inopiam, an detur etiam post approbationem factam à muliere, si vir aliquantisper cœperit male vti substantia sua.*
2 *Mulier non potest sibi ipsi præiudicare in dote.*
3 *Mali euentus in consideratione in materia dotis, maxime si sunt in potentia propinqua.*

DECISIO CCCLXIV.

Vigesima Februarii 1551. in causa Romana Pitiliana dotis, proposui dubium. An ex mandato per D. Liuiam concesso, & instrumento permutationis subsequuto, probetur quod D. Liuia consenserit cautioni, prouisioni, seu dispositioni pro conseruatione dotis. &, si sic, an attenta mutatione status D. Comitis, possit D. Liuia, à cautione, prouisione, seu dispositione prædictis in quas semel consensit, hodie recedere. Et fuit resolutum, quod si instrumentum dicti mandati, à principio, idest in proœmio, & in auctoritate data ad redimẽdum postea sequuta, videlicet in instrumento permutationis, ex eis consensus Liuiæ nõ potest colligi ꝙ interuenerit, nisi pro summa 5500. scutorum soluta. nam licet sit in dicto instrumento permutationis data auctoritas redimendi cum eisdem pactis, conditionibus, modis, & formis. prout in instrumento facto D. Horatio; tamẽ subiungitur. hoc pacto adiecto, quod in euentum restitutionis dotis, Illustr. D. Io. Antonius possit excomputare vltra summã quindecim millium scutorum, quæ summa erat precium census venditi, possit aliam summam 5500. solutam pro dote excomputare. ergo residuum dotis à contrario noluit excomputare. & sic in illam summam restantem non consensit quod solueretur. Item, si videatur bene instrumentum factum D. Horatio, nihil etiam nocebit D. Liuiæ. nam in eo dicitur, quod in euentum dotis restituẽdæ, possit D. Horatius dotem, solutam vel soluendam retinere, & in precio 35000. scutorum excõputare. Dato ergo quod D. Liuia huic pacto consenserit in mandato, tamen D. Liuia, tempore illius mandati, non se obligauit in plusquam prius tenebatur. & sensus est, quod si ipsa totam dotem soluerit, tunc vult quod D. Io. Antonius possit totam retinere, sicut & poterat D. Horatius. Cum ergo D. Liuia, per dictum mandatum non in plus obligatur quam antea per suam obligationem erat, sed in sua facultate posuerit

soluere

soluere totam dotem; ponamus quod istud
mandatum non esset factum, certum est
quod propter mutationem status Comitis,
poterat dicere Liuia, quod propter iura lo-
quentia de inopia, erat locus repetitioni.
ita & etiam poterit dicere stante mandato.
cum consensus, qui ex mandato colligitur,
circa residuum dotis non solutæ, non sit
purus,& liber, sed est potius conditionalis,
& euentualis, si soluerit. Circa secundam
partem dubij, dixerunt Domini, quod dato
quod Liuia consensisset, quod tamen propter
mutationem status Comitis, cum ab illo
tempore consensus præstiti, Comitis fortuna
deterior effecta fuisset, poterat ipsa Liuia
ab illo consensu recedere. per ea quæ dicit
Crotus in l. si constante. in prima lectura
1 num. 34. vbi dicit, quod si post † approba-
tionem maritus aliquantisper deteriorauit
conditionem suam, quod mulier, non ob-
stante approbatione sua, potest agere reme-
dio ll. loquentium de inopia. Et ratio est,
quia dispositio intelligitur rebus sic stanti-
2 bus. & quia † mulier in dote non potest sibi
præiudicare, vt idem Crot. dicit ibidem
cōmunem esse. Et licet Alex. in d. l. si cōstan-
te. alleget multos Doctores, qui tenent
contra Bart. dicentes quod mulier possit sibi
præiudicare; tamen Alexander ibi ponit
istud esse in electione ipsius mulieris. Item
dicebatur, quod tempore consensus præstiti
per Liuiam, filius & pater erant amici, &
pater possidebat castra multa. itaque stante
concordia inter patrem & filium, non solum
Liuia erat tuta quo ad dotem, sed etiam
quo ad alimenta, & de præsenti, & de futu-
ro. & quando pater & filius recusassent præ-
stare alimenta, de facili ad præstationem
per Pontificem compelli poterant, cum ad-
huc non esset detectum, quod illa castra es-
sent Imperialia. hodie vero, stantibus ini-
micitijs capitalibus inter patrem & filium,
item & inimicitijs exortis inter vassalos &
Nicolaum, Liuia non est tuta quo ad ali-
menta de futuro. & in ista materia, mali
3 euentus sunt † in consideratione. maxime
cum sint in potentia ita propinqua. Item
& quod facile erat si dos solueretur D. Co-
miti, quod Nicolaus in odium eius patris
expelleret eius vxorem. & tunc de facili
recursus ad Cæsarem ipsi Liuiæ haberi non
posset.

S V M M A R I V M.

Statutum Siciliç, quod minor decem & octo annorum habeatur pro maiori, seruatum in Vrbe, vt huiusmodi minori non sit deputandus curator.

1 *Statutum habilitans personam, an habilitet eam vbique, etiam extra territorium.*

2 *Minor iuxta terminos iuris communis, maior autem iuxta terminos statuti, si constituat procuratorem ad litigandum extra territorium, an iudicium sit bonum.*

DECISIO CCCLXV.

IN vna Panormitana feudi, in qua erat
producta constitutio Regni Siciliæ, quæ
ita dicebat. Minores, tam masculos quam
feminas, intelligimus eos, qui, vel quæ non
dum ætatis suæ annum decimum octauum
excesserint, quo completo ipsos, tam in
cōtractibus quam in iudiciis, & in omnibus,
perfectæ ætatis volumus reputari. Dubitauit
D. Guidobonus, die 23. Februarij 1551.
stante præscripta constitutione. An in iudi-
cio per Matthæum contra Petrum minorem
viginti quinque, maiorem tamen decem &
octo, in Romana Curia moto, fuerit depu-
tandus curator, ita quod eo non deputato,
processus & sententiæ contra Petrum latæ,
fuerint nullæ. Et fuit resolutum, quod non
1 esset deputandus curator. quia † statutum
habilitans personam, habilitat eam vbique,
etiam extra territorium. Bal. in l. 1. nu. 23.
C. de sum. trinit. maxime in casu isto. in quo
fuerat actum inter subditos ipsius Regni, &
de bonis subditis statuentibus. & maxime
cū ille minor existens in partibus, dedisset
2 mandatum ad litigandum. † vnde ille locus
erat attendendus. prout ita in terminis de-
terminat Io. Bap. de Sancto Seuerino in re-
pet. d. l. 1. num. 152. vers. sed quid dicerem.
per totam illam col. C. de sum. trinit.

S V M M A R I V M.

Noualia quomodo intellecta.

1 *Memoriam hominum non extare vel extare; quomodo probandum.*

2 *Memoria hominum an ex signis probetur.*

3 *Decimas soluere an teneantur infideles.*

DECISIO CCCLXVI.

IN causa Malacitana decimarum, dubi-
taui die 27. Februarii 155[illegible] præsupposi-
to, quod priuilegium Innocentij, etiam quod
ex causa remunerationis fuerit concessum,
nō intelligatur de decimis noualium. ac etiam
præsupposito, quod extet memoria de cul-
tura illarum terrarum, de quarum decimis
agitur, ex quo testes dicunt audiuisse à ma-
ioribus suis, terras fuisse cultas, qui vide-
runt illas coli. An, [illegible] isti testes
dicant quod à tempore depositionis eorum
post centum annos fuerint cultæ, vt ex si-
gnis apparet, decimæ ex illis terris post di-
ctas

ctas terras à manibus infidelium per Christianos expugnatas, & dictum priuilegium Innocentij, laico contra Ecclesiam concessum, prouenientes, dicantur prouenire ex noualibus, seu vim noualium habentibus. Et fuit resolutum, quod decimæ non dicerentur pronenire ex noualibus, per text. in c. quid per nouale. de verb. signif. Et licet ille textus loquatur in priuilegio concesso contra Ecclesiam, & in fauorem Ecclesiæ accipitur illa interpretatio à iure ciuili extranea, vt ibi dicitur; tamen quia ibi generaliter ponit interpretationē istius verbi. noualis, ita generaliter in omni materia debemus intelligere. & ibi text. exemplificando posuit contingentiam facti. Non obstat, quod deberent habere vim noualium, per text. in cap. fin. de priuileg. quia fuit dictum, quod si ille textus inspiceretur, non faciebat ad propositum. Non obstat, quod testes deponentes de centum annis quod terræ non fuerint cultæ, videantur de ponere memoriam non extare, cum memo-
1 ria † hominum non transgrediatur centum annos, secundum Innoc. & alios in cap. veniens. de verb. signif. quia fuit responsum quod illud erat verum, nisi alio modo probaretur memoriam extare, vtputa per testes, qui dicebant audiuisse à maioribus suis qui viderunt eas coli. prout ita memo-
2 riam † extare, dicit probari Innoc. Butr. & alii in cap. quid per nouale. in verb. memoriā. de verb. signif. Immo * & ex signis memoria probatur, aut quod non sit nouale. vt per Specul. in tit. de probat. §. 1. colum. 12. numer. 24. vers. quid si non est qui viderit. &c. sequitur Pet. de Anchar. in cap. 1. colum. 3. vers. sed quæris Speculator. de verb. signif. Non obstat, quod recuperatæ fuerint de manibus infidelium. quia & ipsi etiam tenen-
3 tur, † dato quod non soluant. cap. de terris. de decim. Belene. in tractat. de charit. subsid. quæst. 67. in fine. summa Syluestrina in verbo. decima. in 7. quæst. num. 3.

* Imo ex signis non probatur memoriā extare, vide text. & ibi glos. in figuratione casus. in cap. 1. in 3. not. incipien. nota quod locus. de verb. sign. in 6.

S V M M A R I V M.

Procedi an possit super exceptione dilatoria, opposita ad processum, & negocio principali.

1 *Transactionis exceptio opposita post litem contestatam, an videatur magis esse opposita ad iustitiam causa, quam in vim dilationis.*

DECISIO CCLXVII.

EAdem die, dubitaui in vna * Romana portarum, præsupposito, quod exceptio transactionis sit opposita ad processum, & non contineat læsionem in possessorio. An stantibus statutis 17. & 49. in nouis reformationibus, sententia Capitolina sit valida. Et ad nullitatem ipsius sententiæ tria deducebantur. primum, stante oppositione dictæ exceptionis in vim dilatoriæ, index pronunciasset etiam in negocio principali, quod non poterat facere. ergo sententia nulla. Fuit responsum, quod immo index potest procedere super vtroque. secundum communem opinionem, vt tenet Car. in cap. exhibita. de iudic. & ibi Abb. colum. penult. & ibi Felin. col. 3. in fine. & Aret. qui dicit communem. conf. 106. colum. 2. vers. tertius casus. Item & secundo, per doctrinam Felin. in cap. suborta. de re iud. dum dicit, quod si per aliquem actum ante sententiam, insurgit tacita pronunciatio super emergenti, hoc sufficit. Et cum in casu isto, post productam transactionē, contra eum multa opposita fuerint, & super illis facta discussio, iudex discutiendo & ad vlteriora procedendo videtur illam reiecisse. Tertio fuit dictum, quod cum transactio fuisset opposita post litem contestatam,
1 videtur magis esse opposita † ad iustitiam causæ, quam in vim dilationis. vt dicit Bart. in l. cum quærebatur. ff. iudicat. solui. & dilatoriæ opponuntur ante litem contestatam. Fuit etiam adducta alia nullitas, de qua per statutum 49. in nou. refor. vbi dicitur, quod in casu isto, erat appellatum à reiectione transactionis, à qua per dictum statutum poterat appellari, ergo pendente appellatione non poterat iudex in negocio principali procedere. Sed fuit responsum, quod non erat verum, quod à reiectione foret appellatum, sed à sententia diffinitiua. Tertia nullitas deducebatur, quod processus & sententię erant latæ vigore rescripti subreptitij, cum in rescripto non esset facta mentio de transactione. & si fuisset facta mentio, vel non concessisset, vel difficilius. Ad istud fuit responsum, quod ante transactionem, causa pendebat in Curia Capitolij, & post transactionem multæ commissiones factæ fuerunt pro vtraque parte, facientes mentionem de transactione.

* Vide ad decis. illius ari.

cuti infra decis. 188.

S V M M A R I V M.

Scriptores absentes, gaudent priuilegijs suis quo ad prærogatiuas descriptorum.

1 *Priuilegia concessa officialibus, an intelligantur de actu exercentibus officia.*

2 *Priuilegia data scriptoribus Apostolicis dicuntur data ex conuentione.*

Scriptores Apostolici soluunt singulis annis Scyphum aureum Papæ, & quare.

DECISIO CCCLXVIII.

IN vna Legionensi canonicatus, proposui dubium, die 2. Martij 1551. An scriptores Apostolici absentes, gaudeant priuilegijs suis, iuncta maxime regula antelationum, siue de prærogatiuis. Et fuit resolutum quod gauderent. prout & alias fuit resolutum pro ista parte in vna Leodiensi, coram D. Antonio Augustino, prout annotaui supra in isto libro. decis. 103. Non obstante iura illa, & doctrinæ quæ volunt, quod priuilegia quæ scholaribus & militibus conceduntur, intelliguntur concessa illis, qui exercent officia sua. Quia fuit responsum, quod illa procedunt in his pri-
1 uilegiis, † quæ dantur ratione laboris.
Sed ista priuilegia, puta descriptorum, quæ
dantur scriptoribus, dantur ex conuentio-
2 ne † inter Papam & scriptores. pro quibus scriptores soluunt singulis annis scyphum aureum Papæ. Item, dantur vt facilius inueniantur emptores. & sic dantur propter pecuniam, in qua ita interueniunt absentes sicut præsentes. Non obstat quod dicebatur, quod vel regula præcedebat priuilegia, vel subsequebatur, & semper esset dicendum, quod regula declararet priuilegia. & sicut regula loquebatur de actu seruientibus, ita & erant intelligenda priuilegia etiam quod generaliter loquerentur: vt videlicet ipsa priuilegia a regula interpretationem sumere deberent. Quia fuit responsum, quod alia erat ratio regulæ, & alia priuilegiorum. quoniam regula loquebatur de prærogatiuis datis ob labores. vt patet dum ibi enumerantur Referendarij, & Auditores. & illæ erant concessæ ex gratia. & ideo videntes scriptores quod illæ prærogatiuæ non suffragabantur omnibus scriptoribus, sed tantum actu seruientibus, ideo voluerunt transigere cum Papa, & voluerunt sibi, alia priuilegia & prærogatiuas accumulare. & istud non est contrarium, in cumulando sibi plures gratias.

SVMMARIVM.

In causa Florentina cambij.

DECISIO CCCLXIX.

EAdem die, in vna Florentina cambii, proposui dubium. dato quod Paulus soluerit de proprijs pecuniis super litteris cambii. An damnum fallimenti Signoriorum superuenientis, spectet ad ipsum, vel ad Bartholomæum. Et fuit dictum, quod primo debebat produci prima commissio data per Bartholomæum ipsi Paulo. quoniam illa de die 9. Septembris, non erat prima commissio. cum eadem die esset data in Ciuitate Florentiæ, qua fuit factum cambium hic in Vrbe. & quando produceretur prima commissio, & diceret id quod dicit commissio data die 9. Septembris, dum dicit. procurabitis exactionem, & postea mittetis. &cæt. erit dubitandum. An cambium factum per Paulum de proprijs pecunijs, sit quid diuersum à commissione data per Bartholomæum Paulo.

SVMMARIVM.

Titulum coloratum, quo ad effectum regulæ de triennali, præstat secunda resignatio.

1 *Resignatio secunda facta de beneficio pleno, an nulla.*

2 *Beneficium quando dicatur plenum, vel non.*

DECISIO CCCLXX.

EAdem die, in vna Placentina parochialis de Valuerde. in qua quidam primo resignauerat parochialem in fauorē vnius, & die sequenti in fauorem alterius. & iste secundus resignatarius, possederat ipsam parochialem per quinque annos. & primo resignatario agenti, opponebat de regula de triennali. & pro titulo colorato, deducebat secundam resignationem. Fuit dubitatum coram D. Antonio Augustino. An illa secunda resignatio præstaret titulum coloratum. Et pro parte negatiua adducebatur, quod ex prima resignatione, beneficium erat plenum, & ideo secunda re-
1 signatio facta † de beneficio pleno, & sic vi
uentis, non valeret. per text. in cap. 1. de
concess. præben. Item dicebatur, quod ita alias coram me fuerat resolutum, in vna Hispalensi dimidiæ portionis. Istis non obstantibus fuit resolutum, quod illa secunda resignatio præstaret titulum coloratum, ad effectum regulæ de triennali, cum esset facta ab eo qui dare titulum poterat. & quia poterat euenire, vt prima resignatio ex defectu resignatarii non teneret. quod satis colligebatur ex taciturnitate quinquennij. alias si diceremus, quod secunda resignatio non præstaret titulum coloratum, nunquam esset locus regulæ de triennali. cum fere in omnibus vacationibus, semper sint plures prouisi, prius & posterius. & ex hoc quod alicui sit prius vni quam alteri prouisum,
2 non per hoc dicitur † beneficium plenum.

Et

Et id quod dicebatur fuisse alias coram me resolutum contrarium, fuerunt reperta scripta mea, & inuentum quod erat casus diuersus.

SVMMARIVM.

Regula de publicandis, quo ad illa verba. in possessione beneficiorum decedant. quomodo intellecta.

1 *Beneficiatus qui remansit in perceptione fructuum, an dicatur decessisse in possessione beneficij.*

Possidere, & esse in possessione an differant.

2 *Regula de publicandis an sit locus, si resignatio sit occulta, videlicet non publicata, si resignans non decedat in possessione.*

3 *Præstimonia an requirant residentiam vel seruitium.*

Præstimoniarius in illa Ecclesia in qua habet præstimonium, an possit vt præstimoniarius deseruire, puta intrando chorum, & diuinis interessendo.

DECISIO CCCLXXI.

Die 6. Martij 1551. in causa Abulensi. præstimoniorum, proposui dubiū. An in præstimoniis de quibus agitur, ex continuata perceptione fructuum Didaci, habētis illos reseruatos auctoritate Apostolica, vsque ad eius obitum, & ex recudentiis productis, iunctis testibus examinatis super vacatione, & super eo quod Episcopus Abulensis, habita notitia dictæ vacationis, misit ad Curiam pro habendis dictis præstimoniis à Reuerendiss. Farnesio, tanquam vacantibus per obitum Didaci, censeatur idē Didacus obijsse in possessione eorundē præstimoniorum, iuxta formam regulæ. Pro parte affirmatiua, quod Didacus censeretur obiisse, dicebatur quod ipse resignauerat de anno 1537. & vsque ad annū 1545. quo obierat, semper tētus & reputatus fuerat pro domino & possessore, vt constabat ex recudentiis. in quibus dicebatur. præstimonium Didaci de Surdabro. & genitiuus importabat dominiū. iuxta not. in rubrica de nou. oper. Item ex testibus tribus examinatis. quorum vnus deponebat de publica voce & fama in Curia, quod præstimonia vacabant per obitum Didaci. Secundus, de publica voce & fama in partibus. Tertius, quod audiuerat a pluribus hic in Curia, quod vacabant per obitum Didaci. Et ideo, licet per renunciationem Didacus desijsset, ciuiliter & naturaliter, possidere, tamen, ex quo remanserat in perceptione fructuum, diceretur esse in possessione.
1 cum † aliud sit possidere, aliud esse in possessione. l. si quis ante. ff. de acquiren. possess. Et tanto magis, cum Episcopus, seu verius eius secretarius, post eius obitum miserit ad Curiam pro impetrādis dictis præstimoniis. vnde ex hoc sequitur quod Ordinarius, & alius, ex illa possessione fuerunt delusi. & ideo ratio regulæ de publicandis militat isto casu. quæ est, vt quis teneatur publicare. ne alias, Ordinarius, expectantes, & parochiani decipiantur. Et cum præstimonia non requirant residentiā nec aliquod seruitium, ille qui decedit in possessione fructuum, dicitur decedere in possessione præstimoniorum. cum in præstimoniis nulla alia possessio considerari possit, quam fructuum perceptio. Istis tamen non obstantibus, per omnes, nemine discrepante, fuit resolutum pro parte negatiua. quod Didacus non diceretur decessisse in possessione. quia quantumcunque resignatio sit occulta, videlicet non publi-
2 cata, † si resignans non decedit in possessione, non est locus regulæ de publicandis. ideo omnia fundamenta superius adducta, quod resignatio non fuerit nota, & Episcopus miserit cursorem, & reputaretur, ex recudentiis, Didacus dominus & possessor, non faciebant ad dubium. quia veritas erat in casu isto, quod Gabriel resignatarius, expediuerat litteras suæ resignationis, & sic non fraudabantur officiales. Item Gabriel existens in partibus, narrata resignatione, & reseruatione fructuum in fauorem Didaci, præsente Didaco & consentiente, constituerat procuratorem ad capiendum possessionem præstimoniorum. qui procurator postea illam accepit de manu rectorum, & locatenentium. Item, de anno 1540. idem Didacus tanquam reseruatarius, de consensu Gabrielis, domini & titularis, locauerat fructus præstimoniorum ad triennium. Vnde, cum ex istis constaret, quod perceptio fructuum erat facta ratione reseruationis, & ex noua causa non erat locus coniecturis, cum veritas appareret quod Didacus non esset in possessione, nec detentatione præstimoniorum. Nec obstat descriptio dantis recudentias, qui in libris inscribebat. præstimonium Didaci. cum talis inscriptio non posset veritatem mutare. & tanto magis, cum per vnum testem ex aduerso examinatum, etiam probaretur, quod recudentiæ etiam dabantur reseruatario fructuum, pro rata fructuum etiam darentur litteræ recudentiæ. & ideo illa verba. præstimonium Didaci. intelligenda erant ratione illius reseruationis fructuum, quam Didacus habebat. Et licet præstimonia
3 non † requirant residentiam, nec serui-

tium, tamen nulli dubium est quod præsti-
moniarius, in illa Ecclesia in qua habet pręstimonium, potest vt præstimoniarius deseruire. puta, intrando chorum, & diuinis vt præstimoniarius interesse. quod tamen Didacus post resignationem non fecerat. & ideo aliud est quod Didacus decesserit in perceptione fructuum, & aliud est decedere in possessione beneficiorum, quod regula requirit, quod Didacus non fecerat.

SVMMARIVM.

In causa Toletana decimarum.

1 *Priuilegium relatum, an dicatur probatum per relationem factam in referente.*
2 *Prioritas, an ex coniecturis probari possit.*
Ex horæ appositione, vnum instrumentum an præsumatur præcessisse aliud non habens horam.
3 *Prioritas inter pares gratias, an ex instrumento possessionis præsumatur.*
Præsumptiones, an sint liquidissimæ probationes.
4 *De Regibus Catholicis Hispaniarum nihil mali præsumi potest circa occupationem decimarum, quas percipiunt.*
Reges Catholici Hispaniarum semper recurrerunt ad sedem Apostolicam pro priuilegijs, pro decimis, & similibus gratijs.
5 *Pro facto exequutoris probi viri, præsumendum est.*
6 *Iuramento an sit locus ad remouendum suspicionem sinistram.*

DECISIO CCCLXXII.

IN causa Toletana decimarum, eadē die 6. Martij 1551. dedi idem dubium, quod superius posui. decis. 349. nisi quod in fine, post illa verba. & lapsu quinquaginta annorum. addidi. & ex instrumento erectionis nouiter producto. An ex ijs omnibus sit probatum, litteras relatas esse concessas ante prædictam conuersionem Sarracenorum. Et maior pars inclinauit, quod ex omnibus illis coniunctis probaretur. Et quia non habui punctum pro resoluto, sed fuit dictum vt iterum informaretur, ideo non pono motiua. Postea 13. Martii 1551. proposui idē dubium. Et fuit resolutum pro Duce de Alua, quod ex omnibus probationibus simul iunctis probaretur, litteras relatas esse concessas ante conuersionem Saracenorum. Motiua fuerunt infrascripta. Primum videlicet. quod hic non agebatur de probando priuilegio relato. quia per relationem fa-
1 ctam † in referente priuilegium relatum erat probatum, vt alias fuerat resolutum. sed tantū agebatur de quadā, prioritate ante conuersionem. quæ prioritas ex coniectu-
2 ris † probari potest. secundum Decium in rubrica de constitut. in secunda lectura. in fine. num. 17. prout ex appositione horæ, præsumitur instrumentum præcessisse aliud non habens horam. vt per DD. in l. 1. ff. solut. matrim. & ex instrumento possessionis
3 præsumitur † prioritas inter pares gratias. c. si a sede. de præben. in 6. Item, & secundo. cum præsumptiones sint liquidissimæ probationes. l. licet Imperator. ff. de legat. 1. & Dec. in rubr. de probat. cum priuilegium sit, de nouiter conuertendis & postquam conuersi fuerint, & ista loca de Huescar & Castileia, * sint loca vltimo ad fidem conuersa, & priuilegium det in locis in quibus infideles ad fidem, post datam conuersi fuerunt, certe si priuilegium non præcederet conuersionem, fuisset illud frustratorium, & superfluum impetrare. nec præsumendum est, Reges ita fatuos fuisse. Tertio. cum in præsupposito dicatur, quod Reges statim post conuersionem perceperunt duas tertias, certe, vt excludatur delictum, dicendum est quod vigore tituli pręcedentis. & alius titulus non poterat præcedere, nisi priuilegium. ergo vigore illius. Nec obstat, quod à conuersione, quæ fuit de mense Martij 1501. ad aliud priuilegium, quod fuit de mense Nouembris, & vsque ad exactionem decimarum, quæ fit de mense Augusti, seu Septembris, fit notabile tempus, & ideo potuit illud priuilegium post mensem Martij superuenire. Quia fuit dictum, quod hoc modo præsumeretur de-
4 lictum. quod in tam † catholicis Regibus præsumendum non erat. maxime cum videremus, quod Reges ipsi semper ad sedem Apostolicam, pro impetrandis huiusmodi priuilegiis, recursum habuerint. quod si sibi decimas vsurpare voluissent, non erat necessaria impetratio priuilegii. Quarto pōderabant Domini, testes qui viderant datam in libris regiis. & vltimo loco instrumentum erectionis. in quo exequutor, datus ad erigendas & dotandas Ecclesias, attestabatur de huiusmodi data ante conuersionem. qui exequutor erat Archiepiscopus
5 Hispalensis. & pro facto exequutoris † tam probi viri, præsumendum erat. Item, diligentia hic in Curia, & in partibus, licet non esset in partibus plene facta. Ista omnia mouebant animos Dominorū, ad transferendum saltem onus probandi contrariū in aduersarium, quod priuilegium non præcessisset conuersionem. Non obstat confessio Ducis Federici, quod litterę non fuerant in vsu, in locis de Huescar, & Castileia, quia erat reuocata per modernum Ducē in gratia, perinde valere, propter errorem. & de errore constabat per testes dicentes, quod Reges erant in possessione, statim post conuersionem, exigēdi duas tertias à noui-

* Nota illud præsuppositum.

ter

ter conuersis. Non obstat quod ageretur contra Archiepiscopum possessorem saltem ab antiquis, quæ possessio erat longa puta triginta annorum. quia dictum fuit, quod cum præsumptiones violentæ, sint liquidæ probationes, etiam possessor ex illis condēnari poterat, nisi ipse possessor probaret cōtrarium. Non obstat, quod alia priuilegia essent producta pro parte Ducis, & istud nō esset productum, & ideo erat præsumptio, quod in eo esset aliqua clausula, quæ ei nocere debebat. Quia replicabatur, quod ea quæ potuerat producere, produxit. & ad euitandum istam suspicionem, fuit dictum
6 quod Dux † deberet iurare, quod ipse non habebat notitiam de dicto priuilegio, nec sciebat vbi esset.

SVMMARIVM.

Expensæ in mutatione iudicij, isto casu non fuerunt refectæ.

1 *Expensæ an veniant reficiendæ in mutatione iudicij. & num. 3.*
2 *Iusta causa litigandi non excusat ab expensis in Rota, sed ad quid prosit.*

DECISIO CCCLXXIII.

IN causa Romana, casalis de la Bottaccia, die 9. Martij 1551. proposui dubiū. An Domini de Fabijs teneantur de iure reficere expensas iudicij hactenus agitati. &, si sic, an teneantur illas reficere de præsenti vel sit simultanee procedendum etiā iuxta formam cōmissionis pro ipsis Fabijs desuper præsentatæ. Et fuit resolutum, quod licet ex rigore iuris, esset aliquod dubiū an
1 expensæ venirent † reficiendæ, quia videbatur mutare iudicium. iuxta not. in l. edita. C. de eden. & etiam per statutum Vrbis in nouis reformationibus. cap. 1. in fine. Tamen, quia fuit consideratum, quod pro parte Fabiorum nulla temeritas interuenisset, cum iustissimam causam habuissent litigandi. & articulus multum fuerit dubius, & in iure, & in facto. In iure, nam fuit dubitatū, an cōtractus emptionis ex capite falsæ causæ narratæ, fuerit nullus. & multum super hoc fuit disputatum. & in facto, videlicet, an casale Bottacciæ & Bottacciolæ esset vnum & idem casale. Et propter probationes de nouo factas per illos de Cithara, fuit probatum de diuersitate casalium. & ideo, attenta bona fide Fabiorum, licet in Rota
2 non cōsideretur iusta † causa litigandi quo ad condemnationem expensarum, tamen quo ad hoc vt simultanee esset procedendū, fuit considerata ista iusta causa litigandi. Et quod quando mutans non fuit temera-
3 rius, † non debeat in expensis condemnari, fuit allegatus Purpurat. in l. edita. col. pen. vers. limitatur tertio. &c. C. de edeu. Et tanto magis fuit dictum, vt simultanee esset isto casu procedendum, quia istud quod modo petebatur, erat dependens à primo iudicio. dando optionem aduersario, vt vel traderet casale cum fructibus, vel restitueret precium, & animalia cum fœtibus, iu solutum data.

SVMMARIVM.

Ratificatio commissionis, per mandatum subsequens non inducta.

1 *Ratificatio illius quod quis ignorat, an censeatur inducta per mandatum generale ad omnes causas, præsentes & futuras mo tas & mouendas. & num. 2.*
3 *Valoris probatio, à quo tempore citra fieri debeat.*

DECISIO CCCLXXIV.

IN vna Augustensi præpositura, die 13. Martij 1551. proposui dubium. An per mandatum concessum per Episcopū, sub die 7. Februarij 1546. sit ratificata causa commissa per assertum procuratorem. &, an valor in resignatione expressus, sit probatus.
1 Fuit resolutum, quod per † mandatū generale ad omnes causas, præsētes & futuras, motas & mouēdas, actiue & passiue, Episcopus Vormatiensis non censebatur ratificasse illud quod ignorabat. l. mater decedens. & non probabatur sciētia illius commissionis præcedentis. & tanto magis, cum Episcopus in mandato, non constituisset procuratorem
2 assertum qui impetrauerat † cōmissionem, sed alios procuratores. iuxta not. per Paul. de Castr. in l. Paulus. ff. rem rat. hab. & in l. Iulianus. ff. qui satisdar. cogant. Et tanto magis, cum vnus ex illis procuratoribus cōstitutis producendo mandatum, protestatus fuisset, quod non intendebat ratificare cōmissionem per assertum procuratorē impetratam, quo ad valorem expressum * in resignatione pro parte magni Magistri, ad centum quinquaginta marchas argenti puri. dum pro parte ipsius diceretur, quod probabatur per aliam impetrationem factam per Episcopum. in qua narrabat, fructus præposituræ huiusmodi, non excedere centum quinquaginta marchas simpliciter. & ideo ex confessione Episcopi dicebatur, valorem expressum in resignatione esse probatum. Fuit responsum, quod cū ab illa impetratione ad tempus resignationis, effet effluxum tēpus vigintiquatuor annorū, quod illa
3 probatio non erat bona, cū valor † debeat

* Valor non probatus.

probari à decẽ annis citra. ad not. in l. precia rerum. ff. ad l. falcid. & tanto magis cũ Magister dedisset mandatum ad consentiendum, ex causa dictæ resignationis in fauorẽ dicti Episcopi, annuæ pensionis mille ducentorum ducatorum super præpositura. & tamen centum quinquaginta marchæ argenti puri, constituebant noningentos ducatos. Item, in supplicatione resignationis erat dictum, quod mille & ducentum ducati non excedebant medietatem fructuum. & super illa supplicatione procurator magni Magistri præstiterat consensum, & sic eam approbauerat.

SVMMARIVM.

Testis, de quo hic, non habitus pro integro.

DECISIO CCCLXXV.

IN causa Parmensi statuto, dubitaui die 16. Martij 1551. An initium famulatus Pazaini cũ D. Bernardino, intelligatur post conflictum Gerolæ, & propterea ex varietatibus & mendacijs, quæ resultant ex dicto eiusdem Pazaini, dicatur non idoneus testis. Et fuit resolutum, quod recordatus inciperet post conflictum Gerolę. propter verba testis, quæ dicit in principio, ꝙ non recordatur de quanto tempore, sed quod recordatur de conflictu Gerolæ, in quo interfectus fuit Rodulphus Mantuæ. & ab inde citra recordatur. maxime iuncto interrogatorio, in quo interrogatur de quanto tempore recordetur. & de vltimo anno quo ipsi recordantur dicant exprimendo millesimũ. &c. nam cum testis interrogaretur de vltimo anno quo ipse recordatur, & millesimo, voluit exprimere conflictum Gerolæ pro anno & millesimo, quo ipsi recordantur, & ab inde citra. & dinumerando tempora sui famulatus secundum eius dinumerationem, initium famulatus fuit cum Bernardino de anno 1500. vel circa. & tamen quando deponit de raptu, qui fuit de anno 1496. idem Pazainus deponit, quod ipse erat famulus Bernardini. & existens in famulatu, interuenit in raptu armatus, & transiens foueas sustinendo nauizolam. & sic in hoc videtur varius, & non deponens verisimilia, vt ita iuuenis, in simili casu armatus incederet, & foueas transiret, vt ipse fecit. Non obstat quod pro parte Rangonorũ diceretur, quod iste habebat contestes, qui dicebant, quod Pazainus interuenerat raptui. quia fuit dictum, quod ideo ipse post recordatũ suum, qui incipiebat de anno 1495. quo tempore fuit factus conflictus Gerolæ, dinumerauit tot famulatus & annos, vt meliorem colorem daret his quæ depositurus erat, & vt magis sibi crederetur. nam cum à recordatu suo, qui fuit de anno 1495. qui recordatus potest esse in infante, maxime de facto ita notabili, vel in existente in decimo anno, cum raptus fuerit factus de anno 1496. & sic per annum post suum recordatum, nõ deposuisset verisimilia de his quæ dicebat quod interuenisset ita armatus, & transilien do foueas plenas aqua. & ideo tot famulatus dinumerauit, vt pateret quod quando venit ad famulatum Bernardini, iam esset grandior effectus. Item, ponderabatur alia suspitio in eo, cũ deponeret de anno 1532. & diceret quod sunt anni 25. in circa, indicio testis, quod cognouit Martham vxorem cuiusdam qui vocabatur el fra notario, & dinumerãdo retro vigintiquinque annos in circa, percuteret tempus anni 1509. vel ad plus 1510. & tamen el fra notario erat defunctus de anno 1497. & ab illo tempore citra, fuerat maritus ipsius Marthæ quidã Io. Iacobus de Leonardis Et sic ex istis varietatibus, & quod iste testis erat subditus & rusticus, Domini dixerunt quod non habebant eum pro integro teste & candido, sed imbrattato. Et ideo fuit dictum, quod viderentur alij testes.

SVMMARIVM.

Aestimatio quo casu non fecerit emptionem.

1 *Datio in solutum facit venditionem.*
2 *Aestimatio facit emptionem, & ideo periculum transit in emptorem. & num. 3.*
4 *Aestimata si sint data bona in dotem, si nuptiæ sequutæ non sint, an æstimatio vel bona reddantur. & num. 5.*

DECISIO CCCLXXVI.

ROmana casalis de la Bottaccia, eadem die 16. Martij 1551. Dubitaui. An Domini de Cithara teneantur restituere animalia habita in solutum, vna cum fructibus & fœtibus illorum, vel precium tantum. Et pro parte negatiua, quod non tenerentur restituere animalia, dicebatur, ꝙ illa animalia fuerunt per prius æstimata, & erant data in solutum pro precio casalis.
1 & datio † in solutum, facit venditionem. l. eleganter. in princ. ff. de pign. act. Item,
2 & æstimatio † facit emptionem. & ideo periculum transit in emptorem. vt per plura consuluit Paris. cons. 64. colum. penult. volum. 4. Alexan. consil. 78. eleganter. vol. 5. Tamen istis nõ obstantibus, & pluribus aliis quæ fuerunt deducta, fuit resolutum, quod illi de Cithara tenerentur restituere animalia

malia cum fœtibus. per tex. in l. in rebus. la 1. §. 1. ff. de iur. dot. Quamuis enim
3 alias æstimatio † faciat emptionem. per text. in leg. 1. §. æstimatarum. & §. æstimatas. C. de rei vxo. act. tamen
4 si mulier æstimata † dedit bona in dotem, si nuptiæ sequutæ non sint, vel quia nullæ, vel quauis alia ratione, non æstimatio restituitur, sed res datę. Et assignat lex duas rationes. prima, quia hoc tacite actum inter partes videtur, vt ita demum æstimatio rata sit, si nuptiæ sequantur. secunda, quia nulla alia ratio fuit contrahendi, quam ipsæ nuptiæ. & vtraque ratio in casu isto militat. & ideo Salicet. in d. l. in rebus. §. 1. notato ex illo tex. illam æstimationem habere
5 hanc † tacitam conditionem, si contractus ille principalis qui gerebatur, sequatur. quia res, licet æstimata, repetitur, & non precium, si nuptiæ non sequantur. Et alia etiam allegata fuerunt, quę possunt videri in informationibus.

SVMMARIVM.

Clausula de subreptionis, obreptionis, & defectu intentionis, & sic per quoscumque iudices &c. in coadiutoria posita, quo modo intellecta.

DECISIO CCCLXXVII.

IN vna Hispalensi portionis. in qua Gaspar del Rio agebat contra Georgium Vasquez & Alexium Romero, vigore coadiutoriæ, in qua ipse Gaspar erat depntatus coadiutor cuidam Ioanni Martinez. & in coadiutoria narrabatur, quod Ioannes Martinenz erat annorum sexaginta, vel circa, & ideo petebat sibi deputari Gasparem in coadiutorem. & cum Gaspar articulasset ætatem Ioannis Martinez, & illam non probasset, & Alexius replicaret, quod si volebat canonizari futuram successionem, quæ erat pars ipsius coadiutoriæ, quod debebat ætatem narratam probare. per not. per Io. And. in c. 1. de lit. contest. in 6. & Felin. in c. constitutus. in princ. de rescrip. Voluerunt Dñi, quod ex quo in litteris coadiutoriæ erant clausulæ. quod litteræ non possent impugnari, vel notari vitio nullitatis, vel subreptionis, obreptionis, & defectus intentionis, sicque per quoscunque iudices iudicari debere. &c. quod Alexius non esset audiendus, etiam per viam replicationis, nisi habita commissione, quæ aperiret viam dicendi de subreptione. Et ita resolutum fuit coram Domino Peregrino, die 16. Martii 1551.

SVMMARIVM.

Lex. si infanti. C. de iur. delib. per ius Authenticorum correcta.

1 *Ab opinione Glossæ & Bart. in pr[a]ctica non est recedendum.*

DECISIO CCCLXXVIII.

IN vna Romana dotis, coram D. Reomano, die 16. Martij 1551. fuit resolutum, quod l. si infanti. in princ. C. de iur. delib. quæ transmittit hæreditatem delatam infanti non aditam, ad auum, qui habet infantem in potestate, & non ad patrem, esset correcta per auth. defuncto. ad Tertul. videlicet, quod transmitteretur ad patrem. Et fuimus sequuti Glos. Bart. & Bal. ibi. prout in d. l. si infanti. col. 2. ponit Corne. qui dicit,
1 quod in decisiuis & in practica † non est recedendum ab opiniòe Glos. & Bar. Nõ obstat, quod istud ante ius authenticorum iam esset dispositum de iure Codicis, videlicet, quod hæreditas filij, ad patrem, & non ad auum spectaret, ergo correctio non inducebatur per ius authenticorum. quia fuit responsum, quod non erat inconueniens, quod l. si infanti. etiam per ius Codicis corrigeretur. quia l. quod scitis C. de bon. quę lib. erat lex eiusdem Imperatoris qui legem. si infanti. ediderat. & ideo poterat se ipsum corrigere. Et, vltra hoc, non inconueniebat quod etiam per ius authenticorum corrigeretur.

SVMMARIVM.

Appellari non potest à sententia lata in possessorio castri.

1 *Possessorium castri an dicatur habere admixtam causam proprietatis & num. 2.*
2 *In possessorijs iurisdictionalibus, an requiratur titulus pro colore.*
3 *In possessorio an appellari liceat, quando tale possessorium potest a proprietate separari.*

DECISIO CCCLXXIX.

IN vna Tiburtina castri, coram D. Capisuccho, in qua D. Camillus Pardus obtinuerat se immitti in possessione dicti castri, remedio adipiscendæ. & dubitabatur. An D. Iulius de la Ronere, contra quem sententia erat lata, posset ab huiusmodi sententia appellare. ex quo agebatur depossessorio
1 † castri, quod de natura sua videbatur habere mixtam causam proprietatis. per decis. Cassad. 1. de restit. spoliat. Tamen hoc

non

non obstante, die 20. Martij 1551. fuit resolutum, quod non liceret appellare. quia licet in huiusmodi possessorijs, requiratur
2 titulus pro † colore, vt dicit ibi Cassad. tamẽ nõ ex hoc sequitur, quod sit possessorium habẽs mixtam * causam proprietatis. secundum decis. 11. in antiq. Imo isto casu potest possessorium à proprietate separari, quo ca-
3 su appellari † nõ licet. iuxta doctrinam Dec. in l. 2. C. de bon. poss. secundum tabul. Item, hic non agebatur possessorio contra Principem, sed contra tertium. quo casu, nec color tituli erat necessarius. per illud quod dicit Ripa in §. nihil commune. nu. 178. vers. intellige ergo. &c. & ita alias in vna Sarsinatensi castrorum, contra D. Vespasianum de Tibertis, in remedio recuperandę fuit decisum. quam decis. annotaui. non recolo tamen in quo libro annotauerim. est in libro secundo annotationum mearum decis. 447. incip. in vna Sarsinatensi.

* Alias 3. de resti. spol.

SVMMARIVM.

Testis, de quo hic, an sit omni exceptione maior.

DECISIO CCCLXXX.

Die 13. Aprilis 1551. in causa Parmensi status, proposui dubium. An ex dicto Angelini elicitatur, non esse idoneum testem, & verisimilia non deponere. & tria adducebantur contra ipsum. Primum, quod erat vassalus. sed fuit dictum quod istud non obstabat, ex quo non probatur terribilitas Domini. Secundum quod adducebatur contra eum, erat. quia dicebatur, quod ipse deponebat, quod inuenerat in ciuitate Mediolani Bernardinum existentem in lecto cum Margarita nepte Catherinæ. Secundo deponebat, quod alia vice inuenerat in loco Varani Bernardinum tenentem brachium ad collum Margaritæ. Tertio deponebat, quod inuenerat Bernardinum in loco Solignani, tenentem brachium ad collum Marthæ. Quarto deponebat, quod alia vice audiuerat in loco Suspirij, Bernardinum dicentem Catherinæ, quare tristis es, & illa respondit, quia non seruatis quod mihi promisistis, quia promisistis me ducere in vxorem, & hoc non facitis. &c. & cum iste Angelinus non esset seruitor dicti Bernardini, videbatur inuerisimile, quod totiens, & in tot locis, reperisset Bernardinum exercentem istos actus illicitos, quasi esset vmbra sequens hominem. Sed ad istud respondebatur, quod istud erat possibile. & ideo ex quo ita fuisse deponebat, quod non erat inuerisimile. Tertio dicebatur contra istum testem, quod eius depositio erat inuerisimilis, dum dicit quod Catherina dixit Bernardino, quia promisistis me ducere in vxorem, & non facitis. Nam non videbatur verisimile, quod mulier maritata, peteret, vt alius vir duceret eam in vxorem, & maxime in loco vbi erant personæ notæ, & matrimonium erat omnibus notorium. Ad istud tamen pro parte Rangonorum respondebatur, quod sunt multa iura in decretalibus, in quibus dicitur, quod de facto mulier seu vir secundo contraxit. Quarto contra testem dicebatur quod erat rusticus. Et ideo omnibus istis consideratis, Domini non habuerunt eum pro omni exceptione maiorẽ. sed dixerunt quod videndi essent alij testes, ex quibus prætendebatur ista datio fidei probata. vt videretur an iste testis vna cum alijs probaret dationem fidei. Et ita fuit etiam dictum de Pazaino.

SVMMARIVM.

Euictio vbi fit facto Principis, non tenetur venditor ad restitutionem precij.

1 *Euictio si sequatur ex facto Principis, & ex causa nata post venditionem, venditor an teneatur.*
Et an agat ad precium. nu. 2.
3 *Restitutio si fiat ad bona confiscata & alteri vendita, an Princeps teneatur soluere precium.*
3 *Restitutio ad bona confiscata, an intelligatur sine praiudicio tertij. & quid si fiat de plenitudine potestatis.*
5 *Euictione subsequuta ex facto Principis, an emptor possit retinere precium non solutum.*

DECISIO CCCLXXXI.

In causa Bononiensi palatij, die 13. Aprilis 1551. proposui dubium. Præsupposita palatij euictione absque citatione. & immissione in possessione post breue. An Domini Quadraginta teneantur saltem ad precium. & casus erat quod de anno 1506. Iulius II. confiscauerat bona Bentiuolorum. & de anno 1508. Domini Quadraginta dederant in solutum Cardinali Papiensi, pro summa 2000. ducatorum eis mutuata, dictum palatium. & alia bona. postea Leo X. de anno 1514. restituit Bentiuolos per suum breue. dedit facultatem Commissario, vt statim absque dilatione immitteret in possessionem bonorum dictos Bentiuolos. quod & fecit Commissarius. vnde cum euictio facta fuisset ex facto Principis, & ex causa nata post
1 venditionem, certe venditor † non tenebatur de euictione. per text. in l. Lutius. ff. de euict. Nec bona erat responsio, quod ille textus tantum loqueretur de stipulatione du-

dupla. cum imo ille textus dicat, quod venditor potest agere ad precium. multo fortius si fuit venditori solutum potest illud retinere. Nec obstat quod dicit Imol. in c. quia diligentia. de elect. & Dec. in c. fin. col. 3. de constit. quod isto casu quando res euincitur, quod emptor potest agere ad precium. quia Imola in d. c. quia diligentia. dicit quod emptor potest agere ad precium contra
2 Fiscum, non autem † dicit contra venditorem. & quia isto casu Camera Bononiēsis, est diuersa à Camera Apostolica. ideo dicebatur quod Camera Bononiensis, nō tenebatur. quia aut Camera Bononiensis, dederat illa bona tamquam deuoluta & confiscata ad Cameram Apostolicam, & Princeps qui resti-
3 tuebat ad illa bona † confiscata, debebat soluere precium. vt dicit Imol. in d. c. quia diligentia. aut Camera Bononiensis dederat illa bona in solutum, tamquam bona sibi donata. & tunc, quia restitutio communiter
4 intelligitur sine præiudicio † tertii, & quando de plenitudine potestatis vult præiudicare quo ad restitutionem bonorum, tunc etiā honestum est, quod ipse Princeps teneatur ad precium. Et ita etiam potest intelligi dictum Imol. in d. c. quia diligentia. alias obstaret tex. in d. l. Lutius. qui vult, quod sequuta euictione ex facto Principis, quod venditor
5 potest † precium petere. à fortiori ergo retinere.

S V M M A R I V M.

Sententia, stante relatione peritorum de qua hic, reuocanda.

1 *Obligatio Cameralis quas exceptiones admittat.*

DECISIO CCCLXXXII.

Propsui dubiū die 17. Aprilis 1551. in vna Ferrariēsi pecuniaria. An, stāte relatione peritorum, sit reuocanda sententia, saltem pro summa debita, ante diem instrumenti. Et fuit resolutum quod sic. quia in-
1 strumentum erat in forma Cameræ † quod non admittebat nisi exceptionem solutionis & falsitatis. & exceptio falsitatis contra instrumentum opposita, erat resoluta in fauorem Antinorum agentium ex instrumento. ita vt sententia absolutoria à falsitate, transiisset in rem iudicatam. Item, fuerat coram D. Antonio Augustino resolutum, quod huic instrumento non obstabat statutum Ferrariæ, requirens certam solennitatem. propter iuramentum, quod supplet omnes solennitates. Et ideo, cum ex libris productis per Antinoros, cessaret illa suspitio, quæ alias fuerat orta ex non exhibitione librorum, & periti retulissent, quod in libris apparebat, quod vsque ad diem sextam Iunij 1528. isti fratres de Benedictis erant debitores in summa 2300. scutorum & postea instrumentum cōfectum fuerit sub die 15. Iunij 1528. quod pro ista summa liquida, esset danda exequutio instrumento. Nec erat honestum, quod ex quo erant producti libri, quod debebat fieri calculus de omnibus illis partitis. & quod deberet tolli exequutio instrumento. Cum potius dicendum esset, quod prius erat agendum ex instrumento, & illi satisfaciendum per Benedictos, propter obligationem in forma Cameræ. & postea ipsi Benedicti, si quid pretendebant ex libris, repeterent.

S V M M A R I V M.

Legatum & donationem, in isto casu, quis habere non potuit.

1 *Hæres in re propria grauari potest per testatorem, si hæreditatem consequi voluerit.*
Legatarius in re propria grauari potest, si legatum consequi voluerit.

DECISIO CCCLXXXIII.

Eadem die 17. Aprilis 1551. in causa Romana legati, pro Rocho Blanchalana, contra Io. Baptistam Valagussum, proposui dubium. An, stante reuocatione donationis de qua in testamento, D. Rochus per illa verba posita in institutione hæredis, de ipso Rocho per quondam Io. Franciscum facta, ac in pecuniis existentibus sub nomine ipsius in monte Fidei, tam emptis quam donatis, censeatur institutus in 500. scutis per prius per ipsum Ioannem Franciscum ipsi Ioanni Baptistæ super eodem monte donatis, & per ipsum Io. Baptistam acceptatis. &, si non, an Ioannes Baptista, petendo 500. sibi donata, & legatum in testamento factum, veniat contra testamentum. Et fuit resolutum, quod Rochus cēseretur institutus in 500. per prius donatis Io. Baptistæ. ratio, quia cum testator, ante institutionem de Rocho factam, reuocauerit quamcumque donationem inter viuos vel causa mortis factam, & per alia verba prægnantia in reuocatione facta, licet vere non potuerit reuocare istam donationem inter viuos acceptatam, tamen certum est, quod existimatione illam reuocauit, & putauit. vel, quo ad eum, est habenda pro reuocata. & cum postea sequatur institutio hæredis, de ipso Rocho facta, sub illis verbis. in omnibus bonis, mobilibus & immobilibus, ac in pecuniis sub nomine ipsius in Monte existentibus. cum illæ pecuniæ tunc temporis essent sub nomine Ioannis Francisci, attento

attento quo adhuc non erat ipse Ioannes
Baptista descriptus in Monte, sed ipse Ioan-
nes Franciscus, post donationem, descriptus
remanserat propter vsũfructum dictarum pe
cuniarum sibi reseruatarum, sequitur ꝙ Ro-
chus, destinatione ipsius Ioannis Francisci,
in illis etiam 500. erat institutus. Et licet
vere & iuridice institui non posset, si Ioan.
Baptista 500. donata consequi voluisset;
tamen causatiue poterat institui. idest si
Ioannes Baptista, legatum in testamento
factum consequi voluisset. cum de iure sit,
quod non solum hæres, sed etiam legata-
1 rius, † si hæreditatem vel legatum consequi
voluerit, etiam in re propria, grauari pos-
sit. l. Imperator. §. si centum. ff. de legat. 2. &
ibi Bar. & in l. vnum ex familia. §. si rem. ff.
de legat. 2. iuncta Glos. in d. §. si centum. in
verbo. propriã. Et tanto magis isto casu, in
quo dicitur. & casu quo contrauenirct vi-
gore cuiuscumque testamenti, seu assertæ
donationis, quod amitteret legatum. Itaq.
ex verbis testatoris, constabat de voluntate,
quod nolebat quod vtrumque haberet, & do
nationem, & legatum.

S V M M A R I V M.

Instrumentum isto casu non in
forma probanti.

1 *Exequutori attestanti de facto proprio, an
credatur.*
2 *Instrumentum non subscriptum a notario
non est authenticum, nec sumit fidem ab
archiuio.*
*Archiuium non dat robur scripturæ non au-
thenticæ.*
3 *Archiuium non est, si non est locus publicus.*
4 *Scriptura ex archiuio desumpta vt probet, in-
ter alia requiritur, quod sit apposita manus
Præfecti archiuij attestantis scripturam esse
extractam ex archiuio.*

DECISIO CCCLXXXIV.

IN causa Toletana Decimarum proposui
dubium, die 20. Aprilis 1551. An instru-
mentum erectionis pro parte Ducis produ-
ctum, sit in forma probanti. Et fuit de-
cisum quod non esset in forma probanti,
attento quod in fine instrumenti dicebatur,
in quorum fidem voluimus per infrascriptũ
notarium subscribi, & sigillo nostro commu-
niri. Et cum non constaret de subscriptione
nec sigillo, ergo instrumentum non erat in
forma probanti. Nec obstat, quod credi-
1 tur exequutori attestãti † de facto proprio,
cum eius sigillo. quia dicebatur, quod hic
non erat sigillum, item. hic exequutor vole-
bat quod ita demum crederetur instrumen-
to, si notarij subscriptio esset apposita, quod
cum factum non fuisset, non erat authenti-
cum. nec poterat sumere fidem, ex quo di-
2 cebatur † esse extractum ex archiuio. quia
etiam in archiuio possunt esse scripturæ non
authenticæ. Item dicebatur, quod non erat
3 † archiuium, cum non esset locus publicus
sed domus priuata Francisci de los Couos.
nec iura erant publica, sed priuata ad Re-
4 gem pertinentia. nec persona publica † a
publico approbata. Itẽ, necessarium erat ꝙ
apponeretur manus Præfecti archiuij atte-
stantis extracta ex archiuio. quod hic non
erat. Sed ista non sunt necessaria, quæ dicun-
tur de archiuio. cum deficiente subscriptio-
ne & sigillo, instrumentum non erat au-
thenticum.

S V M M A R I V M.

Præscriptio decem vel viginti, ex quibus
fuerit interrupta.

1 *Præscriptio de iure canonico interrumpitur
ex quolibet actu, qui sit aptus inducere ma-
lam fidem. & num. 4.*
2 *Litigiosa an efficiatur res quo ad actorem, ex
impetratione commissionis & citationis.*
3 *Mala fides impedit initium & cursum præ-
scriptionis.*
5 *Possessionis ciuilis interruptio, an interrum-
pat solum quo ad illum, contra quem lis
est mota.*
6 *Interruptio naturalis possessionis, an causetur
ex mala fide. & an interrumpat quo ad
omnes possessores.*
7 *Interruptio præscriptionis quo ad cessiona-
rium, an noceat quo ad cedentem.*

DECISIO CCCLXXXV.

IN causa Romana castri Feliciani, dubi-
taui die 24. Aprilis 1551. An, stantibus
pleritim iuribus pro parte D. Helenæ vltimo
productis, D. Io. Franciscus possit se tueri
præscriptione decem vel viginti annorum.
Pro parte Comitis dicebatur, quod ipse po-
terat se tueri præscriptione decem vel vigin
ti, quia habebat titulum, scilicet donationis,
bonam fidem resultantem ex assertione Epi-
scopi in donatione facta, dum asserit castra
esse sua. quæ assertio fuit comprobata per
aditionem hæreditatis ab Henrico sine con-
fectione inuentarij facta. aderat etiam tem-
pus vltra decem annos. & cum esset inter
præsentes, erat tempus sufficiens ad præscri-
ptionem. Fuit pro parte D. Helenæ repli-
catum, quod ista bona fides, erat sublata
ex litteris patentibus, per Henricum factis,
& subscriptis per Comitem Ludouicum &
Io. Franciscum nam cum ipse, Henricus
in

in dictis literis, donasset certa bona exi-
stentia in castro Feliciani, cuidam familiari
suo, in qua donatione pluries Henricus as-
serebat castrum ad se pertinere, & Comes
Io. Franciscus dictam cedulam, seu literas
patentes subscripsisset, ergo videbatur ap-
probasse contenta in scriptura. & per con-
sequens de mala fide Comitis Io. Francisci
constabat. Sed ad istud fundamentum fuit
responsum, quod verum est, quod tempore
subscriptionis factæ per Comitem Io. Fran-
ciscum, qui fuit de anno 1516. constabat de
scientia rei alienę, sed quia superuenit actus
intermedius, videlicet de anno 1526. in quo
Archiepiscopus, & in donatione facta Co-
miti, & in testamento facto in fauorem Hen-
rici, asseruit castra ad eum spectare, & post
ea Henricus adeundo simpliciter, illam as-
sertionem videtur acceptasse. ergo ex actu
intermedio, mala fides Comitis fuit mutata
in bonam fidem. Vnde fuit dictum, quod
istud fundamentum non obstabat. Sed se-
cundo, pro parte D. Helenæ dicebatur, quod
in actis, nouissime erãt producta duo breuia
ex quibus inducebatur mala fides ipsius Co
mitis. Nam primum breue erat de anno
1527. post mortem Archiepiscopi. in quo
Comes Henricus auctor D. Helenæ, timens
ne via facti molestaretur à Comite Ludouico
patre Io. Francisci, obtinuerat breue à
Clemente, directum omnibus Legatis, Guber
natoribus. &c. ne permitterent dictum Co-
mitem Henricum via facti molestari. &
postea fuit pro parte eiusdem D. Helenæ
productum aliud breue, in quo de anno
1528. dicebatur per Clementem, quod con-
questus ei fuerat Io. Franciscus, quod per
dictum breue esset ei inhibitum, ne liceret
sibi via facti molestare ipsum Henricum; cũ
propter donationem sibi ab Archiepiscopo
factam, & propter ciuilem possessionem in
eum translatam, licere sibi deberet ipsum
in possessione naturali molestare. ideo Cle-
mens in ipso breui, monet ipsum Henricum
vt compareat cum iuribus suis. Et sic exi
stis duobus breuibus, præcipue ex secundo,
in quo dicitur. conquestus fuit, apparet,
quod Io. Franciscus notitiam habuit de pri-
mo breui: & cum sit narratiua de facto pro-
prio, nam Papa ibi attestabatur de querela
sibi facta per Io. Franciscum & per illam
querelam videbatur introducta lis coram
Clemente super istis castris. & de iure
1 canonico quilibet actus, † qui sit aptus in-
ducere malam fidem, interrumpit præscrip-
tionem. Bart. in l. naturaliter. col. 2. vers.
quæro verum superuenions. ff. de vsucapion.
Balb. in tract. præscrip. in 3. parte 6. partis
prin. Fiebat enim res litigiosa, saltem quo
ad ipsum Io. Franciscum, qui Papam adiuit,
2 commissionem citationis † impetrauit &
inhibitionis, etiam similes non esset exe-
quuta, nec deuenisset ad notitiam Comitis
Nolæ. Rot. decis. 426. * in antiq. cum vul- * Alias 4. vt lit. pend.
gatis. Itaque si ex illo actu inducebatur ma-
la fides in Comite, impediebat initium &
3 cursum † præscriptionis. cum præscriptio
cum mala fide non currat. & ideo si præ-
scriptio erat inchoata, per dictam litem in-
troductam erat interrupta. quia sola cita-
tio, cum sit actus ex quo inducitur mala fi-
4 des, interrumpit † præscriptionem, vt supra
dixi. si vero præscriptio non erat inchoata,
etiam dictam mala fides impediebat illam
inchoari. Nec obstat, quod ista esset interrup-
5 tio ciuilis, quæ non † interrumpit nisi quo
ad illum, contra quem lis est mota. vt tra-
ctat Balb. in dicto tract. præscript. in 3. par.
6. partis princ. Et ideo, dato quod esset
interrupta contra Comitem Io. Franciscum,
non dicebatur interrupta contra Comitem
Ludouicum, de quo nunc agebatur. Quia
duobus modis fuit responsum. & primo,
quia si hic erat inducta mala fides, per illũ
6 actum dicebatur interruptio † naturalis. &
ideo contra omnes interrumpebat. vt per
Balbum in d. 3. parte 6. partis princ. Se-
cundo. quia interruptio facta contra
Henricum, qui erat cessionarius Comitis
7 Ludouici, nocebat † cedenti, cui directæ
remanserant. secundum Bar. in l. cum quis.
§. si quis pro reo. col. 2. vers. per hoc dico. &c.
de solut.

SVMMARIVM.

Gratia Petri Aloysij, suspendit
gratiam Bernardini.

1 *De iure ad rem an debeat fieri mentio, ita vt alias gratia sit nulla.*
2 *Mentio de gratia alteri facta per verba generalia, an sufficiat.*
3 *Verba, sine præiudicio similes gratias prosequentium, quomodo intelligantur.*

DECISIO CCCLXXXVI.

EAdem die 24. Aprilis 1551. in vna Ro-
mana Clericatus S. Petri, Dubitaui. An
gratia Petri Aloysij, quæ habet posteriorem
datam, suspendat gratiam Bernardini. Pro
parte Bernardini dicebatur quod non suspẽ-
deret. tum quia de sua gratia non fiebat
mentio in gratia posteriori Petri Aloysij de
1 gratia Bernardini. & de iure ad rem † de-
bebat fieri mentio, alias secunda gratia
nil valet. Sarnen. in reg. de non toll. ius.
quæs. quæst. 4. & in reg. de subrog. quæst. 8.
Secundo dicebatur, quod gratia Petri Aloy-
sij erat cum clausula. sine præiudicio simi-
les gratias prosequentium. & cum Bernar-
dinus similem gratiam prosequeretur, &
ante-

anteriorem, ergo illi non erat derogatum. Tertio, gratia Petri Aloysij restituebat adversus regulam reuocatoriam, non autem aduersus alias gratias. Istis non obstantibus fuit conclusum, quod gratia Petri Aloysii, suspenderet gratiam Bernardini. tum
2 quia saltem de ea per verba † generalia fiebat mentio, dum reuocabat quascumque gratias, etiam quibusuis familiaribus suis concessas, tum quia non solum restituebat ipsum Petrum Aloysijum aduersus regulam reuocatoriam, sed etiam aduersus gratias medio tempore concessas. videlicet à tempore regulæ reuocatoriæ vsque ad tempus
3 reualidationis. & illa verba. sine † præiudicio similes gratias prosequentiũ. referebantur ad tempus, quo primo loco gratia fuit concessa. alias esset repugnantia in gratia, videlicet quod voluisset alias gratias præseruasse, & postea reuocasse gratias concessas à tempore regulæ reuocatoriæ vsq. ad tempus reualidationis.

S V M M A R I V M.

Alternatiua non suffragatur ante expeditionem literarum.

1 *Alternatiua ante expeditionem litterarum an suffragetur, & nu. 4.*
Alternatiua quando non consideretur vt sola remotio obstaculorum.
2 *Exequutor ante expeditas & præsentatas litteras nihil potest.*
Delegatus ante expeditas & præsentatas litteras nihil potest.
3 *In litteris concessionis alternatiuæ solet apponi clausula quod ordinarius renunciet quatuor mensibus sibi per regulam concessis.*

DECISIO CCCLXXXVII.

Coram D. Achille eadem die 24. Aprilis 1551. in vna Placentina parochialium, fuit resolutum, quod alternatiua concessa Episcopo Placentino non suffragaretur ei ante expeditionem litterarum, & ideo
1 collatio facta ante † dictam expeditionem in mense alternato non valere. Quia licet soleat dici, quod alternatiua sit remotiua obstaculorum, & sic nil videatur de nouo, nec aliquam iurisdictionem Episcopo tribuere, cum ex iurisdictione ordinaria illud sibi competat. Tamen dicebatur quod alio modo competebat, videlicet priuatiue ad Papam, propter decretum irritans in alternatiua. quod decretum ligabat manus Papæ. & ideo, cum alio modo quam de iure competeret, ad exercitium illius iurisdictionis alio modo quã de iure communi competentis, requirebatur expeditio litterarum.
2 vt sunt notoriæ decis. Rotæ, quod ante † expeditas & præsentatas litteras, exequutor & iudex delegatus nihil potest. Item, quia in
3 litteris solet poni clausula, † quod Ordinarius renunciet quatuor mensibus sibi per regulam concessis, quod non est in supplicatione. ergo, cum alia forma soleat in litteris apponi, necessaria videtur expeditio litterarum. Item, quia in illa supplicatione Placentina super alternatiua de qua agebatur, dicebatur, ac super præsentibus conficiendæ litteræ. &c. & alibi in eadem supplicatione erat alia clausula. ac litteras desuper expediri mandare. &c. itaque ista verba videbantur importare, quod necessaria esset litterarum expeditio. Tamen quia idem Episcopus tempore Clementis, habuerat supplicationem alternatiuæ super qua litteras expediuerat, & licet Paulus alternatiuas per regulam reuocasset; tamen quia in eadem supplicatione reualidatoria dictæ alternatiuæ per Clementem concessæ, Paulus dicebat, ac intentionis nostræ fuisse & esse, primo dictam alternatiuam huiusmodi numquam reuocasse, nec reuocare voluisse, Domini dixe-
4 runt, quod attentis dictis verbis, † non erat necessaria expeditio istius secundæ concessionis. Nam Episcopus Placentinus poterat, vigore indulti seu alternatiuæ per Clementẽ concessæ, conferre. Et si opponeretur de regula reuocatoria alternatiuarũ, satis erat docere de supplicatione declaratoria mẽtis Papæ, in qua nolebat d. alternatiuã reuocare.

S V M M A R I V M.

Processus ad vlteriora factus, in isto casu habuit vim reiectionis.

1 *Exceptio, quando per processum ad vlteriora videatur reiecta. & nu. 2. & 3.*
4 *Iudex procedendo ad vlteriora, an videatur tacite pronunciare. & an processus sit nullus. & num. 5. & 6.*

DECISIO CCCLXXXVIII.

IN causa Romana portarum, * dubitaui ego die 4. Maij 1551. stante exceptione transactionis, opposita per D. Innocentium reum, ad processum, & postea fuerit prodessum super transactione coram iudice, & ad informandum adiunctum super dubijs productis, dicatur reiecta exceptio transactionis, vt opposita ad processum, Et fuit resolutum ex his quæ dicit Franc. in c. ex parte. 2. col. 3. vers. aliquando enim oppon. & cum seq. vers. aliquando & secundo. &c. de appellat. vbi dicit, quod si est cognitum
1 super exceptione † emergenti proposita, quod tunc procedendo ad vlteriora, talis processus est validus. & procedendo, videtur exceptionem propositam reijcere, & necessarium est appellare, alias processus est validus

* Vide ad istã decis. supra decis. 367. hoc lib. 3.

validus. Imol. ibidem.col.4.verſ. ſuper hac
difficultate. dicit quod ſi ex interuallo,& nõ
incontinenti, propoſita exceptione, iudex
2 proceſſit ad vlteriora, † præſumitur de ex-
ceptione emergenti cognouiſſe. & per talẽ
proceſſum videtur reiecisse exceptionẽ pro
poſitam. Ergo cum iſto caſu iudex cognoue
rit ſuper exceptione tranſactionis, vt patet
ex dubiis productis, quæ reuera tendunt ad
validitatẽ vel inualiditatem tranſactionis
cognoſcendã,& ſic per varias diſputationes
fuerit cognitũ de inualiditate ipſius tranſa
ctionis;poſtea iudex,cum ſibi liqueret de ne
gotio principali,citando ad ſententiã ſuper
ipſo negocio principali,videtur exceptionẽ
3 tranſactionis ad proceſſum propoſitã,† reie
ciſſe. & valet talis proceſſus, ſi nõ fuerit ap
pellatum. vt eſt text.in d.c.ex parte. & ita
etiã dicit Felin. in c.ſuborta.col.4. verſ.&
cum iſtis concordat Imol. &c. Vbi dicit, ꝙ
quãdo eſt examinata exceptio, & iudex pro
4 cedit. † ad vlteriora, proceſſus non eſt nul-
lus,nec annullandus.quia tacite pronunciat
ipſam non obſtare.& in eadẽ col. verſ.limi-
ta primo. Non obſtat quod dicebatur,quod
iſta non procedunt vbi ſimul & ſemel pro-
ceditur,& ſuper exceptione oppoſita ad pro
ceſſum per reũ, & ſuper negocio principali
5 actore † petente. Nam tunc etiã reo tacen-
te,proceſſus eſt nullus. vt notabiliter tenet
Imol. in l.ſi quæramus.col.2. verſ.ſi autem
proponebantur à diuerſis.ff.de teſtam. & ſe
quitur Aret.conſ.73.in 3.col.in princ.verſ.
ſed dubium remanet reſpectu Antonij. quẽ
allegat addit.ad Abbat.in c.1.ſuper verbo
contradictionẽ. & in col.pen. in verbo op-
poſitum.de ord.cog. & ſentit Felin.in d.c.
ſuborta. col.2. in princ. verſ. limita ſecun-
do.&c. de re iudic. Quia fuit dictum, quod
non erat verum, quod iſto caſu ſimul & ſe-
mel, ſuper exceptione per reum oppoſita &
negotio principali, fuiſſet cognitum. immo
omnia dubia diſputata de cõſenſu partium,
concernebant inualiditatem tranſactionis.
& ſuper illis dubijs, datis & diſcuſſis, non
conſtabat de aliqua reclamatione partium.
immo ſemper vtraque pars informauerat.
Immo ſi Innocentius reclamaſſet,cum exce-
ptio tranſactionis per eum fuiſſet propoſi-
ta,cogebatur ſuper validitate ipſius infor-
mare. cum non niſi tranſactio foret valida,
non poterat proceſſum ad vlteriora retarda
re. Et ideo cum cognitum fuiſſet ſuper di-
cta exceptione oppoſita ad proceſſum,& cõ
ſtaret quod erat inualida,& negotium prin
cipale, ꝙ erat immiſſio in poſſeſſionem por
tarum ex ſtatuto Vrbis, eſſet liquidum ex
actis, merito omiſſa pronũciatione ſuper di
cta exceptione, potuit iudex ſuper negotio
principali pronunciare. quia per talẽ pro-
6 ceſſum † videbatur exceptionem oppoſitam
reijcere, poſtquam de illa erat cognitum.
& valuit proceſſus. per Franc. in d.cap. ex
parte. ſecundo, & Felin. in d.cap. ſuborta.
in 4.colum.in prima limit.de re iudicat.

SVMMARIVM.

Commiſſionis forma, in cambio de quo hic, ſeruata.

1 *Mandati forma diligenter eſt ſeruanda, etiam ſi in melius impleatur.*

2 *Cambium quando fit in Vrbe, quomodo, & quando fiat ſolutio.*

In cambio quando fiat auantagium propter ſolutionem manualiter factam.

3 *Decoctionis damnum ſuperueniens,quis ſentire debeat in literis cambij.*

DECISIO CCCLXXXIX.

DIe 11. Maij 1551. in vna Florentina
cambij, dubitaui. An cambium fa-
ctum per Paulum de proprijs pecunijs, ſit
quid diuerſum à cõmiſſione data per Bar-
tholomæum Paulo. Et pro parte Bartholo-
mæi, quod eſſet quid diuerſum à cõmiſſio-
ne,dicebatur quod in cõmiſſione data per
Bartholomæum Paulo, dicebatur quod duo
erant commiſſa Paulo.primo.quod exigeret
ſummã 400. ſibi tranſmiſſam in Benuenutũ
Oliuerium. Secundo. quod dictã ſummam
remitteret. Vnde,cum Paulus dictam ſum-
mam non exegiſſet prius, ſi poſtea de pro-
prijs pecunijs cambium fecit, dicitur quid
diuerſum à forma commiſſionis feciſſe. &
tunc ſubintrat,quod forma mandati eſt di-
1 ligenter † ſeruanda etiamſi in melius im-
pleatur. l. præterea. & ibi Fulgoſ. ff. man-
dat.Paul.de Caſt. in l.ſi quis mihi bona. §.
penult. ff.de acquir.hæred. Pet.de Anchar.
conſ.332. prima col.Pariſ. conſ.93. nu.30.
vol.1. Hoc non obſtante,fuit contrariũ de-
ciſum. & eſt præmittendum,quod 26.Augu
ſti fuit prima commiſſio data per Bartholo
mæum Paulo. in qua dicebatur,quod cura-
ret habere pagamentum 400. ſibi trãſmiſ-
ſorum, & poſtea remitteret cum poſſibili
auantagio quod poſſet. idem reſcripſit idẽ
Bartholomæus die 2.Septẽbris. & ideo Pau
lus 9.Septembris,quæ erat dies Sabbati,ma
nualiter fecit cambium, & ſoluendo incon-
2 tanti pecunias, licet de more Vrbis † ſit
ſoluere in ſequenti Sabbato,tamen propter
ſolutionem manualiter factam, fuit factum
auantagium in cambio.Item præſupponen-
dum eſt,quod licet die 9.Septemb. fuerit fa
ctum cambiũ,& pecuniæ non eſſent exactæ;
tamen in die lunæ ſequẽti,quæ erat dies 11.
cedebat & veniebat dies ſolutionis ipſorũ
400. qui realiter à Paulo die 13. fuerunt
exacti. & die 16.eiuſdem fuit ſequutum fal-
limentũ.Vnde cum eſſet modicũ interuallum
à die cãbii ad diem promiſſionis per Bene

uenutum factæ, poterat dici quod Paulus habebat illas pecunias pro exactis. & tanto magis, cum postea sub die 13. ante fallimentum exegerit. Vnde poterat dici, quod Paulus fuisset sequutus formam commissionis. videlicet, quod de pecuniis exactis cambium fecisset. ex quo Paulus promissionem de soluendo certo die habuisset, & tempore facti cambii, dies solutionis erat de proximo ventura. Item dicebatur, quod pro parte Pauli nullus dolus considerari poterat, cum illud fecisset ad vtilitatem com-
3 mittentis. vnde postea casus † superueniens decoctionis, ei imputari non debebat.

SVMMARIVM.

Mandatum Solani, extenditur ad personam Gabrielis.

1 *Dictio, ac, an dicatur venire augmentatiue.*

DECISIO CCCXC.

Eadem die 11. Maii 1551. in causa Giennensi Scholastriæ. dubitaui. An mandatum Solani in personã Alphonsi Aluarez, sit restrictum tantummodo contra Capitulum, vel extendatur etiam contra Gabrielem. Et fuit resolutum, quod non esset restrictum ad Capitulum, sed extenderetur etiam ad Gabrielem. propter illam clausulam, quasdam litteras & processus desuper fulminatos, in omnibus & per omnia prosequendum & pertractandum. & per aliam clausulam. & si necesse fuerit pro præmissis, omnibus & singulis, in quocunque iudicio comparendum. &c. nam cum processus essent directi omnibus & singulis quorum interest interesse poterit. &cæt. ne debeant molestare Solanum in euentum regressus, & pro præmissis dabatur mandatum ad lites, ergo erat datum mandatum ad lites contra Gabrielem. Item fuit dictum, quod
1 illa † dictio. ac Episcopo & Capitulo. &c. veniebat augmentatiue.

SVMMARIVM.

Decretum in reserua positum, ligat manus inferioris, licet reseruatiuus non acceptet, non tamen manus Papæ.

DECISIO CCCXCI.

IN vna Calaguritana Archidiaconatus, corã D. Achille, fuit dictum, quod licet decretum positum in reserua, liget manus inferioris, etiam quod reseruatiuus non acceptet infra mensem, non tamen ligabat manus Papæ si non acceptet. quia intelligitur ligare reseruatiuo acceptante. vt per Felin. in c. cum ex officii. in 9. quæst. de præscript. & per Cassad. decis. 1. & 2. de decret. in reseruat. & notata per Gemin. & Franc. in c. quodam. de concess. præben. in 6. intelliguntur reseruatiuo acceptante. Et ita fuit dictum 11. Maii 1551.

SVMMARIVM.

Regula de impetrantibus certo modo, vltra impetrationem requirit molestiam.

DECISIO CCCXCII.

Eadem die 11. Maii 1551. in vna Astoricensi parochialis de Congosto, corã D. Chisano, fuit dictum & resolutum, quod regula de impetrantibus certo modo, non habet locũ in eo qui impetrauit, & causam cõmisit, & decretum citationis obtinuit, si tamen per talem impetrantẽ nulla alia molestia possessori annali illata fuit, sed impetrans, vt fuerat in illo casu, liti cessit. quoniam fuit dictũ quod regula de impetrãtibus certo modo, locum habet quando vltra impetrationem, interuenit etiam molestia, & quod hoc requirunt verba dictæ regulæ. Et ita alias fuerat decisum, coram D. Reomano in vna Feretrana.

SVMMARIVM.

Probatio quæ sufficiens ad dissolutionem matrimonij.

DECISIO CCCXCIII.

DVbitauit in vna Hispalensi matrimonii, D. Vestanus, die 11. Maii 1551. An ex vno teste cum fama. & testibus de auditu. & confessione coniugum stantium contra matrimonium. ac ex testibus remissoriæ nulliter examinatis, inducatur plena probatio ad dissolutionem matrimonii. Et sciendum est quod coniuges fatebantur consanguinitatem in tertio. de hoc etiam erat probata fama, erat etiam vnus testis, & aliæ probationes de quibus in puncto. Et fuit dictum, quod glos. in c. super eo. de eo qui duxer. in matrim. & glos. in c. requisiuisti. in verbo septima manu. 33. quæst. 1. & in cap. si duo. 35. quæst. 6. vbique volebant, quod sufficeret confessio coniugum, cum fama. Tamen Doct. in d. cap. super eo. in hoc varii erant, & quasi maior pars contrarium tenebat. Tamen quia in isto casu, vltra confessionem & famã, aliæ coniecturæ concurrebant, fuit dictum quod ista esset suffi-

sufficiens probatio ad dissolutionem. ex quo vltra confessionem & famam,concurrebant aliæ coniecturæ de quibus in puncto; Et ita dicebat Ant. de Butr. in d.cap. super eo. in fine. & Cardin. & etiam Præposit. videtur sentire.

SVMMARIVM.

Fideicommissum, de quo hic, est particulare. & ideo fideicommissarius non detrahit Trebellianicam vel Falcidiam. 1

DECISIO CCCXCIV.

Decimaquinta Maij 1551. in vna Romana, seu Venetiarum aut Brixiensi bonorum,proposui dubium. An fideicōmissum canonizatum in Rota, sit particulare. &, posito quod sic,an sit locus Trebellianicæ. Et fuit resolutum quod esset particulare, & per consequens non esset locus Trebellianicæ, nec Falcidiæ. Et casus erat, quod Nicolaus Vrsinus, Comes Pitiliani senior, habens tres filios, vnicuique reliquit certa bona. videlicet, Ludouico castrum Pitiliani & Sorani. Don Antonio nepoti, filio ex filio præmortuo, videlicet Gentili, dimisit Comitatum Nolæ si recuperare poterit. & si non recuperaretur, reliquit castra ipsius existentia in terra Romæ, quæ prius Ludouico reliquerat cum castris Pitiliani & Sorani. tertio vero filio bastardo, Ciappino nuncupato,reliquit bona existentia in partibus Lombardiæ. Et istam diuisionem bonorum inter filios factam, non aliter aliquo eorum instituto hærede vniuersali,alias Rota baptizauerat diuisionem habentem vim vltimæ voluntatis in genere. Et ista vltima voluntas, fuit facta de anno 1504. Postea de anno 1509. volens proficisci ad bellum, scribit quasdam litteras ad suum amicum. vbi,in euentū mortis suæ, cōmendat ei Ciappinum filium suum. & dicit, quod in euentum mortis filij Ciappini sine liberis, quod tunc totū illud quod erit in partibus Lombardiæ, pro medietate spectet ad filios Ludouici, & pro alia medietate ad Henricum alterum filium Gentilis filii præmortui. Et quia alias Rota canonizauerat fideicommissum huiusmodi, retenta tamen legitima, & Trebellianica quatenus deberetur,ideo fuit datum suprascriptum dubium. Et fuit dictum, quod ex quo illa diuisio erat facta in minus solenni voluntate, & non per quotam,sed per certa corpora, nullo hærede vniuersali instituto, quod tunc illi quibus erant legata illa corpora,non habebantur pro institutis,sed potius pro legatarijs,seu particularibus fideicommissariis. iuxta glos. communiter approbatam in l. quotiens. in glos. in verb. diuidit. C. famil.hercis. & ibi posui vnam addit. ad illam glos. & habetur in l. si quis fertum. §. si cui certam. cum l. seq. ff. de legat. 2. & ibi Paul. de Cast. facit l. quotiens. §.fin. ff. de vsufruct. Et ideo, cum isti essent legatarii, sequitur quod particularis legatarius non detrahit Falcidiam, nec Trebellianicam. quia cessat ratio aditionis hæreditatis. Et pro hoc est text. in l. lex falcidia. §. fin. ff. ad l. falcid. & ita per illum text. dicit Salicet. in l. filium. colum. 9. versic. sed dic & ibi Iason. col.6. versic. secundo principaliter. C. famil.hercis. Cassanæus. conf. 67. videtur.colum. 19. & est text. in l. mulier. §. fin. ff. ad Trebellian. 1

SVMMARIVM.

Prouisio, & noua prouisio Francisci Frecilla, non subreptitia.

1 Prouisio Ordinarij dicitur fieri motu proprio. & Ordinarius prouidet Ecclesijs, & non personis.

2 Ordinarius præsumitur habere notitiam omnium personarum habentium beneficia in sua diœcesi. & quare.

In collatione quæ fit ab Ordinario qualitas personæ cui confertur, non exprimenda. & quare.

3 Papa præsumitur ignorare ea quæ in facto consistunt.

Quando impetratur beneficium a Papa,debet exprimi qualitas personæ & beneficij.

DECISIO CCCXCV.

In causa Abulensi parochialis S.Vannis, dubitaui die 20. Maii 1551. An prouisio Francisci Garsiæ de Frecilla, & illius noua prouisio, sit subreptitia. attento quod in dicta prouisione, non fuit facta mentio de familiaritate quondam Matthæi protonotarii, & scutiferi Apostolici. & in noua prouisione exprimitur, quod sibi fuit prouisum tanquam per obitum Matthæi protonotarij & scutiferi Apostolici. Et fuit resolutum, quod prouisio Ordinarii, dato quod in ea non fuerit expressa familiaritas Matthæi nec protonotariatus, tamen per hoc non esset subreptitia. quia prouisio Ordinarii fit motu † proprio. & Ordinarius prouidet Ecclesijs & non personis. Et cum præsumatur quod Ordinarius habeat notitiam † omnium personarum habentium beneficia in sua diœcesi, propter visitationes, quando Ordinarius confert non ad impetrationem alicuius sed motu proprio, præsumitur habere notitiam illius personæ per cuius obitum vacat. & ideo non est ex primen-

primenda qualitas illius personæ, nec quod beneficia, propter protonotariatum vel familiaritatem aliquam, sint reseruata. sufficit enim, prout erat in casu isto, quod Ordinarius amplissimam haberet facultatẽ conferendi beneficia quantumcunque reseruata, etiam per obitum familiarium. quod
3 secus erat in Papa. nam cum Papa † præsumatur ignorare ea quæ in facto consistunt, debet ei qualitas reseruationis proponi. quia si Papæ, qui prouidet ad impetrationẽ partis, narretur quod talia beneficia sunt reseruata per obitum familiarium vel protonotariorum, difficilius huiusmodi beneficia concedet. Ad secundum fuit dictum, quod in noua prouisione non erat dictum prout dicitur in dubio. videlicet quod fuisset dictum, quod Ordinarius prouidisset per obitum protonotarij & scutiferi. Bene verum est quod fuit dictum, quod beneficio seu parochiali vacante per obitum familiaris & protonotarii, quod Ordinarius de illo sic vacante prouiderat Francisco Garsiæ. verum quia dubitabatur. &c. & ideo noua prouisio non erat subreptitia. Valor octuaginta ducatorũ narratus in noua prouisione, verificabatur per prouisiones aduersarii, quæ videndæ erunt. Erit etiam videndum an Matthæus, qui resignauerat in fauorem Matthiæ eius nepotis, si probatur per testes vt decesserit in possessione parochialis, quia hoc viso, locus erit regulæ de publicandis.

SVMMARIVM.

Prouisio, seu collatio facta cum onere licito, est nulla.

1 *Collationes beneficiorum, debent esse liberæ & puræ. & num. 3.*
2 *Collatio cum onere vt aliquid detur pro fabrica Ecclesiæ, vel pro pauperibus, non valet.*

DECISIO CCCXCVI.

EAdem die 20. Maii in vna Pampilonensi prioratus de Vallate, dubitauit D. Vestanus. An prouisio Episcopi facta Ioanni de Falces de dicto prioratu, cum vinculo obligationis, & onere legendi, & sacram Scripturam interpretandi, esset valida. Et fuit resolutum per Glos. in cap. penult. & ibi eam sequuntur Flor. & Io. de Anania, Ostien. &c. de Magistr. Imol. io cap. significatum. col. 2. vers. io glos. 1. de præben. & Abb. ibi num. 7. & per communem doctri-
1 nam quæ est, quod † collationes debent esse liberæ & puræ. vt per Glos. quam sequuntur Doct. in c. 2. de elect. in 6. & ibi Franc. colum. 2. qui respondet ad cap. significasti, de elect. & ad capit. significatum de præben. Et licet.. text. in dicto cap. significatum. videatur huic decisioni obstare, tamen cum ille textus habent duas lecturas, vt ibi Glos. dicit, tenenda est prima lectura. quæ vult, quod onus ibi, annexum erat præbendæ vacanti. quicquid dicat ibi Dec. qui dicit, quod iste intellectus in se est diuinatiuus, Et quod istud sit verum, patet ex text. in cap. ex multis. §. constituimus. 1. q. 3. vbi non valet collatio cum onere, vt
2 aliquid detur pro fabrica, † donariis Ecclesiæ, vel pro pauperibus. Et ideo ex istis nõ obstat cons. Paris. 29. in 4. volum. maxime cum secundum Glos. in d. cap. 2. de elect. in
3 6. collationes † debent esse puræ & liberæ. Et ideo fuit dictum quod nisi ostenderetur, quod onus legendi esset annexum illi prioratui per prius, quod talis prouisio esset nulla, etiam quod contineret onus licitum.

SVMMARIVM.

In causa Romana legati seu bonorum pro Valagussis.

DECISIO CCCXCVII.

IN causa Romana legati, pro Rocho Blancalana, cõtra Franciscum & Io. Baptistam de Valagussis, die 22. Maii 1551. proposui dubium. An ex quo Baptista agnouit legatum vineæ, contraueniendo, ab illo ceciderit. & an sit locus iuri accrescẽdi in personam Francisci collegatarii, qui appellauit à mandato de immittendo in possessionem, & adhuc prorogat fatalia. In isto puncto adducebantur duo fundamenta pro parte Rochi. primum erat, quod Franciscus contrauenerat. & sic non solum, non debebat sibi portio Baptistæ accrescere, sed etiam portione sua erat priuatus. Sed fuit responsum, quod iam erat resolutum, quod Franciscus non contrauenerat, quia probabilem causam habuerat dubitandi, an appellatione vineæ venisset cannetum. & an Rochus fuisset institotus in illis quingentis, vt supra fuit annotatum. Non obstat quod hodie sit resolutum quod cannetum non venit appellatione vineæ, & etiam quod Rochus est institutus in illis quingentis. & ideo hodie sustinendo litem, & prorogando fatalia dicatur contrauenire. quia fuit responsum, quod donec feratur sententia, Franciscus potest sperare quod Domini de nouo possint contrarium resoluere, datis de nouo punctis. Difficultas remansit, an quia legatum per Baptistam erat agnitum, esset locus iuri accusandi.

SVM-

SVMMARIVM.

In causa Ouetensi releuationis indemnitatis.

1 Sententia subscriptio, quando propter iura de nouo reperta impediri possit.
2 Testes examinati parte, non citata, sufficientes ad concedendam remissoriam.

DECISIO CCCXCVIII.

Ovetensis releuationis indemnitatis. Dubitaui in ea, die 22. Maij 155 1. pręsupposito quod remissoria fuerit Aluaro de creta. & illi terminis præfixus ad illius expeditionem. & transacto termino, ad petitionem eiusdem Aluari pronnneiatum fuerit. An prætextu iurium post sententiam productorum, sit impedienda subscriptio sententiæ in fauorem Ferdinandi latæ. Et fuit resolutum, quod impediretur subscri-
1 ptio, † quia cũ 3. Martii 1545. fuerit facta ratificatio in Curia per Aluarum & alium cõfideiussorem, & 14. Martij in partibus Camillus fuerit carceratus, quia non cauebat pro summa duorum millium ducatorũ. & postea 16. Martii idem Camillus pro summa 200. ducatorũ in eisdẽ carceribus arrestatus fuerit, licet Camillus postea 18. Martii relaxatus fuerit, sequitur quod Camillus iam conditionem suam, propter dictam suam carcerationem, deterioraffet. quam deteriorationem si fideiussores ita subito factam sciuissent, non est verisimile quod illam solutionem extra tempus factam, approbassent. Sed ad istud fundamentũ posset pro parte Ferdinandi responderi, quod cum tempore ratificationis Camillus esset idoneus, licet post paucos dies effectus foret deterioris conditionis, tamen non ita conditionem suã deteriorauerat vt pro summa 116. florenorum Camillus non posset satisfacere. Sed pro parte fideiussorum additum fuit, quod postea in mense sequenti, videlicet in mense Aprilis, fuerunt examinati testes, ex quibus constat, quod Camillus de illo mense Aprilis à Valleoleto se absentauerat, & pro fallito tenebatur. & ideo prætor, visis testibus, decreuit mandatum, quod vbicunque Camillus reperiretur caperetur. Ideo stantibus istis probationibus, quæ erant sufficientes ad decernendum mãdatum contra Camillum, licet non sufficienter probarent contra Ferdinandum, ex quo illi erant examinati parte non citata, tamen satis erant sufficientes ad decernen-
2 dam † remissoriam ipsis fideiussoribus, ad probandum fallimentum de illo mense Aprilis.

SVMMARIVM.

Appellatio extraiudicialis, isto casu deuoluit causam ad Curiam, itaut potuerit procedi per contradictas.

1 Appellatio extraiudicialis in præsentia appellati interposita, an deuoluat causam ad curiam. Dicta appellatione qui afficiantur. num. 2.
3 In omni appellatione, siue iudiciali siue extraiudiciali, quando potest appellari à superiore qui fecit actum in fauorem tertij; tunc à superiore, non à tertio est appellandum.
4 Capitulum si deneget tradere possessionem, prouisã a tali denegatione, an detur appellatio.

DECISIO CCCXCIX.

Die 25. Maij 1551. dubitaui in causa Giennensi Scholastriæ. An appellatio pro parte D. Ioannis Solano interposita, deuoluerit causam ad Curiam contra Gabrielem, itaut per contradictas contra ipsum procedi potuerit. Et fuit resolutum, quod appellatio taliter deuoluerit causam, vt potuerit procedi per cõtradictas. Ratio, quia
1 in † beneficialibus, appellatio extraiudicialis, in præsentia appellati interposita, deuoluit causam ad Curiam; & habet vim citationis. c. 1. de elect. in 6. iuxta Clem. causam, de elect. in princ. quæ Clem. causam, ad interpretationem dicti cap. 1. fuit edita, vt ibi dicunt Doct. & per dictam appel-
2 lationem extraiudicialem, † afficiuntur illi qui impugnant prouisionem, & propter illam appellant. & etiam afficiuntur illi quibus prouisio est facta, & illam defendunt, nec non omnes illi afficiuntur, quorum interest. prout dicit textus in d. cap. statuimus, in verbo. tam is qui opponit, quam is qui defendit. Et generaliter omnes alij quorum interest. &c. & licet textus in d. c. statuimus, velit ꝙ appellatio interposita afficiat dictas personas, ne intelligeretur ita indistincte vt ex interpositione dictæ appellationis, dictæ personæ afficerentur, ideo superuenit Clem. causam. quæ ponit tres casus. Primus, quãdo appellatio interponitur in præsentia appellati. Secundus, quando in absentia, & tunc requiritur intimatio. Tertius est, quando non fuit facta intimatio sed ad appellatum deuenit plena notitia. Hic autẽ, appellatio fuit interposita à Capitulo in præsentia Gabrielis. ergo appellatio deuoluit causam. taliter ꝙ potuit procedi. per d. c. statuimus. iuncta d. Clem causam. Non obstat quod dicebatur, ꝙ appellatio isto casu fuerit interposita à Capitulo & nõ à Gabriele

& ideo Capitulum non autem Gabriel pro appellato haberi debeat. quia fuit responsum, quod in omni † appellatione, siue iudiciali siue extraiudiciali, quando potest appellari à superiore, qui fecit actum in fauorem & vtilitatem tertij, tunc à superiore non autem à tertio est appellandum, & ille tertius in cuius fauorem actus gestus est, pro appellato habetur. cap. appellatio. vbi glos. Gemin. & Franc. de appellat. in 6. hic autem superior erat Capitulum, ad quod spectabat traditio possessionis. & cum Capitulum grauasset Solanum, in non tradendo possessionem eius procuratori in fauorē Gabrielis, dicendo quod non poterant tradere possessionem Solano, quia illud faciendo spoliarent Gabrielem, qui erat prouisus & possessionem habuerat; ideo licuit ipsi procuratori Solani, à Capitulo, seu verius à
4 denegata † traditione possessionis per Capitulum in fauorem Gabrielis, appellare. & illa appellatio ipsum Gabrielem afficit. vt in d. cap. appellatio. Et tanto magis, cum procurator Solani cōditionaliter appellasset, petendo, possessionem Scholastriæ nomine Solani sibi tradi, & contrarium faciendo appellabat. quando ergo Capitulum respondit, quod non poterat ei tradere possessionem quia iam erat tradita Gabrieli, tunc dicitur dicta appellatio interposita. & cum tunc Gabriel esset præsens, & esset in fauorem eius denegatio facta; ergo appellatio deuoluebat contra eum, quia dicebatur actum defendere, & sic contra Gabrielem. Non obstat quod Gabriel ibi esset vt capitularis, & non vt particularis, & ideo appellatio contra capitularem non debebat eum defendere vt particularem. quia fuit dictum, quod ex quo Gabriel, quando fuit ei præsentata bulla tanquam prouisori, dixit quod habebat interesse, & ideo delegauit alium in prouisorem. item & secundo, die 19. Martij comparuit in Capitulo, & dixit quod non darent possessionem Io. Solano & alia, & quod darent eum in competitorem dicto Io. Solano. ex istis apparet, quod Gabriel voluit esse pars. & ideo in isto actu, non poterat esse in Capitulo vt capitularis, sed vt particularis. quia non poterat esse pars & iudex. Et tanto magis, quia in responsione quam facit Capitulum procuratori Ioannis Solano, ipsum Capitulum dat in competitorem ipsum Gabrielem. Et ideo ex istis fuit resolutum, quod appellatio deuoluisset causam ad Curiam, itaut per contradictas procedi potuerit.

SVMMARIVM.

In causa Romana portarum. appellatio fuit necessaria isto casu.

1 *Appellatio quando interponitur ab interloquutoria, an causa specifice exprimenda sit.*

DECISIO CCCC.

Eadem die 25. Maii 1551. dubitaui in causa Romana portarum. An sententia de qua agitur, sit Rotalis vel Capitolina, & D. Senator sit iudex. & si sententia est Capitolina, & Senator iudex, stante statuto quod seruetur ius ciuile. & commissione, quod Senator procedat de voto D. Antonii. An dubia data per D. Antonium ad informandum Rotam, de quibus in actis, habeant vim processus ad vlteriora, qui excludat exceptiones, ita quod opus fuerit appellare. Et fuit resolutum, quod dato quod sententia esset Capitolina, quod dubia data habebant vim processus ad vlteriora. & quod necesse erat appellare. prout dicit statutum in nou. reformationibus. cap. 49. & quod illa appellatio interposita per Innoc. à derogatione publicationis, & aliis grauaminibus ex actis colligibilibus, non esset
1 bona. quia † causa specifice exprimenda quando appellatur ab interloquutoria.

SVMMARIVM.

In causa Romana bonorum, seu legati.

1 *Legatarius quando non cadat a legato ob contrauentionem, sed excusetur a contrauentione.*

2 *Legatarius habens probabilem causam dubitandi, an cadat a legato suo.*

DECISIO CCCCI.

IN causa Romana bonorum, pro Francisco Valagusso, contra Rochum, dubitaui die 29. Maii 1551. An, stantibus verbis donationis, ibi. donec aliter disposuerit. &c. & aliis verbis testamenti. de pecuniis existentibus in Monte. &c. Franciscus dicatur habuisse probabilem causam con-
1 traueniendi, vt non dicatur † cecidisse à legato. Et fuit resolutum, quod Franciscus habuisset probabilem causam contraueniendi, vt non diceretur cecidisse à legato. tum primo, quia probabile fuit dubium, an appellatione vineę veniret cannetum, ex eo quod eadem emptione, & vinea & cannetum esset emptum. tum secundo, quia cannetum erat

erat emptum ad vsum vineæ. tum & tertio quia cum quingenti essent donati Francisco donec aliter per ipsum Io. Franciscum donantem ordinatum foret, probabile dubitum erat, an illa ordinatio debebat esse specialis, specialiter disponendo de ipsis quingenteis. tum & quarto, quia ex quo Io. Franciscus erat creditor in Monte in alijs creditis; & sic haberet alia credita quo ad proprietatem & vsufructum, & in istis quingentis tantum erat creditor quoad vsufructū, & Franciscus Valagusso esset descriptus in vita Io. Frācisci, licet descriptio eius diceret, quod ita demum haberet effectum quando Io. Franciscus esset mortuus. Tamē quia illa verba sub nomine eius existentibus. poterant verificari in illis pecunijs existentibus sub nomine Io. Francisci quo ad proprietatē & ad vsufructum, licet Rota resolnerit contrarium, tamen probabiliter per Franciscum erat dubitatum. Ideo cum haberet causam
2 probabilem dubitandi; non cecidisset a legato suo.

SVMMARIVM.

Intimatio legitima ex trina præsentatione de qua hic, ad effectum deuoluendi causam, non fuit iudicata.

DECISIO CCCCII.

Die Lunæ 1. Iunij 1551. in causa Giennensi scholastriæ, proposui dubium. An constet de aliqua legitima intimatione mandati originalis, quæ sufficiat ad deuolutionem causæ. & cum in processu de partibus esset triplex præsentatio mandati, prima fuit die vltima Augusti 1548. in qua comparuit Valenzuels procurator substitutus, vt docuit per publica instrumenta. Et Domini dixerunt, quod licet iste docuisset, quod esset procurator, tamen quia de mandato suo docebat ante obitum Iuliani de Olmedo, ad effectum quod succedente obitu, daretur possessio scholastriç Ioanni Solano, cum tunc illo casu Don Gabriel de Gueuara nullum in scholastria ius haberet. quod dicta præsentatio eum afficere non debebat vt particularem. sed si eum afficiebat, id erat vt vnum de Capitulo. & tamen contra eum vt capitularem, processum non erat. Secunda præsentatio mandati, fuit facta sub die 18. Martij 1548. quo tempore iam Iulianus obierat, cum mortuus esset 14. Martij. Et licet Domini dicerent quod illo tempore essent præsentata Capitulo instrumenta publica, mandati & substitutionis, tum quia notarius faciebat fidem de præsentatione huiusmodi mandatorum, tum quia mandatum vna cum substitutione erant registrata, tum quia & tertio, mandatum originale cum substitutione in calce hodie coram me productū erat. tamen quia illa productio illorum mandatorum, facta fuerat ad effectum vt notarius intimaret litteras regressus, & processum fulminatum super illis, ad effectum vt daretur possessio procuratori Ioannis Solani, non autem ad effectum appellandi, cum etiam istud posset fieri absque mandato, videlicet intimatio illa potuit Don Gabriel, qui erat præsens in Capitulo iustam causam habere, non perscrutandi totum mandatum, videlicet an ad effectum appellandi se extenderet. Tertia autem præsentatio mandati vt pro parte Ioannis Solano, fuit sub die 25. Septembris 1548. quo die fuit appellatum. & isto tempore nulla fuit facta præsentatio mandatorum, nec illorum repetitio in Capitulo. quia Sebastianus Martinez procurator substitutus, comparuit in Capitulo, & fecit productionem cuiusdam scripti, & cuiusdam testimonij. & scripti tenor est qui sequitur. in quo quidem scripto ponitur quod ipse Sebastianus Martinez dicebat. quorum mandati & substitutionis facio præsentationem & ostensionem. Et licet ista essent verba ipsius Sebastiani, tamen ipsi non erat credendum, cum notarius non faceret fidem de dicta præsentatione, nec etiam faceret fidem de repetitione dictorum mandatorum. & poterat esse, quod dicta mandata originalia, non essent in manibus notarij. & quando fuissent non tenebatur credere Don Gabriel illi verbali assertioni procuratoris id asserentis. Et ideo conluserunt Domini, quod ex ista trina præsentatione, non constaret de aliqua legitima intimatione, sufficienti ad deuolutionem causç.

SVMMARIVM.

Ratificatio solutionis extra tempus factæ, non fuit ex istis inducta.

DECISIO CCCCIII.

Die 5. Iunij 1551. in causa Ouetensi releuationis indemnitatis, proposui dubium. An constet ex actis de aliqua ratihabitione Alaari & Christophori ante diem 3. Martij. 1545. quæ sit sufficiens ad exclusionem remissoriæ. Et fuit resolutum quod non constaret, quia illa verba prolata per Augustinum de Crauallis, in fine quietantiæ Camilli Saraceni, dum dicit, quod ipse non acceptabat solutionem in partibus factam. & quod erat satisfactum hic ab ipsis. Aluaro & Christophoro. & quod erat paratus dare litteras suis procuratoribus in partibus. non nocebant. quia non constabat, quod de illis ipsi Aluarus & Christophorus habuissent notitiam

titiam, nec quod illa verba acceptasset. & quamuis Aluarus & Christophorus habuissent noticiam de solutione in partibus facta extra tempus, tamen talis notitia nō inducebat aliquam ratificationem. quia ipsi non habebant ratificare solutionem, sed Augustinus qui erat creditor. & dato quod ipsi habuerint notitiam quod Augustinus non acceptauerit, non sequitur quod ipsi acceptent solutionem extra tempus factam, quia ad eos non spectabat talis acceptatio. Non obstat quod dicebatur, quod vltra scientiā, fecerunt etiam ipsi Aluarus & Christophorus, actum positiuum. videlicet acceptando litteram scriptam per Augustinum sub die 8. Octobris 1544. in qua littera per Augustinum scribitur Camillo quod soluet pecunias procuratoribus Aluari & Christophori. Sed fuit responsum pro parte aduersa, quod non constat quod de illa habuerint ipsi noticiam, & nec quod eam acceptauerint, cum Ferdinandus dictam litteram in actis produxerit. & sic illam Ferdinandus aliunde quam ab ipsis habuit. Non obstant ea quæ dicuntur per Aluarum & Christophorum in mandato facto 3. Martij 1545. dum faciunt mentionem de quietantiis & litteris Augustini. quia de illis faciunt mencionem quo ad hoc, vt Augustinus noluerit acceptare quietantias; non autem quo ad hoc, quod ipsi acceptauerint litteras, in quibus dicebatur q̄ solueretur procuratoribus ipsorū.

SVMMARIVM.

In causa Romana Castri Feliciani.

1 *Hæres an possit venire contra factum defuncti, si institutio erat vana, & nil debebat operari.*

2 *Hæres etiam quod non adiuerit cum beneficio inuentarij, quando aditio est erronea an possit venire contra factum defuncti. & an teneatur vltra vires hæreditarias. & nu. 3. 4. 5. & 6.*

6 *Inuentarium non esse factum, non refert quando aditio hæreditatis a principio non tenet. & num. 7.*

DECISIO CCCCIV.

IN causa Romana castri Feliciani, dubitatū die 8. Iunij 1551. An, stante protestatione biduo ante confectionem testamenti facta, & aditione per Henricum dictæ protestationis ignarum, sine beneficio inuentarij facta, possit hodie dictus Henricus, seu habens causam ab eo, ad versus factum Henrici, sine quamcumque confessionem, ex dicta aditione, sine beneficio inuentarij resultantem, venire. Pro parte D. Helenæ tria fundamenta fiebant. primum erat, quod si Archiepiscopus protestatus fuerat, quod dispositio de dictis castris facienda, esset ficticia, & colorata ad effectum ne castra depopularentur à militibus Cæsarianis, ergo

1 institutio de dictis castris facta, † erat vana & nil debet operari. & sic Henricus posset venire contra factum defuncti, & eius confessionem ex dicta aditione resultantem. Sed ad istud fundamentum respondetur, quod licet institutio fuisset quo ad castra, ficticia & simulata, tamen quo ad reliqua bona, erat valida. & respectu aliorum bonorum Henricus reperiebatur vere institutus. respectu ergo aliorum bonorum institutio operari

2 debebat, vt ex quo fine † inuentario hæreditatem adiuerat, sibi erat imputandum. & ideo contra factum defuncti venire non poterat. Secundum fundamentum pro parte Henrici adducebatur, quod aditio esset er-

3 ronea. cum Henricus iuste crediderit † maiorem partem hæreditatis ad se spectare, quam vere spectatet. ex quo simulate in illis castris instituerat, & in testamento expresse nominatus, & non obstante institutione volebat castra ad alium spectare. l. si quis mihi bona. §. pater Seio. vers. sed si man dauit. ff. de acqui. hæred. & quæ dicunt Ang. Imol. & Paul. in l. si quis extraneus. §. sciendum. ff. de acqui. hæred. Ang. & Imol. in l. ex semisse. ff. de aequi. hæred. Dec. cons. 14. col. 1. in prin. Et ideo, existente erronea aditio-

4 ne, non potest dici Henricus teneri † quo quomodo seruare aliquod factum defuncti. neque etiam ex confessione resultante ex aditione. quæ nulla est. l. 4. §. condemnatum. ff. de re iudic. Et quia ad istas anctoritates non puto bene fuisse responsum, dum dicebatur, quod imputandum erat sibi, quia hæreditatem non adiuit cum beneficio inuentarij, & sic Comiti Henrico videbatur obstare l. fin. C. de iure delib. nam videtur mihi quod illa l. fin. nihil facit. tantum illa lex præsupponit aditionem validam. & tunc stante

5 aditione † valida, Impetator consulit, quod si quis non vult teneri ad onera seu debita improuisa & incerto exitu obuenientia, quod tunc adeat cum inuentario. Sed in casu no-

6 stro, dicit Henricus † aditio non tenuit a principio, cum putarem hæreditatem adire ea maiori parte quam inueni me esse institutum. per auctoritates superius allegatas, & stante aditione nulla, non refert an inuentarium confecerim vel non, sicut si minor hæreditatem adiisset sinè tutore, vel cu-

7 ratore certe talis † aditio ex defectu, consensus est nulla. & tunc non attenditur an sit confectum inuentarium vel non. & ideo videtur mihi dubium restringendum esse, an ista aditio eo modo vt fuit facta, sit erronea, & per consequens nulla.

SVM-

SVMMARIVM.

Notitia plena mandati procuratoris appellantis extraiudicialiter, isto casu non fuit habita.

1 *Mandatum si exhibeatur ad unum actum, an sit præsumendum quo ad alium actum vicinum & num. 5.*
2 *Appellatio quando interponitur a procuratore, an mandatum debeat porrigi, vel legi & num. 6.*
3 *Mandatum si exhibeatur quo ad unam partem, non potest allegari ignorantia quo ad aliam partem in eodem mandato contentam.*
4 *Transactio de contentis in testamento fieri non potest non visis, nec cognitis verbis testamenti.*
7 *Mandatum ad appellandum quo tempore sufficiat quod exhibeatur.*
8 *Appellatio, si fuit interposita per appellantem in absentia appellati, an tunc requiratur quod intimetur appellato.*

DECISIO CCCCV.

IN causa Giennensi scholastriæ, die 8. Iunij 1551. dubitaui. An probetur talis scientia Don Gabrielis de mandato concesso per D. Ioannem Solano ad appellandum, quæ sit sufficiens ad deuolutionem causæ contra Don Gabrielem. vel, responsio per Capitulum procuratori Ioannis Solano facta, sit sufficiens ad deuolutionem dictæ causæ. Et fuit resolutum, quod ex quatuor adductis per Ioannem Solano, non induceretur talis scientia mandati, quæ esset sufficiens ad deuolutionem causæ. nam præsentatio mandatorum facta die vltima Augusti 1548. dũ intimauit bullas, processum, & mandata, fuit facta ad effectum, vt daretur sibi possessio post mortem Iuliani. Et licet Capitulum & singulares, possent credere quod intimans haberet mandatum ad illum actum, tamen
1 non tenebatur † nec Capitulum nec singulares credere, quod procurator haberet mandatum ad actum appellandi. cum quis non
2 teneatur istud perquirere, sed quando † appellatur debeat mandatum porregi, vel legi. quod in casu isto, tempore appellationis nõ fuit factum. Et idem fuit dictum in secunda presentatione facta 18. Septembris 1548. post obitum Iuliani, dum fuerunt præsentata mandata petendo possessionem sibi tradi. quia poterant credere Capitulum & singulares, quod ad illum actum, mandatum haberet. & ideo etiam tempore appellationis eandem productionem mandatorum debebat facere. quod non fuit factum, sed tantum procurator dixit verbo, quod faciebat ostensionem & productionem mandatorum in cedula per eum exhibita. & notarius non attestabatur quod talem ostensionem & productionem fecisset. Non obstat quod dicebatur pro parte Ioannis Solano, quod si Capitulum & singulares habebant notitiam de mandato quo ad illam partem traditionis possessionis, quod non poterant allegare
3 ignorantiam quo ad aliam † partem appellationis. videlicet, quod procurator haberet mandatum ad appellandum. per tex. in l. non est ferendus. ff. de transact. Quia fuit responsum, quod in l. non est ferendus. ille transigens, habuerat notitiam de testamento. quia non visis † cognitisque verbis testamenti, transigi non potest. l. de his. ff. de transact. ideo nimirum si non potest dicere partem vidi & aliam non. Item, in l. non est ferendus. ille generaliter transegerat super contentis in testamento. & ideo non poterat dicere, quod super contentis in priori parte, & non in posteriori parte. ut in hoc casu, quando mandata fuerunt producta ad effectum traditionis possessionis, licet, quo ad illum effectum, quis teneretur videre an
5 haberet mandatum; tamen † non tenetur reliqua videre. & potuit absque visione credere quod mandatum ad illum effectum haberet. sed cum tempore appellationis, mandata non forent intimata, non tenebatur ipse perquirere si in mãdatis primo productis,
6 facultas appellandi † adesset, cum debeat tempore appellationis porrigi vel perlegi, vel saltem post intimari. Clem. causam. de appell. Nec reperitur quod sufficiat ante appellationem, mandatum ad alium effectum
7 intimasse, si tempore † appellationis de tali mandato non fuit admonitus. per ea quæ dicit Bart. in l. furioso. in vltimis verbis. ff. de re iud. quando fertur sententia contra præsentem. quia necessarium est, quod ad hoc moneatur. Non obstat notitia quæ tertio allegabatur pro parte Solani, in comparitione quam fecit Gabriel de Guevara in Capitulo, die 19. Septembris, dum dicit quod per partem, in tempore nec in forma opponebantur. quia dicendo; per partem, videbatur Gabriel fateri, quod comparens pro parte Solano, die 18. Septembris erat procurator si erat pars. Quia fuit responsum, quod quo ad illum actum petitionis possessionis, potuit credere quod ille esset procurator, sed non tenebatur credere, quo ad actum appellationis. & illa verba. quod darent eum in competitorem. non excludebant nouam citationem, & omnia quæ de iure erant necessaria. Non obstat quarto loco, responsio Capituli, dum dicitur in principio. respondendo procuratori Io. Solano. quia illa verba erant notarij & non Capituli, vt apparebat ex lectione dictæ respon-

sponsionis. & illa verba. quod dabant eum in competitorem, & prosequeretur appellationem restringebantur prout iuris fuerit, prout etiam in responsione dicebatur. Non obstat glos. in Clem. causam. in verbo plena & certa. dum dicit. certa dicit vt indubitatum sibi sit vel esse debeat. ergo ex productione mandatorum facta in alijs præsentationibus, puta vltima Augusti 1548. vel 18. Septembris eiusdem anni, indubitatum esse sibi debebat. &c. quia Glos. dicta verba prosequendo, declarat quando postea dicit. posset autem hoc constare quia super appellatione consuluit aduocatos, amicos, vel simili modo forte per amicum propriũ, vel amicum appellantis sibi plene fuerit intimata. quia dicta Glos. iuncta ad Clem.
8 causam. loquitur quando appellatio † fuit interposita per appellantem in absentia appellati. & tunc requiritur quod intimetur appellato. quod si per potentiam non possit intimari, sufficit quod appellatus habeat, vel habere debeat notitiam. quod est quando consuluit super appellatione aduocatos amicos, vel sibi per proprium amicum, vel amicum appellantis fuerit intimatum. quod in casu nostro non fuit. nam non constat, quod Gabriel super mandato consuluerit aduocatos vel amicos. nec de mandato quicquam per amicum proprium vel appellantis aliquid ei, fuerit intimatum.

S V M M A R I V M.

In causa Romana legati. legatum non agnitum per Baptistam.

1 *Possidere quis præsumitur vigore illius tituli de quo apparet. Sed quando non procedat num. 2.*

DECISIO CCCCVI.

IN causa Romana legati, pro Rocho, contra Valagussum. die 12. Iunij 1551. dubitaui. An ex actis constet quod Baptista, ante & post publicationem testamenti, possederit, vt dicatur propterea agnouisse legatum vineæ, & ideo teneatur dimittere 500. non obstante reuocatione confessionis de qua in actis. Et fuit resolutum, quod non probabatur quod Baptista agnouisset legatum. quia de legato nullibi apparebat, nisi in responsione data per procuratorem. quam confessionem Baptista reuocauerat. Et non obstat quod dicebatur, quod cum constaret de possessione vineæ post obitum Io. Francisci, & de nullo alio titulo valido appareret quam de titulo legati, quod præ-
1 sumeretur † vigore illius tituli possidere. ad l. quædam mulier. ff. de rei vend. quia fuit
2 responsum, quod illud erat in dubio. † sed hic eramus in casu claro, in quo apparebat ex articulis medio iuramento datis per Valagussum, quod ipse possidebat ex titulo donationis, & non ex titulo legati. Et licet de illo titulo donationis non appareret, sufficit quod ipse Io. Baptista putaret ex illo titulo possidere. & in omnem euentum, & ex protestatione per procuratorem facta, etiam quod non esset reuocata, & ex articulis datis, constabat quod Baptista possederat vineam, contraueniendo & non acquiescendo voluntati testatoris. quia in omnibus locis dicit quod possidet vineam & creditum montis. & sic apparet quod non vult creditum montis, quod prius agnouerat. vt puta cum per duos dies ante obitum Io. Francisci, foret descriptus in monte, quod illud creditũ, volebat vna cum vinea retinere. & sic contraueniendo voluntati Io. Francisci defuncti. & ideo satis erat quod caderet à legato.

S V M M A R I V M.

In causa Romana legati. portio vineæ accreuit hæredi, non collegatario.

DECISIO CCCCVII.

DIe 19. Iunij 1551. in causa Romana legati, pro Rocho, contra Franciscum Valagussum. Dubitaui. An portio vineæ Baptistę accrescat Francisco. Et fuit resolutum quod non accresceret, sed ex mente testatoris qui reuocauit omnia præcedentia. videlicet, donationem, testamentum quodcunque præcedens ad vtilitatem hæredis, & vt esset pinguior hæreditas in fauorem hæredis. & ideo testator mãdauit, quod legatarij deberent assistere testamento quatenus legata consequi vellent, quod attenta tali mente testatoris, illa portio debeat accrescere hæredi, non autem coniuncto. per ea quæ dicit Bar. in l. post legatum. §. amittere nu. 2. ff. de his quæ vt indig. & Bar. in auth. de hęre. & Fal. §. si quis autem non implens. col. 2. vers. sed illud est verum regulariter.

S V M M A R I V M.

In causa Parmensi status.

1 *Seruitor sequitur Dominum quocunque vadit.*
Raptus pœna contra auxiliantes an habeat locum contra seruitorem concomitantem dominum.

DE-

DECISIO CCCCVIII.

Die 22. Iunij 1551. in causa Parmensi statuſ, proposui dubium. An Pazainus tamquam socius in raptu Catherinæ, iuxta formam eius dicti, repellatur à testimonio in causa de qua agitur. Et fuit resolutum, quod ex quo Pazainus erat seruitor Bernardini, cum quo Bernardinus non erat verisimile quod consilium raptus communicasset, quia
1 seruitor sequitur † dominum quocunque vadit, quod pœnæ contra auxiliantes in raptu, non habeant locum in casu isto. & tanto magis, cum a tempore raptus ad tempus depositionis, longissimum tempus esset elapsum, & non fuisset processum contra Pazainum, neque de tali delicto fuisset inquisitus.

SVMMARIVM.

In causa Ouetensi releuationis indemnitatis.

DECISIO CCCCIX.

IN causa Ouetēsi releuationis indemnitatis, dubitaui die 22. Iunij 1551. An ex epistola producta veniant condemnandi Christophorus & Aluarus. Et fuit resolutum, quod venirent condnmnandi. quia ex ea apparebat de ratificatione facta per eos, acceptando illam litteram ab Augustino de Cravalles sub die 8. Octobris 1544. in qua dicebatur, quod solueretur procuratoribus Aluari & Christophori, & tamen illam cessarunt mittere vsq. ad diem 15. Martii 1545. Non obstat quod in litteris dicerent Aluarus & Christophorus. quod Ferdinandus in partibus solueret, & recuperaret à Camillo pecunias ei solutas. quia Ferdinandus non poterat recuperare absque mandato Augustini. & Augustinus dederat mandatum ad recuperandum procuratoribus Christophori & Aluari. & ipsi Christophorus & Aluarus sub die 3. Martii 1545. constituerunt particulares procuratores ad exigendnm in partibus. & ideo epistola, in qua dicebatur quod Ferdinandus exigeret, non dabat mandatum ipsi Ferdinando, quod nomine eorum exigeret. & quando dedisset mandatū, fuit nimis tarde. cum Camillus decoxerit postea sub die 18. Aprilis 1545.

SVMMARIVM.

Pampilonensis prioratus. retrocessio si est nulla, ius remanet in resignante.

DECISIO CCCCX.

PRoposui die 26. Iunii 1551. in causa Pampilonensi prioratus dubiū, An prouisio Ludouici per resignationem Sācii facta, possit canonizari, nō obstante quod pro parte Ioannis de Balanza petitur remissoria. Et fuit eonclusum, quod prouisio Ludouici per resignationem, in qua expressus valor 430. ducatorum, posset canonizari. quia si regressus reseruatus in retrocessione facta per Ludouicum in fauorem eiusdem Sācii, erat nullus eo quia in ipso erat malus valor expressus, nam fructus erant expressi ad valorem 150. & cum retrocessio esset facta reseruato regressu, si regressus non erat validus, nil erat abdicatum à Ludouico. & ideo Ludouicus poterat, vigore resignationis in eū factæ, capere prioratum. Non obstat regula de publicandis. quia ex quo Ludouicus cessaret, seu retrocesserat, in fauorem Sanctii licet nulliter, tamen quia quęlibet causa excusat à pena, stante dicta retrocessione, erat Ludouicus excusandus à pęna regulę. & istis stantibus, remissoria non erat concedenda Io. Balanza. * Vide infra dec. 411.

SVMMARIVM.

Testes hic fuerunt idonei.

1 *Possessionem ciuilem habenti, licet sit licitum recuperare naturalem, non est tamen licitum excedere modum in recuperando.*

DECISIO CCCCXI.

EAdem die, dubitaui in vna Anagnina castri Zancati. An testes de Zancato, sint idonei testes in causa restitutionis pro illis de Annibalis. & , an testes qui interfuerunt ruinæ, sint idonei testes pro Luca & eius consortibus. Et fuit resolutum, quod illi de Zancato essent idonei testes. eo quia nullus poterat melius deponere quam ipsi de Zancato, qui essent tempore ruinæ possessores. quia nullum lucrum ex eo ipsi consequebantur, siue essent illi de Annibalis, siue illi de Comitibus. E contra vero fuit dictum, quod illi qui interfuerant ruinæ, eo quia criminosi, de per se non erant idonei testes, sed adminiculatiue cum alijs. Non obstat, quod Prosper potuisset recuperare
1 naturalem ratione † ciuilis, & ideo potuit secum milites adducere. quia fuit responsum, quod verum erat quod istud poterat, sed non licuit Prospero & militibus, diripere bona, interficere, incendia, & castrum solo equare. & ista ratione erant criminosi, & ideo de per se non erant idonei.

SVM-

SVMMARIVM.

Ecclesiam fundare quomodo quis dicatur.

DECISIO CCCCXII.

EAdem die 26. Iunij 1551. in vna Malacitana decimarum, dubitaui. An ex quo narratum fuit quod Ioannes Giron proponebat, Ecclesias parochiales ædificare, erigere, & fundare de proprijs bonis in oppido de Olueda, possit dari absolutoria, aliter non iustificata narratiua quam per testes legendos in Rota. Et fuit resolutum, quod ex testibus iustificabatur narratiua; cum ipsi dicerent, quod Comes de Vregna dederat Mesquitam, ex qua facta erat Ecclesia. & ampliauerat eam iungendo duas domus, & faciendo capellam magnam. Et ille qui dat domum vt ex ea Ecclesia fiat, dicitur fundare Ecclesiam. vt per Rochum in tract. iurispat. in verbo. & fundauit. in 9. quæst.

SVMMARIVM.

Pampilonensi prioratus.

1 *Regula de annali an obstet, quando retrocessio fit in fauorem possessoris.*
2 *Cedens infra tempus, quod non teneatur ad publicationem, quo modo intelligitur.*

DECISIO CCCCXIII.

DIe 1. Iulij 1551. dubitaui in causa. Pampilonensi prioratus. * An retrocedens cum verbis. reseruato sibi accessu & non aliter. qui scienter in eadem supplicatione expressit falsum valorem, possit velle redire ad suam primam prouisionem sub prætextu dictorum verborum, quod noluerit cedere nisi accessu sibi valide reseruato. stantibus præsertim regulis de annali, & publicandis resignationibus. Et fuit dictum, quod regula de annali, in isto casu non ob-
1 stabat. quia † retrocessio facta per Ludouicum, erat facta in fauorem possessoris, regula vero loquitur quando fit in fauorē alterius qui non est possessor. sed quo ad regulam de publicandis, Domini dubitarunt, data scientia ipsius Ludouici in illa expressione. quia decis. Cassad. 27. super regul. Cācell. quod cedens infra tempus non tenetur
2 ad † publicationem, videtur intelligenda de cedente in alium valide. secus quando scienter inualide. alias aperta esset via fraudibus, vt quilibet qui nollet publicare, resignaret nulliter. & ideo, quia est istud dubium probabile, fuit remissum ad Kalendas. Sed quia ista scientia nō probabatur ex isto capite, fuit mandatum quod causa expediretur.

* Vide supra dec. 410.

SVMMARIVM.

Sequestrum quo casu fuerit decretum.

1 *Sententia an sit nulla propter denegatam defensionem.*
2 *Possessio capta durante termino ad appellandum an attentata.*
3 *Clausula. appellatione remota. nihil operatur quando quis notorie grauatur.*
4 *Spoliatus non restituitur vbi timor scandali vrget. sed possessio sequestratur ad manus Rotæ.*

DECISIO CCCCXIV.

EAdem die prima Iulij, in causa Mantuana prioratus, proposui dubium. An possessio capta per Monettum, tamquam attentata, sit reuocanda, vel desuper decernendum sequestrum, an vero D. Petrus possessor absoluendus ab hac molestia. Et quia septem vel octo testes præsupponebantur valide examinati, vt puta Benedicto citato in contumaciam per affixionem ad valuas prioratus. & isti testes detegebant malam vitam ipsius Cropelli, tamen postea quam Cropellus comparuit per legitimum procuratorem & petijt testes repeti cum interrogatorijs, & dilationem ad faciendum defensiones suas, & testes non fuerunt reperiti, nec dilatio data, immo statim lata sententia priuatoria, & pendente termino ad appellandum erat capta possessio, Domini dixerunt, quod propter denegatam defensionem, sententia vi-
1 debatur † nulla. & tam propter dictam nullitatem, quam etiam quod possessio erat ca-
2 pta durante termino † ad appellandum, quod possessio esset attentata. Et licet in breui diceretur, quod procederet appellatione remo
3 ta; tamen dicta † clausula nihil operatur vbi quis notorie granatur. ad Glos. iuncto tex. in c. ex conquestione. de restit. spol. & not. in c. pastoralis. in prin. de appell. Et licet ista possessio esset attentata, tamen quia per testes probabatur, quod Benedictus erat multis vitijs implicitus, dixerunt Domini, propter
4 vitandum scandalum, quod non esset † restituendus, sed possessio sequestranda ad manus Rotæ. nisi istud sequestrum posset euitari ex illo Breui, in quo imponitur perpetuum silentium ipsi Benedicto. Vide etiam an Benedictus fuerit a principio citatus personaliter, ex quo causa est priuationis, & sufficiant diligentiæ factæ à principio. quia isto modo, si non sufficerent, ruerent testes contra ipsum examinati.

SVMMARIVM.

Diligentia pro parte Cardinalis Pisani probata.

DE-

DECISIO CCCCXV.

EAdem die prima Iulij, in causa Mantuana fructuum. dubitaui. An Reuerendissimus Pisanus, habens facultatem, propria auctoritate fructus Abbatiæ, donec sibi esset satisfactum percipiendi, dicatur fuisse diligens in exactione dictorum fructuum. Et per duos testes de visu, de interpellatione facta Reuerendissimo Cardinali Mantuano, & Illust. Cagnino Gonzaga, & Reuerendissimum Saluiatum bis examinatos, dixerũt Domini, quod satis apparebat de diligentia facta. Non obstat, quod requirebatur diligentia iudicialis. puta committendo causam & procedendo. quia contra Cagninum plus operabatur diligentia extraiudicialis, maxime mediante persona Reuerendiss. Saluiati, quam diligentia iudicialis. cũ fuisset homo paratus sufferre omnes censuras, & eas paruifacere. maxime quod Cardinalis probabilem causam quod satisfecisset, postquam ita promittebat. Et ista causa a iudiciali diligentia Cardinalem excusabat.

SVMMARIVM.

Procurator constitutus ad exigendum, confitendo recepisse, isto casu præiudicauit constituenti.

1 *Confessio de receptis facta a procuratore, regulariter non nocet principali. Sed quando non procedat. num. 2. 3. & 4.*

5 *Approbare videtur confessionem ad sui fauorem factam, illi non contradicens.*

DECISIO CCCCXVI.

PRima Iulij 1551. in vna Maioricensi, seu Rhodiensi, pecuniaria, pro Religione, contra Matthæum Tagamanent. dixerunt & voluerunt Domini, quod licet procurator datus ad recipiendum & exigendum, confitendo recepisse & exegisse, non
1 præiudicet † principali. per not. per Bar. in l. 2. §. fin. ff. si cert. pet. vbi Alex. Ias. & Purpurat. & istam opinionem ponat vt communem Tiraq. in tractat. de retract. fol. 374. pag. 1. & 2. vbi infinitos auctores pro & contra allegat; tamen, quia ibi Tiraquel. post Alciat. in d. l. 2. §. fin. dicit, quod istud
2 multum consistit in arbitrio † iudicis. qui ex varijs coniecturis debet arbitrari, an talis confessio præiudicet principali. Et ideo concluserunt Domini, quod ex quo in casu isto, confessio facta fuerat per mercatorem, qui non est verisimile quod voluisset obligari Religioni vel Guilermo ex sua confessione. Item, licet confessio non præiudicet princi-
3 pali, tamen potest debitor † assumere onus probandi, vel per libros mercatoris cõfitentis, vel per testes in bancho existẽtes, quod interuenerat realis solutio, vel etiã per testes instrumentarios. Et cũ in casu isto, Guilermus principalis, & eius hæredes, cessasset per septuagintaquinque annos petere eorũ creditum, ex ista cessatione tanti temporis, erat sublata religioni probatio, & tollebatur modus probandi, quod interuenisset rea
4 lis solutio. Et ideo voluerunt, † quod talis confessio præiudicaret principali. Et cõcurrebat alia coniectura. quia, cum Guilermus fuisset diligens exactor cõtra religionẽ, & in triẽnio, quod superuixit post confessionẽ factam per procuratorẽ, non apparebat de aliqua contradictione ipsius Guilermi, & ideo ex tanto tẽpore præsumebatur auuisatus de cõfessione procuratoris. ex qua auuisatione, vel præsumebatur satisfactus, ex quo nõ apparebat de aliqua cõtradictione; vel erat negligens, ex quo non cõtradixit. & quia non contradixerat, ex quo cõcernebat
5 eius cõmodum, videbatur † illam confessionẽ approbasse. iuxta doctrinã Bar. in l. quo enim. ff. rẽ rat. habet. vel ex quo tollebatur per taciturnitatẽ tanti temporis, videlicet 75. annorum probatio religioni, quod talis confessio procuratoris præiudicaret Domino. quod secus fuisset, si fuissemus in tempore de recenti. quia ex quo Religio potuisset contrariũ probare, tunc cõfessio procuratoris ad exigendũ, non prẹiudicasset Domino.

SVMMARIVM.

In causa Amatricis.

1 *Contractus, an censeatur inhærere territorio, in quo actus celebratus fuit.*

2 *Actio quando competit ad quantitatem in genere, an iudicetur vt res immobilis.*

3 *Confiscatis bonis, actio ad quem fiscum pertineat.*

In actione ad debitum, an persona creditoris vel debitoris consideretur.

4 *Nomina debitorum, ad illum locum pertinent, vbi de iure & de facto, exactio fieri potest.*

5 *Crimen læsæ maiestatis vbi quis committit, statim ei est interdicta administratio.*

6 *Banniti, an deportatis æquiparentur.*

7 *Confiscatis bonis propter crimen læsæ maiestatis, an bona quæsita post confiscationem ad fiscum deuoluantur. & num. 8.*

8 *In bonis deportatorum quid hodie seruetur circa confiscationem.*

DECISIO CCCCXVII.

IN vna causa Amatricis, coram me pendente extra Rotam, inter illos de Franchis ex vna, & Communitatem Amatricis ex alia, tota difficultas reducebatur. An creditum sexcentorum scutorum de quo agitur, ex quo cõtractus eius fuit celebratus

1 in Ciuitate Amatricis, cēseatur † inhærere territorio in quo actus fuit celebratus. Et quod censeretur inhærere territorio Amatricis, est cons. Alex. 31. viso. col. 3. vers. & prædicta tanto fortius. vol. 1. quod est duplicatum in cons. 111. vol. 4. & idem Alex. in addit. ad Bart. in l. ex facto. la seconda. in addit. mag. post medium. vers. & idem dico. ff. de hæred. instit. Et licet Alex. in dictis cons. 31. & 111. sequatur dictum Bal. in l. mercatores. C. de commer. & mercator. tamen ab illo recedit idem Alex. in dicta addit. & contrarium tenet Bal. in c. 1. col. 3. vers. item nota quod bona mobilia. &c. de pac. tenen. Et tanto magis, cum ista actio,
2 ex quo † competit ad quantitatem in genere, iudicatur vt res immobilis. vt post multos, quos allegat, tenet Tiraq. in tractat. de vtroque retract. char. 32. pag. 1. vers. ideoque malo inhærere. &c. Et ideo, etiam quod doctrina Bal. in d. l. mercatores. esset vera, tamen ista actio, ex quo competit ad quantitatem in genere, censetur esse immobilis. ergo tanquam res immobilis, cōcernit territorium, & sic fiscum illius territorij in quo
3 est. Et quod † persona debitoris, & non creditoris consideretur, tenet Paul. de Cast. cons. 319. primum quæsitum. col. 2. post nu. 3. vol. 1. nouissime impresso, & Lapus allegat. 91. circa finem. vers. modo est quæstio. dum
4 dicit, quod nomina † debitorum, ad illū locū pertinent vbi de iure & de facto exactio fieri potest. Isto præsupposito, quod istud nomen debitoris, dicatur esse in loco vbi celebratus est contractus, tunc dicitur, quod istud nomen debitoris, venit in publicatione facta de anno 1530. quia ex quo Io. Vincentius, erat tempore contractus in ciuitate Amatricis, pecuniæ mutuatæ, præsumuntur de bonis quæ ibi habebat, procedere. cū statim quod ipse commiserat crimen læsæ Ma-
5 iestatis, † esset ei interdicta administratio. l. fin. C. ad l. Iul. maiest. Vel si volumus dicere, quod ille pecuniæ peruenerint aliunde, & fuerint de nouo acquisitæ, & illæ post mortem rebellium spectant ad fiscum regium. per text. in l. 2. C. de bon. proscript. Nec obstat, quod ille text. loquatur in deportatis, nos autem sumus in bannitis. quo
6 casu æquiparatio † deportati ad bannitum non est bona. vt per Ang. & Salic. in d. l. 2. Quia respondetur, quod Ang. & Salic. loquuntur in bannitis in contumaciam tantum. & tunc verum est quod non æquiparantur deportatis. sed nos sumus in bannitis propter delictum notorium. & qui ciuitatem amiserunt. & eorum bona sunt publicata. quo casu tales banniti, deportatis æquiparantur. Glos. in §. relegati. inst. qui. mo. ius patr. pote. sol. Salic. in auth. item nulla. C. de Episc. & cle. & Cassan. super con suet. Burgun. fol. 92. pag. 1. colum. 2. versic. & pro clariori. Et ita, cum isti sint banniti propter delictum, & bona confiscata, & ciuitatem amiserunt, æquiparantur de-
7 portatis. itaut eis mortuis, bona † existentia in territorio regio, etiam quod essent quæsita post confiscationem, tamen ad Fiscum regium deuoluentur. ita dicit Salicet. in d. l. 2. ponendo solutionem communem in oppositione facta de text. in l. si tibi mandauero. §. is cuius. ff. mandat. & in dicto §. is cuius. dictū Bal. in l. eius qui. §. 1. ff. de testamen. nihil facit. immo retorquetur. cum ibi Bal. loquatur in condemnato secundum formam iuris municipalis, & in contumaciam. nos autem sumus in condemnato secundum ius commune, ex probationibus factis, immo ex facto notorio. & ita se ipsum declarat Bald. ibi. immo Bal. fatetur, quod quando esset condemnatus secundum formam statuti, quod
8 non posset disponere de bonis † existentibus in territorio confiscantis. & iste est casus noster. Minus obstat dictum Salic. in auth. bona damnatorum. colum. fin. dum vult quod in bonis deportatorum, hodie habeat locum auth. bona damnatorum. quia contra opinionem Saliceti tenet Bal. vbi attestatur de communi in l. eius qui. §. 1. colum. 2. in princ. 2. col. versic. quæro nunquid hodie. &cæt. ff. de testam. Et quando dictum Saliceti esset verius, tamen non procederet in crimine læsæ maiestatis. per dictam auth. bona damnatorum. in fine. & Ang. de Aret. in tract. maleficiorum. in verbo. & eius bona publicamus in versic. & quod bona damnatorum.

S V M M A R I V M.

Liquidatio fructuum.

1 *Condemnatus ad fructus perceptos, an possit probare in exequutione non percepisse fructus.*

DECISIO CCCCXVIII.

Pientina liquidationis fructuum, Die 5. Octobris 1551. coram me, fuit resolutum, quod stante confessione Io. de Venturis. qui in articulo dixerat quod fructus plebis non excedebant valorem nonaginta, quinimo sub dicto valore comprehensi sunt. & expeditione litterarum in qua expresserat, & soluerat annatam pro nonaginta. item, stantibus duobus testibus examinatis de anno quadraginta qui dicebant, quod ex possessionibus & decimis dictæ parochialis, deductis oneribus anno sterili. &c. poterant colligi 31. modia cum dimidio frumenti; nouē cum dimidio bladi; & ordei modiū vnum. & isti duo testes fuerunt affictuarij ab annis 24. vsque ad annum 27.

& sic

& sic per tres annos. Et alter testis examinatus de anno 1551. pro parte Archiepiscopi dicebat, quod de annis 47.48.49. quibus fuerat affictuarius, colligerat modia 12. vel circa frumenti singulis annis. item quod erat vnus testis de publica voce, quod in illis partibus communiter dicebatur, quod plebs valebat centum ducatis. & alius testis pro parte Io. de Venturis dicebat, quod in illis partibus audiuit a pluribus personis, quod parochialis erat valoris centum ducatorum vel circa. itē quod licet agere tur de fructibus annorum 33.34.35. & 36. tamen quia Ioannes de Venturis fuerat morosus, & contra eum protestatum de precio quāti plurimi, & erat probatū per duos testes quod modium de anno 40. valuerat 16. vel 17. scutis. Propter tot coniecturas dixerunt Domini, vel maior pars eorū, quod licet in illis quatuor annis, reducendo illa 31. modia cum dimidio ad tertiam partē, videlicet ad decem modia pro singulo anno. & posito quod de anno 1540. modium non valuisset nisi decem scutis, certe valor ascēdisset ad 100. nihilominus Domini propter expeditionem illius in nonaginta, voluerunt liquidare ad summam nonaginta. Nunc videndum est. An ipse Ioannes de Venturis, probauerit se non percepisse fructus, quia vt dicit decis. 183. * in nouis, condem

* Alias 5. de re iu dic.

1 natus † in fructibus perceptis, in articulo exequutiuo potest probare se non percepisse. Item secundo, quia D. Marcus Antonius vult, quod fiat discussio prius de bonis Ioānis de Venturis, antequam deueniatur ad exequutionem contra Archiepiscopum. replicaui sibi quod ex confessione Ioannis de Venturis constabat, quod esset pauper. videndum est vbi constet de ista paupertate. Tertio videndum est, si constat de inhibitione facta Archiepiscopo ne solueret pensionario, & quantum tempus est. & de brachio seculari decreto contra Ioannem de Venturis.

SVMMARIVM.

Regula de non tollendo ius quæsitum, isto casu non nocuit.

1 *Gratia quando est solita fieri, si petenti denegetur, an dicatur illi inferri iniuria.*

2 *Gratia solita concedi, potest denegari existente legitima causa.*

DECISIO CCCCXIX.

Nona Octob. 1551. in causa Andriensi denegationis fructuum, proposui dubium. An regula de nō tollendo ius quæsitum, noceat D. Sebastiano. Et fuit resolutum quod non noceret. quia cum gratia Sebastiani esset restricta, quod constito mihi quod omnes fuerint admissi, & nullus fuerit exclusus, cōmitterem capitulo vt ipsum Sebastianum deberent admittere. & illud in remissoria Capitulo concessa, erat probatum, quod omnes qui petierant ex

1 gratia admitti † illud obtinuerant, & quod nullus fuit exclusus. ideo cum gratia esset solita fieri, denegando facere gratiam Sebastiano, faciebat illi iniuriam. in tantum quod poterat ad superiorem appellare. per text. in l. 1. §. permittitur. ff. de aqua quot. & æst. Et ideo Sebastianus iuridice ad Papā recurrit. & Papa legitime rescripsit, quod constito quod nullus esset exclusus, quod similiter ipse debebat admitti. & in hoc nulli dicitur tollere ius. immo defendit Sebastianum in iure suo. Dicebant Domini quod erat videndum, an per testes probaretur, an esset aliqua causa in Sebastiano, propter quam canonici possent moueri ad denegationem gratiæ. quia tunc, existente causa

2 legitima, canonici poterant † ei denegare, quod aliis concesserant.

SVMMARIVM.

Articuli, isto casu, fuerunt releuantes.

1 *Resignatio illius qui erat exemptus ab Ordinario, an possit ab eodem Ordinario admitti. & num. 3.*

2 *Noua prouisio, si superueniat tempore quo beneficium non vacabat, an prosit.*

4 *Resignatio clerici, an possit admitti per notarium laicum.*

DECISIO CCCCXX.

Die 12. Octobris 1551. in causa Leodiensi canonicatus S. Martini, dubitaui. An articuli pro remissoria per Liuinum producti possint, etiam si probarentur, eum releuare. attento maxime quod Leonardus erat Cātor in Capella, & familiaris Papę. Et pro parte Nicolai contra Liuinum, quod non essent releuantes, adducebatur decisio Bisign. 4. de renunciat. & 573. * quidam Cardinalis in antiquis, vbi dicitur, quod Ordinarius non potest admittere resignationem beneficii illius, qui erat exemptus ab Ordinario. at in casu nostro, Leonardus quia cantor, non solum beneficium erat reseruatum, sed etiam ipse erat exemptus propter priuilegia Cantorum. vnde Ordinarius non potuit resignationem admittere. & si non potuit, beneficium non vacabat tempore quo superuenit noua prouisio ipsi

* Alias 14. de renunc.

2 Liuino. & ideo noua † prouisio superueniens, in qua fit mentio de vacatione, erat subreptitia. Sed istis non obstantibus, per easdem decisiones fuit resolutum,

quod articuli essent releuantes. quia licet
non posset Ordinarius admittere dictam re
signationem, illud est verum antequam Pa-
3 pa † illam resignationem approbet & ad-
mittat. & in noua prouisione sunt verba gē
neralia. siue præmisso, siue alio quouis mo-
do vacet, etiam coram notario & testibus.
4 & certum est quod † notarius, cum sit laicus
non potest admittere resignationem clerici
coram eo resignantis. & propter verba ge-
neralia, patet quod Papa illam resignatio-
nem admittit. ita & in casu isto. Et istud di
cunt illæ decisiones, si bene videantur.

SVMMARIVM.

Aditio hæreditatis tanquam erronea, est nulla. & l.fin. C. de iur.delib. non habet locum.

1 *Aditio hereditatis erronea, an sit nulla. & quid si error sit in quota. num. 2.*
2 *Aditio hereditatis ex defectu consensus & voluntatis adeuntis, an vitietur.*
3 *Inuentarium licet non sit factum, tamen heres non tenetur vltra vires hereditarias aditione erronea existente.*
Inuentarium in adeunda hereditate ad quid inuentum, & quando prosit.

DECISIO CCCCXXI.

IN causa Romana castri Feliclani, die 26. Octob. 1551. proposui dubium. An, stantibus donatione & protestatione, ac testamento Archiepiscopi, in quo Henricus ficte institutus fuit in castris Motlupi, Fiani, & Feliciani, aditio Henrici, de huiusmodi ficta institutione ignari, tanquam erronea sit nulla, & ei non obstet lex fin. C. de iur.delib. Et in facto est sciendum, quod Archiepiscopus. de anno 26. donauerat, donatione inter viuos, ista tria castra D.Io.Frācisco Comiti Pitiliani. postea de anno 27. cum esset infirmus, & volens condere testamentum, in quo volebat instituere hæredem vniuersalem Henricum Comitem Nolæ, biduo ante confectionē testamenti, fecit quandam protestationem coram notario & duobus testibus, quod per quamcunque dispositionem per eum in fauorem Henrici faciēdam, non intendebat recedere à donatione de dictis castris facta in fauorem Comitis, cum illa institutio esset ficte facienda in fauorem Henrici, adhoc vt sub nomine suo castra defenderentur, ne diriperentur à militibus Cæsarianis, cum ipse Henricus esset in castris eorum. Postea Archiepiscopus, præmissa dicta protestatione, instituit Henricū hęredem vniuersalem, & pręcipue in dictis castris nominatim expresśis. & ei substituit Comitem Pitiliani in euentum in quē Henricus decederet sine filijs. Hac institutione
visa, Henricus sine beneficio legis & inuentarij adiuit hæreditatem. Fuit dubitatum.
An ista aditio tanquam erronea, esset nulla. Et pro nullitate allegabatur, quod propter defectum verisimilis consensus & vo-
1 luntatis, aditio † esset nulla. per Glos. in l.
ex semisse. ff.de acquir.hęred.Paul.de Cast.
in l.si quis extraneus. §. sciendum. eo. tit.
Immo etiā si esset verisimilis voluntas quod
omnino adiisset, quia non tamen est ita vehementer verisimilis, corruit aditio. vt per
Aret. in d.§.sciendum. Sed ad istud pro parte Comitis respondebatur, quod text. in l.
ex semisse. & notata ibidem, loquuntur quā
2 do error est in quota. † hic autem non erat
error in quota, sed in corporibus. & ideo
obstabat lex fin. C.de iur.delib. quia imputandum erat Comiti Henrico, qui cum haberet prouisionem legis, videlicet beneficiū inuentarii, adiisset sine beneficio ipsius. & ideo dammum quod quis culpa sua. &c. Tamen hoc nō obstante, maior pars Dominorum fuit pro nullitate aditionis. nam certum, quod l.ex semisse. ff.de acquir.hęre. nō corrigitur per text. l.fin. C.de iur. delib. Et licet illa lex loquatur in quota, tamen Domini nesciebant considerare rationem differentię, quando error est in quota, vel in corporibus. dum tamen ille error ex parte instituti, proueniat ex facto ipsius testatoris. nam in casu isto, Henricus certus erat quod illa corpora erant in hęreditate Archiepiscopi. & tunc ignorabat donationis pręcedentiam, & sic factum testatoris. & ideo ex facto ipsius testatoris cadit error in aditione. vnde ex defectu consensus & voluntatis ipsius adeuntis, aditio viciari debet.
& ita non habeat locum text. in l.fin. C.de
3 iur.delib. quæ præsupponit † aditionem va-
lere. & illa lex fin. prouidere voluit, quando hęres dubitat hæreditatem grauatam multis creditoribus & legatariis, quæ credita & legata non tēdunt immediate ad deceptionem hęredis. & ideo aduersus ista onera, voluit lex prouidere per beneficium inuentarii. Sed in casu isto, illa protestatio Archiepiscopi, immediate tendebat ad deceptionem Henrici. & Henricus certus erat quod ista bona erant in hæreditate. vnde aduersus istam deceptionem l.fin. non prouidebat. nam nullibi legitur, quod si testator expresśit tot esse bona, in quibus instituit talem hæredem, & hæres sciat illa bona esse in hæreditate, si ex facto testatoris decipientis, effectum est quod illa bona desinant esse in hæreditate quod l.fin. aduersus istam fraudem voluerit prouidere.

SVMMARIVM.

Sumptum extractum ex regesto cameræ isto casu non fecit fidem.

DECI-

DECISIO CCCCXXII.

IN causa Toletana decimarum, die 26. Nouembris 1551. proposui dubium de quo sup. decis. 349. hoc lib. tertio nisi quod post illa verba. & lapsu quinquaginta annorum addidi. & stantibus litteris Alexandri vltimo productis, ex archiuiis regalibus per iudicem compulsorem extractis. in quibus Alexander, sub datum quarto Idus Nouembris 1500. asserit, concessisse duas partes decimarum Regibus, & tertiam Ecclesiis. de cuius bullæ data, fit mentio in dicta erectione Ecclesiarum. & sumpto dictarum litterarum Alexandri ex camera extracto, quod fuit registratum in libris cameræ ex camerali decreto, pendente lite. & scripturis pro parte Archiepiscopi nouissime productis. An, ex omnibus simul iunctis, probetur præcedentia litterarum Alexandri, de quibus non apparet ad conuersionem. In ista positione casus, ego fui oblitus facere mentionem de sumpto litterarum Alexãdri extracto per compulsorem, sed tantum feci mentionem de sumpto litterarum extracto ex camera, & registrato in libris cameræ ex decreto camerali. Et fuit dictum, quod istud sumptum, licet sit registratum in libris Cameræ, nullam tamen fidem faceret. quia si illud in partibus extractum lite pendente, & ex libris regiis extractum, parte non citata non faciebat fidem, ergo nec istud registratum ex illo. Et ita fuit resolutum contra Ducem, quod non probaretur præcedentia literarum.

SVMMARIVM.

Sumptum ex sumpto extractum, non facit fidem.

DECISIO CCCCXXIII.

POstea 30. Octobris 1551. in eadem Toletana decimarum, proposui dubium. An transumptum bullæ Alexandri, sub data quarto idus Nouembris 1500. de quo in paruo processu de partibus, fol. 53. vigore compulsorialium generaliũ in partibus extractum, fit in forma probanti, itaut cõiunctum cum aliis coniecturis datis in præcedenti dubio, probet præcedentiam litterarum Alexandri ad conuersionem. Et sic in isto dubio, dubitaui particulariter de eo quod omiseram in præcedenti dubio, in formatione casus. Et Domini primo inclinabãt pro nullitate istius sumpti extracti in partibus per compulsorem. ex quo in prima citatione, nõ erat inserta facultas iudicis delegantis, cum essemus in longinquis partibus. iuxta not. in c. cum in iure peritus. de offic. deleg. Sed vlterius. præsupposita valida extractione dicti sumpti, dixerunt Domini, quod illud sumptum, dato quod per cõpulsorem valide esset extractum, tamen non probaret. ex quo est extractum ex libris regijs, & non ex originali. & sic sumptum ex sumpto. quo casu non probat. Purpurat. in auth. si quis in aliquo. C. de eden. Immo dixerunt Domini, quod cum illud sumptum esset simpliciter registratum in illis libris regiis, & non per notarium publicum, qui diceret esse collationatum cum originali, dixerunt quod esset simplex copia. & ideo nullam fidem faceret.

SVMMARIVM.

Portio vineæ, accreuit cum onere suo.

1 *Portio deficientis an accrescat collegatario cum onere suo.*

2 *Onus nominatim iniunctum duobus legatarys, an vno recusante transeat ad alium collegatarium. & num. 3.*

4 *In iure accrescendi, portio accrescit portioni cum onere suo.*

DECISIO CCCCXXIV.

IN causa Romana legati, seu vineæ, pro Rocho, contra Franciscum Valagusium, proposui dubium die 4. Nouembris 1551. An ex deductis colligatur mens testatoris, quod voluerit, portionem vineæ accrescere coniuncto collegatario, aut hæredi. vel saltem sit aliquod onus, cum quo ipsa portio accrescere debeat. Et incipiendo a secunda parte dubij, fuit resolutum quod esset tale onus, cum quo portio debebat accrescere. nam certum est, quod testator grauauit legatarios suprascriptos, & quẽlibet eorum, vt deberent assistere præsenti testamento. in quo testamento testator quascunque donationes reuocauerat, ad effectum vt illæ ad hæredem spectarent. & ideo, licet quoad formalitatem verborum, illa verba quod legatarii, & quilibet eorum, debeat assistere. videatur onus personale, & respicere personã cuiuslibet legatarij, ita quod tale onus non possit impleri per alium, cum consistat in faciendo, videlicet in faciendo, & non contrauueniendo; tamen quo ad effectum, illa verba continent onus in dando. nam reuocata donatione, tenebatur Ioanni Baptistæ dare quingenta si volebat portionem legati. & cum istud onus consistat in dando, potest per alium impleri. & sic portio accrescit Francisco cum onere † dandi
1 quingenta. & ita colligitur ex his quæ dicit Corn. in l. vnica. §. ne autem. nu. 2. & 3. C. de cadue. tollen. cuius dictum fuit Bal. ibidem ante Corn. n. 3. 6. & 19. Item, si Baptista agnouisset legatum, non est dubium quod

quod heres ratione illius portionis, habuisset 500. ergo si portio accrescit Francisco, debet accrescere cum onere suo. secundum Crot. in l. re coniuncti. nu. 105. & ibi Rip. numer. 194. de legat. 3. Non obstat, quod pro parte contraria dicebatur, quod onus esset personale. scilicet assistere, & non contrauenire, & ideo non transit. quia prout verba sonabant, verum est. sed quo ad effectum non respicit personam, sed consistit in dando. quod per impleri poterat. nec quicquam facit, quod sic Franciscus duplici onere granaretur. primo pro portione sua in dimittendis quingentis, & pro alia portione in alijs. Quia fuit responsum, quod illud procedit, ex quo Fraciscus vult habere duas portiones, nimirum si duplicatum onus sen-
2 tit. Nõ obstat, quod onus † nominatim vnicuique legatariorum esset impositũ, & ideo non transit ad alium. per iura quæ allegabãtur in informatione. quia fuit responsum, quód non est verum quando onus est in dãdo vt supra, ex quo per alium potest impleri. Non obstat etiam, quod onus sit impositum acquisitioni legati, cum testator dixerit. & quatenus legatũ consequi velint. &c. & quando onus est impositum acquisitioni
3 legati, † non transfertur in alium. secundum Soc. cons. 236. col. 2. vers. aliquando & secundo. 2. volum. per text. in l. penult. §. fin. de legat. 3. respondetur, quod ille text. & cons. Socini non faciunt ad casum nostrum. nam nos habemus conclusionem,
4 quod in iure accrescendi, portio † accrescit portioni cum onere suo; Soc. autem loquitur in legato relicto vni cum onere, an, si tale legatum transferatur in alium, censeatur cum onere translatum. & sic est diuersa materia. Et ita, postquam fuit decisum hoc secundum dubium, quia ponebat gladium ad radicem, & ex eo constabat, quod Franciscus tenebatur ad onus impositum Baptistæ. non fuit vlterius quæsitum super prima parte dubii.

SVMMARIVM.

Operarius effectus titularis & canonicus, non debet habere duplicatam portionem.

1 *Operaria in Ecclesia B. Mariæ del Pilar, an officium.*
2 *Ecclesiam eandem duplici onere grauare velle non est credendum.*
3 *Regularis, dato, quod sit professus & habeat officium in monasterio, an per hoc duplicatam portionem consequatur.*

DECISIO CCCCXXV.

Eadem die 4. Nouemb. 1551. in vna Cæsarauguстana subreptionis literarum seu operariæ, dubitaui. An ratione gratiæ, vbi confertur Michaeli operaria in titulũ, quam habebat in commendam, sibi debeatur portio canonicalis, quam etiam operarii titulares nõ solent habere. Et casus erat, quod Michael Ortiz, habens in Commendã
1 operariam, † quæ est officium in Ecclesia B. Mariæ de Pilari, ordinis canonicorũ regularium, ciuitatis Cæsaraugustæ, impetrauit à Papa, vt postquam habitum per religiosos dictæ Ecclesiæ gestari solitum, sum psisset, & professionem emisisset, quod haberet operariã in titulum, & vteretur omnibus priuilegiis & iuribus, quibus reliqui canonici dictæ Ecclesiæ vtuntur & potiuntur. & postea dicebatur in gratia, quod posset eligere personam in dignitate vel canonicatu constitutã, in manibus cuius habitũ suscipere, & professionem emittere posset. & postquam illud fecisset, quod aggregaretur consortio canonicorum. cum derogatione statuti de certo numero canonicorũ. &c. dato quod ibi non esset certus numerus, sed numerus indeterminatus canonicorum. Et sic ista gratia dicebat Michael Ortiz, quod cum ipse, vltra quod habebat operariam in titulum, efficiebatur canonicus, statim quod erat canonicus, vltra fructus operariæ, debebat habere portionẽ canonicalem. cum statim quod est canonicus debet talem portionem habere. secundum Abb. in c. dilectus. de præben. Sed contrariũ fuit resolutum. quia in dubio non præsumitur duplici onere velle eandem Ecclesiam,
2 respectu † vnius, grauare velle. & ideo operarius, vel debebat esse contentus fructibus operariæ, ex quo illi fructus pro vita operarii erant assignati, vel portione canonicali. nam statim quod operarius professionem emittebat, statim erat canonicus regularis: licet illud officium operariæ vltra canonicatum haberet, non tamen ideo duplicatam portionem habere debebat. nam
3 in istis regularibus, † dato quod quis sit professus & etiam officium in Monasterio habeat, non tamen per hoc duplicatam portionem consequitur.

SVMMARIVM.

Pendente iudicio caducitatis iniusto, potest quis de nouo in commissum incidere.

1 *Emphyteuta an pensiones, etiam non interpellatus, debeat offerre.*

DECISIO CCCCXXVI.

Eadem die 4. Nouẽb. 1551. corã D. Antonio Augustino, fuit resolutum, in vna Bononiensi locationis, pro Bentiuolis, cõtra Peregrinos, quod licet Bentiuoli ab initio iniuste egissent ad caducitatẽ bonorum loca-

catorum ob censu non solutos; tamen, quia pendente lite super illo iudicio iniuste moto, cessauerant per bienniũ soluere, quod stãte commissione de nouo impetrata per Bentiuolos super noua caducitate, quod Peregrini dicerentur lite pendente in commissũ incedisse. per decisionẽ Capyeij 16. & iura ibi allegata. nam in l. si rem. §. fin. de pig. act. ibi ab initio iudicium erat iniuste motum, & tamen ibi conualidatur. ita & hic. nam dato quod Bentiuoli ab initio iniuste egissent, tamen cessantibus Peregrinis biennio soluere, causa iniusta agendi efficiebatur iusta. & ideo, data de nouo iurisdictione, prout erat data, Peregrini erant declarandi in commissum cecidisse. Nec obstat, quod Peregrini dicerent eos excusari, ex quo Bentiuoli semper egerunt ad caducitatem, petendo rem & fructus. & ideo excusari debebant ipsi si pensionem interim non soluerunt. quasi ipsi non seruauerint instrumentum, sed potius Peregrinos dicerentur molestasse. Quia fuit responsum, quod cum ipsi in possessione bonorum non molestarentur, sed ipsis fruerentur, licet Bentiuoli, etiam falsa causa adducti, agerent ad caducitatem, tamen Peregrini, qui nitebantur contractui & instrumento emphi-
1 teusis, de cuius natura est quod † emphiteuta etiam ad pensiones non interpellatus debet offerre. l. 2. C. de iur. emphi. ideo Peregrini debebant soluere, vel saltem offerre legitime. alias sequeretur magnum inconueniẽs. quod Peregrini innitentes validitati contractus & instrumenti, fructus perciperent, & debitum canonem non soluerent. Et ideo fuit dictum, quod videretur an Peregrini aliquam aliam excusationem habere possent quare non soluerint.

SVMMARIVM.

Regulam de verisimili opponens tenetur probare, quando impetratio præcedit obitum.

1 *Negatiua quando est fundamentum intentionis alicuius, siue agat, siue excipiat, probari debet.*
2 *Impetratio beneficij præsumitur valida, & legitimo tempore facta.*
3 *Littera Apostolicæ, an præsumantur tempore legitimo expedita, & ante commissionem causæ.*

DECISIO CCCCXXVII.

CORam D. Rossanensi die 13. Nouẽbris 1551. in vna Cremonensi S. Petri de Ragazola fuit dubitatum. An onus probandi verisimilem notitiam obitus, incumbat impetranti, vel danti de regula. Et fuit resolutum, quod incumberet danti de regula. nam ex quo constabat, quod obitus præcedebat impetrationem, & aduersarius obijceret, tantum temporis non intercessisse inter obitum & impetrationem, vt verisimilis notitia obitus haberi potuerit, & propterea opponat de regula de non verisimili notitia, propterea ipse debet probare. cum sit fundamentum intentionis suæ, etiam quod sit
1 mera † negatiua, siue agat siue excipiat. In noc. in c. super his. de accusat. Bar. in l. in illa. ff. de verb. oblig. maxime quia præsumitur
2 pro impetrante, quod † impetratio sit valida, & legitimo tempore facta. Bart. in l. non solum. §. sed vt probari. ff. de nou. oper. & quod dicit Decius in c. in præsentia. in 10. not. de probat. Abb. in c. viduam. de regul. propter quod dixit Cassad. decis. 3. super regul. Cancell. quod si constat de commissione causæ, & litterarum expeditione, & non constet quod fuerit prius impetrata commissio,
3 quod litteræ præsumuntur expeditæ † tempore legitimo, & sic ante commissionem. quod voluit idem Sarnensis in reg. de non iudican. iuxta formam supplicationis. quæst. 15. & in compendio vtriusque signaturæ. nu. 54. Non obst. quod Sarnen. testetur in regula de verisimili notitia. quæst. 6. quod contrariũ fuit tentum. quia non fuit tenta illa decisio, & expresse reprobata fuit tũ per prædictas rationes, & propter alias quę sunt in informationibus iuris, ad quas me remitto.

SVMMARIVM.

Castri Zancati. disputatum coram me, de mense Iunij 1553. postquam sum Cardinalis.

DECISIO CCCCXXVIII.

IN causa castri Zancati, Annibali habent octo testes, probantes quod in transitu Regis Caroli, ipsi Annibali erant Domini & possessores castri Zancati. & quod Prosper expulit eos. qui postea recedens cum exercitu Regis Caroli versus Neapolim, reuersi sunt in castrum. & expulerunt officiales positos ibi per Prosperum. & quod Prosper rediens à Regno Neapolis, videns rebellionem, ad castrum Zancati accessit. illud expugnauit, & solo æquauit, ac combussit. Et licet Alphonsus Brancaleonius & Lucas de Victorijs habeant sex testes bene probantes, & vnum, qui non bene probat, & sic septimus, & octauus qui est homicida duorum, quod in aduentu Regis Caroli, in possessione castri erant Andreas & Iacobus de Comitibus, qui fuerunt expulsi per Regem à dicto castro, eo quod fraudauerant pagam acceptã à Rege. Tamen dixi, quod melius probabant possessionem illi de Annibalis, quia erant meliores testes, & octo numero, alij vero. sex. & duo non omni exceptione maiores. nam vnus ho-

homicida, alter non bene probabat. Item dicebā, quod illi octo pro parte Annibalorum examinati, erant meliores, cum essent vel omnes, vel maior pars eorum, de castro Zancati, & deponant de actu specifico possessionis. quia dicunt soluisse responsiones quartę seu quintæ partis territorij. & in recognitionem dominij, in NATIVITATE DOMINI pręsentasse ipsis Dominis spatulas porci, & certa munera, & ipsi Domini dabant eis collarionem. testes autem aduersariorum, deponunt de possessione in genere. puta, quia viderunt, Iacobum & Andream possidere, vel factores eorum exigere, & si bene videantur, non ita specificos actus possessionis deponunt. & nullus melius quā ipsi, poterant deponere de possessione castri tempore expulsionis factæ per Prosperum, quam ipsi subditi. qui tempore expulsionis factæ per Prosperū, omnes dicunt quod erāt in castro Zancati. & ipsi melius scire possūt, qui erant possessores castri, quam alij testes pro parte Alphonsi examinati, qui non sunt de castro. Item, testes Annibalorum verisimiliora deponunt. nam plene probatur per testes, ꝙ ipsi Annibali expulerunt officiales positos per Prosperum, & possederunt vsque ad ruinam castri. Et certe si Comites fuissent primi possessores tempore quo Prosper expulit Dominos & possessores castri, sicut Annibali in recessu Prosperi versus Neapolim, expulerunt officiales Prosperi, ita fecissent & ipsi Comites. & tamen nullus testium deponit quod Comites vmquam redierint post primā expulsionem. Item D. Ioannella de domo Comitū, examinata pro parte Annibalorum deponit, quod Comites numquā fuerunt Domini, nec possessores, neq. aliquid agere habuerunt in dicto castro. Item accedit, ꝙ Alphonsus & Lucas varie articularūt. nam aliquādo articularunt dando articulos medio iuramento per principales, quod ante aduentum Regis Caroli, Prosper per decennium fuit in possessione dicti castri. & illud probauit per duos testes. cum tñ alio tempore prius articulasset, ꝙ Comites erant possessores ante aduentū dicti Regis. Et sic ex ista varietate colligitur, ꝙ nec ipsi articulantes sciebant veritatē rei, & faciebant deponere testes eorum modo. Non obstat quod diceretur quod Georgius de Valmontone, vnus ex testibus Annibalorum de illis octo, super 13. interrogatorio deponeret, quod Annibali fuerunt possessores ante aduentum Regis dicti castri Zancati vsq. ad ruinam ipsius; cū tamen constet ꝙ medio tempore per expulsionem factam per Prosperum per appositionem officialium, ipse Prosper possedit. quia si videatur bene dictum dicti Georgij in dicto decimotertio interrogatorio, non dicit Georgius istud. & quando dixisset, quia propter reditum Annibalorum, ipsi Annibali nō habuerunt se pro spoliatis, potuit dicere testis ꝙ vsq. ad ruinam possederunt. Non obstat quod Iacobus Falconellus super secundo articulo, examinatus, pro parte Annibalorū, qui est vnus de illis octo, deponat quod Annibali possederunt vsque ad ruinam. quia respondetur vt supra. quia propter possessionē eiusdem Annibalorum, ex quo non habuerūt se pro spoliatis, bene deponit. Non obstat, quod Georgius de quo supra, in primo articulo, in quo pro parte Annibalorū articulatur, quod à tempore immemorabili, & à quinquaginta, & quadraginta annis, Annibali possederūt, dicat articulum verum ex visu. & sic eum visus non possit esse ab immemorabili, sequitur ꝙ iste testis videtur falsus, seu saltem nimis affectionate deponere. quia dicitur, quod ex quo deponit de visu, debet referri ad illud tempus ad quod visus potest se protendere. Non obstat, quod Iacobus Zāpi, testis inductus pro parte Annibalorum, fuerit accusatus de subornatione. quia dicitur ꝙ ipse comparuit coram Auditore Cameræ, & nil confessus est, sed data cautione fuit relaxatus. & accusatio si videatur, non tēdit ad subornationē. Itē, dicto eius isti Annibali non vtuntur. Et sic ex omnibus istis, fuit conclusum pro parte Annibalorum, quod melius & verisimilius probauerint. Et ideo fuerunt restituti. Non obstat, quod post duos annos post latam sententiam, & nunc de mense Iunij 1553. fuit data quædam fides mihi extra iudicialiter ex libris regesti, vbi de anno 1498. & sic tempore transitus Regis Caroli, inter castra Iacobi Conte, reperiatur annotatum istud castrum Zancati. quia fuit dictum, ꝙ est producta post sententiam. item quod nescitur per quem fuerit annotatū in libris Cameræ, & ad quem finem. quia non constat quod illa nota, in libris Cameræ fuerit data per ipsummet Iacobum, cuius nomen in nota inscriptū fuit. quo casu posset dubitari, an liber æstimi probet dominiū seu possessionem eius, qui patitur describi nomen suū in illis rebus de qbus agitur. at in casu nostro potuit illud nomen Iacobi dari per aliquem Cōmissarium, qui nō potest deponere nisi de auditu. quo casu nihil probat. Et tanto magis, cū ipsi Brancaleoni, & Lucas de Victorijs in eorum articulis dicant, ꝙ castrum Zancati ad Iacobum & Andream tunc pertineret. & ideo nota sub nomine Iacobi non videatur vera. & testes pro maiori parte quod ad Andream pertineret deponunt. Item, quia illa annotatio nihil infert ad possessionē castri. Item, quod testes Annibalorum verisimiliora deponant, constat. eum nullus pro parte Comitum agat. & si fuisset castrum eorum, ad litem pro eorum interesse venisset. & isti Alphōsus & Lucas per istam sententiam releuātur à peccato, cū sint successores in spolio. nam succedunt Prospero violento possessori.

FINIS LIBRI TERTII.